CHRON. ABB. URSPERG.

BEDÆ HISTORIA

6.840 1465

X

320 Beda. Ecclesiasticæ Historiæ, *Antuerpiae*, 1550, et Ursperg Chronicum, *ports.* (faulty), 1540, in 1 vol, *old cf.*

10 g 2259

1465

CHRONICVM

ABBATIS VRSPERGENSIS, CONTI NENS HISTORIAM RERVM MEMORABILIVM, A NINO ASSYRIORVM REGE AD TEMPORA FRIDERICI II. Romanorum Imperatoris, & Germanicorum Imperatorum res præclarè ac fortiter pro ſalute publica geſtas, bona fide ab autore con ſcriptas, complectens: Diligenter per Eruditum quendam uirum & HISTORIARVM PERITISSIMVM recognitum, & beneficio ueterum manu ſcripto rum exemplariorum ab infinitis mendis repurga tum.

PARALEIPOMENA RERVM MEMORABILIVM, à Friderico II. uſq; ad Carolum V. Auguſtum, hoc eſt, ab anno Domini M. CCXXX. uſq; ad annum M. D. XXXVII. ex probatioribus qui habentur ſcriptoribus in arctum coacta, & hiſtoriæ Abbatis Vrſpergenſis per eundem STVDIOSVM annexa.

CVM ICONIBVS IMP. ET PRINCIPVM *ad uiuum expreſſis.*



ANNO M. D. XL.
Menſe Septembri.

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, D. PHILIPPO COMIti Palatino Rheni, & Duci Bauariæ, Principi clementiſſimo, Philippus Melanchthon

S. D.

MEMINI CAPNIONEM LIBENTER CVM CAEteras eximias & heroicas uirtutes laudatiſſimi aui tui, Principis Palatini Philippi prædicare, tum uero narrare, quanta in eo auiditas, quantum ſtudium non ſolum domeſticæ antiquitatis inquirendæ, ſed etiam Gręcæ & Latinæ hiſtoriæ cognoſcendæ fuerit, de qua ſæpe diſſerentes audiebat uiros eximia doctrina & prudentia præditos, Iohannem Dalburgium Epiſcopum Vangionũ & Rudolphum Agricolam, ac paucos quoſdam alios. Cumq́ non ſolum magnitudine & ueritate rerum Perſicarum & Gręcarum delectaretur, ſed etiam iuuaret eum, ſeriem, initia, incrementa, inclinationesq́ imperiorũ conſiderare, curauit ſibi multa à Dalburgio, Rudolpho, & Capnione, ex pręcipuis hiſtoricis Gręcis quędam etiam ex Poetis in noſtrũ ſermonẽ transferri, & quaſi quandam epitomen confici, res maxime illuſtres, & uitę ac moribus utiles, annotato Imperiorum ac temporum ordine continentem, qua in re Capnio conſilium & prudentiam aui tui magnopere laudabat, non modo quod ipſam rerum geſtarum atq́ exemplorum memoriam, uiro principi, & ad gubernacula Reipub. ſedenti, prodeſſe intellexiſſet, ſed etiam acute uidiſſet, quantum referat, temporũ atq́ imperiorum ſeriem tenere. Etſi enim exempla ipſa per ſeſe multũ ualent undecunq́ electa, tamen ordo Imperiorum & rerum geſtarũ de multis maximis rebus homines ingenioſos admonet. Prodeſt ad pietatẽ, mitia incrementa, deprauationes, correctiones religionũ uidere, conſiderare etiã quomodo non humano conſilio, aut uiribus, ſed diuinitus imperia conſtituta ſint, deinde propter iuſticiam defenſa, poſtremo propter tyrannidem, impietatẽ, libidines, ambitionem conciderint. Illud etiam utile eſt, occaſiones obſeruare, quibus ab alijs gentibus ad alias imperia translata ſint, quæ interdum cum per ſeſe eſſent leuiſſimæ, tamen momenta fuerunt rerum maximarum. Poſtremo iucundiſſimum eſt in conſpectu habere totius humani generis ortum, propagationem, & omnes inſignes mutationes, quod ipſum etiam multa monet ad pietatem utilia. Iure igitur aui tui prudentia admiranda eſt, qui acquieſcere animo in cognoſcendis hiſtorijs non potuit, donec contextum haberet, perpetuum opus uniuerſæ antiquitatis. Sed huius generis

Epitomas conficere, non eſt mediocrium artificum. Magnum enim
& difficile opus eſt, integram hiſtoriam recte ſcribere, & haud ſcio,
an inter eloquentiæ opera, omnium longè difficillimum. Facilius eſt
tales commentarios excerpere,ſed tamen eligere ea quæ plurimum ha
bent ponderis, intelligere conſilia atq; occaſiones negociorum, homi
nis eſt,non ſolum nõ hebetis,ſed etiam uſu periti, & uerſati in Repub.
& hæc aptè diſtribuere, & dilucidè recitare,nemo niſi liberali doctri-
na excultus poteſt. Itaq; cum lego Germanicorũ ſcriptorum χρονικὰ
ſeu hiſtorias, non raro deploro hanc infœlicitatem noſtræ nationis,
quod cum optimos principes genuerit,cũ res geſſerit pulcherrimas,
& utiles uniuerſo Chriſtiano nomini, literarum lumine res noſtrorũ
hominũ carent. Quanquam enim non prorſus ingenia noſtris ſcri-
ptoribus defuerunt, tamen ſcientia Reipub. defuit, & ratio dicendi.
Scribebãt enim hiſtorias monachi plerunq; imperiti Reipub. qui ue-
teres hiſtoricos ne uiderant quidem, ſine exemplo, ſine arte infantes.
Itaq; Stabium audiui narrantem Imperatoris Maximiliani cõſilium,
quem conſtituiſſe aiebat certis hominibus doctis mandata dare, ut
collectis undiq; Germanicis Chronicis, quia alius alia annotaſſet, ex
fragmentis illis, Germanicã hiſtoriam integram, quantũ fieri poſſet,
componerent. Sed uel occupationibus impeditus, uel quia non ſatis
idoneos homines rei tantæ,qui quidem uacui fuiſſent,reperiebat, in-
ceptum omiſit. Quanquam igitur iure in noſtris ſcriptoribus deſi-
derari multa poſſunt, tamen faciendum eſt ſcilicet, id quod res fert.
Non ſunt negligenda hæc, quanquam rudia,monumenta maiorum
noſtrorum, quæ multas pulcherrimas uirtutes noſtrorum Regum
& ducum,ſi non ſatis illuſtrant, uiuis, ut ita dicam,coloribus, adum-
brant tamen, & homines prudentes hæc ipſa adumbratio multa mo-
nere poteſt. Itaq; fui hortator Cratoni Typographo uiro optimo,
ut recuderet nobis hoc Chronicon Abbatis Vrſpergenſis. Nullum
enim in hoc genere ſcriptum hominis Germanici & de rebus noſtra-
tibus aliud reliquum eſt locupletius, atq; utilius. Nemo de rebus Ger
manicis plura collegit, deinde induſtriam eius in temporibus anno-
tandis, in quibus fuit multo cæteris diligentior, admodum probo.
Vtinam Epitome ueterum rerum Perſicarum,Græcarum,& Roma-
narum elegantior eſſet. Sed tamen quia ſtudium habuit contexendæ
propemodum perpetuæ hiſtoriæ, cum ueniſſet mihi in mentem iudi
cium aui tui, de ſerie imperiorũ cognoſcenda, præcipue tibi Princeps
Nobiliſſime dedicandũ hoc opus eſſe cenſui. Neq; enim dubitabam
quin ut cæteras Aui tui uirtutes, ita etiam diligentiam in inquirenda
antiquitate, effingeres atq; imitarere, cum quidem ſcias quantum uti
litatis cognitio hiſtoriæ, præcipuè Principibus afferat. Ad hæc au-
dio te non ſolum amare,ſed etiam præclare intelligere literas, ac multa
nõ ſolum in ocio,ſed etiam in ipſis negocijs, in caſtris, inter tubarum

atq; ar-

atq; armorum ſtrepitum, legere ſolere, ac præcipuè colere illam philo ſophiæ partem de rebus cœleſtibus, digniſſimam ſummis uiris. Spe rabam igitur te ſi quando, ut ſoles, legis hiſtorias, libenter etiam hunc Scriptorem deguſtaturum eſſe. Nemo plura complexus eſt de Francis & Carolorum poſteritate, ex qua uetus familia fuit Palatinorum principum. Nemo plura dixit de Guelfis, à quibus orta eſt nobiliſſima ducum familia, qui nunc Bauariam tenent. Poſtremo nullis maiorem uoluptatem afferunt hiſtoriæ, quàm qui res memoria dignas gerunt, qui ſuas etiam laudes in hiſtoria legunt. Extat autem tuum beneficium erga patriam, & uniuerſam Germaniam maximum. Tua enim fide, uirtute, ac fœlicitate anno milleſimo quingenteſimo uigeſimo nono defenſa eſt Vienna Auſtriaca, cum eam Turcorum ingens multitudo cinxiſſet obſidione, & oppugnaret acerrime. Si quis expendet qnantum terrorem intulerint Turci, quanta trepidatio totius Europę tunc fuerit, quo barbaries & crudelitas Turcorũ progreſſura fuerit amiſſa Vienna, intelliget uix ullũ Ducem multis ſeculis melius de patria meritum eſſe, quàm te. Virtus apud Xenophontem ait ἥδιστον ἀκρόαμα eſſe, audire laudes rerum à nobis prẹclare geſtarum. Quare cum laudes etiam tuas in hac hiſtoria lecturus ſis, gratius hoc munus tibi fore confido.

Excipe igitur hunc Scriptorem & hęc ſtudia, quorum ſcientia aliquid ad cęteras tuas laudes ornamenti tibi addit, benigne defendito, quę præſertim his miſerrimis temporibus ab ijs qui Reipublicę præſunt omni ope, omnibus uiribus propter publicam utilitatem tuenda ſunt.

Bene uale Illuſtriſſime Princeps.

i. Octauianus Auguſtus. 45. 49.
ij. C. Tyberius Nero. 52.
iij. G. Caligula. 56.
iiij. Claudius. 57.
v. Domitius Nero. 61.
vi. Galba. 63.
vij. Lucius Otto. 63.
viij. Vitellius. 64.
ix. Veſpaſianus. 64.
x. T. Veſpaſianus. 65.
xi. Domitianus. 65.
xij. Nerua Cocceius. 66.
xiij. Vlpius Traianus Crinitus. 66.
xiiij. Helius Adrianus. 68.
xv. Antoninus Fuluius Boiomus Pius. 69.
xvi. Marcus Aurelius Antoninus Verus. 70.
xvij. L. Aurelius Commodus Antoninus. 70.
xviij. Helius Pertinax. 71.
xix. Seuerus ſeptimus Pertinax. 71.
xx. M. Antoninus Baſſianus Caracalla. 72.
xxi. Opilius Macrinus. 73.
xxij. M. Aurel. Antoninus Varus Heliogabalus. 73.
xxiij. Aurelius Seuerus Alexander. 74.
xxiiij. Iulius Maximinus Trax. 75.
xxv. Gordianus. 75.
xxvi. M. Iulius Philippus. 76.
xxvij. Decius. 76.
xxviij. Virius Gallus Hoſtilius. 77.
xxix. Licinius Valerianus Colibius. 78.
xxx. Claudius. 79.
xxxi. Aurelianus. 79.
xxxij. Tacitus. 80.
xxxiij. Probus. 80.
xxxiiij. Carus. 81.
xxxv. Diocletianus. 81.
xxxvi. Conſtantinus. 84.
xxxvij. Conſtantius. 87.
xxxviij. Claudius Iulianus. 89.
xxxix. Iouianus. 92.
xl. Valentinianus. 92.
xli. Gratianus. 120.
xlij. Theodoſius. 121.
xliij. Archadius & Honorius. 125.
xliiij. Theodoſius iunior. 127.
xlv. Martianus. 129.
xlvi. Leo Beſſicanus. 130.
xlvij. Zeno Iſaurus. 132.
xlviij. Anaſtaſius. 133.
xlix. Iuſtinus. 134.
l. Iuſtinianus. 135.
li. Iuſtinus minor. 137. 154.
lij. Tyberius Conſtantinus. 154.
liij. Mauricius. 156.
liiij. Phocas. 157.
lv. Heraclius. 158.
lvi. Conſtantinus. 160.
lvij. Conſtans. 161.
lviij. Conſtantinus. 162.
lix. Iuſtinianus. 163.
lx. Leo, qui & Leontius. 164.
lxi. Tyberius Apſimarus. 164.
lxij. Iuſtinianus iterum. 164.
lxiij. Philippicus. 165.
lxiiij. Anaſtaſius. 166.
lxv. Theodoſius. 166.
lxvi. Leo. 167.
lxvij. Conſtantinus Capronymos. 168.
lxviij. Leo. 183.
lxix. Conſtantinus cum matre Hirene. 184.

Hinc Imperium Romanum ad Germanos tranſlatum eſt.

GERMANORVM IMP.

i. Carolus Magnus. 189.
ij. Ludouicus Pius. 191.
iij. Lotharius .I. 193.
iiij. Ludouicus .II. 194.
v. Carolus Craſſus. 196.
vi. Arnolphus. 196. 209.
vij. Ludouicus .III. 198.
viij. Conradus .I. 199. 200. 206.
ix. Heinricus .I. dictus Auceps. 200. 207.
x. Otto Magnus. 214.
xi. Otto .II. 229.
xij. Otto .III. 225.
xiij. Heinricus Claudus .II. 226.
xiiij. Conradus .II. 227.

xv.	Heinricus Niger III.	228.
xvi.	Heinricus IIII. ſenior.	232.
xvij.	Heinr. V. iunior.	241.260.285.
xviij.	Lotharius Saxo.	287.291.
xix.	Conradus Sueuus III.	292.
xx.	Frideri. I. Barbaroſſa.	295.306.
xxi.	Heinricus VI.	317.
xxij.	Philip. Barbar. filius.	319.325.
xxiij.	Otto IIII.	326.
xxiiij.	Fridericus II.	334.
xxv.	Conradus IIII.	350.352.355.
xxvi.	Vuilhelmus comes Holand.	362.
xxvij.	Rodolph. comes Habſpurgij, Lantgrauius Alſatiæ.	360.
xxviij.	Adolfus de Naſſau.	363.
xxix.	Albertus primus.	366.
xxx.	Heinricus VII.	370.
xxxi.	Ludouicus Bauarus III.	374.
xxxij.	Carolus IIII.	376.379.
xxxiij.	Vuenzeslaus.	391.
xxxiiij.	Rupertus Palatin. Rheni.	394.
xxxv.	Sigiſmundus Vngariæ rex.	395.
xxxvi.	Albertus ſecundus.	421.
xxxvij.	Fridericus III.	422.
xxxviij.	Maximilianus.	458.
xxxix.	Carolus V.	477.
xl.	Ferdinandus.	498.

FINIS.

CHRONICVM ABBATIS VRSPERGENSIS.

PRAEFATIO.

DE REGNIS ET REGIBVS ET GESTIS temporum multi ſcripſerunt, uaria hæc deſcriptione proſequentes. Nam Moyſes ab Adam uſq; ad Noe, & à Noe uſq; ad Abraham, duarum ætatum tempora ſecundum ſucceſſiones generationum in populo Dei deſcribit, nullam uſquam de Regnis aut Regibus faciens mentionem. Tum quia Reges forte non erant, tum quia non de Regibus ſcribere intendebat, ſed mirabilia & leges Dei quę geſſit in populo ſuo, enarrare ſtudebat. Huius itaq; & aliorum ſacræ hiſtoriæ ſcriptorum tractatus merito pręferunt, qui à Deo inſpirati, magnalia Dei mirifice inter homines eloquuntur. Cæterum licet hæc quæ in Lege & Prophetis & Pſalmis ſcripta ſunt, ad corroborandam fidem ſufficere poſſint, multi tamen adiecerunt hæc quæ à ſanctis dicta ſunt, principaliter proſequendo, ex libris etiam Gentilium, de Regnorum & Regum ſucceſſionibus aliqua ſatis eleganter interſerendo. Ex his Oroſius & Euſebius & alij quam plures libros Annales ędiderunt. Ex quibus præfatus Euſebius collationes temporum facere conatus eſt: ſingulos annos in numeris diſponens, in ſingulis lineis & columnis. A principio diſponens quatuor Principatus, ſcilicet Hebræorum, in quibus non reges, ſed Patriarchę extiterunt. In ſecunda columna, Regnum & Reges Aſſyriorum per ſingulos annos diſponit. In tertia columna, Regnum & Reges Sicyoniorum per ſingulos annos ordinat. In quarta columna, quoniam Aegiptij Reges non habuerunt, ſed quaſi in regno poteſtates illorum, quas illi dynaſtias appellabant, diſponit ſingulos annos in ſingulis lineis uſq; ad centum nonaginta annos, per quos à Thebęis per ſedecim dynaſtias regebantur. His regnis poſtmodum acceſſit in Europa primum regnum Argiuorum, ſecundum Aegyptiorum, tertium Athenienſium. Hæc ideo dictus Euſebius ſic diſponit, ut oſtendat quotus annus cuiuslibet regni ſiue regis, quotus ſit ad quemlibet annum alterius regni, ſiue alterius regis. Verum quia pręfata ſcriptura uitio ſcriptorum omnino eſt corrupta, & multa difficultas, & modica uidetur ineſſe utilitas, nos eam omittimus, proſequentes & ponentes tantummodo Reges ſecundum ſucceſſiones ſuas, à principio tantummodo in duobus Regnis, ſcilicet Aſſyriorum & Sicyoniorum, quorum utroſq; in ſingulis columnis poſt alios ponemus, ſecundum quod ſimul extitiſſe uidentur, altrinſecus eos ponendo, contemporaneos quoq; Patriarchas, & pręfata Aegypti ſiue alia Regna in alijs circulis ponemus, in eiſdem ſpatijs ſecundum quod contemporanei fuerunt, ſingulis annos ſuos breuiter aſſcribendo. Ex quibus prudēs lector dinumeret progreſſum Regnorum & Regum & annorum eorundem. De Regibus ad reges lineas protrahimus in ſingulis regnis, quouſq; ad regnum Romanum in Europa perueniamus. À latere autem ſine protractione linearum, ponimus Patriarchas ſiue Reges uel Sacerdotes Iudęorum, aut etiam alia quædam quæ in libris diuinis euidenter deſcripta ſunt, & explanata à multis expoſitoribus. Narrat Philo in libro quæſtionum ſuper Geneſim, ꝙ ex tribus filijs Noe adhuc ipſo uiuente, nati ſunt uiginti quatuor & centum uirorum extra mulieres & paruulos, habentes ſuper ſe tres duces, filij Cham Nemroth, filij Sem Ietram, filij Iapheth Sophone, à quibus præfata tria Regna proceſſiſſe creduntur. Primum igitur fuit in Oriente regnum Aſſyriorum. In Aſſyria enim præualuerat dominatus impiæ ciuitatis. Huius caput erat illa Babylon, quam ædificauit Nemroth gygas contemptor Dei, principium regni ſui. Cuius terrigenæ ciuitatis nomen aptiſſimum eſt, id eſt confuſio. In qua ciuitate, Rex primus appellatus eſt Belus, pater Nini, regnauitq; annis ſexaginta quinq;.

Scriptura præferenda omnibus.

Oroſius. Euſebius.

[A]egyptioru̅ [d]ynaſtia, pote[ſt]ates. 16. ſub [T]hebæis, uide [E]uſebium.

Corrupta ſcriptura Euſebij

[…]ur lineæ & [ci]rculi omiſſi, [i]n præfatione [h]abes.

Philo.

Reges Aſſyriorum. | Patriarchæ. | Reges Sicyoniorum.

I. *Belus.* ANno Regni BELI lij. natus eſt THARE pater Abrahæ. Fuit ergo Thare uiceſimum ſeptimũ annum agẽs quã mortuus eſt Belus. Thare uero anno uitæ ſuæ lxx. genuit ABRAHAM, anno Nini regis Aſſyriorũ xliij. qui eſt annus circiter M. ccxxviij. ante conditam Romam, uel alteram in Occidente Babyloniam, & annus regni Europis ſecundi regis Sicyoniorum xxij.

Thare. *Abraham.*

QVadrageſimo quinto anno Beli regis, cœpit regnũ Sicyoniorũ, in quo regnauit primus AEGIALEVS annis lij. & ab eius nomine dicta eſt terra illa Aegialea, quæ hac tenus Peloponeſus nũcupatur. Huic ſuccedit EVROPS, qui regnauit annos quadraginta quinq;. Anno natiuitatis Abrahæ cœperũt Thebæi Aegyptij imperare, annis centũ nonaginta: per dynaſtias xvi. I. *Aegialeus.* *Euſebius Europen facit primum.* II. *Europs.* 4[illegible]

II. *Ninus 52.* NINVS in regno Aſſyriorum ſecundus, quandoq; primus ponitur: quia cum cæteri fuiſſent ante eum fraudis ignari, & finibus regnorum ſuorum contenti, hic dominationis libidine arma foris extulit, cruentam uitam annis quinquaginta bellando egit, donec omnem Aſiam, excepta India ſibi ſubiecit. Nouiſſimè Zoroaſtem Bactrianorum Regem, eundemq; magicæ artis, ut fertur, repertorem, pugna oppreſſum, interfecit. De quo Ariſtoteles ſcribit, quod uicies centum milia uerſuum ab ipſo condita inditijs uoluminum illius declarentur. Eius uero artem multa poſt ſecula Democritus ampliauit. Ninus autem poſt expugnatum à ſe orbem, ictu ſagittæ interijt. Qui cum regnum Aſſyriorum cæteris potentius feciſſet anno regni ſui xlv. condidit ciuitatem nominis ſui Ninum, quam Hebræi dicunt Niniuen, regnauitq; annis lij. decem poſtquam natus eſt Abraham. Ab hoc tempore uſq; ad egreſſum Iſrahel de Aegypto, fiunt anni ccccv.

Zoroaſtis uerſus. *Niniue cõdita* *Poteſtate[illegible] hoc eſt, pri[illegible] pes, potent[illegible] Græci uoc[illegible] Δυνασεία [illegible] uim potent[illegible]*

III. *Semiramis. 42* SEMIRAMIS uxor Nini, regnauit poſt eum in Aſſyrijs annos xlij. de qua innumerabilia narrantur. Nam nõ cõtenta terminis quos à uiro ſuo tunc ſorte bellatore acceperat, Aethiopiam bello preſſam ſuo imperio adiecit, Indis bellum intulit, quo præter illam & Alexandrum nullus intrauit. Hæc Babyloniam muris coctilibus inſtaurauit, & aggeres propter inundationes aquarum conſtruxit. Hæc priuignum ſuum Trebetam regno expulit, qui per mare & Rhenum & Moſellam claſſe uectus, Treuerim primus conſtruxit, & eam ex nomine ſuo, ut aiunt Treuerenſes, appellauit. Vnde etiam ad hæc tempora patuum repertum fuit ibi in lapide ſculptum hoc Epitaphium.

SELCHIN tertius Rex Sicyoniorum, regnauit annis xx. &c. Quo regnante uſq; adeo cum illis mitia & læta tempora fuerunt, ut eum defunctum uelut Deum colerent, ſacrificando & ludos celebrando, quos ei primitus inſtitutos ferunt. III. *Selchin. 2[illegible] Euſebius [illegible] bet Stelchi[illegible]*

Babylonia inſtaurata. *Treueris condita.*

Nini Semiramis quæ tanto coniuge fœlix
Plurima poſſedit, ſed plura prioribus addit,
Non contenta ſuis, nec totis finibus orbis,
Expulit à patrio priuignum Trebeta regno,
Inſignem profugus qui noſtram condidit urbem
Treueris &c.

Hæc quia execrabilis fuit luxuriæ, dum filium ſuum Ninum ſeu Niniam de inceſtuoſo ſollicitaret concubitu, ab eo ut aiunt, interficitur, & ei hic ſuccedit in regno. Sub qua & Abraham adoleſcit in Chaldæa, qui & ipſe natione Chaldæus fuit.

APIS quartus Sycioniorum rex, regnauit annis xxv. à quo terra illa Apia dicta eſt, quæ prius Aegialea nũcupata eſt, nunc uero Peloponeſus appellatur. IIII. *Apis. 25*

THELASION Rex Sicyoniorum v. regnauit annos lij. Huius anno xvi. Abraham anno ætatis ſuæ lxxxv. ex Agar genuit ISMAHELEM. Hic eſt annus x. repromiſſionis. V. *Thelaſion 5[illegible]*

Iſmahel

IIII. *Zameis. 38.* ZAMEIS qui & Ninias, filius Nini & Semiramidis quartus, regnauit annis xxxviij. Cuius xxiij. anno Abraham cum eſſet lxxv. annorum, Domino iubente, de Aran egreſſus, iuit in terram Chanaan. Factaq; eſt ad eum re-

promiſſio

repromißio facta Abrahā.

promiſſio Dei, & hic eſt annus primus repromiſſionis. Ex quo ad egreſſum Iſrahel de Aegypto, computantur anni ccccxxx. quorum meminit Paulus Apoſtolus dicens, Hoc autem dico teſtamentum &c. Vnde ſic ſupputabantur apud Hebræos anni: annus repromiſſionis talis uel talis, quod tamen non repperi in Scripturis.

V. *Arius.30.*

Huius tempore Abraham cum centenarius eſſet, genuit ISAAC ex Sara libera nonogenaria, & uixit poſtea annos lxxv. *Iſaac.*

VI. *Aralius.40. Euſebius habet Araſius.*

ARALIVS rex Aſſyriorū ſextus, regnauit annos xl. *fratres Eſau. Iacob.*

VII. *Xerxes.30.*

XERXES, qui & Baleus, Rex Aſſyriorum vij: regnauit annis xxx. Vſque ad hæc tempora Thebæi imperabāt Aegyptijs, per poteſtates, quas dynaſtias appellabant, ut ſupra dictum eſt. Ex hinc Pharaones per annos c. & iij. qui & paſtores dicti ſunt, ob hoc, ut conijcitur, quia Iacob & filij eius ut paſtores ingreſſi ſunt in Aegyptum temporibus eorum.

VIII. *Armanitres. 38. Armamitres Euſebius.*

ARMANITRES Rex Aſſyriorum viij. regnauit annos xxxviij. Sub hoc tempore mortuus eſt Sem poſt annos quingentos à diluuio, & hunc quidam putant eſſe Melchiſedech, traduntque Hebrei ab hoc uſque ad ſacerdotium Aaron, omnes primogenitos fuiſſe ſacerdotes, & Deo uictimas immolaſſe, & hæc eſſe primogenita quæ uendiderit Eſau fratri ſuo Iacob.

IX. *Belochus.35. Belonus habet Euſebius. Sub Belocho cepit multiplicari hominum genus.*

BELOCHVS Rex Aſſyriorum nonus, regnauit annis xxxv.

Hoc tempore cœpit multiplicari genus hominum. Tunc Theſſalus filius Græci regnauit in Theſſalia, ſed à Græco Græcia, à Theſſalo Theſſalia dicta eſt. Tunc Ogyges condidit Eleuſinam in Attica prouincia, quæ antiquitus uocabatur Acta, & alias ciuitates plurimas. Cuius temporibus apud lacum Tritonidem uirgo apparuit, quam Græci Mineruam uocauerunt. Hoc tempore Iacob Liam duxit & Rachel in Meſopotamia.

X. *Baleus. 52.*

BALEVS Rex Aſſyriorum x. regnauit annos lij. His temporibus diluuium in Achaia factū eſt ſub Ogyge: in Aegypto quoque diluuium fuit. Iſaac annorum clxxx. mortuus eſt. Iacob genuit IOSEPH, x. filijs antea natis. *Ioſeph.* Hic Ioſeph cum xvi. eſſet annorum, à fratribus in Aegyptum uenditur: ſed dominus terræ à Pharaone conſtituitur,

VI. *Aegidius.34.*

AEGIDIVS Sicyoniorū rex vi. regnauit annos xxxiiij. Sub hoc tempore Iſaac anno uitæ ſuę lx. genuit de Rebecca geminos, quorum maior ESAV, qui & Edom dictus eſt, à quo Idumæa: minor nor uero IACOB, cognominatus eſt Iſrael, à quo Iſraelitæ.

VII. *Turimachus 45.*

TVRIMACHVS Sicyoniorum rex vij. regnauit annis xlv. Sub hoc tempore cœpit regnum Argiuorum, ubi primum regnauit Argis Inachus annis l. Quod regnum durauit ab Inacho uſque ad Euriſtheum primum Mycenarum regem D. xliiij. annis.

VIII. *Leucippus.53*

LEVCIPPVS Rex Sicyoniorum octauus, regnauit annis liij.

REGNVM ARGIVORVM.

De hoc regno ſcripſit Caſtor Argiuorum Chronographus.

Sub Aegydio cœpit regnū Argiuorum, in quo primus regnauit INACHVS annis l.

I *Inachus 50.* Eo quoque tempore PHORONEVS, ſiue Phoroneus, Inachi & Niobæ filius, ſecun-

II *Phorocheus.60.* dus regnauit Argis annis lx. Hic primus leges & iudicia Græcis conſcripſit. *Inachus Græcis leges conſcripſit.* Cuius ſoror Io in Aegpyto regina eſt facta, & Iſis dicta. Et quia latè iuſtèque imperauerat, multaque commoda Aegyptijs fecerat, & literas eis inſtituerat, diuinum poſt mortem meruit honorem, in tantum ut ſi quis diceret eam hominem fuiſſe, plecteretur capite. *Io Aegyptijs literas inſtituit.* Hæc Oſiridis Regis Aegypti cum eſſet uxor, & parentibus regis, qui omnes fuiſſe reges dicebantur, ſacrificaſſet, hordei ſegetem inuenit, atque inde ſpicas marito regi & eius conſiliario Mercurio demonſtrauit. Vnde & eandem Cererem eſſe quidam uolunt. Io uero poſtea nupta Thelegono, genuit Epaphum.

IX. *Meſſapus. 47.*

MESSAPVS Rex Sicyoniorum ix. regnauit annos xlvij.

III. *Apis.35.* Eo tempore APIS tertius

 regna

tur, cum eſſet xxx. annorum, ad quem pater fame cogente cum omni domo ſua deſcendit, ibiq; habitauit.

REGES AEGYPTI.

HIc poſt xvij. dynaſtiã apud Aegyptum primus Diapolitanorum AMASIS regnauit annos xxv. Abhinc ergo præter Patriarchas, & alia regna incidentia, proſequemur quatuor regna cũ regibus ſuis, ſcilicet, Aſſyriorum, Aegyptiorum, Argiuorum, Sicyoniorum. Tunc Sparta condita eſt. Tunc Iacob deſcendit in Aegyptum cum familia ſua.

I. *Amaſis.25.*

Sparta condita.

XI. *Altadas.32.* ALTADAS rex Aſſyriorum xi. regnauit annis xxxij.

Tunc Iacob cũ eſſet annorum cxlvij. mortuus eſt in Aegypto, relinquens Ioſeph filium ſuum ducem Aegypti, annorum lvij. agentẽ in principatu xxvij annos. Ioſeph autem corpus patris ſui cum magno honore reduxit in terram Chanaan.

II. *Chebron.13* CHEBRON Rex Aegypti ſecundus, regnauit annos xiij.

III. *Amenoſis.21.* AMENOSIS Rex Aegyptiorum tertius, regnauit annos xxi.

Prometheus. His temporibus dicitur Prometheus fuiſſe, à quo homines factos eſſe de luto fingunt Poetæ: quia cum eſſet ſapiens, feritatem & imperitiam hominum ad humanitatem & ſcientiam transformauit. *Athlas.* Cuius frater Atlas magnus fuit Aſtrologus. Qui quoniam curſus ſyderum in Athlante monte deprehendit, nacta occaſione fabula, hunc cœlum portare confinxit. *Mercurius.* Mercurius etiam nepos Athlantis, ex filia Maia, multarum artium peritus claruit, & ob hoc poſt mortem in numerũ deorum ceſſit. Multa quoq; in Græcia his temporibus confinguntur.

regnauit Argis annis xxxv. quem dicũt eſſe Serapim. Hic fratrem ſuum Aegialeum præficiens Achaię, ipſe cum populo ad Aegyptum nauigauit. Vbi cum mortuus eſſet, factus eſt Serapis maximus omnium Aegyptiorũ deus. Quẽ cum ſepultum uenerarentur in Sarcophago, priuſquam ei templũ conſtrueretur, ab eo, quod Sarcophagum dicũt ſoros, primũ dictus eſt Sorapis, poſtea mutato o in e, eſt Serapis dictus. Conſtitutũ eſt etiam de eo, ut quiſquis eum hominem fuiſſe dixiſſet, capitalem ſubiret ſententiam. Et quoniam fere in omnibus templis ubi colebatur Iſis, colebatur & Serapis. Erat ibi ſimulachrum quod digito labijs impreſſo admonere uideretur, ut ſilentium fieret, ſcilicet, ne quis eos homines fuiſſe diceret. Apis ergo non Aegyptiorum, ſed Argiuorum Rex fuit, licet apud Aegyptum hęc ei ſint inſtituta. Ab eodem tamen Memphis in Aegypto condita eſt. Aſſerunt tamen quidam prǽfatum ſimulachrum factum fuiſſe Ioſeph noſtro, eo quod Aegyptios à fame liberauerit.

Serapis ſimulachrũ, de quo uide Euſeb. lib.11. hiſt. Eccle.

Memphis condita.

X. *Eratus.4* ERATVS Rex Sicyoniorum x. regnauit annos xlvi.

IIII. *Argus.70.* ARGVS filius Apis ſuccedens patri, quartus regnauit Argis annos lxx. à quo Argi, deinc Argiui dicti ſunt. *Argiui.* Quo regnante, cœpit Græcia uti frugibus, & habere ſegetes, delatis aliunde ſeminibus. Hic etiam poſt mortem diuinos meruit honores.

XII. *Mamitus.30.* MAMITVS Rex Aſſyriorum xij. regnauit annos xxx.

XIII. *Manchaleus 30.* MANCHALEVS Rex Aſſyriorum xiij. regnauit annos xxx.

IIII. *Mefres.12.* MEFRES Rex Aegypti quartus, regnauit annos xij.

V. *Miſphar-mutoſis.26.* MISPHARMVTOSIS Rex Aegypti v. regnauit annos xxvi.

XIIII. *Sphereus.20.* IPHEREVS Rex Aſſyriorũ xiiij. regnauit annos xx. His temporibus Epidau

rus

XI. *Plenneus.* PLENNEVS Rex Sicyoniorum xi. regnauit annis xlviij.

His tẽporibus Ioſeph anno uitę ſuæ cx. Principatus uero lxxx. defunctus eſt. Exin Hebręorum ſeruitus dura fuit in Aegypto annis cxliiij. Fiunt autem omnes anni quos Hebręi exegerunt in Aegypto, ducenti uiginti quinq;, qui computantur ab eo tempore, quo Iacob in Aegyptum deſcendit cum filijs ſuis.

XII. *Orthopol. 63.* ORTHOPOLIS Rex Sicyonio-

rum

Aſſy. Aeg. Ath. Arg. Sicy.

pidaurus ondita. — tus ciuitas condita eſt. Hemon etiam regnauit in Theſſalia, à quo dicta eſt Hemonia. Xantus quoq; Triopa Lesbum ciuitatem condidit. Et Moyſes in Aegypto naſcitur. *Moyſes.*

Lesbus extructa.

VI. TVTHEMOSIS rex Aegyptiorum vi. regnauit annis ix. *Tuthemoſis.9.*

VII. AMENOPES rex Aegyptiorum VII. regnauit annis xxxi. *Amenopes.31.*

XV. *Mamilus.30.* MAMILVS rex Aſſyriorum, regnauit annis xxx.

VIII. ORVS rex Aegyptiorũ viij. regnauit annis xxxviij. *Orus.38.*

XVI. *Sparetus.40* SPARETVS rex Aſſyriorum xvi. regnauit annis xl.

tum duodecimus, regnauit annos ſexaginta tres.

V. *Criaſſus.54.* CRIASSVS rex Argiuorum quintus, regnauit annos liiij.

VI. *Phorbas.35.* PHORBAS rex Argiuorum ſextus, regnauit annos xxxv.

MARATHIVS rex Sicyoniorum decimus tertius, regnauit annis triginta. XIII. *Marathius 30*

HERCVLES eo tempore fertur Anthæum ſuperaſſe luctæ certamine. *Hercules.*

REGNVM ATHENIENSIVM.

Regnũ Athenienſium.

TRiceſimo quinto anno Moyſi, regnum cœpit Athenienſium, ubi primum regnauit CECROPS, qui & Diphyes, annis l. Diphyes autem dictus eſt, ſiue ob longitudiné corporis, ſiue quia cũ eſſet Aegyptius, utranq; linguam ſciebat, Aegyptiacam & Grecam. Hic in Acta, quæ nunc Attica dicitur, Athenas, quam & Diadas uocant, condidit: quam urbem Euboici Orchomenon appellauerunt. Quæ ciuitas, ut uocaretur Athenæ, quod certe nomen à Minerua eſt, quæ Græce Athena dicitur, hanc cauſam Varro narrat. Cum apparuiſſet illic repente oliuę arbor, & alio loco erupiſſent aquę, regem prodigia iſta mouerunt. Vnde miſit ad Apollinem Delphicum ſuper hac re ſciſcitanda. Qui reſpondit, quod Neptunum & Mineruam ſignificaret, & quod in ciuium poteſtate eſſet, ex cuius duorũ numinum nomine potius ciuitas uocaretur. Hoc oraculo Cecrops accepto, ciues oẽs utriuſq; ſexus cõſulendos conuocauit. Mos enim tũc in eiſdem locis erat, ut etiam fœminæ publicis conſultationibus intereſſent. Conſulta igitur multitudine, mares pro Neptuno, fœminæ pro Minerua tulere ſententias. Sed quia una plus inuenta eſt fœminarum, Minerua uicit. Tunc Neptunus iratus, marinis fluctibus exæſtuantibus, terras Athenienſium populatus eſt, quoniam ſpargere latius quaslibet aquas, dæmonibus difficile non eſt. Cuius ut iracundia placaretur, triplici ſupplicio ab Athenienſibus affectæ ſunt mulieres: Vt nulla ulterius ferret ſuffragia: Vt nullus naſcentium acciperet nomen maternum: Vt ne quis eas Athenas uocaret. Ita illa ciuitas mater & nutrix liberalium doctrinarum, & tot tantorumq; Philoſophorum, qua nihil habuit Græcia clarius atq; nobilius, ludificantibus dęmonibus de lite deorum ſuorum maris & fœminæ, & de uictoria per fœminas, fœminæ, id eſt, Mineruæ nomen Athenas accepit. Vnde & Cecrops, Atticos, Athenienſes appellauit, & ab eo regio Cecropia uocata eſt. Iſte bouem immolans, primus Iouem inuocauit, eumq; in ſacrificio adorari præcepit. A quo uſq; ad primam Olympiadem numerantur reges xvij. Principes uero, quos mors tantum finiebat, xij. ſub quibus apud Grecos multa miranda narrantur. Tunc enim primum Curetes & Corybantes, qui Gnoſum condiderunt, modulatam & conſonam in armis ſaltationem inuenerunt. Tunc etiam fuiſſe in Theſſalia diluuium ſub Deucalione deſcribitur. Tunc etiam Phaetontis fabuloſum incẽdium. Tunc templum Apollini Delphis conſtruitur, & multa huiuſmodi. A Cecrope uero uſq; ad Troiæ captiuitatem, computantur anni ccclxxv.

...ιφυὴ δύο ...ιοτις ἔχον...τ. Heſych.

Διφυής dictus Cecrops, quia connubij rationem excogitauit.

Athenæ conditæ.

Cauſa nominis Athenæ.

Saltatio in armis.

Delphicum tẽplum conſtruitur.

XVII. Aſcades. 40 ASCADES rex Aſſyriorum xvij. regnauit annos xl.

IX. Acenceres.12. I. Cecrops.50. VII. Troyphas.46.

CECROPS Rex primus Athenien. regnauit annos.l.

ACENCERES Rex Aegyptiorum ix. regnauit annis xij.

Deucalion. Tunc Deucalion regnare cœpit apud eos qui circa Parnaſum morabantur.

TROYPHAS rex Argiuorum vij. regnauit annos xlvi.

MARATHVS Rex Sicyoniorum xiiij. regnauit annos xx. XIIII. Marathus.20

X. Achoris.8. ACHORIS rex Aegyptiorum decimus, regnauit annos. viij.

Tunc cœpit eſſe quadrageſimus annus Moyſi. cccxciij. anno repromiſſionis. Qui occiſo Aegyptio fugit in terram Madian. Diluuium ſub Deucalione in Theſſalia fuit.

XI. Chencres.16. CHENCRES Rex Aegypti xi. regnauit annis. xvi.

ECHIREVS rex Sicyoniorum xv. regnauit annis lv. XV. Echireus.55

XII. Acherres.8. ACHERRES Aegyptiorum Rex duodecimus, regnauit annis viij.

VIII. Crothopus 21. CROTHOPVS Rex Argiuorum viij. regnauit annis xxi.

Eductio populi Iſraël. Moyſes anno repromiſſionis quadringenteſimo xxx. populum Iſrahel iubente Deo, in ſignis & uirtutibus eduxit de Aegypto, cum eſſet annorum lxxx. eiſq; in heremo per annos xl. legem exponit. Ab hoc loco uſq; ad Salomonem & ędificationem templi, numerantur anni ccccl xxx. Ad captiuitatem uero Troiæ, ccc. Aarõ primus Pontifex. xxix. Tunc primus pontifex Hebræorum AARON conſtituitur.

XIII. Cherres.15. CHERRES Aegyptiorum rex xiiij. regnauit annis xv.

II. Granaus.9. GRANAVS Rex Athenienſium ij. regnauit annis ix.

III. Amphitriõ.10. AMPHITRION Rex Athenienſium iij. regnauit annis. x.

XIIII. Armeus.5. ARMEVS Aegyptiorum Rex xiiij. regnauit annis v.

IIII. Erichtonius.50. ERICHTONIVS Athenienſium Rex quartus, regnauit annis l. Hic in Græcia primum iunxit currum. Ipſe quippe in templo Vulcani & Mineruę, quod ambo unũ habebant, inuentus eſt puer à Dracone inuolutus, quod ſignificauit eum magnum futurum. Et cum parentes eius eſſent ignoti, propter commune templum dictus eſt Vulcani & Mineruæ filius. Et quia à Dracone inuolutus erat, draconteis pedibus fingitur natus, & ob hoc iunxiſſe currum. Inuentor currus.

XV. Remeſſes.68. REMESSES qui & Aegyptus, à quo Aegyptus, quæ prius Aeria dicebatur, nomen accepit xv. regnauit annis lxviij.

50. filij. 50. filiæ. Huic erat frater Danaus, qui habuit quinquaginta filias: Aegyptus uero habuit totidem filios, quos Danaus ſimulatis nuptijs, per filias ſuas una nocte omnes occidit, excepto Lynceo, qui poſt eundem Danaum Argis regnauit, qui miſeratione ſuæ ſponſę effugit. Ipſe uero Danaus pulſo fratre Aegypto, regnauit, ſed pulſus & ipſe poſtea, Argos ſe contulit, ubi à Steleno benigne ſuſceptus, & ipſum poſtea expulit, & in loco eius regnauit.

IX. Stelenus.11. STELENVS Rex Argiuorum nonus, regnauit annis xi.

X. Danaus.50. DANAVS, à quo & Danai, Rex Argiuorum. x. expulſo Steleno, regnauit annis l. minoresq; eius perſeuerauerunt uſq; ad Euriſtheum filium Steleni, nepotẽ Perſei, poſt quem Pelopidæ imperium ſuſceperunt, primo ex ipſis regnante Atreo. Eodem tempore Dardanus Dardaniam cõdidit, templum Delphis à Flegeo incenſum eſt. Templũ Delphis incenſũ à Flegeo. Hoc etiã tempore Buſyris in Aegypto fuit

XVIII. Amyntes.45 AMYNTES Rex Aſſyriorum xviij. regnauit annos xlv.

Moyſes cum eſſet annorum cxx. anno principatus ſui xl. defunctus eſt, ad cuius obitum à fabrica mundi computantur anni M. dcc. xxx. ſecundum lxx. interpretationem: Iuxta Hebraicam uero ueritatem duo milia, nonaginta tres.

IO-

Aſſy. Aegy. Ath. Arg. Sicy.

IOSVE, qui & Ieſus Naue, *Ioſue.* miniſter & ſucceſſor Moyſi, introduxit populum in terrã promiſſionis, & diuiſit eis terram, & rexit populum annis xxvij.

XIX. *Belothus. 25.* BELOTHVS rex Aſſyriorũ xix. regnauit annis xxv.

Huius filia Atoſa, quę & Semiramis regnauit cum patre annis viij.

Hoc tempore Iupiter mixtus eſt Europæ filiæ Phœnicis, quam rapuerunt Cretenſes naui, cui inſigne fuit Taurus, quam poſtea Aſterius, quem alij Xanthum dicunt, rex Cretenſium accipiens uxorem, procreauit ex ea Rhadamantum Sarpedonem, & Minoem, quos magis ex eadem fœmina filios Iouis fuiſſe uulgatum eſt. Tunc etiam Cadmus regnauit Thebis, ex cuius filia Semele natus eſt Dionyſius, qui & Liber pater & Bacchus dictus eſt. Poſtea Cadmus & Phœnix profecti de Thebis in Syriam, apud Tyrum & Sydonem regnauerunt. Linus & Zetus & Amphion hoc tempore in Muſica arte claruerunt. Ea quoq; quæ de Danae, ex qua Perſeus natus eſt, dicta ſunt, hoc tempore geſta ſunt. Ephira quę nũc Corinthus dicitur, à Syſipho condita eſt, & Bithynia à Phœnice, Tarſus quoq; & Paphus conditæ ſunt.

Corinthus, Bithynia, Tarſus & Paphus conditæ.

fuit, filius Neptuni & Libiæ filiæ Epaphi. Qui dum apud loca Nilo uicina tyrannidem exerceret, tranſeũtes hoſpites crudeli ſcelere, poſita ara, interfecit. Poſt hæc, id eſt, ab egreſſu filiorũ Iſrael ab Aegypto uſq; ad mortem Ioſue, ſacra ſunt inſtituta falſis dijs, à rebus quæ memoriã diluuij quod fuerat ſub Deucalione, uiteq; ærumnoſæ, modo ad alta, modo ad plana migrantium reuocarunt.

XVI. *Chorax. 30.* CHORAX Sycioniorum rex xvi. regnauit annis xxx.

Cadmus. Semele. Bacchus. Linus, Zetus, Amphion, muſici.

MENOPHIS rex Aegyptiorũ xvi. regnauit annis xl. XVI. *Menophis. 40.*

XVII. *Epopeus. 35.* EPOPEVS Sicyoniorum rex xvij. regnauit annis xxxv.

V. *Pandion. 40.* PANDION rex Athenienſiũ v. regnauit annis xl. Huius filiæ fuerunt Progne & Philomena.

XX. *Belleparës 30.* BELLEPARES rex Aſſyriorum xx. regnauit annis xxx.

Inuentor uini. Hoc tempore Dioniſius qui & liber pater, uitem dicitur oſtendiſſe hoſpiti ſuo in Attica terra. Hic etiam ſubactam Indiam ſanguine madefecit, cædibus oppleuit, libidinibus polluit, gentem utiq; nulli unquam hominum obnoxiam, uernacula tantũ quiete cõtentam. Habebat autem multas in exercitu ſuo fœminas, quæ Bacchæ appellatæ ſunt, *Bacchæ.* non tam uirtute fortes aut nobiles, quã furore. His etiam temporibus Hercules cognomento Deſinaus in Phœnice clarus habetur, ſed non ille, cuius ingentia & innumerabilia facta narrantur, & quem Græci ſuis literis produnt ſe ipſũ incendiſſe. Secretiori quippe hiſtoria (ut ſanctus Auguſtinus ait) plures fuiſſe, qui Hercules & Liberi patres, & Apollines dicti ſunt.

Hercules Deſinaus.

Eo quoq; tempore Minos regnauit in Creta, & Celeus in Eleuſina. Arcas etiam Iouis & Caliſtonis filius Pelaſgis in deditionem receptis, regionem eorũ Arcadiam nuncupauit.

Mortuus eſt Ioſue cum eſſet annorũ centum & decem. Poſt cuius mortem cum peccaſſent filij Iſrael coram Domino, tradidit eos Dominus in manus alienigenarum annis viij. deinde clamantibus ad Dominũ, dedit du- *Gothoniel.* cem GOTHONIEL, qui primus Iudex rexit populũ annis xl. quibus annumerãtur illi octo afflictionis Hebræorum.

Phinees. Eo tempore PHINEES ſuſcepit ſacerdotium.

XI. *Lynceus. 41.* LINCEVS Argiuorum rex xi. regnauit annis xli.

Poſt mortẽ Gothoniel iterum peccauerunt Hebrei Domino, ipſoq; dimittente, afflixerunt eos Allophili annis xviij. qui tamen annumerantur annis Aioth.

Aioth. AIOTH ex tribu Ephraim, ſecundus iudex Hebræorũ, iudicauit eos annñ. lxxx. Hic utraque manu pro dextra utebatur.

His temporibus cœpit regnum eſſe in Italia. Quod tranſlatum Romam, per diuerſas poteſtates excreuit in Monarchiam Romanorum, quæ hactenus durat, ſicut ſequens ratio declarabit.

DE REGIBVS ITALIAE ET ROMAN.

I *Ianus.* PRimus in Italia, ut quibuſdam placet, regnauit IANVS.
II *Saturnus.* Deinde SATVRNVS Iouem filium ſuum è Græcia fugiens, in ciuitate, quæ ex eius nomine Saturnia dicta eſt, latuit. Cuius ciuitatis ruinę hactenus cernuntur in finibus Tuſcię haud procul ab urbe. Hic Saturnus qui in Italia latuit, ab eius latebra eadẽ Italia Latium appellata eſt. Ipſe enim adhuc rudes populos domos ædificare, terras colere, plantare uineas docuit, atq; humanis moribus uiuere: cum antea ſemiferi, glandium tantummodo alimentis uitam ſuſtentarent, & aut in ſpeluncis, aut frondibus, uirgultisq; contextis caſulis habitarent. Ipſe etiam eis nummos æreos primus inſtituit. Pro quibus meritis ab indócili ruſtica multitudine Deus appellatus eſt. *Vnde Latiu[m]* *Nummi æ[rei] primũ inuent[i]*

III *Picus.* Poſt hęc PICVS filius eius, qui fabuloſe in auem ſui nois dicitur eſſe mutatus.

IIII *Faunus.* Poſt hæc filius eius FAVNVS pater Latini: cuius Latini mater Carmentis Nicoſtrata creditur latinas literas repperiſſe. Regnante eodem Latino, qui latinam linguam correxit, & latinos de ſuo nomine appellauit. *Troia capta.* Troia à Græcis capta eſt anno ci. Romani regni, ante primam quoq; olympiadem, annis ccccvi. ante Romam uero conditam annis ccccιiij. Capta aũt Troia, Aeneas Veneris & Anchiſæ filius ad Italiam uenit: & anno tertio poſt Troiæ excidium cum Turno Dauni Tuſcorum regis filio dimicans, eum interemit, eiusq; ſponſam Lauiniam ſupradicti Latini Regis filiam in coniugium accepit, de cuius etiam nomine Lauinium oppidum quod ſtruxerat appellauit. *Aeneas in Italiam uenit.* Anno ab Imperio Nini, dccclxx. raptam fuiſſe Helenam: coniurationemq; factam aduerſus Troiam ferunt. Hinc decennalis obſidio, famoſumq; ſequitur Troiæ excidium. *Nicoſtra[ta] latinas liter[as] repperit. La[tinus] correx[it]* *Lauinium e[x]tructum.* *Helena rapt[a]*

V *Aeneas.* Hinc Romanorum gens duxit origenem ab AENEA profugo, & ut ipſe Virgilius adulatur (uiro forti) ab alijs uero traditur, patriæ proditore ac necromantico, utpote qui etiam uxorem ſuam Dijs ſuis immolauerit. Regnauit aũt Aeneas tribus annis apud Latinos. *Romanæ ge[n]tis origo à p[ro]ditore.*

VI *Aſcanius.* Quo uita decedente (ſecundum quoſdam) per fulminis ictum, regnum accepit ASCANIVS, qui & Iulus eiuſdem Aeneæ filius, quem apud Troiam ex Creuſa coniuge ſua, filia Priami regis, genuerat, & ſecum in Italiã ueniens adduxerat. Qui Aſcanius derelicto nouercæ ſuæ regno, Albam longã condidit, & Deos penates ſui patris Aeneæ, ex Lauinio in eandem Albam tranſtulit, ſed ſimulachra eadem Lauinium ſponte redierunt. Rurſum traducta in eandem Albam longam, iterum repetiuere antiquiora delubra. Aſcanius genuit Iulum filium, à quo omnis familia Iuliorum orta eſt. Cum autem triginta & octo annis regnaſſet Aſcanius, moriens Syluium poſthumum fratrem ſuum, filiũ Lauinię nouercæ ſuę & Aeneę patris ſui, quẽ ipſe Aſcanius ſumma pietate educauerat, regni reliquit hæredem, pro eo ꝙ Iulus filius ſuus adhuc paruulus, ad regnandum non eſſet idoneus. *Aeneas p[a]triæ prodito[r].* *Alba longa condita.* *Familia Iul[i]orum.*

VII *Syluius.*
VIII *Aeneas Syl.* SYLVIVS igitur Poſthumus regnauit annos xxix. Qui Poſthumus inde dictus eſt: quia poſt mortem uel humationẽ patris eſt natus. Syluius uero quia ruri fuerat educatus. A quo eodem Syluio omnes reges Albanorũ, Syluij uocati ſunt.

IX *Latinus Syl.* Poſt quem regnauit AENEAS SYLVIVS annos xxxi.

X *Alba Syluius.* Deinde LATINVS Syluius regnauit annos l. quo etiam tempore apud Hebræos Dauid regnauit. *Dauid.*

XI *Aegyptus Syl.* Poſt cuius obitum ALBA Syluius Albam ſuſcepit annis xxxix.

XII *Capis Syluius.* Poſt hæc AEGYPTVS SYLVIVS ſiue Atys eius filius annos xxiiij.

XIII *Carpẽtus Syl.* Deinde CAPIS SYLVIVS, ſcilicet ſuperioris filius, regñ. annis xxviij. qui Capuam in Campania condidit. *Capua cõdit[a]*

XIIII *Tiberius Syl.* Item CARPENTVS SYLVIVS Capis filius, annis xiij.

XV *Agrippa Syl.* Poſt quem TYBERINVS Carpenti filius annos viij. Ab huius nomine Tyberis fluuius ſic dictus eſt, qui antea Albula uocabatur, quia idem Tyberinus in eundem fluuium decidens, extinctus eſt. Succeſſit huic AGRIPPA Syluius, & regnauit annos xl. cuius temporibus Homerus fuiſſe in Græcia perhibetur. *Homerus.*

XVI *Aremulus Syl* Dein AREMVLVS SYLVIVS Agrippæ ſuperioris Regis filius, regnauit annis xix. Iſte præſidium Albanorum inter montes, ubi nunc Roma eſt, poſuit: qui ob impietatem fulmine ictus, interijt.

Poſt

Poſt hunc regnauit AVENTINVS Syluius annos xxxvij. qui fuit Aremuli ſu- XVII.
perioris Regis filius, quiq; in eo monte qui nunc pars urbis eſt, mortuus ac ſepul- *Auentinus*
tus, æternum uocabulum loco dedit. *Syluius.*

Succeſſor eius extitit PROCAS SYLVIVS, eiuſdem Auentini filius, qui re- XVIII.
gnauit annos xxiij. Quo regnante Fidon Argiuus, menſuram & pondus reppe- *Procas Syl.*
rit, cum apud Hebræos Ozias ſiue Azarias in Iudæa & Hieruſalem regnaret. Et *Ozias.*
dum Procas obiſſet, teſtamentum ſuum duobus filijs ſuis Aemulio & Numitori
reliquit, ut unus pecuniam protinus, alter regnũ ſuſciperet. Aemulius uero fratri
ſuo Numitori electionem dedit, ut quod deſideraret, acciperet. Numitor autem
pecuniã accepit; AMVLIVS uero regnũ obtinuit. In quo regnauit annos xliiij. XIX.
& dum regnaret, Deos conſuluit, Reſponſumq; eſt ei, quia ab ſtirpe fratris ſui oc- *Amulius Syl.*
cidendus eſſet. Vnde mox eundem fratrem ſuum de regno expulit. Numitor au-
tem abiens, in agro ſuo uixit. Erant autem ei duo liberi, Sergeſtus & Rhea, quæ &
Ilia dicta eſt. Metuens uero rex Amulius reſponſum, Sergeſtum ad uenationem
ſecum duxit, & eum in ſylua occidit. Rheam uero quæ & Ilia, adimendi partus *Ilia ueſtalis.*
gratia, ad uirginem ueſtalem elegit. Quæ cum vij. patrui ſui anno geminos ędi-
diſſet infantes, iuxta legem, in terra uiua defoſſa eſt. Verum paruulos prope ri-
pam Tyberis expoſitos, Fauſtulus regij paſtor armenti, ad Acciam Laurentiam
uxorem ſuam detulit, quæ ob pulchritudinem & rapacitatem corporis ſui quæ- *Vnde lupæ me-*
ſtuoſi, Lupa à uicinis appellabatur. Vnde & ad noſtram uſq; memoriam meretri- *retrices.*
ces ob eandem cauſam lupæ, cellulæ earum lupanaria dicuntur. Propter quod &
ipſi gemini fratres, id eſt Romulus & Remus à lupa nutriti dicuntur. Qui ijdem
pueri cum adoleuiſſent, collecta paſtorum & latronum manu, interfecto apud
[R]omanum Im-
[impe]rium ex mi-
[ni]mis initijs.
Albam Amulio, auum ſuum NVMITOREM in regnum reſtituunt. Romanum XX.
igitur imperium quo neq; ab exordio ullũ fere minus, neq; incrementis toto orbe *Numitor S.*
amplius humana poteſt memoria recordari, à ROMVLO exordium habet, qui
Rheæ Syluiæ ueſtalis uirginis, ut præmiſſum eſt, filius, & quantum putatur, cum *Romulus.*
Remo fratre uno partu eſt ęditus.

Is cum inter paſtores latrocinaretur, natus circiter xviij. annos, urbem exiguam
in Palatino monte conſtituit x. calen. Mai. Olympiadis ſextæ, anno quadringen
teſimo xix. poſt Troiæ excidium, ſiue ut placet Oroſio. ccccliij.

Eo tempore in Iudæa & Hieruſalem regnauit ACHAZ, ad quem Iſaias uir- *Achaz.*
ginem parituram prophetauit. Condita ergo ciuitate, quam ex nomine ſuo Ro-
mam uocauit, à qua & Romanis nomen inditum eſt, & condito mox templo, *Roma cõdita.*
quod Aſylum appellauit, pollicitus eſt cunctis ad eum confugientibus, impunita
tem totius commiſſi ſui. Quam ob cauſam multitudinem finitimarum gentium,
qui aliquam apud ciues ſuos offenſam contraxerant, ad ſe confugientem in ciuita
tem recepit, unde & Aſylum dixit, quod interpretatur domus refugij. Latinos de
niq; Tuſcosq; paſtores, & trãſmarinos Phryges, qui ſub Aenea, Arcades, qui ſub E-
uandro duce confluxerãt, & cũ his, ut Saluſtius ait, Aborigenes, quaſi ex diuerſis
elementis in unum congregans corpus, populum Romanum effecit. Centumq; *Patres.*
ex ſenioribus elegit, quorum cõſilio omnia ageret, quos propter ſenectutẽ patres *Curules.*
ob ſimilitudinem curę, Curios ſiue Curules nominauit. Mille etiã pugnatores ele *Milites.*
git, quos ab eodem numero Millenarios uel milites appellauit. Tum cum uxores
ipſe & populus ſuus non haberet, inuitauit ad ſpectaculum ludorum uicinas urbi
Romæ nationes, atq; earum uirgines rapuit, anno ab urbe condita quarto. Tunc
uirginum pulcherrima cunctorum acclamatione rapientium, Talaſſo duci Ro- *Talaſſus, car-*
muli decernitur. Vnde in nuptiarum ſolennitatibus, Talaſſo uulgus clamitat, ꝙ *men nuptiale,*
ſcilicet talis nupta ſit, quæ Talaſſum habere mereatur. Commotis bellis, propter *ita dictũ à uo-*
raptarum iniuriam, Centinenſes uicit. Vicit etiam Antemnates, Cruſtumios, Sa- *ce, quemadmo*
binos, Fidenates, Veientes, hæc omnia oppida urbem cingunt. Tunc etiam Tar- *dum Græci uo*
peia uirgo Sabinorum clypeis obruta eſt, in quo etiam monte Capitoliũ poſtea *ce Hymen u-*
conſtructum eſt. Pepigere tamen Romani cum Sabinis, quorum filias rapuerũt, *tuntur.*
amicitias, adeo ut Sabinorum rex Titus Tatius ſenex pariter cum Romulo regna
ret. Quem Romulus mox ut in ſocietatem regni aſſumpſit, occidit. Sabini uero

& Romani

Quare nemo Romanus abſq; prænomine & Romani, unus populus efficiuntur. Tandem ad firmádam coniunctionem & amicitiam inter ſe, Romani nomina Sabinorum ſuis præponebant nominibus, & inuicem, Sabini Romanorum: & ex illo conſuetudo obtinuit, ut nemo Romanus ſit abſq; prænomine. Propter hanc etiam ſocietatem, cum Sabinorum more,

Quiris lingua Sabynorũ haſta. Alij à Græco κυριον Quirinum dicunt. Romulus haſtam longam ferret, quæ eorum lingua Curis uel Quiris appellatur, Quirinus eſt dictus. Romani uero, ſiue à Curibus, id eſt, haſtis longis, ſiue à Quirino Quirites nominari cœperunt. *Quirites.* Remus deniq; à Fabio duce Romuli fratris ſui, eiuſdem, ut fertur, uoluntate, raſtro paſtorali extinctus eſt. *Remus occiditur.* Cauſa aũt interitus eius hæc fuit, q ad tutelam nouæ urbis uallum tranſiſſe increpauerat, eiusq; anguſtias ſolarij tranſilierat. Cum Veientibus prælium adhuc paruo nomine, magnis uiribus agitatum, Centinenſium captum ac dirutum oppidum. Aſſumptis ſemel armis, nunq; quies, quippe quibus egeſtas turpis atq; obſcœna fames domi timerentur, ſi unq; paci acquieuiſſent. *Romulus ictu fulminis perijt* Romulus uero cum vij. cal. Auguſtas abierat apud paludem Capreæ, ibiq; fulmine ictus nunq̃ cõparuiſſet, anno regni ſui triceſimo nono, ad Deos tranſiſſe creditus, Quirini nomine conſecratus eſt.

II. Numa Pompilius. Poſt hunc NVMA Pompilius Rex creatus eſt. Quo regnante, Clacus Chius primus ferri gemini, uel diuiſi, inter ſe, glutinum excogitauit. Hic Numa Ezechia apud Hebræos regnante, Romanis qui ex conſuetudine præliorum quaſi latrones & ſemibarbari uiuebant, cultum Deorum & morem ſacrificij & leges inſtituit, & infinita Templa conſtruxit.

III. Tullius Hoſtilius. Huic ſucceſſit TVLLIVS Hoſtilius, qui primus Romanorum purpura & faſcibus uſus eſt. Hic etiam urbem ampliauit, adiecto Celio monte, & cum xxxij. annis regnaſſet, fulmine ictus cum domo ſua arſit. Huius temporibus Bizantium ciuitas condita, quæ poſtea Conſtantinopolis eſt appellata. *Conſtantinopolis condit.*

IIII. Ancus. Huic ſucceſſit ANCVS, qui Auentinum montem ciuitati adiecit, & Ianiculum & Oſtiam ciuitatem ſupra mare. xvi. miliario ab urbe Roma, condidit.

V. Priſcus Tarquinius. Poſt hunc PRISCVS Tarquinius regnauit. Hic numerum Senatorum duplicauit, Circum Romę ędificauit, ludos Romanos inſtituit, Romam murauit, *Romam murat.* Capitolium ædificauit uel inchoauit. Sub eodem Maſſilia condita eſt, & Hieruſalem à Nabuchodonoſor rege ſubuerſa eſt. *Maſſilia condita. Hieruſalem ſubuerſa.*

VI. Seruius Tullius. Poſt illum SERVIVS Tullius. Huic in Tarquinij Priſci regia dormienti, caput ardere uiſum eſt. Quod prodigium cum Tanaquil uxor eiuſdem Tarquinij uidiſſet, eum inter proprios liberos educauit. Pro qua re ad regnum peruenit. *Cenſus primitus ordinatus.* Hic foſſas circa muros duxit, hic omnium primus Cenſum ordinauit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat. Sub eodem, Claudia. v. uirgo ueſtalis pro crimine ſtupri accuſata eſt. At ſe purgare dedignans, humaniter uadum Tyberis adijt, nauim aſcendit, ligauitq; proram zona & ait: Si uirgo ſum, ſequere me. Moxq; ſecuta eſt nauis, ingreſſaq; Romam eſt. *Claudia ueſtalis.*

VII. Tarquinius. Lucius dehinc TARQVINIVS Superbus, ſeptimus Rex atq; ultimus inuaſit imperium. Quo tempore ad relaxationem Cyri regis Perſarum reuerſi ſunt Hieroſolymam Iudæi xlij. milia quadringenti. *Excogitata uincula & carceres.* Iſte Tarquinius, primus excogitauit uincula, taureas, fuſtes, lathomias, carceres, compedes, catenas, exilia, metalla. Templum Ioui in Capitolio ædificauit. Poſtea Ardeam oppugnans in xviij miliario ab urbe Roma poſitam ciuitatem, imperium perdidit. Nam cum filius eius Sextus Tarquinius nocte quadam armatus, nobiliſſimam & caſtiſſimam Lucretiam, Lucretij Tricipitrini filiam, Collatini Tarquinij uxorem per uim ſtupraſſet, *Lucretia.* eadem Lucretia de illata ſibi iniuria, maritum patremq; & Brutum auunculũ ſuum, cæterosq; amicos è caſtris aſciuit, uimq; quam oppreſſa pertulerat, flens ac pudibunda conqueſta eſt. Conſolantibus illis eam & dicentibus, non nocere ad corruptionem pudicitiæ illatam uiolentiam, non enim animum honeſtum, ſed corpus fuiſſe corruptum, nulla, ait, impudica, ex in Lucretię ſe defendat exẽplo. Tum ferrum quod ueſte celabat, ſubito uiſceribus immerſit. Propter quam cauſam Lucretius parens eius, & Tarquinius uir eius, & Brutus auunculus eius, populũ concitauerunt, & Tarquinio imperium ademerunt. Mox exercitus, qui ciuitatem Ardeam cum ipſo Rege oppugnabat, reliquit eum, ueniensq; ad urbem Romam, rex portis

Rex portis clauſis excluſus eſt. Cumq; imperaſſet Tarquinius xxxv. annis, cũ uxore & filijs ſuis fugit. Ita Romæ regnatũ eſt per vij. Reges annis ccxliij. cum adhuc Roma ubi plurimum poſſedit, uix uſq; ad quintumdecimũ miliariũ poſſideret.

Sub eodem Tarquinio caſtiſſima IVDITH Holofernem peremit. His etiam temporibus PYTHAGORAS Philoſophus claruit. Qui Samo oriundus Crotone deguit, nouiſſime Metapontum adijt, ibiq; ſepultus eſt. Sicq; finitum eſt regium nomen in iſto. Deniq; expulſis Regibus uel quod adhuc maius eſt, abiurato etiam regio nomine, Romani pro Regibus Conſules creauerunt, ſcilicet binos fecerunt in annum unum. Binos quidem Conſules pro uno Rege, hac de cauſſa, ut ſi alter male uellet contra rempublicam, alter eum coerceret: in annum tantum unum ideo, ne per diuturnitatem poteſtatis inſoleſcerent, ſed ciuiles ſemper eſſent, qui ſe poſt annum priuandos præſcirent. *Iudith.* *Pythagoras.* *Romani pro Regibus Conſules creant.*

Regibus igitur expulſis, fuerũt primo anno conſules Lucius Iunius BRVTVS auunculus Lucretiæ præfatæ, qui maximè egerat, ut Tarquinius Superbus pelleretur, & Tarquinius Collatinus maritus eiuſdem Lucretiæ: ſed Tarquinio Collatino dignitas conſularis mox ablata eſt. Placuit enim omni Romano populo, ne quiſquã in urbe remaneret, qui Tarquinius uocaretur, & hoc propter inſatiabile odium, quod habuerunt in Superbum Tarquinium. Quo Tarquinio Collatino priuato & expulſo, LVCIVS Valerius Publicola in ipſius loco factus eſt conſul. Brutus uero conſul, & Aruns filius Tarquinij Superbi, in bello quod idem Tarquinius commouit contra Romanos dimicans, uti in regnum reſtitueretur, inuicem ſe occiderunt. Quem Brutum Romanæ matronæ defenſorem pudicitiæ ſuæ per annum quaſi communem patrem luxerunt. *Brutus.* *Lucius.*

Secundo quoq; anno iterum Tarquinius ut reciperetur in regnũ, bellum Romanis intulit, adiutus à Porſenna rege Tuſcię, tribuſq; annis continuis trepidam urbem terruit, concluſit, obſedit. Tunc Mutius Sceuola Romanus Senator exijt ad feriendum Porſennam regem: & deſcendens in caſtra eiuſdem regis ſubregulum eius ſtipendia diuidentem, habitu purpurato indutum occidit, Regem eum arbitratus. Captusq; ilico locutus eſt cur ueniſſet. Deniq; dexteram quæ errauerat igni qui in Ara erat, urendã ſuppoſuit. Tunc hoſtes, tum eius audacia in hoſtem, tum eius conſtantia ad uindicandum in ſeipſum multũ deterriti ſunt. Quid niſi Mutius feciſſet, uel niſi uirgo Chlœlia, quæ obſes fuerat Porſennæ Regi data, ruptis uinculis, uigiles fefellerit, & conſcenſo equo, per Tyberim mirabili tranſnatatu, & uirili audacia Romam redierit, & ciues audacia promouiſſet, Romani compulſi forent, aut perpeti captiuitatẽ hoſte inſiſtente ſuperari, aut ſeruituti, recepto Rege ſubiecti. Vnde & eidẽ Chlœlię q; equeſtre fecerat, equeſtris ſtatua ex rogatu Regis Porſennę, decreto & conſulto ſenatus data eſt.

Quinto anno poſt Reges exactos, Lucius Valerius ille Bruti collega, & quater conſul, fataliter mortuus eſt, adeo pauper, ut collectis à populo nummis, ſumptũ uix habuerit ſepulturæ. Quem matronæ Romanę ſecutę, Brutũ per annũ luxerũt. *Valerius Conſul pauper moritur.*

Nono anno poſt Reges exactos, noua Romę dignitas creata eſt, quę Dictatura appellatur, maior quàm conſulatus, & magiſter equitum, qui Dictatori obſequeretur. Et primus Dictator Romę fuit MARCVS Valerius. Primus magiſter equitum, Spurius Caſſius. Octauodecimo anno poſtq; Reges exacti ſunt, trecenti ſex Fabij uiri clariſſimi, Romani ſtatus lumina, à Veientibus Romanorum hoſtibus, per inſidias circumuenti, ad Cremeram fluuium omnes trucidati ſunt, uno tantum ad renunciandum cladem reſeruato, qui propter puerilem ętatem duci non poterat ad pugnam.

Eodem tempore Pompilia uirgo Veſtalis ob crimen ſtupri, uiua defoſſa eſt.

Anno poſt conditã urbem ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, Aequi Volſciq; Minutium Romanum conſulem prælio ſuperatum & fugatum, in Algido monte, qui ab urbe. xij. ferme miliaria abeſt, fame ferroq; cinxerunt. Actumq; infœliciter foret, niſi Quintus Cincinnatus præcipuus ille dictator artatam obſidionem oppreſſo hoſte ſoluiſſet. Qui repertus in rure quatuor iugerum agrum poſſidẽs, manibus ſuis colebat. Is cum in opere & arans eſſet inuentus, ſudore deterſo, ab

aratro accerſitus ad faſces, togam prætextatam accepit. Mox ſumpto honore, inſtructoq; exercitu, cæſis hoſtibus uictor effectus, liberauit conſulem & exercitum, iugumq; boum equis impoſuit, uictoriamq; quaſi ſtiuam tenens, ſubiugatos hoſtes præ ſe primus egit.

Iuno moneta Saturnia Sororia &c.

Anno ab urbe condita ccclv. Veientani rebellarunt. Contra quos Furius Camillus dictator miſſus, primum eos acie uicit. Mox & ciuitatem eorum obſidens diu, clam tandem Cuniculis cepit. Inuentamq; ibi ſtatuam Iunonis monetę, iuſſit Romam transferri. Tunc unus è militibus per iocum interrogauit ſimulachrum, an uellet ire Romam, Reſpondit: Volo. Sequitur dehinc irruptio Gallorum Senonum in urbem, & eiuſdem urbis incendiũ duce Brenno, cum exercitu copioſo nimis & robuſto. Hos irruentes Fabius conſul cum exercitu excepit, nec tamẽ obſtitit, imo hoſtilis ille impetus, Romanos quaſi aridam ſegetem ſuccidit, ſtrauit, & tranſiuit. Teſtatur hanc cladem fluuius Alia, ſicut Cremera Fabiorũ. Non enim facile aliquis ſimilem ruinam Romanæ militiæ recenſeret, & ſi Roma inſuper incenſa non foret. Patentem igitur urbem Galli Senones penetrant, trucidant oẽs, perimunt in ſuis ſedibus Senatores, eoſq; incendio domorum cõcrematos, lapſu culminum ſuorum ſepeliunt uniuerſos. Reliquam autem iuuentutem, quam conſtat uix mille hominum tunc fuiſſe, in arce Capitolini montis latitantem, obſidione concludunt. Ibiq; infœlices reliquias fame, peſte, deſperatione & formidine terunt. Captumq; ilico Capitolium fuiſſet, niſi clamore anſeris excitatus Manlius reſtitiſſet. Qui dum diu eos obſiderent, & iam Romani fame laborarent, fragmentis panum pro lapidibus Gallos iecerunt. Quamobrem accepto auro mille librarum, ne capitolium obſiderent, receſſerunt. Sed ſecutus eos Camillus ita cęcidit, ut & aurum quod eiſdem datum fuerat, & omnia quæ ceperant militaria ſigna reuocaret. Ita uictor urbem ingreſſus, appellatus eſt ſecũdus Romulus, quaſi & ipſe patriæ conditor. Circa hęc tempora, Heſter hiſtoria putatur ſcripta. Plato quoq; philoſophus his fuiſſe temporibus perhibetur.

Alia flumẽ 11. lapide ab urbe diſtans in uia Tiburtina.

Fragmentis panum pro pidibus Galli iacere.

Camillus ſecũdus Romulus.

Heſter.

Plato.

Eodem anno ſæuiſſimo terrę motu Achaia uniuerſa concuſſa eſt, & duę ciuitates, id eſt, Bura & Helice, abruptis locis deuoratæ.

Anno ab urbe cõdita trecenteſimo octogeſimo quarto, ingens uniuerſam Romam peſtilentia corrupit. Sequentiq; anno ſecutum eſt triſte ſatis prodigium. Siquidem in medio urbis foro terra diſſiluit, uaſtoq; præruptu hiantia ſubito inferna patuerunt. Quod ſpectaculum dum diutius ita maneret, cunctiſq; terrorem nimium inferret, tandem interpretantibus aruſpicibus, claudi baratrum poſſe, ſi eo qui eſſet Romæ precioſiſſimus iuuenis uoluntarie immitteretur. Diu iactatis inaniter monilibus matronarum, Marcus Curtius eques Romanus domo clarus militię inſignibus ſumptis, cum equo ſe in id baratrum præcipitauit, ſicq; concluſum eſt. Tunc poſt eum ſacrificantes, in eundem locum iecere fruges. Mox terra in naturam ſuam redijt.

Prodigium.

Marcus Curtius.

Anno ab urbe condita ccclxxxviij. iterum terribilis Gallorum inundatio Romanos terminos inuadens, iuxta Anienem fluuium conſedit. Vbi Titus Manlius iuuenis nobiliſſimus de Senatoribus, quendam Gallum ad ſingulare ſe certamẽ prouocantem aggreſſus, occidit, & ſublato ab eius collo torque aureo, colloq; ſuo impoſito, in perpetuum Torquati & ſibi & poſteris nomen accepit.

Manlius quare Torquatus

Nec diu poſt hæc Romanis iterum contra eos bellantibus, quidam ex eiſdem Gallis unum aliquem ex Romanis qui eſſet optimus, prouocauit. Huic ſe Marcus Valerius tribunus militum obtulit. Et cum proceſſiſſet armatus, coruus ei ſupra dextrum brachium ſedit. Mox commiſſa aduerſus Gallum pugna, idem coruus alis & unguibus Galli oculos uerberauit, ne in rectum poſſet aſpicere. Ita à tribuno Valerio interfectus, non ſolum ei uictoriam, ſed & nomen dedit. Nam poſtea idem Valerius ab illo euẽtu, Coruus dictus eſt, & omnes ſucceſſores ſui Coruini.

Valerius quare Coruinus.

Anno ab urbe condita ccccix. ſtatuę Conſulibus ob meritum uictorię in roſtris poſitæ ſunt. Eo anno etiam Alexandria ab Alexandro Macedone condita eſt.

Alexandria condita.

Anno poſt hæc ſequente Minutia uirgo Veſtalis, ob admiſſum inceſtũ damnata, uiua obruta eſt in campo, qui nunc Sceleratus uocatur. Paruo exin tempore

trecentæ

trecentæ octoginta matronæ Romanæ proditæ ſunt à quadam puella, atq; conuictæ, rabie & amore ſcelerum tantum accenſæ, cateruatim populum ueneficijs ſuis necaſſe, ac ſi de peſtilenti aere crederentur tam ſubito tamq; latè mori: atq; eadem uenena quæ coxerant bibere compulſæ, conſumptæ ſunt.

HAec de regibus uſq; ad Alexandrum Magnum regem Macedonum, & uſq; ad incrementũ Romanę poteſtatis, hic dicta ſufficiant. Multa quidem in libris Regnorum, & in Paralipomenon, & Eſdræ, & Prophetarum, & alijs ſacræ Scripturę, de Regibus Aſſyriorũ, Perſarũ, & Medorum, & alijs quibuſdam Regibus ſcripta ſunt, quoniam hi populum Iſraeliticum aut afflixerunt, aut gratia & libertate honorauerunt. Ab hinc itaq; deſcribũtur Reges quatuor regnorum, quæ poſt Alexandrum præfatum orta ſunt, qui ſolus monarchiam mundi pręter Italiam in xij. annis ſubiugauerat, ſicut in hiſtoria ipſius plenè deſcribitur. Ponuntur itaq; primum in deſcriptione Reges & tempora ipſorum, & geſta quædam forte breuiter annotantur, poſtmodum ſubiectis hiſtorijs eorundem. Secundo poſt hæc ſubijcitur hiſtoria Romana, eo ordine, quo hactenus eſt deſcripta, in quantum competit huic breuitati, ſecundum tempora Regũ præſcriptorum. His interponitur hiſtoria Iudæorum ex hoc tempore, quæ in ſacris Scripturis non eſt expreſſa.

Hic impreſſum Vrſpergenſis Exemplar pollicebatur Alexandri Magni hiſtoriam alibi, ſed non præſtitit. In duobus ſcriptis exemplaribus: Exceptum de uita Alexandri Magni. Item de mirabilibus Alexandri Magni, habebatur, quod plane erat tale, ut nemo ſine riſu legiſſet. Igitur nolui contaminare hanc utilem hiſtoriam hoc ψευδεπίγραφω. Qui Alexandri Philippo Macedone nati & uitam & geſta legere uelit, habet innumerabiles pene, qui poſteritati tradiderunt, Græcos & Latinos, Arrianum, Plutarchum, Iuſtinum, Quintum Curtium, & alios. Veruntamen ne quid deeſſet Lectori, ex Raphaele Volaterrano libuit Epitomen uitæ Alexandri Magni hic ſubijcere.

ALEXANDRI Philippo Macedone nati, & uitam & geſta, innumerabiles penè Græci poſteritati tradidere. E quibus Clitarchus, Polycratus, Oneſicritus, Antigenes, Iſtrus, Ariſtobulus, Chares, Hecateus, Eritreus, Philippus Chalcidenſis, Duris Samius, Ptolemęus, Anticlides, Philo Thebanus, Philippus, Hyſangelus, Antiſthenes, Menęchmus Sicyonius, Nymphis Heracleotes, Potamon Mityleneus, Sotericus, Aſites, Arrianus, Plutarchus. E noſtris uero Quintus Curtius. Ego autem Epitome breui percurram. Igitur natum ſcribit Plutarchus viij. idus Aprilis. Ab eo autem qui in Latinum illum conuertit, circa Idus Auguſti ſcribitur: quod ſanè cuius ſit error, neſcio. Aetatis & diſciplinæ rectores, Leonidam Olympiadis matris neceſſarium, & Lyſimachum Halicarnaſſeum habuit. Deinde Ariſtotelem pręceptorem, à quo eruditus fuit, perſeueranter amauit, ſcientiaq; Phiſicæ delectatus, quãdoq; ad eum per literas queſtus eſt, quod libros eam diſciplinam continentes, uulgo ędiderit. At ille reſpondit: ęditos quidem, ſed tanquam non ęditos, ob eorum obſcuritatem fore. Annum agens xvi. à patre profecto in obſidionem Bizantij, ad regni curam dimiſſus domi eſt. Poſt eius uero mortem annos xx. natus, imperiũ iniens, primam in Thebas expeditionem fecit, eaſq; bello ſuperatas, euertit. Cum Athenienſibus pacem fecit, quanquam Thebarum caſum moleſtè ferentibus. Ad Iſthmon uenienti omnes obuiam præter Diogenem Cynicum uenere. Miratus Alexander ad eum in Sole apricantem uenit, rogans, ſi quid opus: at ille: ut paulum, inquit, à Sole abſis. Alexander deinde ad ſuos uerſus, ſe Diogenem eſſe uelle dixit, ſi Alexander non eſſet. Cupidus igitur latè imperandi, patrimonium omne inter amicos diuiſit, Antipatro domi relicto, in Helleſpontumq; primo traiecit, ac Ilium peruenit, ubi animaduerſo Achillis ſepulchro, fœlicem appellauit, cui pręco laudum Homerus contigiſſet. Deinde contra Darium profectus, ad Graniũ flumen, quod Aſiæ porta ſit quędã, pręfecti Regis occurrentes, pugnã conferunt, ubi uictor traditur fuiſſe, cęſis Barbarorum xx. mil. ex Macedonibus xxxiiij.

Alexander Macedo.

Epitome Alexand.

tantum. Deinde ad maritimam oram deſcendens, Pamphiliæ, Ciliciæ, Phœniciæq́ regiones: deinde Paphlagones, Capadocesq́ ſubegit. In tranſitu Cydni fluuij frigidiſſimi morbo correptus, bello ſuperſedit: uerum paulo poſt à Philippo medico curatus, in caſtra uenit, atq; rurſus cum Dario qui Dc. hominum milia armauerat, in prælium deſcendit, quem demum ſuperauit cæſis hoſtium xi. milibus, caſtris inſuper potitus, Regem fugientem per v. ſtadia inſectatus eſt: uxorem, filiasq́ captiuas ad ſe perductas, honorificè ac pudicè habuit. Ab hac igitur in littore quoq; Aegypti; loci amœnitate delectatus, Alexandriã urbem condendam mandauit. Ipſe ad Iouem Ammonem per loca uaſta ſolitudine poſt Cambiſem ſecundus acceſſit. Hic multa milia è ſuis obruta, arenarũ ui auſtro perflante, fuere: ubi uero templum attigit, à Sacerdote perſuaſus, Iouis filium ſe putauit. Poſtremo, tertio Dariũ uires redintegrantẽ petens, uicit, atq; omnino profligatũ unà cum regno ſuſtulit Perſarũ. Hinc Babylonios cum tota regione ſubegit. Mox Darium perſecuturus, audiuit à Beſſo illius familiari, eum captum à ſuis, atq; interfectum, quem regijs interfectũ ueſtibus, matri eius tumulandũ remiſit. Beſſum uero interfectorem ſupplicio adfecit. Darius aũt moriens, deos precabatur, uti Alexandrum ſecundarent, quem hoſtem clementiorem q̃ ſuos inueniſſet. Dein

Orexartes

de in Parthum mouens, ſuperato Orexarte fluuio (hic enim Rha eſt, quẽ Alexander Tanaim alterum putauit) Scythas laceſſiuit: ulterius fluxu uentris correptus, inſequi deſtitit. In his locis occurrentem habuit Thaleſtrem Amazonum reginã, teſte Iuſtino xxxv. dierũ itinere confecto, quę ex ipſo pręgnans dicitur deceſſiſſe. In Indiam poſtremo profectus, ſuos exhortatus eſt, ne animo deficerent: parui temporis laborem, Macedonibus orbis imperium, ac perpetuam gloriam pariturum, ubi primum Taxilem Regem obuium cum muneribus habuit: ſuperatoq́

Taxiles.

Porus.

Idaſpe fluuio, Porum alterum Regem occurrentẽ cũ maximo exercitu uicit, quẽ in prælio uictum ac captum dimiſit, uti prius, liberum. Erat Porus quatuor cubitis & palmo procerus, in quo prælio Bucephalum amiſit: in cuius honorem ſupra Idaſpem, Bucephaliam urbem condidit. In ea ſane regione cum multis collocutus Gymnoſophiſtis dicitur. Inter quos Calanus nomine eum ſecutus, ſeſe uiuum conſtructa pyra, comburi iuſſit. Alexander deinde dextrum Indiæ latus adnauigari perquiriq́ iuſſit, claſſi Oneſicrito præfecto, ac Nearcho duce conſtitutis,

Bucephalia.

Calanus.

Nearchus.

ipſe per Mediterraneam remigrans, cum alui dolore uexaretur, Babylonem repetijt: ibiq́ febri correptus, exceſſit, nullo ueneni ſigno, anno ætatis xxxij. & à Ptolemæo Alexandriam regia funeris pompa delatus. Fuit uini auidus, adeo, ut per ebrietatem præcipuos amicos interfecerit. Clitum qui in menſa Philippũ Alexandro prætulit. Philotam & Parmenionem, inſidiarum ſuſpicione necari iuſſit. Caliſthenem Philoſophũ Ariſtotelis propinquũ, quem inter chariſſimos habuerat:

Caliſthenes.

deinde in Hermolai coniuratione ſuſpectum, quodq́ adorandum Alexandrum eſſe negaret, miſerè adfectũ cæſim necauit. Caſtitate alioquin tanta, ut pręter uxorem & Berſanen è Damaſco uiduam, ac regiam mulierem, nullam aliam complexus fuerit. Rhoxanem uxorem Oxiartis regis filiam, non prius attigit, q̃ perfectis ex ordine ſponſalibus ſolennibus. Sed & Ariſtobulus de ipſius ebrietate ſcribit omnia falſa eſſe: uerũ quia inter bibendum ualde loqueretur, eam contraxerit famam. Cibi etiam parciſſimum fuiſſe, ꝙ prandij condimentũ, nocturnũ iter ſolebat appellare: cœnę frugi, ac breue prandiũ. In rebus obeundis ſumma alioquin diligentia, nullã amittendo occaſionẽ, declarant maximę res breui tẽpore geſtæ. Mane ante omnia ſacrificabat. Si qñ uacaret, aut uenationi, aut lectioni ſe tradebat, præſertim Homeri, quẽ etiã nocte puluillo ſubijcere ſolebat. Interdum conuiuijs animũ exhilarabat, ut poſt Dariũ uictũ quiſq; ſuorũ amicas ad epulas inuitauit, inter quas Thais fuit Athenienſis genere, quã poſtea Ptolemęus magnopere

Berſane.

Rhoxane.

Thais.

adamauit. Hæc cũ in cœna rogaſſet Alexandrũ, ut Perſarũ regi[?]am, quia patriam ſuam incenderant, cremaret, ſtatim mandauit. Puerorum inſuper abſtinentiſſimus omnino, quorũ xxx. milia ad diſciplinam militarem erudiendorum nutriri mandauit, quin & quendam pollicentẽ ſe pulchrũ ei empturũ puerũ, acriter obiurgauit. Solebatq́ dicere, coitum ac ſomniũ duo maxima mortalitatis eſſe ſigna.

HISTORIA ROMANORVM.

ANno ab urbe Roma condita quadringenteſimo uiceſimo ſecundo, qui eſt Alexandri Magni quintus, Alexander rex Epirotarum, huius Magni Alexandri auunculus, traiectis in Italiam copijs, cum bellum Romanis inferre pararet, à Samnitibus qui Lucanis ſuffragabantur, maximo bello in Lucania uictus & occiſus eſt. Poſt hæc Romani iam potentes eſſe cœperunt, bellumq́ in centeſimo & octageſimo ferè miliario ab urbe cum Samnitibus, Papyrio dictatore geſſerunt. Vbi Fabius Maximus magiſter equitũ abſente Papyrio, fœliciſſime dimicauit, & uiginti milia Samnitũ deleuit. Poſtea Samnites circumſpectiori cura, inſtructo exercitu, apud Caudinas furculas anguſtijs locorum armisq́ concluſos Romanos, Tito Veturio, & Spurio Poſthumio conſulibus, ingenti dedecore uicerunt: quorum dux Pontius pro magna ſecuritate uictoriæ, Herennium patrem ſuum conſuluit, utrum clauſos occideret, an parceret uictis. Viuos tamen ſeruare dedecori elegit. Vniuerſum quippe Romanum exercitum turpiter captum, armis ueſtimentisq́ nudatum, uilioribus ueſtimentis tantum ob uerecundiam corporum tegendam conceſſis, longum ordinem uictoriæ agere præcepit, ſexcentisq́ Romanis equitibus in obſidatũ acceptis, conſules ignominia oneratos remiſit, ſub tali conditione pacis, qualis Samnitibus placuit. Sed ſi fidem fœderis Romani ſeruaſſent, aut hodie non eſſent, aut Samnitibus ſubiacuiſſent. Poſteriori ſiquidem anno, iubente Senatu, fidem ſoluunt, eosq́ Papyrio conſule, in bellum cogunt. Nec ante cædi, uel cædere deſierunt, q̃ uictis Samnitibus, captoq́ duce eorum cum ſeptem milibus, iugum eis repoſuerunt. Eo tempore Appius Claudius Cenſor, aquam Claudiam urbi induxit, & uiam Appiam ſtrauit. Poſt hæc Samnites, reparato bello, Quintum Fabium Maximum uicerunt, tribus milibus hominum occiſis. Poſtea cum pater eius Fabius Maximus legatus datus fuiſſet, & Samnites uicit, & plurima ipſorum oppida cepit. Deinde Publius Cornelius Rufinus, & Marcus Curius Dentatus, ambo Conſules, contra Samnites miſſi, ingentibus prælijs eos confecere, ita ruinas ipſas urbium diruentes, ut hodie Samnium, in ipſo ſomnio requiratur, nec facile inueniatur. Tunc bellum cum Samnitibus per quadraginta nouem annos actum ſublatum eſt, neq́ ullus hoſtis fuit intra Italiam, qui Romanam uirtutem magis fatigauerit.

Maximum dedecus Romanorum.

Samnium dirutum.

Nec longum poſt, tanta tamq́ intolerabilis peſtilentia, per triennium Romanam corrupit ciuitatem, ut propter eam quacunq́ ratione ſedandam, libros Sybillinos conſuluerint. Quibus uidebatur, ut ab Epidauro Aeſculapius exhiberetur. Miſſi ſunt legati ad Græcam urbem, quos Epidaurij libenter atq́ humaniter ſuſceperunt. Ibidem ſe legatis Serpens oſtẽdit, raro ab incolis, niſi fœliciter, uiſus. Cumq́ per triduum familiariter apparuiſſet, & cunctis ſpectantibus, ſubijt in Triremem Romanam, & in tabernaculo legati Quintij Virginij collectus quieuit. Legatis Romam redeuntibus, anguis in naui ſemper apparuit. Antium uentum eſt. Deſcendit ſerpens ad limen templi Aeſculapij, & triduo inter Myrtos latuit, nec ad ſolitos cibos proceſſit. Dehinc ad nauem redijt. Cumq́ uentum eſſet ad Tyberim, enatauit in inſulam, in qua illi templum conſtitutum eſt, & mox ſanitas Romanis eſt data.

Serpens liberauit Romam à peſte.

HISTORIA IVDAEORVM.

ALEXANDER tranſlato regno Perſarum ad ſe, captis Tyro & Gaza, & Hieruſalem, iratus feſtinans, Iaddum & cæteros ſacerdotes eum honorificè ſuſcipientes, ueneratus eſt. Quibus poſt ſacrificium, lecto Daniele, tributum ſeptem annis dimiſit. Quod Iudæis conceſſit, Samaritanis negauit. Decem tribus oratione ſua incluſit. Cui ueneno obeunti, quatuor hic annotati ſucceſſerunt in regno.

De eo Ioſeph. in Antiquita.

REGES ALEXANDRIAE.

I. Ptolomæus Lagi filius 40.

POſt Alexandrum PTOLEMAEVS Lagi filius, regnauit Alexandriæ primus, annis xl. à reſtauratione templi anno cẽteſimo nonageſimo octauo. Iſte fuit uir prudentiſſimus, ditiſſimus quoq; & fortiſſimus, tantæq; potentiæ, ut Pyrrhum regem Epirotarũ regno depulſum, regno reſtitueret, Cyprumq; ac Phœnicẽ, multasq; urbes & inſulas ac regiones obtineret: & uicto Demetrio, filio Antigoni, Seleuco partem regni ſui, quæ ab Antigono fuerat ablata, reſtitueret. Hic Hieroſolyma & Iudæis dolo ſubactis, multos iterum ex eis in Aegyptum tranſtulit, quos tamen poſtea benigne tractauit. Huius tempore princeps Sacerdotum Hieroſolymis, Onias Iaddi filius fuit: quo mortuo, filius eius Simon cognomento Iuſtus, principatum obtinuit.

REGNVM ASIAE.

I. Antigonus 18. POſt Alexandrum in Aſia primus regnauit ANTIGONVS annis decẽ & octo.

Cœpit autem regnare ſeptimo anno Ptolemæi regis Alexandriæ, ſiue Aegypti.

II. Demetrius.17 Poſt hunc DEMETRIVS filius Antigoni, regnauit in Aſia decem & ſeptem annis.

Hic Demetrius ſemetipſum Seleuco tradidit, qui deſtructo regno Aſiæ, ex utroq; unum fecit imperium: & in his duobus terminatum eſt regnum Aſiæ minoris: & ſic deinceps erunt tantum tria regna.

Poſt deſcriptionem iſtorum Regum qui prænotati ſunt, ſequitur hiſtoria eorundem.

REGES MACEDONIAE.

I. Philippus qui & Aridæus.7. PHILIPPVS, qui & Aridæus, frater Alexandri, regnauit Macedoniæ annis ſeptem à reſtauratione templi anno cxcviij.

II. Caſſander.19. CASSANDER regnauit Macedoniæ annis. xix.

III. Antigonus & Alexander.4. ANTIGONVS & ALEXANDER, filij Caſſandri, regnauerunt in Macedonia annis iiij.

IIII. Demetrius.6. DEMETRIVS regnauit in Macedonia annis vi.

REGNVM SYRIAE.

REgnum Syriæ & Babiloniæ, & ſuperiorum locorum, naſcitur xiij. anno Ptolemæi regis Aegypti, ſexto uero anno Caſſandri regis Macedonum, ſeptimo uero anno Antigoni regis Aſiæ, ubi primus poſt Alexandrũ regnauit SELEVCVS Nicanor annis xxxij. *I. Seleucus Nicanor.32.* Ex hoc tempore, id eſt, ab initio regni Seleuci, ſupputatur regnum Græcorum iuxta Hebræam hiſtoriam Machabæorum. Hic, capto Demetrio Antigoni filio, regnũ Aſiæ deſtruxit, & ex duobus, id eſt, Aſiæ & Syriæ, unum fecit imperiũ. Vnde & filius eius Antiochus, qui & Sother, poſt eũ regnauit in Syria & Aſia: poſt quem regnauit item Antiochus, qui dicebatur Theos. *Antiochus Theos, de quo infra.*

Has urbes condidit Seleucus: Antiochiam, Laodiciam, Seleuciam, Apamiam, Ediſſam, Beroeam, Pellã. Quarum Antiochiã xij. anno regni ſui condidit, & metropolim publicæ rei ſuæ cõſtituit.

V. *Pyrrhus menſ.7.* PYRRHVS rex Epiri, corrupto exercitu Demetrij ipſoq; fugato, regnauit Macedonibus menſibus vij.

VI. *Lyſimachus annis.6.* Poſt quem regnauit LYSIMACHVS in Macedonia annis.vi.

Diuiſio regnorum Alexandri. IGitur poſt mortem Alexandri, cum multi ſibi ſuccederent, obtinuit Ptolemæus Aegyptum, Philippus qui & Aridæus frater Alexandri Macedoniam, Seleucus qui & Nicanor Syriam & Babyloniam, & regna Orientis, Antigonus Aſiam, cæteri quippe loca ſibi diſtributa. Sed diuerſas ſortiti prouincias, mutuis ſe bellis conſumpſerunt, & per totum Ma
cedoniæ

cedoniæ regnum, hoc eſt, per uniuerſam Aſiam, & plurimam Europæ partem, uel maximam Libyę, horrendi ſubito bellorum globi confluxerunt. Cauſa uero & origo bellorum, epiſtola fuit Alexandri regis, qua præcepit omnes exules patrię, libertatiq́ reſtitui. Potentes autem ciuitatum Gręciæ timentes, ne exules recepta libertate, ultionem meditarentur, à regno Macedonum defecerunt, primúq́ Athenienſes contracto triginta milium exercitu, & ducentis nauibus, bellum cũ Antipatro, cui Græcia obuenerat ſorte, geſſerunt. Poſt hæc bellum inter Antigonum & Perdicam, oritur grauiſſimum, multisq́ prouincijs & inſulis, ob auxilia uel negata uel pręſtita dilaceratis, diu deliberatum eſt, utrũ in Macedoniam bellum transferretur, an in Aſia gereretur: nouiſſime Perdica Aegyptum cum exercitu ingenti petijt. Sic Macedonia in duas partes, diſcurrentibus ducibus in ſua uiſcera armatur. Ptolemæus Aegypti uiribus & Cyrenenſibus copijs inſtructus, occurrere Perdicæ bello parat. Perdica uero cũ Ptolemæo acerbiſſime cõgreſſus, amiſſis copijs, ipſe quoq́ interfectus eſt. Olympias uero Alexandri mater, poſt plurimas principum cædes, per Caſſandrum interfecta eſt. Hercules Alexandri filius, cum matre Roxani, in cuſtodia poſitus, cum iam quatuordecim annorum eſſet, ab eodem Caſſandro interfectus eſt. Antigonus autem cum filio Demetrio congreſſus contra Ptolemęum, & Caſſandrum, atq́ Lyſimachum, qui Seleuci ſocietate fulti erant, prælio uictus eſt. Ptolemęus iterum cum Demetrio nauali prælio conflixit: & cum omnem penè claſſem atq́ exercitum perdidiſſet, uictus in Aegyptum refugit. Hac uictoria elatus Antigonus, regem ſe unà cum Demetrio filio ſuo appellari iuſſit, cum iam apud Alexandriam & Macedoniam vij. annus regnorum eſſet. Quod exemplum omnes ſecuti, regium ſibi nomen, dignitatéq́ ſumpſerunt. Igitur Ptolemęus & Caſſander, cęteriq́ alterius factionis duces, cum decipi ſe ab Antigono ſingillatim uiderent, per epiſtolas ſe inuicem confirmantes, coeundi in unum, tempus locumq́ condicunt, & bellum aduerſus Antigonum communibus uiribus inſtruunt. Caſſander finitimorum bellis implicitus, Lyſimachum clariſſimum inter omnes duces, cum ingenti manu, pro ſe, ſocijs in auxilium miſit. Seleucus quoq́ ex Aſia maiore diſcedens, nouus Antigono hoſtis acceſſit. Hic itaq́ Seleucus plurima per Orientem, inter ſocios regni Macedonici bella geſſit, principio Babyloniam expugnauit, Bactrianos nouis motibus aſſurgentes perdomuit, tranſitũ deinde in Indiam fecit, quæ poſt mortẽ Alexandri uelut detracto, excuſſoq́ ceruicibus iugo, præfectos eius occiderat. Adunatis itaq́ Ptolemæi, ſociorumq́ illius copijs, pugna committitur, cuius quanto potentior apparatus, tanto ruina grauior fuit. Nam in ea tunc totius penè Macedonici regni uires conciderunt. In ipſo bello Antigonus occiſus eſt. Sed finis huius belli initium fuit alterius. Nam cum uictoribus de præda non conueniret, iterum in duas factiones deducuntur. Seleucus Demetrio, Ptolemęus Lyſimacho iungitur. Caſſandro defuncto, filius eius Philippus ſuccedit, ſicq́ quaſi ex integro noua Macedoniæ bella naſcuntur. Antigoni filius Demetrius augmento Græcię & totius Macedoniæ elatus, in Aſiam tranſire diſponit. Ptolemæus autem & Seleucus, & Lyſimachus, experti priori certamine, quantæ uires eſſent concordię, iterum ſocietate pacta, adunatiſq́ exercitibus, bellum in Europam transferunt aduerſus Demetrium. His ſe comitem & belli ſocium Pyrrhus rex Epiri iungit, ſperans Demetrium Macedonia poſſe depelli. Nec ſpes fruſtra fuit, quippe corrupto eius exercitu, ipſoq́ in fugam acto, regnum Macedonię Pyrrhus inuaſit. Lyſimachus autem qui Helleſpontum regebat, poſt interfectionẽ generis ſui, & necem filij, aſſiduis parricidijs cruentatus, à militibus proprijs deſeritur, qui ad Seleucũ tranſeuntes, hortati ſunt eum, ut Lyſimacho bellum inferret. Res nanq́ fœdiſſimi ſpectaculi erat. Duos quippe reges, quorum Lyſimachus annorum erat ſeptuaginta quatuor, Seleucus autem ſeptuaginta ſeptem, de eripiendis alterutrum regnis, concurrere, in acie ſtare, arma gerere. Vltimum quidem hoc bellum Alexandri commilitonum fuit, quod ad exemplum humanæ miſerię fuerat reſeruatũ. Quippe cum orbem terrarum, extinctis iam xxxiiij. Alexandri ducibus, ſoli poſſiderẽt, & anguſtiſſimos ſenectutis ac uitæ ſuæ terminos nõ aſpicientes, anguſtos eſſe imperio

Sociorũ Alexandri uarij tumultus.

Seleuci bella.

 perio

Libido & inſatiabilis gubernandi cupiditas duorum regum.

perio ſuo totius mundi terminos arbitrarentur. Seleucus quippe capto iam antea Demetrio in Cilicia, regnum Aſiæ deſtruxit, & ex duobus unum fecit. In hoc autem bello Lyſimachus amiſſis uel interfectis prius quindecim liberis ante hanc pugnam, poſtremus occiſus eſt. Sicq; Lyſimachus ſolutio pugnæ Macedoniæ fuit. Sed nec Seleucus quidem de tanta uictoria impunè lætatus eſt. Nam neque ipſe poſt ſeptuaginta ſeptem annos quietem naturalis mortis inuenit, ſed exortam ſibi infœliciter uitam, uelut immatura morte finiuit. Inſiſtente quippe Ptolemæo, cuius ſororem Lyſimachus in matrimonio habebat, inſidijs circumuentus occiſus eſt. Hæc ſunt inter parentes, filios, fratres ac ſocios, conſanguinitatis ſocietatisq; commercia, quibus orbem ab Alexandro celeriter ac fortiter acquiſitum, annis quatuordecim dilaniauerunt, & ueluti optimam prędam, à magno leone proſtratam, auidi catuli diſcerpſerunt, ſeq; ipſos inuicem irritantes, in rixam prædæ æmulatione conſumpſerunt.

Interitus regnorum Alexandri.

HISTORIA ROMANORVM.

Bellum Tarentinum.

ANno ab urbe condita cccclxiiij. qui eſt Ptolemæi xxxv. Tarentini qui in ultima Italia ſunt, Romanam claſſem fortè prætereuntem, hoſtiliter inuaſerunt, pręfectos nauium occiderunt, omnesq; utiles bello, reliquos uendiderunt precio, unde grande bellum inter eos ortum eſt. Tarentum uero à Lacedæmonijs conditum, Calabriæ quondam & Apuliæ, totiusq; Lucaniæ caput erat, diuitijs, magnitudine, muris, portu, ipſoq; ſitu mirabile. Romanus itaq; exercitus cum Aemilio conſule irruens in uniuerſos Tarentinorum fines, igneq; ferroq; uaſtat omnia, plurima expugnat oppida, iniuriam inſolenter acceptam, crudeliter uindicat. Tarentini uero cum plurimis finitimorum præſidijs fulcirentur, etiam Pyrrhus rex Epirotarum, qui ex genere Achillis originem duxit, quaſi cognatam Græcię ciuitatem uindicaturus, totas uires Epiri Theſſaliæ, Macedoniæ elephantos etiam uſq; ad id tempus Romanis inuiſos, numero uiginti in Italiam aduexit. Qui cum Delphici Apollinis conſuluiſſet oraculum, ambiguum dedit reſponſum.

Pyrrhus Epirotarum rex Tarētinis præſidio eſt.

Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe.

Tunc primum Romani cum tranſmarino hoſte dimicauerunt. Miſſus eſt contra eum conſul Publius Valerius Leuinus. Qui cū exploratores Pyrrhi cepiſſet, eos iuſſit per caſtra duci, omnemq; exercitum oſtendi, ſicq; demitti, ut renunciarent Pyrrho quæ uiderint. Commiſſa itaq; pugna, conſumpta eſt dies grauiſſimo certamine, omnibus utrinq; mori paratis, fugere neſcijs. Introductos autem inter currentia agmina elephantos, forma truces, odore graues, mole terribiles, ut uiderunt Romani, nouo pugnandi genere circumuenti & territi, maximeq; pauitantibus equis defugerunt. Minutius uero quartę legionis Centurio, protentam in ſe unius beluæ promuſcidem gladio deſecuit. Qua uulneris dolore turbata, & auerti compulſa, eius immoderato diſcurſu permiſceri cœperunt: finis etiam pugnæ de noctis beneficio impoſitus eſt. Leuinus tamen per noctem fugit, Romanos uictos fuiſſe turpi fuga prodidit. Ex quibus tunc cecidiſſe referuntur xi. milia peditum, & nongenti lxxx. Capti trecenti x. Equites autem cæſi ccxlv. capti octingenti duo. Signa xxij. amiſſa. Pyrrhus autem Romanos quos cepit, ſummo honore tractauit, occiſos ſepeliuit. Quos cum aduerſo uulnere, & truci uultu, etiam mortuos iacere uidiſſet, tulit manus ad cœlum, dicens ſe totius orbis dominum eſſe potuiſſe, ſi tales milites ſibi contigiſſet habere. Cuius uictoriæ titulum Pyrrhus affigens templo Tarentini Iouis, ita ſcripſit in eo.

Pugna pyrrhi cum Roman.

Minutius promuſcidem elephanti deſecat

Epithaphium Roman. cladis per Pyrrhum.

Qui inuicti ante uiros fuerant pater optime Olympi,
Hos egomet pugna uici, ſum uictus ab ijſdem.

Quem cum ſui increparent, cur ſe uictum diceret, qui uinceret, reſpondiſſe fertur. Si iterum eodem modo uicero, ſine ullo milite reuertar Epirum. Cumq; legati mitterentur ad eum pro redimendis captiuis, iuſſit Liconum & Moloſſum eis obuiam ire, ipſe quoq; cum equitibus procedens ad portam ciuitatis, honorifice

ſuſcepit

ſuſcepit eos,captiuos ſine precio remiſit. Vnum autem ex legatis Fabricium cum pauperem uidiſſet, promiſit ei quartā partem regni ſui, ut ſe transferret ad eum: ſed contemptus ab eo, admiratus eſt illum. Pro hac admiratione miſit ad Romanos legatum præcipuum uirum, Cyneam nomine, qui pacem æquis conditionibus peteret: ſcilicet ut Pyrrhus partem Italię,quam armis occupauit,teneret. Sed pax quam offerebat,eis diſplicuit. Remādatumq; eſt ei à Senatu, illum cum Romanis pacem habere non poſſe,niſi ab Italia receſſiſſet,Iuſſerant aūt omnes quos Pyrrhus reddiderat,infames haberi,eo ꝙ capi potuiſſent armati, nec ante eos ad ſtatum priſtinum reuerti, quàm ſibi notorum hoſtium occiſorū ſpolia retuliſſent. Ita legatus Pyrrhi reuerſus eſt. A quo dum quæreret Pyrrhus, qualem Romam comperiſſet, Cyneas dixit,regum ſe patriā uidiſſe,ſcilicet tales illic ferè omnes eſſe,qualis unus Pyrrhus apud Epirum & reliquam Græciam putaretur. Secunda pugna inter Romanos & Pyrrhum, facta eſt in Apuliæ finibus,Publio Sulpitio & Decio conſulibus,in qua pugna Pyrrhus brachio transfixo ſaucius, priorē bello ſeceſſit. Elephanti capti, uiginti milia hoſtium cæſa ſunt, & ex Romanis quatuor milia. Fabricius quoq; legatus uulneratus eſt. Anno interiecto, idem Fabricius contra eum miſſus eſt. Cumq; uicina haberent caſtra, medicus Pyrrhi nocte uenit ad Fabricium, promittens ſe ueneno Pyrrhum occiſurū, ſi ſibi aliquid polliceretur. Quem ille uinctum remittens ad Pyrrhum, iuſſit ei dici quę ille ſpopondit. Tunc rex admiratus eum, dixiſſe fertur. Ille eſt Fabricius, qui difficillius ab honeſtate, quàm ſol à curſu ſuo auerti poteſt. Tunc rex ad Cyciliā profectus eſt, Frabricius uictis Lucanis & Samnitibus triumphauit. Deinde Curius Dentatus & Cornelius Lentulus, contra eum miſſi conſules, de exercitu eius uiginti tria milia cædebant, trecentos capiebant. Ipſe Tarentum fugatus eſt, caſtra eius capta ſunt, Curius in conſulatu triumphauit, primuſq; Romam quatuor elephantos duxit. Quinto decimo anno poſtq̄ in Italiam uenit Pyrrhus, uictus aufugit, & poſt multa bella quæ fecit in Græcia, apud Argos Achaiæ urbem, Spartani regni auiditate ſeductus, ictu ſaxi occubuit. Cuius pollex è dextro pede (ſi credendum eſt) remedio fuiſſe dicitur, ſi cuius renes tumentes eo tangerentur. Cumq; ab Antigono uictore idem Pyrrhus iuſſus eſſet exuri, ſic arſit, ut idem pollex inueniretur intactus. Qui digitus aureo loculo eſt incluſus, & in antiquiſſimo templo Dodonęi Iouis conditus.

Fabricij honeſta uirtutis conſtantia.

Roma patria regum.

Secunda pugna inter Romanos & Pyrrhum.

Fabricij laus.

Pyrrhus occumbit.

Hoc tempore apud Romanos Sextilia uirgo ueſtalis, conuicta damnataq; inceſti, ad portam Collinam uiua defoſſa eſt.

II. *Philadelphus. Annis.38.*

Ptolemæus PHILADELPHVS regnauit Alexandriæ annis triginta octo.

VII. *Ceraunus. Men.9.*

CERAVNVS, qui & Ptolemęus, regnauit Macedoniæ menſes nouem.

VIII. *Meleagrus. Men.2.*

MELEAGRVS regnauit Macedoniæ menſes duos.

IX. *Antipater. Dies.45.*

ANTIPATER regnauit Macedoniæ, diebus quadraginta quinq;.

X. *Soſtenes. Annis.2.*

SOSTENES regnauit Macedoniæ annis ij.

XI. *Antigonus. Annis.36.*

ANTIGONVS regnauit Macedoniæ annis triginta ſex. Hic Lacedæmoniam obtinuit, Pyrrhumq; ſuperauit.

Parthis à Macedonū imperio recedentibus, primus regnauit Arſaces, unde & Arſacidę dicti ſunt.

II. *Antiochus Soter.19.*

ANTIOCHVS qui & Sother, filius Seleuci, regnauit in Syria & Aſia annis decem & nouem.

III. *Antiochus. Theos.15.*

ANTIOCHVS qui uocabatur Theos, id eſt Deus, filius Antiochi Sotheris, regnauit in Syria & Aſia annis xv. Iſte aduerſus Ptolemęum Philadelphū geſſit bella quàmplurima, & totis Babylonis atq; Orientis uiribus dimicauit. Volēs autem Ptolemęus moleſtum finire certamen, cum tamen ipſe haberet copias, filiā ſuam Beronicē Antiocho dedit uxorem, qui de priore uxore Laodice duos habebat filios. Seleucum qui cognominabatur Callinicus, & alterum Antiochum. Antiochus autem dicēs Beronicen ſe uelle habere regni conſortem, & Laodicen in loco concubinæ. Poſt multum temporis ſuperatus amore, Laodicen cū liberis ſuis

reduxit in regnũ. Quę metuẽs ambiguũ uiri animũ, ne Beronicẽ reduceret, uirũ per miniſtros ueneno interfecit, Beronicen uero cum filio, quẽ ex Antiocho genuit, Icadioni & Gẽneo principibus regis occidendã tradidit, ipſaq́ꝫ cũ maiore filio Seleuco Callinico regnauit.

HISTORIA REGVM, & Iudęorum.

Iudęorum Pontificatum poſt Oniam ELEAZARVS accepit. Poſt hunc MANASSES.

Eleazarus.

Manaſſes.

PTolemęus Philadelphus filius Ptolemęi ſuperioris, regnauit Alexandrię annis trigintaoɫto, à reſtauratione tẽpli, anno ducẽteſimo triceſimo oɫtauo. Huius tempore Pontifex Iudęorũ Eleazarus fuit, frater Simonis cognomẽto iuſti, filius Onię filij Iaddi, qui ſacerdotiũ pro tali ſuſcepit cauſa. Defũɫto principe ſacerdotũ Onia, filius eius Simon iuſtus ſucceſſor extitit. Quo moriẽte, filiũ paruulũ nomine Oniam relinquente, frater eius Eleazarus principatum ſacerdotij accepit, quem Ptolemęus liberaliter muneribus tali occaſione honorauit. Demetrius Phalareus apud Gręcos orator, & Philoſophus ſuper Bibliothecam regis, cuius magnũ habuit ſtudium, conſtitutus erat. Qui dum ſtuderet omnia per uniuerſam terram inuenta congregare uolumina, & acquirere ſiquid dignũ audiret induſtria, uel uoluntate regis. Interrogatus ab eo quot milia librorum haberet: reſpondit, uiginti milia, ſed cito ad quinquaginta milia poſſe uenire, dicensq́ꝫ nunciatum ſibi eſſe, apud Iudæos multa haberi, bibliotheca regali digna, perſuaſit regi annitente Ariſteo quodam, regis amico neceſſario, ut ad Eleazarum pontificem Hieroſolimam mitteret, rogans ut ſibi uiros legem ſcientes deſtinaret, qui eam ad Gręcam linguam transferrent. Qui ex omnibus ſeptuaginta uiros in lege doɫtiſſimos elegit, eosq́ꝫ regi tranſmiſit. Illi uero Alexandriam duɫti, & à rege benignè ſuſcepti, Demetrio ſunt commendati. Qui duxit eos in domum ſecretam, & huic negotio aptam, ſecus littus maris poſitam, ubi per ſeptuaginta duos dies, omnem legem diſertiſſime tranſtulerunt, quotidie huic negotio curã uſqꝫ ad horam nonã impendentes. Quibus diebus tranſaɫtis, cõgregauit omnes Iudæos Demetrius ad locum in quo translatę fuerant leges, & præſentibus interpretibus legit eas. Cumqꝫ multitudo complexa legem, uel ſeniores eius interpretes, Demetrium eo ꝙ magnarum rerũ eſſet inuentor, laudaſſet, rogauit ut etiam præſidibus ſuis daretur legenda, gauiſus uero rex uoluntatem ſuam eſſe perfeɫtã & reliɫtis legibus, ſenſum & ſapientiam earum obſtupeſcens, dixit ad Demetriũ, admirari ſe, ꝙ nemo hiſtoriographus, nec poeta Gręcus eiuſdem legis meminiſſet, cum tam mira exiſteret. Cui Demetrius reſpondit, neminem auſum fuiſſe conſcriptionem eius tangere, eo ꝙ diuina eſſet, addens ꝙ Theopompus uolens in hiſtoria aliquid de his conſcribere, mente ſit turbatus, plus quam xxx diebus, donec inde ſibi clementiam faɫtam eſſe ſuſpicatus, & in ſomnis quoqꝫ admonitus, ꝙ hoc ei ideo accidiſſet, quia diuinas leges ſcrutatus eſſet, & ad impuros homines eas ferre uoluiſſet, cum humilitate à Deo ueniam ſupplicaret. Cumqꝫ ſcribere quieuiſſet, recepit ſenſum. Referebat etiam de Theodeɫto tragœdiarũ poeta, quia cum uiſus fuiſſet in aliquo dramate eorum meminiſſe, quæ diuino cõtinentur uolumine, obſcuratus oculis, recognouit cauſam ſuam cæcitatis, & ita liberatus eſt ã paſſione, Deo ueniam largiente. Ptolemęus autem remiſit eoſdem ſeniores cum honore, donans unicuiqꝫ ſtolas optimas, & auri talenta duo, & calicem unius talenti, totumqꝫ cõuiuij thorum. Principi autem ſacerdotũ Eleazaro deſtinauit per eos leɫtos x. cum argenteis pedibus, & conuenientem eis ſupelleɫtilem, & calicem talentorum xxx. ſtolas x. & purpuram, & coronam decoram, & lineas de byſſo centum. Præterea pateras, & trullam, & libatoria, & crateras aureos duos Deo uouendos, omnesq́ꝫ Iudęos quos in Aegypto captiuos inuenit, liberos eſſe permiſit. Abeuntes autem interpretes, & à regibus Aſiæ honorati ſunt. Nam Seleucus Nicanor, in ciuitatibus quas per Aſiam ædificauerat, & in inferiore Syria, & in ipſa Metropoli Antiochia, republica ſua dignos eos fecit, & æquum eis honorem cum habitatoribus Macedonibus & Græcis deputauit.

Demetrius Phalareus præfeɫtus bibliothecæ.

Quid Theopompus paſſus ſit, & de Theodeɫto oculis multato, uide Ioſeph. lib. 12. cap. 2.

Interpretes à regibus Aſiæ honorati.

HISTORIA ROMANA.

ANno ab urbe condita, quadringenteſimo lxxvi. qui eſt Philadelphi primus, ortum eſt Punicum bellum primum. Nam Tarentini Pyrrhi morte comperta, iterum noua aduerſum Romanos arma ſollicitantes, Carthaginenſium auxilium per legatos poſcunt, atq; accipiunt. Conſertoq; prælio, Carthaginenſes uicti ſunt. Proximo dehinc anno obſcœna & dira prodigia uel uiſa Romę, uel nunciata ſunt. Aedes Salutis ictu fulminis diſſoluta eſt. Lupi tres ante lucem ingreſſi urbē, ſemeſum cadauer intulerunt, ſparſumq; membratim in foro, ipſi ſtrepitu hominum exterriti, reliquerunt. Apud Formiam multis ictibus fulminum, undiq; mœnia ambuſta & diſſoluta ſunt. Poſt hæc iij. anno, inter cætera prodigia, ſanguis ex terra manare, & è plurimis fontibus ſcatutire uiſus eſt, & lac manare è cœlo. Hiq; diri, ut ipſis uiſum eſt, imbres terram irrigauerunt. Anno ab urbe condita cccclxxxi. tam ingens peſtilētia apud Romam conflagrauit, ꝙ eius atrocitatem uerbis explicare non poſſum. Supra quam Sybillini teſtes libri, qui eam cœleſti ira impoſitam reſponderunt. Sed ne quenq; quaſi pro cauillatione offendat, ꝙ Sibylla iratos Deos dixerit, nos iram cœleſtem dixiſſe uideamur, audiat & intelligat, quia hæc, etſi plerumq; per aereas poteſtates fiant, tamen ſine arbitrio omnipotentis Dei non fiunt. Eodem tempore Caparonia uirgo ueſtalis, inceſti rea, ſuſpendio perijt, & corruptor eius, conſcijq; ſerui omnes ſupplicio affecti ſunt. Poſt hæc Romani conſules, Appius Claudius, Marcus Valerius, Agrigentum Ciciliæ ciuitatem, ubi præſidia Pœnorum collocata erant, operibus ualloq; cinxerunt. Cumq; incluſus ex obſidione, ſenior Hannibal dux Pœnorum, ad ſummam egeſtatem redactus eſſet, Hanno dux nouus Carthaginenſium, cum equitibus mille D. & xxx. milibus peditum. xxx. etiā elephantis, ex improuiſo aduenit, ad liberandum Hannibalem & ciuitatem, ſed ciuitas continuo à Romanis capta eſt, & Pœni maximo bello uicti, & profligati ſunt, xi. elephanti in poteſtatem Romanorum redacti, Agrigentini ſub corona conſulari, omnes uenditi ſunt. Sicq; Romani ſecundo de Carthaginenſibus triumphauerunt. Hannibal ſenior, facta cum paucis eruptione, aufugit. Deinde v. anno Punici belli, idē Hannibal nauale bellum pręparauit contra Romanos, apud Lipparam inſulam. Sed cōmiſſo nauali prælio, iterum Hannibal amiſſa naui qua uehebatur, ſcapha ſubductus aufugit, xxx. & una naues eius captæ referuntur. Tria milia hominum occiſa, vij. milia capta referuntur. Neq; ulla uictoria Romanis charior fuit, ꝙ inuicti terra, iam etiam mari plurimū poſſent. Poſtea Carthaginenſes Gaio Aquilio Floro, Lucio Cornelio Scipione conſulibus, Hannonem in locum Hannibalis ſubrogatum, nauali prælio præfecerunt. Qui à Scipione conſule uictus, amiſſo exercitu, confertiſſimis hoſtibus ſe immiſcuit, ibiq; interfectus eſt. Hannibal ſenior ſupra bis uictus & fugitiuus, à Carthaginenſibus iterum claſſi prępoſitus, iterū infœliciter cum Romanis nauali prælio congreſſus & uictus, ab exercitu ſuo, ſeditione orta, lapidibus coopertus interijt. Lucio Manlio Vulſcone, Marco Attilio Regulo conſulibus, Romani cum ccccxxx. nauibus Siciliam petiuerunt. Quibus Hamilcar Pœnorum dux, & Hanno alter claſſi præfectus, occurrit. Conſerto prælio nauali, Carthaginenſes in fugam uerſi lxiiij. naues perdiderunt. Romani xxij. amiſerunt. Victores conſules in Africam tranſuecti ſunt, primamq; omnium Clipeam urbem in deditionem acceperunt. Inde Carthaginem petentes ccc. aut eo amplius caſtella depopulati ſunt, dehinc infeſta ſigna ipſę Carthagini circumtulerunt. Manlius conſul Africa cum uictrici claſſe decedens, xxvij. milia captiuorum cum ingentibus ſpolijs Romam reuexit. Attilius Regulus autem conſul in Africa remanſit, bellum Carthaginenſibus inſtruxit. Contra tres Carthaginenſium duces, id eſt, Haſdrubales duos, & accitum ex Sicilia Hamilcarem, atrociſſimum bellum cum eis geſſit. In quo cæſa ſunt Carthaginenſium xvij. milia, capta v. milia, xviij. elephantos cepit, lxxx. & duas ciuitates in deditionem accepit. Deinde facto exercitu, haud procul à flumine Bagrada, caſtra conſtituit. Vbi cum plurimos Romanorum militum, adaquandi neceſſitate ad flumen deſcendentes, Serpens mirę magnitudinis deuoraret, Regulus ad expugnandam beſtiā

Primum Punicum bellum.

Prodigia.

Sanguis è terra.

Lac è cœlo.

Caparonia inceſti rea.

Hanno in locū Hannibalis ſubrogatur.

Serpens deuorans milites.

profectus

profectus eſt, ſed iaculis telorũq́ ictibus nihil in dorſo eius proficientibus, propter ſquamarum eius horrendam cratem, ſed quaſi per obliquam ſcutorum teſtudinem labentibus, tandem baliſtas deferri imperauit, per quas telis earum tunc demum facile oppreſſa eſt. Igitur Carthaginenſes fracti bellis, & cladibus exinaniti, pacem à Regulo poſcebant. Sed cum intolerabiles & duras conditiones pacis audiſſent, potius rati ſeſe armatos mori, quàm miſeros uiuere, precio non ſolũ Hiſpanorum uel Gallorum auxilia, quæ iam dudum plurima habebant, ſed etiam Græcorum comparanda duxerunt. Itaq; Xantippum Lacedęmoniorum regem, cum auxilijs copioſis accitum, ducem bello pręfecerunt. Xantippus inſpectis Pœnorum copijs, atq; in campum deductis, longe in melius mutato apparatu, pugnam cum Romanis conſeruit. Ingens ibi clades Romanorum fiebat. Nam xxx. milia Romanorum militum in illa congreſſione proſtrata ſunt. Regulus ille dux nobilis cum D. uiris captus, & in cathenas coniectus, Decimo demum anno Punici belli, nobilem triumphum Carthaginenſibus prębuit. Xantippus tam audacis facti conſcius, rerum inſtabilium mutationem timens, ilico ex Africa migrauit in Græciam. Igitur Marco Aemilio Paulo, Seruio Fuluio Nobiliore Conſulibus, audita captiuitate Reguli, & clade exercitus Romani, ambo conſules Romani tranſire in Africam cum claſſe ducentarum nauium iuſſi, Clipeam petunt. Eo etiam mox Carthaginenſes cum pari claſſe uenerunt, commiſſum eſt nauale prælium: Aemilius conſul c. & iiij. naues Carthaginenſium dimerſit, xxx. cum pugnatoribus cepit. Præterea xxxv. milia hoſtium aut occidit, aut cepit; & militem ſuum ingenti præda ditauit. Romanorum autem ix. nauibus deprehenſis, mille centum perierunt milites. Conſules apud Clipeã caſtra poſuerunt. Duo Hannones Pœnorum duces, eo rurſus cum magno exercitu conuenerunt. Prælioq́; commiſſo, ix. milia militum perdiderunt. Et ſubacta Africa tunc eſſet, niſi quod tanta fames erat, ut diutius exercitus in ea expectare non poſſet.

Carthaginenſes petunt pacem à Regulo

Xantippus belli dux præficitur.

Hoc tempore nummus argenteus primo in urbe figuratus eſt. Poſt hæc tertio anno, Lucio Cæcilio Metello, Gaio Furio conſulibus, Haſdrubal nouus dux Carthaginenſium, cum elephantis cxxx. & equitum peditumq́; amplius xx. milibus, Lilybeum uenit ex Africa, & continuo cum Metello conſule, apud Panormum pugnam conſeruit, xx. milia Carthaginenſium in eo prælio cæſa ſunt. Elephanti xxvi. interfecti, c. & iiij capti, maximum Italicis gentibus ſpectaculum præbuerunt, Haſdrubal cum paucis Lilybeum uictus profugit, atq; abſens à Pœnis capite damnatus eſt. Poſt hæc feſſi tot malis Carthaginenſes, petendam eſſe à Romanis pacem, & captiuorum permutationem decreuerunt. Ad quam rem Attilium Regulum antea ducem Romanum, quem iam per v. annos captiuum tenebant, inter cæteros legatos, ſub ſacramento præcipuè mittendum putauerunt. Ille Romã cum ueniſſet, inductus in Senatum, nihil quaſi Romanus egit. Dixitq́; ex illa die qua in poteſtatem Pœnorum ueniſſet, ſe Romanum eſſe deſiſſe. Itaq; & uxorem à complexu ſuo remouit, ac Senatui ſuaſit, ne pax cum Pœnis fieret. Illos enim ait fractos tot caſibus, ſpem nullam habere, ſeq́; tanti non eſſe, ut tot milia captiuorũ propter ſe unum, & paucos qui ex Romanis capti fuerant, redderentur. Itaq; obtinuit. Nam Afros pacem petentes, nullus admiſit. Ipſe uero Regulus Carthaginem redijt. Precantibusq́; Romanis, ut eum Romę tenerent, negauit ſe in ea urbe manſurum, in qua poſtq̃ Afris ſeruierat, dignitaté honeſti ciuis habere nõ poſſet. Regreſſum igitur ad Africam Regulum, Carthaginenſes reſectis ei palpebris, ut uſq; ad mortem cruciatu intolerabili ac dolore uigilaret, atq; ut ſtaret ſemper radiös Solis intuens, alligatum in machina necauerunt.

Primus nummus argenteus figuratus in urbe.

Haſdrubal nouus dux Carthaginenſis

Lilybeum Siciliæ oppidũ.

Mira atq; animoſa Reguli conſtantia.

Anno conſequenti, Hanno dux Pœnorum cum Luctatio duce Romanorũ, nauali prælio apud Aegades inſulas, contra Lilybeum ciuitatem Siciliæ concurrit, ſed uictus, nauem auertit, & dux fugæ primus fuit. Sexaginta & tres naues punicę captę ſunt, cxxv. dimerſæ, xxx. & ij. capta, cæſa xiij. milia fuerunt. Nunq̃ in mari tantis copijs pugnatum eſt. Infinitæ auri & argenti prædæ in poteſtatem Romanorum redactæ ſunt. Ex claſſe Romana xij. naues merſæ ſunt. Pugnatum eſt vij. Idus Mar. Tunc Carthaginenſes præcipiti feſtinatione ad Luctatium conſulem,

Bellum Hanonis apud Aegades inſulas.

ac deinde

ac deinde Romam mittunt, pacem orant & impetrãt. Captiui Romanorum qui tenebantur à Carthaginenſibus redditi ſunt. Carthaginenſes petunt ut redemi captiuos liceret eorũ, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus iuſſit ſine pretio eos reddi, qui in publica cuſtodia eſſent. Qui autem à priuatis tenerẽtur, ut pretio dominis reddito, Carthaginem redirent, atq; id precium ex fiſco magis quàm à Carthaginenſibus ſolueretur. Carthaginẽſes ſane ſub hac conditione cum Romanis pacem fecerunt, ut Sicilia decederent, & ipſi Carthaginenſes per continuos xx. annos Romanis perſoluerent puri argenti tria milia talentorum. Sicq; finitum eſt primum Punicum bellum, quod per xxiij. annos tractatum eſt. Hoc anno porta Iani Gemini clauſa eſt, quia nuſq; eodẽ anno bellum erat, quod ſub Numa Pompilio rege ſolo prouenerat.

Finitum primum Punicũ bellum.

Anno ab urbe condita dxvij. Hamilcar dux Carthaginenſium, ab Hiſpanis in bello, cum aliud bellum aduerſus Romanos iam pararet, occiſus eſt. Experimento deprehenſum eſt, q̄ uirtus Gallorum ſicut primo impetu maior quàm uirorũ eſt, ita ſequens minor quàm fœminarum. Cauſa autem hæc eſt, q̄ Alpina corpora humenti cœlo educata, habẽt quoddam ſimile niuibus ſuis, cum calore primæ pugnæ ſtatim in ſudorem eunt, & leui motu, quaſi ſole laxantur.

Gallorum rex
Nota de Alpinis corporib.

Anno qui huic proximus erat, dira urbem terruere prodigia. Namq; in Piceno flumine ſanguis effluxit. Apud Tuſcos cœlum uiſum eſt ardere. Et Arimini, nocte multa lucem claram effulſiſſe, ac tres lunas diſtãtibus cœli regionibus, exortas apparuiſſe. Et Romæ Gnei Domitij bos locutus eſt, dicẽs: Caue tibi Roma. Carnes etiam è cœlo lapſę ſunt, quarum pars ab auibus intercepta eſt, pars incorrupta diu iacuit. Tunc quoq; magno terræ motu Caria & Rhodos inſulæ adeo concuſſæ ſunt, ut labentibus uulgo tectis, ingẽs quoq; ille Coloſſus rueret. His temporibus Aratus aſtrologus claruit, & Quintus Ennius poeta Tarẽti naſcitur, qui poſt Romę deguit, contentus unius ancillę miniſterio. Quo etiam tempore defuncto Eleazaro, principatũ ſacerdotij ſuſcepit patruus eius Manaſſes, frater Iaddi. Quo mortuo, ſucceſſit ei Onias, filius Simeonis Iuſti, quẽ, ut ſupra diximus, paruulũ reliquit

Aratus.
Ennius.

HISTORIA. III.

PTOLEMAEVS Euergetes filius Ptolemęi Philadelphi, regnauit Alexãdrię annis uiginti ſex, à reſtauratione templi anno cclxxvi. Sub hoc Ieſus filius Syrach librum ſuum conſcripſit. Sic ergo Ptolemæus poſt mortem patris ſui Philadelphi, pro ultione patris & occiſæ ſororis, cũ magno exercitu prouinciam regis Aquilonis, id eſt Seleuci Callinici, qui cũ matre Laodice regnauit in Syria, & cepit Syriam & Ciliciã, & ſuperiores partes trans Euphraten & omnẽ penè Aſiam. Cumq; audiſſet in Aegypto ſeditionẽ moueri, diripiens regnum Seleuci xl. milia talentorum argenti tulit, uaſaq; precioſa, & ſimulachra Deorum duo milia quingenta, in quibus erant & illa quæ Cambiſes capta Aegypto in Perſas portauerat. Gens uero Aegyptia, idololatrię multũ dedita erat. Et quia poſt multos annos Deos eorum Ptolemęus attulerat, Euergetẽ eum appellabant. Et Syriam quidem ipſe obtinuit, Ciliciam uero amico ſuo Antiocho gubernandam tradidit & Xantippo alteri duci prouincias trans Eufraten.

Ptolemæus Euerg. 26.

HISTORIA.

ANno ab urbe condita, quingenteſimo octauo, qui eſt primus Euergetis repentina ſubuerſio ipſius Romæ præuenit triumphum Romanorũ. Si quidem Quinto Luctatio Catulo, & Aulo Manlio conſulibus, diuerſæ igniũ aquarũq; clades penè abſumpſere urbem. Nã Tyberis inſolitis auctus imbribus, & ultra opinionem redundans, omnia Romæ ędificia in plano cõſtitũta deleuit. Diuerſę qualitates locorum ad unã conuenere perniciẽ, quoniam quę ſęuior inundatio tenuit, madefacta diſſoluit, & quę curſus torrẽtis inuenit, impulſa deiecit. Aquarum uero grauiſſimã cladem, grauior ignis uaſtatio eſt ſecuta. Qui ignis, incertum unde ſurrexerit, plurimas ciuitatis partes peruagatus, hominum domorumq; ſtragem miſerabilem fecit. Dehinc cum omnia in circuitu foris deuaſtaret, ædem Veſtæ corripuit, unde Metellus cum arſuros Deos eripuit, brachio ſemiuſtulato uix aufugit. Tito Sempronio Gracco & Gaio Valerio Fal-

cone

cone conſulibus, bellum Romani Faliſcis intulerunt, quæ ciuitas Italiæ opulenta quondam fuit. Quod bellum ambo conſules intra ſex dies tranſegerunt, quindecim millibus hoſtium cæſis.

Eodem anno etiam Galli Ciſalpini noui extitere hoſtes, aduerſum quos uaria ſorte bellatum eſt. Nam in primo conflictu, Valerio conſule, tria milia ex Romanis cecidere: in ſecundo xiiij. milia Gallorum cæſa ſunt, duo milia capta. Sed ob priorem cladem triumphus conſuli denegatus eſt. Anno ab urbe condita quingenteſimo xvij. qui eſt Euergetis decimus, dux Pœnorū Hamilcar, ab Hiſpanis in bello interfectus eſt, cum iam aliud bellum aduerſum Romanos clam pararet.

Hamilcar interfectus.

HISTORIA.

IIII. Ptolemæus Philo. 17.

PTolemæus Philopator, filius Euergetis regnauit Alexādriæ annis xvij. à reſtauratione tēpli anno ccciij. Poſt fugam & mortem Seleuci Callinici filij Antiochi, quem interfecit Euergetes, pater huius Philopatoris, duo filij Seleuci eiuſdē, uidelicet Seleucus cognomento Ceraunus, & Antiochus qui appellatus eſt Magnus, prouocati ſpe uictoriæ, & in ultionem patris exercitu magno cōgregato aduerſus Ptolemȩum Philopatorem arma corripiunt. Cūq; Seleucus maior frater tertio imperij ſui anno occiſus eſſet in Phrygia per dolum Nicanoris exercitus qui erat in Syria, fratrem eius Antiochum cognomento Magnū, de Babylone uocauit ad regnum Syriæ, quæ eo tēpore tenebatur à Ptolemȩo Philopatore. Cumq; Seleucus pugnaſſet aduerſus duces eius, imo proditione Theodoti cuiuſdam obtinuiſſet Syriam, in tantam uenit audaciam, ut ultro Aegyptijs bellum inferret. Philopator autem amiſſa Syria proditione Theodoti, congregauit multitudinem plurimā aduerſus Antiochum, initóq; certamine iuxta oppidum Raphae, quod eſt in finibus Aegypti, Antiochus omnem amiſit exercitum, & per deſerta fugiens, pene captus eſt. Cumq; deceſſiſſet Syria, ad extremum, fœdere & pactionibus conditionis cuiuſdam, pugna finita eſt.

XII. *Demetrius 10.* DEMETRIVS regnauit Macedoniæ annis x.

XIII. *Antigonus 13.* ANTIGONVS regnauit Macedoniæ annis xiij.

IIII. Seleucus. SELEVCVS Callinicus Antiochi maior filius, regnauit Syriȩ & Aſiæ cum matre Laodice annis uiginti.

V. Seleucus Ceraunus. SELEVCVS Ceraunus, Seleuci Callinici filius, regnauit Syriæ annos. iij.

VI. Antiochus Magnus. ANTIOCHVS qui dictus eſt magnus, frater Seleuci Cerauni, regnauit Syriæ, annis xxxvi.

Raphae oppidum in finibus Aegypti.

Sub hoc tempore Iudæi multa mala tolerabant, dum terra eorum diuerſis calamitatibus ſubiacebat. Nam cum Antiochus pugnaſſet contra Ptolemȩum Philopatorem, & filium eius Epiphanen, Iudæi in medio poſiti, utriſq; uincentibus laborabant, ut pares exiſterent naui turbatæ, & tempeſtate fluctuanti.

Iudæi ſimiles naui turbatæ.

FInito igitur primo Punico bello, quod per uiginti tres annos tractū eſt, iā Romani clariſſima gloria noti facti ſunt, & per anni ſpatium ſine bellicis conflictionibus quieuerunt. Eodemq; anno, Iani portæ clauſȩ ſunt, quod ab urbis conditione, ſub Numa Pompilio Romuli ſucceſſore tantū contigit, poſtea uerò per annos quadringentos quinquaginta non euenit. Eo tempore potentiſſimus Siciliæ Rex Hiero, ad ludos Romam uenit, & ducenta milia modiorum rtitici populo dono dedit.

Iani portæ clauſæ.

ANno ab urbe condita. dxxxiiij. qui eſt primus Ptolemȩi Philopatoris, bellum Punicum ſecundū, Romanis illatū eſt per Hannibalem ducem Pœnorum, filium Hamilcaris, qui ab Hiſpanis occiſus eſt. Hic itaq; Hannibal, dum adhuc nouem eſſet annorū, Hamilcari patri ad aras iurauerat, ut cum primum poſſet, contra Romanos pugnaret. Cumq; uiginti eſſet annorū, Saguntum florentiſſimam Hiſpaniæ urbem Romanis amicam oppugnare aggreſſus eſt, Ad quē Romani Legatos miſerunt, ut à bello abſtineret, quos à ſe iniurioſe abiecit. Miſerunt pro eadem re Fabium Carthaginem, ſed ille etiam ibi cum dura reſponſa percepiſſet, quæ, inquit, mora eſt? In hoc ergo ſinu pacem bellumq;

Bellum Punicum ſecundū.

Saguntus oppugnatur.

Vide Liu Valeriũ Mx. Tulliũ in li.

porto,

potto, utrum eligitis: Illis ſucclamantibus, bellum: igitur, inquit, accipite. Et exs cuſſo in media curia togæ ſinu, quaſi planè ſinu bellum ferret, effudit.

Interea Saguntini fame uicti ſunt, & octauo demum menſe capti, ultimis ab Hannibale pœnis afficiuntur. Tunc Publius Cornelius Scipio conſul, cum exercitu mittitur in Hiſpaniam, Tyberius Sempronius in Siciliam. Hannibal uero relicto in Hiſpania fratre ſuo Haſdrubale, Pyreneos tranſiuit montes, & inter ferociſſimas Gallorum gentes ferro uiam aperuit, & nono demum die à Pyreneo ad Alpes peruenit. Vbi dum montanos Gallos ab aſcenſu eum repellere obnitentes, bello ſuperat, atq; inuias rupes igni & aceto ferroq; reſcindit, quatriduum commoratus, quinto die cum maximo labore, ad plana peruenit. Traditur autem ad Italiam duxiſſe centum milia peditum, uiginti milia equitum, triginta ſeptem elephantos. Interea multi Ligures & Galli iunxerunt ſe Hannibali. Sempronius Tyberius Graccus cognito Hannibalis aduentu, exercitum ex Sicilia traiecit Ariminum. Publius Cornelius Scipio Hannibali apud Ticinum primus occurrit, commiſſoq; prælio, fugatis ſuis, & penè omnibus uictis, ipſe à filio Scipione admodum prætextato, & uix à pueritia egreſſo, qui poſtea dictus eſt Africanus, ab ipſa morte liberatus, ſaucius tamen in caſtra rediјt. Pugnatum deinde eſt ab eodē conſule apud Trebiam fluuium, iterumq; Romani ſuperati ſunt. Sempronius conſul & ipſe conflixit cum Hannibale, & amiſſo exercitu, penè ſolus euaſit. In eo tamen bello etiam Hannibal ſauciatus eſt. Qui poſtea cū in Hetruriam primo Vere tranſiret, in ſummo Apennino tempeſtate correptus, biduo continuo immobiliter ſtetit, niuibus cum exercitu concluſus, ubi magnus hominum numerus, iumenta ꝙ plurima, elephanti penè omnes frigore perierunt. Deinde in Tuſciam ueniens, iuxta Sarnum fluuium, nebulis proſpectum impedientibus, magnā partem ſociorum ac iumentorum perdidit: ipſe autem uni elephanto qui ſuperfuerat, ſolus ſuperſidens, uix difficultatem itineris euaſit: ſed oculum quo iam dudū æger erat, uiolentia frigoris & uigiliarum ac laboris amiſit.

Inuias rupes igni ferro, aceto reſcindere.

Scipio Africanus.

Romani uicti apud Trebiā fluuium.

Liuius lib. 1. 2. belli Punici.

Hannibal oculum amittit frigore.

Anno ab urbe condita quingenteſimo quadrageſimo, qui eſt ſeptimus Philopatoris, Aemilius Paulus, & Terentius Varro conſules, contra Hannibalem miſſi, per impatientiam Varronis, altero conſule contradicente, apud Cannas Apuliæ uicum, omnes penè Romanæ ſpei uires perierunt. Nullo enim Punico bello grauius afflicti ſunt. Periјt quippe in eo Aemilius Paulus conſul, qui dum ſaucius in quodam ſaxo reſediſſet, Lentulo ſibi equum offerente, quo fugiens, cladi ſupereſſet, noluit, atq; ibi perſedit, donec ab hoſtibus interemptus eſt. Perierūt ibi conſulares atq; prætoriј uiri uiginti, Senatores aut capti aut occiſi triginta, nobiliores uiri trecenti, pedeſtrium militum xl. milia, equitum tria milia quingenti. Varro conſul cum quinquaginta equitibus Venuſium fugit. Nec dubium eſt, illum diē ultimum Romani ſtatus futurum fuiſſe, ſi Hannibal mox poſt uictoriam ad urbē contendiſſet. Hannibal in teſtimonium uictoriæ ſuę tres modios annulorum aureorum Carthaginem miſit, quos ex manibus interfectorum Romanorum equitum ſenatorumq; detraxit. De exercitu ſuo cæſa ſunt tria milia, multiq; ſauciati.

Concordia uictoriā, diſcordia exitiū præbet.

Tres modiј annulorum aureorū miſſi Carthaginem.

Interea Varro rediјt Romam, eiq; gratiæ referuntur à Senatu, ꝙ publicā rem nō deſperaſſet. Ipſe aūt nō uitę cupiditate, ſed amore publicæ rei ſe ſupereſſe reliquo ætatis ſuæ tempore probauit. Nam barbam capillumq; ſummiſit, & poſtea nunꝙ recubans cibū cepit. Honores quoq; cū ei deferrentur à populo, recuſauit, dicens, fœlicioribus magiſtratibus Reipublicæ opus eſſe. Vſq; adeo autem ultima deſperatio Reipublicę apud reſiduos Romanos fuit, ut de relinquenda Italia, ſedibusq; quærendis conſilium ineundum putarent. Quod etiam autore Cęcilio Metello confirmatū eſſet, niſi Cornelius Scipio tunc tribunus militum, qui poſtea dictus eſt Africanus, eos diſtricto gladio deterruiſſet, ſingulis minitans, ac potius pro patrię defenſione in ſua uerba iurare coegiſſet. Sub hoc tēpore, quatuor locis pugnabatur à Romanis. In Italia contra Hannibalem: in Hiſpania contra fratrem eius Haſdrubalem: in Macedonia contra Philippum: in Sardinia contra Sardos, & alterum Haſdrubalem Carthaginenſem, quē Titus Manlius in Sardiniam miſſus, uiuum cepit, Romamq; portauit. Philippus quoq; in Macedonia à Leino uin-

Res Romanorum deſperatiſſimæ.

Cornelius Scipio Africanus

Quatuor locis pugnatur à Romanis.

citur:& in Hiſpania Haſdrubal,& Mago tertius frater Hannibalis à duobus fratribus Scipionibus ſuperantur, qui tamen ambo fratres in Hiſpania à fratre Haſdrubalis poſtea occiſi ſunt. Vnde omnibus pauore cunctanctibus, Scipio poſtea Africanus dictus, natus tunc annos xxiiij. ultro ſe obtulit, & proconſulare imperium in Hiſpania ſortitus, ultionem patris & patrui pręcipuè intendens, Pyreneũ transgreſſus, primo impetu Carthaginem nouã Hiſpanię cepit, ubi copię auri argentiq; magnę, Pœnorũ & nobiliſſimi obſides, quos ab Hiſpanis acceperant cum magnis præſidijs, erant. Ibi etiam Magonem fratrem Hannibalis captũ, cum alijs Romam miſit. Romæ ingens lętitia oritur. Cumq; uniuerſam Hiſpaniam à Pyreneo uſq; ad Oceanum Scipio ſubegiſſet, reuocatus à Romanis, cũ ingenti gloria Romam uenit:& xiiij. anno poſtq; Hannibal in Italiam uenerat, qui eſt xv. Philopatoris, cum Lycinio Craſſo conſul creatus, & in Africam miſſus eſt. Scipio Africam aggreſſus, hiberna Pœnorum, & mapalia Numidarum, quę haud longè aberant ab Vtica, nocte fecit incendi. Pœni trepidi, cum caſu accidiſſe ignem putarẽt, inermes ad extinguendum cucurrerunt, qua de re facile ab armatis oppreſſi ſunt. In utriſq; caſtris xl. milia hominum igni ferroq; conſumpta ſunt, quinq; milia capta, duces ipſi miſerabiliter ambuſti, ægrè diffugerunt: Haſdrubal dux, Carthaginem profugus uenit. Mox Siphax & Haſdrubal plurimum reparantes exercitum iterum cum Scipione congreſſi ſunt, uictiq; fugerunt. Siphacem fugientem Lelius & Maſiniſſa ceperunt, cætera multitudo Cirtam confugit, quam Maſiniſſa oppugnatam in deditionem accepit: Siphacem ad Scipionem cathenis uinctum adduxit, quem Scipio cum ingentibus ſpolijs, plurimisq; captiuis perducendum Romam, Lelio tradidit. Qui cum in cuſtodia Tiburti defeciſſet, ſumptu publico iuſſit Senatus eum honorificè ſepeliri. Qua re audita, omnis ferè Italia Hannibalem dereliquit. Ipſe autem Hannibal à Garthaginenſibus redire iuſſus, ut ſubueniret patriæ, quam Scipio uaſtabat, flens dicitur Italiam reliquiſſe. Ita anno xvij. qui eſt primus Ptolemæi Epiphanis, liberata eſt Italia ab Hannibale. Legati autem Carthaginenſium pacem à Scipione petentes, ad ſenatum miſſi ſunt, & ex arbitrio Scipionis pacem acceperunt. Sed ueniente Hannibale Carthaginem, pax turbata eſt, multaq; hoſtilia ab Afris facta ſunt.

Mago Romã mittitur.

Pugna Haſdrubalis & Scipionis.

Italia liberata ab Hannibale.

Poſt hęc Hannibal frequentibus prælijs uictus à Scipione, petijt & ipſe pacem, & colloquium Scipionis. Vbi cum ſe attoniti diu admiratione mutua, duo clariſſimi duces conſpexiſſent, infecto pacis negocio, diſceſſerunt. Hannibal tres exploratores ad caſtra Scipionis miſit, quos captos Scipio, circunduci per caſtra iuſſit, eisq; oſtendit totum exercitum, nihil de hoſtibus percunctatus, prandium quoq; iuſſit eis dari, refectosq; abire permiſit. Deinde prælium ab utroq; duce commiſſum eſt, quod diu magnis ducum artibus diſpoſitum, magnis copiarum molibus geſtum eſt, quale uix ulla memoria fuit, quippe cum peritiſſimi uiri copias ſuas ad bellum educerent, Scipio tamen uictor extitit, penè capto Hannibale. Octoginta elephanti ibi aut capti, aut occiſi ſunt. Carthaginenſium militum uiginti milia quingenti interfecti ſunt. Hannibal omnia & ante prælium, & in prælio expertus, primum cum multis equitibus, deinde cum uiginti, poſtremo uix cum quatuor inter tumultum elapſus, Adrumetum confugit, poſtea Carthaginem poſt xxxvi. annos, ex quo inde paruus cum patre exierat, uenit, conſultantiq; Senatui Pœnorũ, nullam ſpem eſſe, niſi in petenda pace perſuaſit. Gaio Cornelio Lentulo, Publio Aelio Peto conſulibus, pax per Scipionem uoluntate Senatus populiq; Carthaginenſibus conceſſa eſt: naues tamen plus quàm quingentæ in altum productæ, in conſpectu ciuitatis ſubmerſæ ſunt. Scipio iam tunc cognomento Africanus, cum omni gloria triumphans, in urbem ingreſſus eſt. Quem Terentius qui poſtea erat Comicus, ex nobilibus Carthaginenſium captiuus, triumphantem poſt currum ſecutus eſt pileatus, quod indultæ ſibi libertatis fuit inſigne.

Pax Carthaginenſibus conceditur.

Scipione triumphante Terentius pileatus currum ſequitur.

Anno igitur ab urbe condita quingenteſimo quadrageſimo ſexto, qui eſt ſecundus Ptolemæi Epiphanis, bellum Punicum ſecundum finitum eſt, poſt annum xvij. quàm cœpit.

Iactet ſe licet Roma uictorijs Hannibalem deuiciſſe, tamen in Campaniæ luxurijs commorantem, prouincia delicioſa ſuperauit, dum aquis innatat, dum piſcibus atq; oſtreis paſſim inficitur, dum olet, potat, dormit, aquarum reſolutio molliuit punicam feritatem, & quem alia durauerant, eum Seplaſia oppidum Campaniæ unguentis odoratis labefactauit & uicit. *Hannibal uictus Seplaſiæ*

Ptolemæus Epiphanes 24. PTOLEMAEVS Epiphanes, regnauit Alexandriæ annis xxiiij. Huius tẽpore Scipio Africanus ab ingrata ſibi urbe Romana diu exulans, apud Amiternũ oppidũ morbo perijt. Sepulchro ſuo inſcribi iuſſit: Ingrata patria, ne oſſa quidẽ mea habes. *Roma ingrata Scipioni Africano.*

Philippus 42. PHILIPPVS regnauit Macedoniæ annis quadraginta duobus. Hic cum rebellare pararet Romanis, primum per Leuinum conſulem, deinde per Titum Quintum ſuperatus eſt.

HISTORIA.

PTolemæus Epiphanes, filius Ptolemęi Philopatoris, regnauit Alexãdriæ annis xxiiij à reſtauratione templi anno trecenteſimo decimo nono. Huius patre Philopatore defuncto, Antiochus Magnus rupto fœdere & pacto, quod cũ patre fecerat, exercitum de ſuperioribus Babyloniæ partibus cõgregauit. Factaq; pace cũ Philippo Macedonũ rege, cõtra hunc Epiphanen, qui tunc quatuor erat annorum, exercitum mouit. Pugnantibus autem inter ſe Antiocho & ducibus Ptolemęi pueri, Iudęa in medio poſita, multaq; mala perpeſſa, in contraria ſtudia ſcindebatur, ſicut & ſub Ptolemęo Philopatore patre eius: alijs Antiocho, alijs Ptolemęo fauentibus. Cumq; Antiochus teneret Iudæam, miſſus Scopas dux partium Epiphanis Ptolemęi, aduerſus Antiochum fortiter dimicauit, cepitq; Iudęam. Sed poſt modicum tempus Antiochus Scopam uicit, confligens cum eo iuxta fontem Iordanis, multosq; de exercitu eius proſternens. Poſtea uero Antiocho capiente Samariam, & ciuitates Syriæ, quas Scopas tenuerat, gens Iudęorum ſponte ad eum ueniens, omnem eius exercitum in ciuitatem ſuſcepit, & prono animo auxilium præbuit. Vnde & ipſe multa eis beneficia contulit, quæ Ioſephus deſcribit. *Pugna Antiochi & ducum Ptolemæi pueri.* *Ioſephus lib. Antiq. 12. ca. 3.*

Volens autem Antiochus non ſolum Syriam, & Ciliciam, & Liciam, & alias prouincias quæ erant partium Ptolemæi poſſidere, ſed in Aegyptum quoq; regnum ſuum extendere, facta pace, cum Ptolemęo per Eubolum Rhodium, Cleopatram filiam ſuam ſeptimo anno adoleſcentis deſpondit ei, & xiij. anno tradidit, data ei dotis nomine omni Cœleſyria & Iudęa. Nec tamen obtinere potuit Aegyptum, quia Ptolemæus Epiphanes & duces eius ſentientes dolum cautius ſe egerunt, & Cleopatra magis uiri quàm parentis fouit partes. Hic Antiochus Magnus duos habuit filios, fratres Cleopatræ, quam dedit Ptolemæo, Seleucũ qui cognominatus eſt Sother, quiq; regnauit poſt eum: & Antiochum, qui dictus eſt Epiphanes, & à patre Romanis datus eſt obſes, mortuoq; fratre, regnauit in loco eius. Et hic eſt Antiochus, qui dicitur illuſtris & nobilis in libro Machabęorum qui cxxxvij. regni Gręcorum anno regnare cœpit, multaq; mala Iudæis intulit. *Cœleſyria uel Syria Cœles.* *Ioſeph. lib. 1. bell. Iud. ca. 14.* *Antiochus ὁ ἐπιφανής id eſt, præclarus.*

HISTORIA IVDAEORVM.

EO tempore pontifex Iudæorũ fuit Onias filius Simonis iuſti, fratris Eleazari. Is autẽ Onias paruulus mente, & auarus pecuniæ, uectigal quod patres eius pro populo dabant, ſcilicet, uiginti talenta, non reddidit, unde regẽ Ptolemęũ ad irã prouocauit. Qui mittens legatũ nomine Athenionẽ in Hieruſalem, culpabat Oniam, & minatus eſt, quod terram metiretur ad iugera, & mitteret qui habitarent in ea. Audientes Iudæi mandata regis, turbabantur. Oniam uero nihil horum flectebat, propter auaritiam ſuam. Quod audiens Ioſephus adoleſcens, ſororis eius filius, de patre Tobia, uir ſagaciſſimus, & inter *Auaritia Oniæ.* *Hæc ſunt in Ioſepho lib. 12. cap. 4. & longe plura.*

ſuos nobilis,increpauit auunculum Oniam. Quo non attendente, nec ad regem ire uolente,ultro ſe legatum ad regem obtulit pro neceſſitate populi, ſi per eum liceret ſibi. Illo autem concedente,& populo gratias agēte, ſuſcepit legatū regis in domum ſuam,& per multos dies magnifice tractans,muneribus honoratum remiſit ad regem,dicens ſe continuo ſecuturum. Athenio autem rediens ad regē, cum ei omnia indicaret,aduenientem poſtea Ioſephum rex & regina Cleopatra benigne ſuſceperunt: inuenitq́ tantam gratiam coram rege,ut non ſolum populum liberaret,ſed etiam dux Iudeæ atq; humilis Syriæ, & finitimarum regionum ab eo conſtitueretur. Is igitur uiginti duobus annis tributa Syriæ & Phœnicis atq; Samariæ diſpenſauit,populumq́ Iudæorum à paupertate & debilitate ad clariſsimas rerum cauſas perduxit. Habuit autem ſeptem filios de uxore ſua, & de filio fratris ſui Solini unum,nomine Hyrcanū. Qui cum tredecim eſſet annorum,naturalem fortitudinem & prudentiam in ſe demōſtrauit, ut etiam acerbā æmulationem fratribus excitaret. Ioſephus uero cupiens ſcire, quis de filijs ſuis uirtute melior exiſteret,unumquenq; ad doctorum ſtudia deſtinauit,ſed deſidia diſciplinarum indocti redierunt. Poſt illos autem adoleſcentulum Hyrcanum tranſmiſit uiam duorum dierum ad ſolitudinem ſeminare, dans ei trecenta iuga boum,ſed abſcondens lora quibus ligarentur. Cumq; ad locum ueniret, & lora non haberet,ſuadentibus aratoribus,ut pro his afferendis domum tranſmitteret,ille nolens tempus deperdere,occidit decem iugorum boues, & carnes quidem operarijs dedit, pelles uero incidens, retinacula fecit: ſicq; ſeminata terra, ad patrem redijt. Pro qua mentis argutia pater eum benigne ſuſcipiens,nimium dilexit,quod ei apud fratres inuidiam ſuſcitauit.

Ioſephus benigne ſuſcipitur

Hyrcani factū memorabile de loris.

Poſt hæc nunciatum eſt Ioſepho,filium Ptolemæo regi genitū eſſe, omnesq́ principes prouinciarum,ad celebrandum pueri diem natalem,cū apparatu maximo Alexandriam ire. Cumq; ipſe ire ſenio prohiberetur,interrogauit filios ſuos, quis eorum uellet ire ad regem. Maioribus recuſantibus, & Hyrcanum hoc facere poſſe dicentibus,conſuluit ipſum. Qui cum ſe promiſiſſet iturum, ſi tantū miſiſſet Epiſtolam Arioni diſpenſatori pecuniarum, quam regi offerre deberet, ut daret ei pecuniam neceſſariam, data epiſtola dimiſit eum: fratres autem eius ſcribebant omnibus amicis regis,ut eum interficerent. Qui cum ueniſſet Alexandriam,porrexit Arioni epiſtolam: acceptiſq; ab eo mille talentis,latenter acceſſit ad negociatores,& comparauit ab eis centū pueros ſcientes literas, unumquēq; talento uno,& centum uirgines,ſingulas eodem precio. Suſceptus autem benignè à rege,& ad conuiuium eius inuitatus,diſcumbens cum prioribus prouinciarum,ultimus omnium ſedit,tanq̄ puer ab omnibus deſpectui habitus. Cumq; omnes oſſa ciborum ante illum in menſa proijcerent,ipſo tacente, Triphon qui dam qui ad conuiuarum riſus aptus erat,rogantibus conuiuis,iuxta menſam regis aſſiſtens,ait regi: Vides domine antepoſita oſſa Hyrcano? Ex hoc conijce, q; & pater eius ſic omnē Syriam denudauit,ſicut hęc oſſa iſte à carnibus expoliauit. Ridente autē rege ad uerba Triphonis,& interrogante Hyrcanum,cur tanta oſſa ante eum iacerent,apte inquit domine,nam canes ſemper oſſa cum carnibus deuorant,ſicut iſti fecerunt,ante quos oſſa minime iacent: homines uero comedūt carnes,oſſa autem iactant,quod & ego tanquàm homo nunc feci. Rex autē miratus eius reſponſum tam ſapienter dictum, iuſſit omnes plaudere, uerbum eius laudantes. Poſtera uero die Hyrcanus ad unumquenq; regis amicum pergens, & ad potentes aulæ,ſalutauit eos. Inſtanti uero natali die filij regis,principes regis offerebant munera: qui multum, non plus quàm uiginti talenta. Hyrcanus itaq; aſſumens pueros & uirgines quos comparauerat,dedit unicuiq; talentum portare: & pueros quidem obtulit regi,puellas autem Cleopatræ reginæ: Omnibus igitur munificentiam eius admirantibus,rex honorans eum liberaliter & donationes copioſas pręſtans,patri & fratribus,& omnibus magiſtratibus ſcripta pro eo tranſmiſit. Audientes autem fratres eius, talia eum à rege meruiſſe, & cum magno reuerti honore,in occurſum eius egredi ſe ſimulantes, interficere illum omnimodo decreuerunt,etiā patre ſciente,qui propter pecunias quas regi obtulerat

Ab Hyrcano Arioni epiſtola redditur.

Oſſa propoſita Hyrcano.

Sapiens reſpōſum Hyrcani.

obtulerat,iraſcebatur: ſed regem timens,iram celabat. Committentibus autem aduerſus eum fratribus pugnam, multos eorum qui ſequebantur occidit, cum duobus fratribus ſuis: cæteri autem ad patrem Hyeroſolimam cōfugerunt. Qui poſtquàm ad ciuitatem uenit,nullo ſeſuſcipiente,diſceſſit trans Iordanē fluuiū, ibiq́ remoratus, uectigalia exigebat à Barbaris. Per idem autem tempus regnabat in Aſia Seleucus,qui dicebatur Sother,filius Antiochi Magni.

Seleucus Sother regnauit in Aſia.

HISTORIA IVDAEORVM.

Defunctus eſt autē Onias pontifex, filius Simonis Iuſti,fratris Eleázari,auunculus Ioſephi patris Hyrcani,principatum ſacerdotij derelinquens filio Simoni. Mortuus eſt autem & Ioſephus,eiuſque morte contigit ſeditionem pati populū, propter filios eius. Nam maioribus bellum gerentibus contra Hyrcanum,diſſenſit ab inuicem multitudo,& plures quidem maioribus fratribus auxilium ferebant cum principe ſacerdotum Simone,qui cognatus eorum,& affinis eorū erat.Hyrcanus autem diſcedens ab Hieroſolyma trans Iordanem,ibi turrim ædificauit firmiſſimam ex lapide albo, & totam uſq; ad terram ſculpens diuerſis animalibus,reliquis etiam ædificijs locū muniuit, quem Titum nuncupauit. Præfuit autem illis partibus per annos duodecim,omni tempore,quo Seleucus,filius Antiochi Magni,Syriæ regnauit. Quo mortuo,frater eius Antiochus Epiphanes regnū obtinuit. Quem metuens Hyrcanus,ne ab eo tormentis afficeretur,pro his quę contra Arabas egerat,uitam propria manu finiuit. Cuius ſubſtantiam Antiochus ſibi applicuit. Mortuus eſt autem & Simō pontifex,filius Onię,relinquens tres filios, Oniam,Ieſum, Oniam ſiue Ananiam: ſed patri Onias in ſacerdotij honore ſucceſſit. Et hic eſt, ad quem Arius rex Spartarun,id eſt,Lacedæmoniorū,epiſtolas miſit,dicens Iudæos & Lacedæmones ex uno genere Abrahæ deſcendiſſe.

Seditio à morte Ioſephi.

Ioſeph.lib.12 cap.5.

HISTORIA ROMANORVM.

Anno ab urbe condita quingenteſimo quinquageſimo primo, qui Ptolomæi Epiphanis computatur etiam primus, Titus Quintus Flaminius contra Philippum Macedonię regem miſſus eſt: & poſt prę lia multa quibus Macedones uicit,pacem Philippo dedit, ſub conditione etiā Demetrium filium ſuum obſidem dedit.

Titus Q. Flaminius contra Philippum regem.

Lacedæmonijs quoq; bellum Titus idem intulit, ducemq́ illorum Nauidem uicit,& quibus uoluit conditionibus in fidem accepit, gloria ingenti triumphauit,ducens ante currum ſuum nobiliſſimos obſides,Demetrium Philippi filium, & Armenen Nauidis.

Triumphus Titi Flaminij.

Tranſacto bello Macedonico, ſecutū eſt Syriacū. Antiochus itaq; Magnus rex Syrię,cū regnū generis ſui Ptolomæi Epiphanis obtinere non poſſet, uertit ſe ad Aſiam, & nauali certamine obtinuit Rhodum & Samū,& alias inſulas multas; deinde contra Romanos ſtruens bellum,ex Aſia tranſit in Europam. Tunc etiam Hannibal exhiberi Romam iuſſus à Senatu, clam ex Africa profectus, ne Romanis traderetur,ad Antiochum migrauit,eiq́ ſe coniunxit.Quem cum apud Epheſum inueniſſet cunctantem,mox ad bellum impulit: ſed occurrit eis Scipio Naſica cum fratre ſuo Scipione Africano, iſdemq́ Africanus familiare colloquium cum Hannibale habuit,ſed infecto negotio,ab Antiocho diſceſſit. Sequenti anno idem Scipio Africanus Hannibalem,qui tunc Antiochi claſſi præerat,nauali prælio uicit & fugauit: frater quoq; eius Lucius Cornelius Scipio Naſica conſul,habens in auxilio Eumenen,Attali regis fratrem, ingenti prælio Antiochum uicit. Qui pacem rogans,eo iure obtinuit, ut annis ſingulis mille talenta perſolueret: atq; ex Aſia & Europa recedens, intra Taurum montem ſe contineret, & Hannibalem concitatorem belli dederet.Qui fugiens ad Pruſiam regem Bythiniæ,cum à Romanis repoſceretur,iam tradendus uenenum bibit. Antiochus ue

Bella Antiochi

Scipio fugat Hannibalem.

Scipio Aſianus. *Plautus ex fame laborat ad molas.* *Titus Liuius.*

to filium Africani, quem utrum explorantem, an bello cepiſſet, incertum eſt, ultro remiſit, filium quoq; ſuum Antiochum obſidem dedit. Scipio Naſica Romã rediens, ingenti gloria triumphauit: nomen & ipſe ad imitationem fratris Aſianus, quia Aſiam uicit, accepit. Philippo autem Macedonum regi, quia contra Antiochum Romanis auxilio fuit, filius Demetrius redditus eſt. Plautus ex Vmbria Arpinas Romæ moritur hoc tempore, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias piſtori ſe locauerat, ubi quotiens ab opere uacaſſet, fabulas ſcribere ac uendere ſolitus erat. Titus Liuius Tragœdiarum ſcriptor clarus habetur eo tempore, qui ob ingenij meritum à Liuio Salinatore, cuius liberos erudiebat, libertate donatus eſt.

Ptolemæus Philometor. 35

PTOLEMAEVS Philometor ſecundus, filius Epiphanis regnauit Alexandriæ annis triginta quinq;, à reſtauratione templi anno trecenteſimo quadrageſimo tertio.

Perſeus. 10.

PERSEVS filius Philippi, regnauit Macedoniæ annis decem.

Seleucus. 11

SELEVCVS qui & Sother, filius Antiochi Magni, regnauit Syriæ annis xi. Hic inſtinctu cuiuſdam Simonis, qui erat præpoſitus tẽpli Hieroſolymitani, miſit Heliodorum ad auferendas pecunias: qui correptus eſt à Deo, ut in Machabæorum legitur libro.

Antiochus Epipha. 12

ANTIOCHVS Epiphanes regnauit in Syria annis xij.

H STORIA AEGYPTIORVM.

Antiochus Epiphanes. *Ptolemæus Epiphanes.*

ANtiochus Epiphanes, id eſt, illuſtris, frater Seleuci, filius ſcilicet Antiochi Magni, poſt mortem fratris ſui Seleuci, regnauit in Syria annis xij. Huius ſororẽ Cleopatrã habuit uxorẽ Ptolemæus, qui & ipſe dicebatur Epiphanes, de qua duos filios accepit, quos moriẽs adhuc paruulos reliquit. Quorũ maior, qui & pro eo regnauit, Philometor, alter Phiſcon dicebatur. Antiochus autẽ ſuo regno non cõtentus, exercitũ ducere deliberauit in Aegyptũ, tractus deſiderio eius, & contẽnens filios ſororis ſuæ quaſi debiles, ac tanta negocia regere non præualentes. Perueniens igitur ad Peluſium, cum magna uirtute, doloq; circumueniens Philometorem conſanguineum ſuum, occupauit Aegyptum. Et cum adiſſet loca Memphiticæ ciuitatis, cepit eam. Idem contra Alexandriam ut obſideret Ptolemæum, cuius erat auunculus, tetendit, ſed per duces Ptolemæi pulſus eſt, non ſolum ab Alexandria, uerum etiam tota Aegypto. Inde reuerſus, ad Hieroſolymam ciuitatem duxit exercitũ. Quo perueniens, cepit eam ſine conflictione alicuius, aperientibus ei portas his, qui uoluntatis eius erant cõſcij, ingreſſusq; ciuitatem, multos interfecit ſibi contraria ſentientes: ſed & eos ipſos qui ei ciuitatem aperuerunt, propter diuitias templi, occidit, faciensq; omnia mala illa, quæ in Machabæorum hiſtoria ſcripta ſunt. Multis de templo ablatis, reuerſus eſt Antiochiam. Poſt biennium uero rurſus contra Ptolemæum congregauit exercitum, & uenit Alexandriam. Cumq; duo fratres, Ptolemæi & Cleopatræ filij, quorum auunculus erat Antiochus, obſiderentur Alexandriæ, Romam miſerunt legatos. Cum autem Romanorum legati ueniſſent Alexandriã, quorum unus erat Marcus Pompilius Lenas, & inueniſſent eum ſtantem in littore, ſenatus conſultum dederunt ei, quo iubebatur ab amicis populi Romani diſcedere & ſuo imperio contentus eſſe. Qui cum reſponſionẽ ad amicorum conſilium diſtuliſſet, orbem feciſſe ferunt in arena cum baculo quem tenebat manu, & conſcripſiſſe legatum, atq; dixiſſe: Senatus & populus Romanus præcipiunt, ut in iſto loco reſpondeas quid conſilij geras. Quibus dictis, ipſe perterritus ait: Si hoc placet ſenatui & populo Romano, recedendum eſt. Et ſtatim receſſit.

Huius meminit Liuius li. 7

HISTORIA IVDAEORVM.

PEr idem tempus, ut Ioſephus ſcribit, defunctus eſt Onias filius Simonis princeps ſacerdotum, relinquens filium paruulum Oniam. Vnde Antiochus fra

tri eius Ieſu principatum ſacerdotij contulit, quem poſtea iratus abſtulit, & iu-
niori eorum fratri Oniæ ſiue Ananiæ dedit. Habuit enim Simon, ut prædiximus,
tres filios, ad quos ſacerdotij principatus ordine dicto peruenit, Ieſus autem Iaſo
nem ſe nominauit, Onias uero ſiue Ananias Menelaus eſt nuncupatus, ut Ioſe-
phus dicit. Deinde ſubiūgit idem Ioſephus, Ieſum, id eſt Iaſonem, prius ſacerdo
tem contra Menelaum ſeditionem concitaſſe, eundemq́ꝫ Menelaum cū ſuis fau
toribus relicta religione paterna ſe ad Antiochum contuliſſe, illumq́ꝫ contra Iudæ
os incitaſſe, & poſt ab Antiocho iuniore perſuaſu Lyſiæ occiſum eſſe. In quibus
uerbis uidetur Ioſephus ab hiſtoria libri Machabæorum diſcrepare, in qua refer-
tur, ꝙ Menelaus frater fuerit cuiusdam Simonis de tribu Beniamin, qui fuit præ-
poſitus templi, quiqꝫ adhuc uiuente Seleuco fratre Antiochi, propter odiū Oniæ
ſacerdotis ſibi reſiſtentis, ne aliquid mali machinaretur in ciuitate, effecit ut He-
liodorus à Seleuco mitteretur Hieroſolymam, ad auferendas pecunias de tem-
plo. Qui cum territus rediret, Simon non ceſſauit male loqui de Onia, & inſtiga-
uit Apollonium ducem contra eum. Quibus ille cedens, contulit ſe ad regem, ut
eius defenſione tutus uiueret. Poſt mortem uero Seleuci, cum regnaret frater eius
Antiochus, hoc quod de Onia Menelao Ioſephus teſtatur, in hac hiſtoria de Ia-
ſone fratre Oniæ narratur. Hic enim Iaſon, qui & Ieſus, collectis impijs, Antio-
chum adijt, eiectoq́ꝫ per pecuniam fratre Onia, ſacerdotium accepit, & accepta li-
centia, ut gymnaſium Hieroſolymis ædificaret, ad ritus gentium relicta religio-
ne ſe tranſtulit. Poſt triennium miſit Iaſon Menelaum fratrem Simonis ſupradi
cti, portantem pecuniam regi pro ſacerdotio promiſſam, ſcilicet quingenta no-
naginta talenta, ſed ipſe Menelaus, promittens ad huc trecentas libras regi, Iaſo-
nem ſupplantauit. Sic Iaſon qui fratrem Oniam expulit, ipſe poſt expulſus de pa-
tria ſecundum quòd dignus erat, exul perijt. Menelaus autem cum non perſolue-
ret promiſſas pecunias, rex abſtulit ei ſacerdotium, & dedit illud fratri ſuo Lyſi-
macho. Metuens uero Menelaus, ne Onias reciperet ſacerdotium, egit cum An-
dronico regis amico, quem rex abiens præfecit negotijs, ut Oniam interficeret,
quod & fecit Lyſimacho quoqꝫ à Iudæis propter ſacrilegia ſua occiſo, Menelaus
ſacerdotium recepit. Quo ab Antiocho Eupatore filio Antiochi, ſuadente Lyſia,
occiſo, Alchimus quidam alienigena impius ſucceſſit ſacerdotio. Et hoc diuini-
tus percuſſo, deficientibus hæreditarijs ſucceſſoribus, omnium uoluntate Iudas
Machabæus ſuſcepit ſacerdotium. Onias quippe filius Oniæ, quem moriente
patre paruulum relictum ſupra diximus, uidens mala quæ fiebant, fugit ad Pto-
lemæum regem Aegypti, & benigne ab eo acceptus, impetrauit ab eo regionem
quæ Heliopoleos uocatur, ubi concedente rege conſtruxit templum ad formam
templi Hieroſolymitani, quod per annos permanſit uſqꝫ ad tempus Veſpaſiani.
Ipſa autem urbs quæ uocabatur Oniæ, dimicantibus poſtea Iudæis aduerſum
Romanos, ad ſolum uſqꝫ diruta eſt, & neqꝫ urbis, neqꝫ templi ullum reſtat ueſti-
gium. Sub occaſione igitur Oniæ infinita Iudæorum examina Aegyptum con-
fugerunt. Afferebat enim Onias in ſe impletum eſſe uaticinium Eſaiæ ſcribentis:
Erit altare Domini in Aegypto, & titulus Domini in terminis eius: et quod Ezras
ante ſexcentos annos prædixerat, quòd oporteret in Aegypto templum ædifica-
ri Deo per uirum Iudæum. Antiocho autem Iudæos affligente, & ad gentilita-
tem per ſe ipſum, & per miſſos ſuos cogente, Matathias cum quinqꝫ filijs ſuis ad-
uerſus eos arma corripuit, & patrias leges uiriliter defendit. Quo poſt annum
moriente, ſcilicet anno centeſimo quadrageſimo ſexto regni Græcorum, qui eſt
xiij. Philometoris, decimus uero Antiochi, filius eius Iudas Machabæus ſucceſſit
patri, & congregato exercitu, uindictam in male agentes exercuit. Is templum ab
Antiocho deſtructum, nobiliter renouauit, & à ſordibus idolorum, quibus
per triennium pollutum fuerat, emundauit, anno centeſimo quinquageſimo ſe
cundo. Audiens etiam Romanorum uirtutem, amicitias fœderauit cum eis &
ſocietatem. Poſt multa demum prælia fœliciter geſta, pugnans contra Bachi-
dem, Demetrij principem, multos interfecit, & ipſe occiditur anno quinqua-
geſimo, cum regeret populum annos quinqꝫ, fortitudine & dexteritate inſignis.

Simonis tres filij.

Ioſephus ab hiſtoria libri Machabæorū diſcrepat.

Iaſon à patria expellitur.

Menelaus recipit ſacerdotium.

Iudas Machabæus.

Prophetia de templo domini in Aegypto

Iudas Machabæus.

Cui ſuccedens frater eius Ionathas, regebat populum per annos xvij. Quo à Tryphone occiſo, Simon frater eorum tenuit principatum annis octo, quem accepit anno centeſimo ſeptuageſimo regni Græcorum.

HISTORIA ROMANORVM.

Perſeus.

Florus lib. 44.

PHilippo rege Macedonū mortuo, qui & aduerſus Romanos bellū geſſerat, poſtea Romanis contra Antiochū auxiliū tulerat, filius eius Perſeus regnū eius tenens rebellauit, adiutores eius habẽs Cotim regẽ Thraciæ, & regẽ Illyrici Gentiū nomine. Romanis autem auxilio erãt Eumenes rex Aſiæ frater Attali, Ariaratus rex Cappadociæ, Antiochus rex Syriæ, Ptolemæus Aegypti, Maſiniſſa Numidiæ: Bruſias autem rex Bithynię, licet Perſei ſororẽ haberet, utriſq; ſe æquū prębuit. Cõtra Perſeū miſſus Publius Licinius, ab eo uictus eſt, nec tamen Romani regi pacẽ petenti, præſtare uoluerūt, niſi ſe & ſuos ſenatui ſubdidiſſet.

Aemilius Paulus uincit Perſeum.

Mox contra eū miſſus conſul Lucius Aemilius Paulus, conſul uicit eū & cum ingenti pompa Romam rediјt in naui eiuſdẽ Perſei, quæ inuſitatæ magnitudinis ferebatur fuiſſe, adeo ut ſedecim ordines remorū dicatur habuiſſe. Triumphauit autem Paulus in curru aureo, duobus filiјs ſuis utroq; latere aſtãtibus. Ducti aūt ſunt ante currū eius duo filij regis, & ipſe Perſeus annos quadraginta quinq; natus, qui poſt apud albã, in cuſtodia defecit, filius uero eius iunior fabricã ærariam, ob tollerãdam inopiam, Romę didicit, ibiq; defunctus eſt.

Filius Perſei fit faber, ob tollerandam inopiam.

HISTORIA ROMANORVM.

ANno autem ab urbe condita ſexcenteſimo, qui uiceſimus ſextus Philometoris inſcribitur, cū omnes Romanos Celtiberorū ingẽs metus inuaſiſſet, nec eſſet ex omnibus qui uel miles uel legatus ire in Hiſpaniam auderet, Publius Scipio Africani nepos, qui & ipſe poſt Africanus eſt dictus, ultro ſe militaturū in Hiſpania obtulit, cū tamẽ in Macedoniã cõtra Philippū deputatus eſſet. Profectus itaq; in Hiſpaniã, ſtragẽ magnã dedit, ſępius etiã militis quã ducis officio uſus, nã et Barbarū prouocãtẽ ſingulariter cõgreſſus occidit.

HISTORIA ROMANORVM.

Scipionis Naſici maſculum conſilium contra Theatra.

EOdem empore Meſſala cenſor primus theatrū lapideū in urbe conſtrui iuſſit, quod ne tunc fieret, Scipio Naſica grauiſſima dehortatione obſtitit, dicens inimiciſſimū fore populo bellatori hoc, ad nutriendã deſidiã, laſciuiæq; commentū, adeoq; cõmouit ſenatū, ut non ſolū omnia theatro cõparata uendi iuſſerit, ſed etiã ſubſellia in ludis poni prohibuerit, & ut neq; urbani, neq; qui à foris mille paſſibus adeſſent, ſedẽtes ludos ſpectarẽt, ne fortitudo illorū molleſceret.

Tuccia uirgo aquam defert in cribro.

Illo quoq; tempore Tuccia uirgo ueſtalis arguebatur inceſti At illa purgare ſe argumẽtis dedignata mortalibus, ad Tyberim detulit cribrum, idq; ſubmergens in aquam, prece addita, inquit: O Veſta ſi pia ſum, ſi uirgo ſum, hanc è Tyberi aquam ad templum tuum deferam. & pertulit. Anno ſexcẽteſimo ſecundo, tertium Punicum bellum exortum eſt. Igitur cum ſenatus abolendam Carthaginem decreuiſſet, profecti conſules Lucius Manlius Cenſorinus, & Marcus Manlius, & Scipio tunc Tribunus militum, prope Vticam caſtra maioris Africani tenuerunt. Ibi Carthaginenſibus euocatis, iuſſiſq; ut arma & naues traderẽt, nec moratis, tanta uis armorum repente tradita eſt, ut facile tota ex his Africa potuiſſet armari. Sed poſtq; arma tradiderunt, & derelicta urbe, recedere procul à mari decem millibus paſſuum iuſſi ſunt, dolorem ad deſperationẽ contulerunt, aut defenſuri ciuitatẽ, aut cum ipſa per ipſam ſepeliendi, moxq; ſibi duos Haſdrubales duces creant, armaq; facere aggreſſi, poſtq; æs ferrumq; defecit, aurea argenteaq; fecerunt. Conſules Romani urbem aggreſſi, cum aliquantam muri partem machinis diruiſſent, à Carthaginenſibus uicti ſunt atq; repulſi. Quos fugiens Scipio

Duo Haſdrubales duces.

pio defendit,hoſte intra muros repulſo.Is apud omnes ingenti metu & reuerentia erat,nam & paratiſsimus ad dimicandum,& promptiſſimus erat ad conſulēdum,nec quicq̃ magis duces Pœnorum uitabant,quàm contra eam partem Romanorum cōmittere,ubi Scipio dimicabat. Per idem tempus Maſiniſſa ,rex Numidarū per annos ferè ſexaginta,amicus populi Romani,mortuus eſt, anno uitę ſuæ nonageſimo ſeptimo , ualentiſsimo ſemper corpore perſeuerans. Hic eſt uir qui nunq̃ in imbre uel maximo,caput ſuum texit,aut frigore,& tā diu in uno ſtetit ueſtigio,ut prius iuuenes laſsitudine cederēt,quàm ille de loco in quo ſteterat moueretur. Si ſtetiſſet,ne membrum quidem tota die mouebat, ſi iter ingreſſus eſt eques,non deſcendebat,ſi pedes non aſcendebat,ſolebatq; equitans in exercitu nocti diem ſæpiſſime cōiungere,& ſui cuſtodiam tutelamq; ſęuiſsimis canibus committebat. Poſt octogeſimum ſextum annum genuit filium, cui nomen fuit Methuma,nihilq; quod iuuenis fecit,ęuo ultimo prętermiſit.Moriens igitur,quadraginta quatuor filios reliquit,inter quos diuiſorem eſſe Scipionem iuſſit. Qui poſtq̃ inter eos Numidiæ regnum diuiſit,Carthaginem reuerſus eſt.

Maſiniſſa rex Numidar. uir rusobmuſtiſsi

Canibus pro tutela corporis uti.

Anno à Roma condita ſexceteſimo ſexto,qui eſt Philometoris xxxij,cnm clarum eſſet nomen Scipionis,iuuenis adhuc conſul factus eſt,& delere Carthaginē ſuprema ſorte molitus,Cothonem ingreſſus eſt. Vbi cum ſex diebus cōtinuis noctibuſq; pugnaretur,ultima deſperatio Carthaginenſes ad deditionem traxit, petentes,ut quos belli clades reliquos fecit,ſaltem ſeruire liceret,ac primum agmen mulierum ſatis miſerabile , poſt uirorum magis deforme,deſcendit. Nam fuiſſe mulierum xxv. millia,uirorum xxx.millia,memoriæ traditur. Rex Haſdrubal ſe ultro dedit,ſuiq; tantum ſalutem obtinuit. Transfugę uoluntario pręcipitio dati, conſumpti ſunt igni,quoſquos autem transfugas Romanos Scipio obtinere potuit,crucibus affixit,Latinos ſecuri percuſſit. Vxor Haſdrubalis ubi ardentem Carthaginem aſpexit,uiro ſuo cum duobus filijs ſuis occurrit,eiq; dixit: Viue tu qui ſuperſtes Carthagini eſſe potes,nam pro nobis fruſtra rogaſſes. Et uolentibus filijs, uirili dolore,fœmineo furore,in medium ſe coniecit incendium , eodem modo exitum mortis faciens extrema regina,quem quondam fecerat prima. Ipſa uero ciuitas decem & ſeptem diebus continuis arſit,miſerumq; ſpectaculum de uarietate conditionis humanæ uictoribus ſuis præbuit,dirutaq; eſt,omni murali lapide in puluerem conuerſo . Cuius ſitus huiuſmodi fuiſſe dicitur. Per uiginti duo millia paſſuum muro amplexa,tota penè mari cingebatur,abſq; faucibus quę tribus millibus paſſuum aperiebantur. Is locus murum triginta pedibus latum habuit,ſaxo quadrato,in altitudine cubitorum xl. Arx cui nomen Byrſæ fuit,paulo amplius quàm duo millia paſſuum tenebat. Ex una parte murus communis urbi & Byrſæ erat,imminens mari,quod mare,Stagnum dicitur.

Scipio iuuenis conſul factus.

Miſerabile ſpectaculū in Carthagine.

Trāsfugæ crucibus affixi.

Carthago ardet 17. diebus

Situs Carthaginis.

Vide Verg. in Aeneidis.

Igitur Carthago ſeptingenteſimo anno poſtq̃ condita eſt,deleta eſt, multitudo omnis captiuorum,exceptis paucis principibus,uendita eſt. Ita quarto,poſtq̃ ceptum eſt,anno,tertiū Punicum bellum eſt terminatum. Scipio nomen quod auus eius acceperat,meruit,ſcilicet ut propter uirtutem etiam ipſe Africanus iunior uocaretur.

Carthago deleta.

Eodem anno Corinthus nobiliſſima Græciæ ciuitas ſubuerſa eſt incendio à Mummio conſule. Vbi cum,propter multitudinem & uarietatem ſtatuarum ſimulacrorum in illo tantæ ciuitatis incendio,permixta in unum,auri,argenti,atq; æris metalla fuiſſent, nouum genus metalli factum eſt . Vnde uſq; hodie ex ipſo ſiue ex imitatione eius,æs Corinthium dicitur,& uaſa Corinthia.

Corinthus ſubuerſa.

Aes Corinthium.

Hoc tempore tres celeberrimi triumphi ſimul Romæ fuerunt,Africani ex Africa,ante cuius currum ductus eſt Haſdrubal,Metelli ex Macedonia , cuius currum præceſſit Andariſcus,qui & Pſeudophilippus rex Macedonum,Mummij ex Corintho,ante quem ſigna ænea,& pictæ tabulæ,& alia urbis clariſſimæ ornamenta prælata ſunt.

Tres trīūphi ſimul Romæ.

Interfecto autem Pſeudophilippo,qui ſibi Macedoniam uſurpauit,itemq; pſeudoperſeo qui ſe Perſei filium iactauit,Macedones gentium dominos, Romani, tributarios fecerunt,regnumq; Macedonum defecit.

Statius

Statius. *Ennius.* *Lucilius.*

Statius Cæcilius Comœdiarũ ſcriptor clarus habetur his diebus, qui natione Gallus, ſiue ut alij dicunt Mediolanus, primum Ennij contubernalis ſequenti anno poſt mortem eius mortuus eſt. Ennius uero poeta lxx. ætatis ſuæ anno articulari morbo perijt, ſepultusq; eſt in monumento Scipionis, uia Appia, intra primum ab urbe milliarium. Tunc etiam Lucilius poeta naſcitur.

Ptolemæus Euergetes.29 *Simon.8.*

PTOLEMAEVS Euergetes ſecundus regnauit Alexãdriæ annis xxix. à reſtauratiõe templi anno ccclxxxviij. SIMON frater Iudæ & Ionathæ, poſt mortẽ eorum rexit populum Iudæorum annis viij.

Puer quadrupes & quadrimanus. *Fruges in arboribus.*

His temporibus Romæ puer ex ancilla natus eſt quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor, auribus totidem, naturam uirilem duplicem habens. In Bononienſi agro fruges in arboribus natæ ſunt.

HISTORIA IVDAEORVM.

Hyrcanus dux Pontifex & propheta.

IOANNES qui & Hyrcanus filius Simonis, interfecto patre cũ duobus filijs in conuiuio per inſidias generi ſui Ptolemęi, qui erat dux circa Iericho, tenuit principatũ Iudæorum annis triginta & uno. Hic contra Hyrcanũ bellum gerens, Hyrcanus appellatus eſt. Hic uir plane beatiſſimus, tria maxime præcipua ſolus habebat, quia dux & Pontifex erat et Propheta, cum quo Deus ita colloquebatur, ut futurorũ nihil penitus ignoraret. Hic prælia multa peregit. Primum contra Ptolemæum ſororis ſuæ uirum, deinde Samariam obſidione captam, ſolo coæquauit, quam poſtea Herodes inſtaurans, Sebaſten in honorem Auguſti appellauit. Antiochus quoq;, quẽ quidã Seditem, quidam uero Spondium uocant, frater Demetrij, pridem Simoni infenſus, ſecundo Hyrcani anno adducto exercitu, Hieroſolymis obſedit Hyrcanum. *Ioſeph.lib.13 cap.15.* At ille patefacto ſepulchro Dauid, plus quàm tria millia talentorũ inde abſtulit, datisq; trecentis Antiocho, ut à ciuitate recederet perſuaſit. Et ut facti leniret inuidiam, fertur ex hac pecunia inſtituiſſe Xenodochia, quibus ſuſciperet pauperes & peregrinos. Cũq; fortunatiſſime uiueret per annos xxx. & unum, optime rebus adminiſtratis moritur, quinq; filijs relictis. *Ariſtobolus.* Quorum maximus natu Ariſtobolus, trãſlato in regnum principatu, primus apud Iudę
os

Iudas Machabæus.5.

Deficiente regno Macedonum, cœpit regnum Iudæorũ, ubi primus eo tempore principatum tenebat IVDAS MACHABAEVS annis v. ab anno cxlvij. regni Græcorum, qui eſt quartus decimus Philometoris, undecimus uero Antiochi illuſtris.

Ionathas 17.

IONATHAS frater Iudę Machabæi, poſt mortem eius ſuſcepit principatum, & per annos xvij. ſtrenue rexit populum.

Commentarios Ariſtoboli in libros Moy.

His temporibus Ariſtobolus Philoſophus commẽtarios ſcripſit in libros Moyſi, & obtulit Ptolemæo regi.

Antiochus Eupator.2.

ANTIOCHVS Eupator filius Antiochi illuſtris, regnauit in Syria duobus annis.

Demetrius.

DEMETRIVS Seleuci filius, fratris Antiochi illuſtris, occiſo Antiocho Eupatore filio patrui ſui, regnauit in Syria annis xi.

Alexander.

ALEXANDER item filius Antiochi illuſtris frater Eupatoris, occiſo Demetrio patrui ſui Seleuci filio, regnauit annis iiij. Hic ducens Cleopatram Ptolemęi regis filiã, genuit ex ea Antiochũ.

Antiochus.

ANTIOCHVS Alexandri filius, impoſito ſibi diademate à Triphone, regnauit contra Demetrium annis iij. ſed quarto anno ab eodem Triphone per dolum occiſus eſt.

Demetrius.

DEMETRIVS, filius Demetrij, quem Alexander occidit, regnũ eo uiuente inuaſit, cui Ptolemæus Philometor Cleopatrã filiam ſuam Alexandro ablatam cõiunxit, occiſoq; Alexandro, regnauit Demetrius annis v. ſed quinto captus eſt ab Arſace Parthorũ rege. Regnante autẽ adhuc Demetrio, Triphon quidam partium Alexandri tulit Antiochum filium eiuſdẽ Alexandri & licet adhuc paruulo diadema impoſuit ut regnaret, ſed quarto imperij eius anno dolo occidit eũ, ipſeq; regnauit. Sed & hoc tertio ſui regni anno interfecto, Antiochus frater Demetrij regnauit, cui Cleopatra fratris uxor nupſit de qua filium ſuſcepit nomine Antiochũ,
qui

os diadema ſibi impoſuit, trecentis nonaginta octo annis ac tribus menſibus exactis, poſtq; populus de Babylonica redijt captiuitate, fratrem Antigonum à ſe ſecundum natu, quem diligere uidebatur, in honore pari producebat, alios uero uinctos, cuſtodiæ tradidit, matremq; auſam aliquid de poteſtate contendere, itidem colligauit, fameq; necauit, ſed & Antigonum fratrem poſtea peremit. Poſt necem uero matris & Antigoni fratris ipſe digniſſimo atq; crudeliſſimo uiſcerum dolore tortus, deteſtabiliter moritur, cum non plus uno anno regnaret. Vxor autẽ eius fratrum uinculis diſſolutis, regem conſtituit Alexandrum fratrem eius, qui ætate maior erat, & modeſtia præſtare uidebatur.

Ioſephus lib. 13. cap. 17.

qui dictus eſt Cizicenus, à ciuitate Cizico, in qua nutritus eſt. Demetrius quoq; frater Antiochi, ex eadem Cleopatra filium habuit eiuſdem nominis Antiochum, qui dictus eſt Griphus. Hi duo fratres Antiochi dicti, poſtea de regno contenderunt.

Triphon. 3.

TRIPHON occiſo Antiocho, regnauit annis tribus, ſed anno tertio etiam ipſe occiſus eſt.

Antiochus. 15

ANTIOCHVS qui & Sedites eſt appellatus, frater Demetrij, poſtq; captus eſt frater eius à rege Parthorũ, ipſe regnauit annis quindecim, fratrem à captiuitate liberauit, qui poſt ipſum regnauit.

Demetrius. 12

DEMETRIVS frater Antiochi, per fratrem à captiuitate liberatus, regnauit poſt mortem fratris annis duodecim.

HISTORIA ROMANORVM.

Scipio Africanus ij. conſul.

ANno ab urbe condita ſexcenteſimo uiceſimo, qui eſt undecimus Ptolemæi Euergetis ſecundi, Scipio Africanus iunior conſenſu omnium, ſecundo conſul eſt creatus, atq; ad oppugnandam Numantiam Hiſpaniæ ciuitatem cum exercitu miſſus. Hæc per annos xiiij. cum ſolis quatuor milibus ſuorum, xl. milia Romanorum non ſolum ſuſtinuit, ſed etiam uicit: pudendisq; fœderibus affecit. Scipio itaq; ingreſſus Hiſpaniam, non ſtatim aggreſſus eſt Numantinos quaſi incautos, quos nouerat ſemper eſſe paratos, ſed aliquando militem ſuum uicioſum & ignauum pro culpa ducum priorum exercendo magis quàm puniendo, ſine aliqua acerbitate in caſtris uelut in ſcholis exercuit, deinde omnia quæ uoluptatis cauſa haberentur in caſtris, ſeuero ſummoueri iuſſit edicto. Deniq; ſcortorum duo milia cum lixis è procinctus eius loco eiecta ſunt, tantumq; ſubito ſub diſtricto iudice profecit exercitus, ut Numantiam diu pernicioſiſſimam Romanis, breui exæquaret ſolo. Igitur cum partem æſtatis, totamq; hyemem ne attentata quidem pugna tranſegiſſet, parũ propemodum hac profecit induſtria. Nam ubi copia pugnandi facta eſt, exercitus Romanus impetu Numantinorum oppreſſus, ſicut ſolebat, terga uertit, ſed increpatione & minis obiectantis ſe conſulis, manuq; retinẽtis, tandem indignatus in hoſtem redijt, & quem fugiebat, fugere cõpulit. Difficilis tunc in relatu fides, Numantinos effugauere, & fugientes uidere Romani. Vnde quamuis Scipio, quia præter ſpem acciderat, lætus eſſet, tamen bello ultrà aduerſum eos audendum non eſſe, profeſſus eſt. Itaq; urbem obſidione concluſit, foſſa circumdedit, cuius latitudo pedibus decem, altitudo uiginti fuit, ipſumq; deinde aggerem ſudibus pręſtructum, crebris turribus communiuit. Ad hoc bellum Micipſa rex Numidarum, in auxilium Scipioni Iugurtham miſit, qui fortiter agens gloriam acquiſiuit, & gratiam coram Scipione inuenit.

Militem in caſtris ut in ſcholis exercere.

Scortorũ duo milia eiecta.

Igitur Numantini diu concluſi & fame trucidati, cum facultatem pugnæ ſępe depoſcerent, ut eis mori tanq̃ uiris liceret, nec impetraſſent, nouiſſimè duabus ſubito portis eruperunt, larga prius potione uſi, non uini, cui ferax is locus non eſt; ſed ſucco tritici per artem confecto, quem ſuccum à calefaciendo Celiam uocant. Hac igitur potione poſt longã famem recaleſcentes, bello ſe obtulerunt, ſubitoq; ſuper Romanos irruerunt. Atrox diu certamen, & uſq; ad periculum Romanorũ fuit. Iterumq; ſe Romani aduerſum Numantinos pugnare fugiẽdo probauiſſent, niſi ſub Scipione pugnaſſent. Numantini interfectis ſuorum fortiſſimis, bello cedunt,

Celia potus ex ſucco tritici à calefaciendo. Vide Hermolaum Barbarũ apud Dioſcoridem.

dunt,compoſitis tamen ordinibus,nec ſicut fugientes in urbẽ reuertuntur. Corpora interfectorum ad ſepulturam oblata accipere noluerunt, nouiſſima ſpe deſperationis omnes in mortem deſtinati,clauſam urbem ipſi introrſum ſuccenderunt,cunctiq́ pariter ferro,ueneno atq; igne conſumpti ſunt. Romani nihil ex his uictis penitus habuere,niſi ſecuritatem ſuam,neq; enim euerſa Numantia, uiciſſe ſe magis,quàm euaſiſſe dixerunt. Vnum Numantinum uictoris cathena non tetigit,unde triumphum dederit,quicquid ſupellectilis fuit,ignis abſumpſit. Tunc Scipio Tireſium quendam Celticum principem interrogauit, qua de cauſa Numantia prius inuicta duraſſet,& poſt euerſa fuiſſet. Reſpondit Tireſius: Concordia uictoriam,diſcordia excidium præbuit. Quod Romani tanq; ſibi, ac de ſe dictum, exempli loco acceperunt,quippe quibus iam de ſeditionibus diſcordantis totius urbis nunciabatur.

Eadem leguntur de Saguntinis apud Valeriũ Max. Liuiũ & Ciceronem in Philip.

Laus concordiæ.

Gracchorũ ſeditiões Romæ

Ea namq; tempeſtate qua hæc gerebantur apud Numantiam,Gracchorum ſeditiones agitabantur apud Romam. Carthagine quippe Numantiaq́; deletis,oritur apud Romanos utilis de prouiſione collatio,ſed infamis de ambitione contentio. Gracchus itaq; tribunus plebis iratus nobilitati,cur eum inter autores Numantini fœderis,quod per Mancinũ conſulem turpiter factum eſt, notaret, agrũ à ſe priuatim eatenus obſeſſum populo diuidi ſtatuit, Octauo tribuno obſiſtenti, ademit imperium,eiq́; ſucceſſorem dedit Minutium. His cauſis Senatum ira, populum ſuperbia inuaſit.

Attalus Aſiæ rex.

Regnum Aſiæ per teſtamentum Ro. Imp. accedit.

Inter hæc quoq; Attalus rex Aſiæ,frater Eumenis,moritur, populũ Romanum ſcripto heredem reliquit,& ita Romano Imperio,regnum Aſię per teſtamentum acceſſit. Gracchus populi gratiam pretio appetens, legem tulit, ut pecunia quæ Attali fuiſſet,populo diſtribueretur. Obſiſtẽte Scipione Naſica, etiam Pompeius ſpopondit ſe Gracchum,cum primum magiſtratu abiret,accuſaturum. Gracchus autem annitebatur,ut ipſe tribunus plebis ſequenti anno permaneret. Et cum comitiorum die ſeditiones populi accenderet,autore Naſica,nobilitas inflammata fragmentis ſubſelliorum plebem fugauit. Gracchus per gradus qui ſunt ſuper Calphurnij fornicem,detracto adminiculo,fugiens,ictus fragmẽto ſubſellij corruit, rurſuſq; aſſurgens,alio ictu clauæ cerebro impactæ,exanimatus eſt. Ducenti præterea in ea ſeditione interfecti,eorumq́; corpora in Tyberim proiecta ſunt, ipſiusq́; Gracchi cadauer inhumatum contabuit.

HISTORIA ROMANORVM.

Publius Scipio exanimis repertus.

Anno dehinc ſecundo,Publium Scipionem pridie in concione de periculo ſalutis ſuæ conteſtatum,quod ſibi pro patria laboranti, ab improbis & ingratis denunciari cognouiſſet,alio mane exanimem repererunt,idq́; inter maxima Romanorum mala cenſuerunt,pręſertim cum tantum in urbe illa Africani uigor & modeſtia ualeret,ut facile illo uiuo,neq; ſociale,neq; ciuile bellum exiſtere poſſe crederetur. Hunc quidem necatum ferũt dolo uxoris ſuæ Semproniæ,quæ ſoror erat Gracchorum, ne ſcelerata, ut credo, familia,ad perniciem patriæ ſuę inter impias ſeditiones uirorum,non etiam ſceleribus mulierum eſſet immanior. Cauſa uero interitus eius hęc fuit. Gaius Carbo tribunus plebis cupiens necem uindicare Gracchanam,& excitare ſeditionem ſopitam,Publium Scipionem Africanum,eruta Numantia,reuertentem interrogauit Quid de Gracchi morte ſentiret? Cui Africanus ait,iure occiſum ſibi uideri.

Gracchorũ ſeditio & finis.

Poſt hæc Gaius Gracchus,Gracchi illius,qui iam in ſeditione occiſus fuerat frater,tribunus plebis per tumultum creatus,magna Reipublicę pernicies fuit. Nam cum ſępe populum Romanum largitionibus,promiſſisq́; nimijs, in acerbiſſimas ſeditiones excitaſſet,tandem à tribunatu Minutio ſucceſſore deceſſit. Qui Minutius cum deceſſoris ſui Gracchi ſtatuta cõuulſiſſet,legesq́; abrogaſſet,Gaius Gracchus cum Fuluio Flacco ingenti ſtipatus agmine,capitolium,ubi concio agitabatur,aſcendit,ibiq́; cum eo duobus filijs ſuis armatis,maximum tumultũ excitauit: econtra Decius Brutus uir conſularis à cliuo publico cũ ingenti certamine inſiſtit,

Ibi Flaccus

Ibi Flaccus diutiſſime pugnauit: Gracchus uero in templum Mineruę ſecedens, gladio incumbere uoluit, ſed interuentu lictoris retentus eſt. Cumq; diu anceps bellum ageretur, tandem ſagittarij ab Opimio miſſi, conſertam multitudinem diſturbauerunt. Duo Flacci, pater & filius, cū per ędem Lunę in priuatam domū deſiluiſſent, foresq; obieciſſent, reſciſo cratitio pariete confoſſi ſunt. Gracchus pro ſe diu pugnantibus amicis, ac pereuntibus, ægre ad pontem Sublicium peruenit, ibiq; ne uiuus caperetur, ceruicem ſeruo ſuo prębuit. Cuius caput abſciſum conſuli allatum eſt, corpus ad Corneliam matrē Miſſenū oppidum deuectū eſt. Hæc aūt Cornelia Maioris Africani filia fuit, quæ poſt prioris filij Gracchi mortē Miſſenū ſeceſſit. Bona Gracchi publicata ſunt. Flaccus adoleſcens in robore necatus eſt. Ex factione Gracchi ccl. in Auentino monte cæſi fuiſſe referūtur. Opimius autē conſul, ſicut in bello fortis, ita in quęſtione fuit crudelis. Nam amplius q̃ tria millia hominum ſupplicijs necati ſunt, ex quibus plurimi, ne dicta quidem cauſa, innocentes occiſi ſunt. Hęc Gracchorum ſeditio, hic finis fuit.

Cratitius ut ſtramentitius, pauimentitius

HISTORIA ROMANORVM.

ANno ab urbe condita ſexcenteſimo xxxv. qui eſt xxviij. Ptolemæi Euergetis ſecundi, Publio Scipione Naſica, & Lucio Calphurnio Beſtia conſulibus, Iugurthæ Numidarum regnum inuadenti, conſenſu Romani populi bellum ſenatus indixit, de quo Saluſtius Criſpus pleniſſime ſcribit.

Florus lib. 44. Saluſtius.

His temporibus, Ptolemæo Euergeti ſecundo, miſera uita, miſerabiliorem uitæ exitum dedit. Is enim ſororem ſuam ſtupro cognitam, ac deinde in matrimoniū receptam, nouiſſime turpius q̃ duxit, abiecit: priuignam ſuam, hoc eſt, filiā ſororis & coniugis, coniugem aſciuit: filium quem ex ſorore ſuſceperat, necnon & filium fratris, occidit. Quamobrem tantis inceſtis parricidijsq; execrabilis anno regni ſui xxix. ab Alexandrinis regno pulſus eſt.

His temporibus Cicero Arpini naſcitur, matre Heluia nomine, ex regio Voſcorum genere, patre uero equeſtris ordinis. Marcus quoq; Furius Poeta, cognomento Bibaculus, Cremonę naſcitur. Defecit regnum Syriæ.

Cicero.

olemæus 1.

PTOLEMAEVS qui & Phiſcon uel Soter, regnauit Alexandriæ annis xvij. à reſtauratione templi anno cccc. vij. Hic poſtea per matrem Cleopatrā de regno pulſus, Cyprum ſeceſſit, iterumq; poſt annos aliquot in regnum redijt.

Antiochus.19

ANTIOCHVS qui & Griphus, filius Demertij, regnauit Syriæ: ſed frater eius Antiochus Cizicenus, filius Antiochi fratris Demetrij ex eadē muliere Cleopatra, eiecto fratre, regnauit ipſe: rurſusq; frater hoc depulſo regnum recepit. Sicq; contendebant inter ſe per annos xxx. & ex hoc regnum illud per ſe non habuit, ſed in Romanorum ditionem ceſſit.

tolemæus.9

PTOLEMAEVS qui & Alexander, pulſo de regno Ptolemæo Phiſcone per matrem Cleopatram, regnauit Alexādriæ ānis ix. à reſtauratione templi anno ccccxxiiij.

Iohannes. 31

IOHANNES qui & Hyrcanus, filius Simonis, tenuit principatum Iudæorum annis xxxi.

Ariſtobolus.1.an.

ARISTOBOLVS filius Iohannis Hyrcani, principatum Iudæorum poſt patrem ſuſcepit, primusq; impoſita ſibi corona, uno anno regnauit.

Alexander.27.

ALEXANDER qui & Ianneus, frater Ariſtoboli, poſt mortē fratris pontificatum Iudæorum pariter cū regno ſuſcepit, et per xxvij. annos in ciues ſuos crudeliſſ. regnauit. Non enim minus quinquaginta millia de propria gente debellando per ſex annos interfecit: proprios quoq; fratres alterū occidit, alterū rebus omnibus nudatum, cōtemptibili uita ſecum habuit. Qui xxvij. anno moriēs, coniugi ſuę Alexandræ, quę & Salina uocabatur, regni gubernacula cū duobus filijs paruulis reliquit. Cuius actus qui latius ſcire uoluerit, tertiumdecimū Ioſephi librū Antiquitatis hiſtoriæ legere curet.

Alexādri Iannei ſæuitia in ſuos.

HISTORIA ROMANORVM.

ANno ſexcenteſimo quinquageſimo nono, qui eſt quartus Ptolemæi Alexandri, cum prope omnia bella extranea ceſſaſſent, ſuperato in Numidia per Metellum primum, deinde per Marium & Syllam Iugurtha, poſt hæc Cymbris & Teutonibus per Marium & Quintum Carolum, grauiſſimum in Italia bellum, Picentes & Marſi, Pelignią; mouerunt, qui annis numeroſis iam Romanis ſubiacuerunt. Contra quos à Romanis bene pugnatũ eſt à Gaio Mario, qui iam ſexies conſul fuerat, & à Gneo Pompeio, maxime tamen à Lucio Cornelio Sylla, qui inter alia egregia, Cluentium ducem hoſtium ita cum magnis copijs fudit, ut ex ſuis nõ unum amitteret. hoc bellum quadriennio cum graui calamitate tractum, quinto demum anno finem accepit per Lucium Cornelium Syllam, tum conſulem, cum antea in eodem bello multa ſtrennue prætor egiſſet.

Alij Iuuentiũ

Ipſo in tempore dira prodigia uiſa ſunt: Nam ſub ortu ſolis, globus ignis à ſeptentrione cum maximo cœli fragore emicuit. Apud Aretinos in conuiuio è panibus cruor, quaſi è uulneribus corporum fluxit. Per ſeptem continuos dies grando lapidum, immixtis etiam teſtarum fragmentis, terram latiſſime uerberauit. In Samniæ partibus è uaſtiſſimo terræ hiatu flamma prorupit, & uſq; ad cœlum extendi uiſa eſt. Tunc etiam omnium generum animalia, quæ inter homines uiuere ſolent, relictis ſtabulis paſcuisq;, cum balatu, hinnitu, gemituq; miſerabili ad ſyluas monteſq; fugerunt. Canes quorũ natura eſt, extra homines eſſe non poſſe, lachrymoſis ululatibus uagi, luporũ ritu, oberrauerunt. Nec mora, poſt hæc tam grauia prodigia, ciuilia bella ſecuta ſunt.

Prodigia. Cruorė panibus.

Anno quippe urbis conditę Dclxij. ſociali bello, multis repugnantibus, perto tam Italiam ſuſcitato, inteſtinum bellum adiunctum eſt, multiplicesq; calamitates perturbauerunt populum Romanum, q̃uis iam Romani multarum domini uocarentur gentium. Cauſam uero ciuilis belli Marius, iam ſexies conſul, dedit. Nam cum Sylla conſul geſturus bellum contra Mitridatẽ, qui Aſiam & Achaiam inuaſerat, mitteretur, ſed exercitum adhuc pauliſper in Campania teneret, ut belli ſocialis, quod (ut ſupra diximus) in Italia geſtum eſt, reliquię tollerentur, Marius affectauit, ut ſeptimo conſulatu ſibi commiſſo, ipſe ad bellum Mitridaticum mitteretur. Qua re Sylla cõmotus, cum exercitu ad urbem uenit, & ante urbem legatum Marij quaſi primam uictimam belli ciuilis occidit, mox urbem irrupit, & contra Marium ac Sulpitium dimicans, Sulpitium occidit, Marium fugauit, atq; ita ordinatis in futurum annum conſulibus Gneo Octauio, & Cornelio Cinna, ad Aſiam profectus eſt. Marius uero cũ permouere nobilitatẽ, inflammare plebẽ, perarmare ordinem equeſtrem aduerſus Syllam fruſtra tentaſſet, tandem in capitolium ceſſit: ſed à partibus Syllanis grauiter contritus, ab eo diffugit, & perſequentium inſtantia circumſeptus, in Minturnenſiũ paludibus ſeſe abdidit, è quibus infœliciter luto oblitus, ignominioſeq; protractus, turpi quoq; ſpectaculo Minturnas deductus, contruſusq; in carcerẽ, percuſſoremq; miſſum ſolo uiſu conterruit. Deinde lapſus è uinculis, in Africam transfugit, ſolicitatoq; ex Vtica filio ſuo Mario, ubi is cuſtodia obſeruabatur, continuo Romam ingreſſus eſt. Cinnęq; conſuli ſocietate ſcelerũ coniunctus eſt. Sicq; collecto exercitu Romã ingreſſi, nobiliſſimos è ſenatu & conſulares uiros interfecerũt, multos proſcripſerunt. Ipſius Syllæ domo euerſa, uxorẽ eius & filios ad fugam cõpulerunt, uniuerſus reliquus ſenatus ex urbe fugiens, ad Syllam in Græciam uenit, orans, ut patrię ſubueniret. Qui ſtatim in Italiam traiecit. Marius autem cum ſeptimum conſulatum inuaſiſſet, Cinna iam tertio conſule, in exordio cõſulatus ſeptimi, fera tandem morte præreptus eſt. Cinna uero ab exercitu ſuo interfectus eſt. Reuertens autem Sylla, cum iam Romæ conſules mutati eſſent, & Marius, Marij filius, ac Papyrius Carbo conſulatum accepiſſent, contra Marium iuniorem dimicans, quindecim millia occidit, de ſuis cccc. amiſit. Mox etiam urbem ingreſſus, tria millia hominum contra datam fidem inermes peremit. Cumq; magna crudelitate contra ſontes inſonteſq; ſæuiret, Quintus Catulus palam Syllæ dixit: Cum quibus tandem uicturi

Cauſa ciuilis belli, Marius.

Minturnæ, Colonia Romanorum. lib. 7. Liuius.

Syllæ ſæuitia contra datam fidem inermes perimere.

uicturi ſumus, ſi in bello armatos, in pace inermes occidimus? Sylla itaq; Mariũ, Marij filium, Præneſte perſecutus obſedit, & ad mortem compulit, poſt hæc de Mitridate ingenti gloria triumphauit.

Gneus autem Pompeius, quod nulli Romanorum tributum erat, uiceſimum quartum annum ætatis agens, de Africa triumphauit. Sylla itaq; poſt multa flagitia dictator creatus eſt, ut dominationis & crudelitatis libido honeſti nominis reuerentia uelaretur. Nouiſſime tamẽ poteſtate priuatus moritur. Tandemq; concluſa ſunt duo bella funeſtiſsima: ſociale Italicũ, & ciuile Syllanũ, quæ per annos decem protracta, plus ꝙ cẽtum quinquaginta millia Romanorũ cõſumpſerunt. *Pompeius 24 annorũ triumphat.*

His temporibus Terentius Varro triceſimum quintum annum ætatis agens, literas ſummo ſtudio didicit. *Terentius Varro.*

Cicero defenſo contra Chryſogonum Roſcio, Athenas ſecedit: deinde poſt triennium Romam regreſſus, xxvi. ætatis ſuę anno etiam Quintium defendit. Quo in tempore Plotius Gallus Romæ latinam Rhetoricam primus docuit, cuius etiam Cicero meminit. Lucius Pomponius Bononienſis Attellanarum ſcriptor tunc claruit. Lucretius etiam poeta naſcitur, qui amatorio poculo hauſto, in amẽtiã uerſus, aliquos libros per interualla ueſaniæ ſcripſit, quos Cicero poſtea emendauit. Criſpus quoq; Saluſtius Hiſtoriographus naſcitur. *Plotius Gallus Rhetor. Lucretius. Saluſtius*

Ptolemęus Phiſcon, qui eiectus fuerat à matre, regreſſus de fuga, regnum recepit, quoniam Alexandrum qui eo pulſo regnauit ob interfectionem matris eius, ciues expulerunt. Regnauit autem hic poſtea annis octo, à reſtauratione templi anno quadringenteſimo triceſimo tercio. *Ptolemæus 8*

Ptolemæus Dionyſius frater Cleopatræ, regnauit Alexandriæ annis xxx. à reſtauratiõe templi anno ccccxli. Virgilius Maro in pago qui Andes dicitur, haud procul à Mantua naſcitur. Portius Cato Stoicus philoſophus cognoſcitur. *Ptolemæus 30 Vergilius in pago Andes*

His temporibus Apollodorus Pergamenus Græcus orator, præceptor Callidij & Auguſti clarus habetur.

Horatius Flaccus Libertino patre Venuſij naſcitur, Satyricus poſtea & Lyricus poeta. Virgilius Cremonæ ſtudijs eruditur. Dehinc ſumpta toga, Mediolanum tranſgreditur, & poſt breue tempus Romam pergit. *Horatius.*

HISTORIA IVDAEORVM

Mortuo Alexandro Iudęorum principe, uxor eius Alexandra, quę & Salina dicta eſt, regnũ Iudęorũ per annos nouẽ obtinuit. Quę cum duos filios ab Alexandro generatos haberet, Hyrcanum natu maiorẽ propter ætatẽ declarauit Pontificẽ, & propter modeſtiam regẽ poſt ſe cõſtituit: minorem aũt Ariſtobolum priuatũ uiuere uoluit, quia feruentioris erat ingenij. Alexandra uero dũ regnum nouẽ annis adminiſtraret, morbo laborauit. Tunc minor filius eius Ariſtobolus cũ ſeruis ſuis, quos multos habebat, omnesq; pro ętatis feruore fidiſſimos, uniuerſa caſtella obtinuit, & conductis auxilijs pecunia quam ibi repperit, regẽ ſe declarauit. Ob hæc miſerata querelas Hyrcani mater, coniugem Ariſtoboli cum filijs includit in caſtello quodam: ante tamen moritur, ꝙ iniurias Hyrcani ad plenum ulciſceretur. *Alexandra Salina. Ariſtobolus.*

HISTORIA IVDAEORVM.

HYRCANVS Alexandri Iannei, & Alexandræ Salinę filius, poſt obitũ matris ſuſcepit regnũ Iudęorum, à matre ſibi cõmiſſum: ſed frater eius Ariſtobolus zelo ductus, impugnauit & expulit illũ. Qua diſſenſione actũ eſt, ut Romani ductores Iudęã intrarent: ſicq; annuente Pompeio Hyrcanus principatũ recepit. Quẽ cum per xxx. annos adminiſtraret, conſilio Antigoni filij fratris ſui à Parthis captus eſt, & ita regnũ & ſacerdotiũ Iudęorum defecit. Nam idẽ Antigonus à Parthis principatũ accipiens, à Romanis interfectus eſt, & principatus ad alienigenas tranſlatus eſt. *Regnũ & ſacerdotium Iudæorũ in Hyrcano defecit.*

HISTORIA ROMANORVM

Bellum Mitridaticũ & Macedonicum.

ANno ab urbe condita ſexcenteſimo lxxx. qui eſt nonus Ptolemæi Dionyſij, duo tantum grauia bella in imperio erant Romano: Mitridaticum, & Macedonicum: Hæc duo Luculli agebant. Lucius Lucullus Mitridaticum, & conſobrinus eius Marcus Lucullus Macedonicum. At Lucius Lucullus tranſgreſſus Euphraten & Tygrin, cum Mitridate congreſſus eſt, & cum parua ſuorum manu xxx. millia hoſtium occidit: Mitridates uix centum quinquaginta comitantibus aufugit, diademate & tiara, ne agnoſceretur, abiectis, caſtra eius direpta ſunt, Armenia quoq; minor quam tenuit, ei ablata eſt. Qui fugiẽs, ſuſceptus eſt à Tigrane rege Armeniæ, qui tũ cũ ingenti gloriæ imperabat. Lucullus uero repetens hoſtem fugatum, etiam Tigranis ingreſſus eſt regnũ, ipſumq́; rebellantẽ ita deuicit, ut magnã partẽ Armenię deleuerit. Alter aũt Lucullus qui Macedoniã adminiſtrabat, Beſſis primus Romanorũ intulit bellũ hiſq; cũ pluribus alijs gentibus ſuperatis, Macedoniã totã deuicit, & uictor redijt.

Beßi. Vide Liuium.

Eodem tempore Cretam inſulam Metellus per biennium debellans, in poteſtatem Romanorum redegit, legesq; Minoas Romanis legibus permutauit, unde & Creticus dictus eſt à Creta.

Libya per teſtamentum accedit Ro. Imp.

Quo tempore Libya quoq; per teſtamentũ Appionis, qui tunc rex eius fuit, Romano imperio accedebat, in qua inclytæ urbes erant, Beronice, Ptolomais, Cyrene. Cum hæc aguntur, Piratæ per omnia ſparſi maria, nõ ſolũ nauium cõmeatus intercipiebant, ſed etiam inſulas prouinciasq; uaſtabant. Quos Gneus Pompeius commiſſo ſibi bello, intra paucos menſes ingenti fœlicitate, miraq; celeritate cõpreſſit. Poſtea ſucceſſor Luculli factus, Mitridatem impugnatione frequenti uehementer afflixit. Eo tempore Caſtor Mitridatis prefectus, qui Panagorio prĕerat, interfectis amicis regis, arcem cepit, & quatuor filios Mitridatis ad præſidia Romana tranſmiſit. Mitridates accenſus ira, exarſit in ſcelera: nam plures amicos ſuos interficiens, Exipodrum filium ſuum interfecit, cum iam ante alium filium Homocharem trucidaſſet. Pharnaces autem filius eius exemplo fratrũ territus, exercitum ad ſe perſequendum à patre miſſum, ſibi conciliauit, ſtatimq́; aduerſus patrem duxit iuſto iudicio, quia & ille aduerſus patrem ſuum de regno concertauit. Interea Mitridates diu ex altiſſimo muro filium fruſtra deprecatus, ubi eum inexorabilem uidit, moriturus, exclamaſſe fertur: Quoniam Pharnaces, inquit, mori iubet, uos, ſi eſtis dij patrij, precor, ut quandoq; & ipſe hanc uocem à liberis ſuis audiat. Statimq́; deſcendens ad uxores et pellices ac filias ſuas, uenenũ omnibus dedit. Quod cum ipſe omnium nouiſſimus hauſiſſet, nec tamen propter remedia, quibus uitalia ſua aduerſus noxios ſuccos ſæpe obſtruxerat, ueneno confici poſſet, fruſtraq; ſpaciaretur, ſi quo tandem modo infuſa peſtis per uenas uegetatione corporis acta diſcurreret, Gallum quendam militẽ iam fracto muro diſcurrentem inuitauit, eiq; iugulum præbuit. Hunc exitum uitæ Mitridates habuit, homo, ut fertur, omnium ſuperſtitioſiſſimus, qui uiginti duarum gentium linguis, quas ſub regno ſuo habuit, ita locutus eſt, ut nunquam legationes ſub interpretibus audiret. Perijt autem apud Boſphorum, ingentis conſilij & induſtriæ. Regnauit annis xl. uixit lxxij. ſemper habens ſecum Philoſophos, omniumq́; artium peritiſſimos. Cõtra Romanos habuit bellum annis xl. ſiue ut alij dicũt, xxx.

Mare Tyrrhenum, Libycũ, Sardoum, Cyrenæum, Siculumq; luſtrat 40. diebus. Plutarch.

Mitridates ſuos filios necat.

Mitridates moritur, 22. linguarũ ſcius

Pompeius contra Tigranem Armeniorum regem.

Pompeius uero Mitridatis occiſi nuncio accepto, Tigrani bellum intulit: ſed ille ei ſe dedidit, ac diadema ſuum, cũ procubuiſſet ad genua Pompei, in manu eius collocauit, quod ei Pompeius repoſuit, honorificeq; eum habuit: regni tamẽ ſublata parte, grandi eum pecunia multauit, quia bellũ ſine cauſa Romanis intulit. Inter hæc autẽ Scaurum legatum in Syriam miſit, eiq; omnia negocia ibi agenda commiſit. Qui cũ ad Damaſcum ueniret, audiens quæ inter Hyrcanum & Ariſtobolum fratres gerebantur, illuc tetendit. Ad quem cum utriuſq; fratris legati uenirent, acceptisq; ab Ariſtobolo trecentis talentis, parti eius fauit, iuſticia pecuniæ poſthabita. Interea Pompeius Armenia ſuperata, & omnibus partibus illis, cunctisq; pro uoto ordinatis, in Syriam diuertit, deine Damaſcum uenit. Antipater aũt quidã genere Idumęus, diuitijs & aliarum rerũ copia gentis ſuę princeps, iam

Pompeius in Syriam.

dudum

princeps,iam dudum inuiſus Ariſtobolo, hortabatur Hyrcanum,ut ſe conferret ad Pompeium. Ad quem ueniens,magnis ei datis muneribus,ſibi eum cōciliauit Qui tendens Hieroſolymam,cũ ſibi à partibus Ariſtoboli reſiſteretur,oppugnati onẽ intendit,uixq; tertio menſe illũ expugnans,xiij.millia Iudęorũ occidit,cęterã multitudo in fidẽ uenit,muros ciuitatis euerti,ſoloq; ęquari præcepit:cuius circui tus iiij.milia paſſuũ fuiſſe dicitur. Pompeius cũ ſuis comitibus templũ ingreſſus, pro quo tamen Iudęi maxime doluerunt,omnia quę intrinſecus erant,perſpexit, uaſa ſacra,& candelabra,& congeſtam molem pigmentorũ et pecunię ſacrę,pro pe ad duo milia talentorũ:nec tamen ut hæc,uel aliud quicq; de ſacris attigerat, ſed poſtera die poſt excidium iuſſit ęditũos templum curare,ne quid ſordium ha beret,& ut ſolennia ſacra celebrarent. Ipſe aũt eos,qui maxime belli cauſa fuerãt, ſecuri percuſſit:eos uero qui ſecum fortiter egerant,præclaris præmijs donauit,& Hyrcanum pontificem declarans,cęteris Iudæis tributũ indixit. Poſt hæc Scauro cõmittens omnia negocia à flumine Eufrate uſq; ad fines Aegypti,Romã ipſe cõ tendit,ducens ſecum Ariſtobolum captiuum cũ duabus filiabus,totidemq; filijs, quorũ unus Alexander ex itinere fugit,minor aũt Antigonus,cũ ſororibus & pa= tre Romã perductus eſt. Alexander itaq; cõgregata manu ad decem millia pedi tum,& mille quingentos equites, Hyrcano grauius imminebat, Iudæamq; po= pulabatur. Interea Gabinius in Syriam miſſus ſucceſſor Scauro,aduerſus Alexan drum cum ualida manu dimicauit,quo prælio Alexander ſex millibus amiſſis,in Alexandrium caſtellum confugit. Vbi obſidione cinctus,ueniam rogare coactus eſt,& caſtellum tradere. Gabinius uero caſtellis omnibus dirutis,conſilio matris Alexandri, Hyrcanum Hieroſolymam perducit,eiq; templi curam permiſit,cæte ris reipublicæ partibus optimates pręfecit,omnemq; Iudæorum gentẽ in quinq; conuentus diuiſit:unum Hieroſolymis,alium Gadaris,tertium apud Amathun= ta,quartum Iericho,quintum Feſſoris Galilęę ciuitate diſpoſuit. Singulari autem unius dominatione Iudæi liberati,libenter ab optimatibus regebantur.

Pompeius Hierosolymis in templum it.

Põpeius Ariſtobolum Romam ducit captiuum.

Iudæorũ gens à Gabinio in quinq; cõuentus diuiſa.

Anno ab urbe condita ſexcenteſimo lxxxix. qui eſt Ptolemæi Dioniſij xvij Marco Tullio Cicerone oratore,& Gaio Antonio conſulibus,ea quę de Catilina & ſocijs eius Saluſtius Criſpus ſcribit,acta ſunt.

Saluſtij ſcriptũ de Catilina & ſocijs.

Anno ſequenti, qui eſt urbis conditę Dc. nonageſimus, Decio Iunio Syllano, & Lucio Murena conſulibus, Metellus triumphauit de Creta, Pompeius de bel= lo Piratico & Mitridatico. Nunq; ulla pompa triumphi ſimilis fuit. Ducti ſunt ante currũ Põpeij, filij Mitridatis,& filius Tigranis,& Ariſtobolus ex Iudæa,præ lata eſt ingẽs pecunia auri atq; argenti infinita. Hoc tẽpore nullũ graue bellũ erat.

Anno ab urbe cõdita Dcxciiij. Gaius Iulius Cæſar,qui poſtea imperauit,cũ Lu= cio Bibulo,cõſul factus eſt. Data eſt ei Gallia Tranſalpina,& Ciſalpina,& Illyricũ cũ legiõibus denis in quinquenniũ datis,Galliã Comatã poſtea Senatus adiecit. Cęſar itaq; in Galliã profectus, multa prelia cũ Gallis Germaniſq; cõmiſit, ſæpeq; uictus, ſępiuſq; uincens, Galliã totã,& Sueuos,gentẽ ferociſſimã,quorũ centũ pa= gos eſſe multi prodiderunt,omnemq; Germaniã Romano ſubdidit imperio. Do muit aũt ix.annis omnẽ ferè Galliam,quę inter Alpes & flumen Rhodanũ Rhe= numq; & oceanum eſt,& circuitu patet ab his tricies centena millia paſſuũ. Inde ad marinas uenit,unde in Britanniam proximus & breuiſſimus tranſitus eſt, Bri tannisq; bellum intulit,quibus ante ne nomen quidem Romanum cognitũ fuit. Ibi acerba primum pugna fatigatus, non ſine magno ſuorum diſcrimine tandẽ eos uicit,anno ante Dominicam incarnationẽ,ut Beda ſcribit,quinquageſimo. Hanc hiſtoriam Suetonius Tranquillus explicuit pleniſsime.

G.I.Cæſar.

Vide commentaria Cæſaris

Beda in Hiſt. Anglic.

Suetonius.

Anno ab urbe condita, Dcxcvij. qui eſt Ptolemæi Dioniſij xxv. Marcus Licini= us Craſſus collega Gnei Pompeij Magni,in conſulatu ſecundo,prouinciam ſorti tus in Parthos, homo inexplebilis cupiditatis, audita templi Hieroſolymitani opulentia,quam Pompeius intactam reliquerat,in Paleſtinam diuertit,Hieroſo lymam adit,templum peruadit,opes diripit. Inde per Meſopotamiam tendens in Parthiam. Quacũq; iter habuit,ſocijs ciuitatibus auxilia indixit, precia exegit. Moxq; ut Eufraten tranſijt, Abegeſem legatum ab Hyrode rege Parthorum ad ſe

Sacrilegiũ M Licinij Craſſi

Ioſephus Hyrodem uocat.

miſſum obuiam habuit, à quo uehementer increpatus eſt, cur cõtra fœdus Lucul
li & Pompeij auaritia inductus, Eufraten tranſierit, quamobrẽ futurũ ſine mora,
ut pro auro Parthico, ferro oneraretur Serico. Itaq; cũ prope Charras uentũ eſſet,
Parthi ſubito irruentes cum Surena & Sylacea pręfectis, oppreſſere Romanos ſa-
gittis. Ceciderunt ibi plurimi ſenatores, aliquot etiam conſulares & prætorij uiri:
Craſſus quoq; filius Craſſi electiſſimus iuuenis in acie occiſus eſt: præterea qua-
tuor cohortes cũ Vargunteio legato medijs depræhenſæ campis, interfectæ ſunt.
Surenas rapto equitatu, Craſſum perſequi intendit, eumq; circumuentum, ac fru-
ſtra colloquium eius petentẽ, interfecit, quẽ uiuum auferre maluiſſet. pauci bene

Auaritia Craſsi fere 12. legiones Romanorum perdidit.

ficio noctis liberati, Charras cõfugerunt. Auaritia enim unius ad tantũ nefas exo-
leuit, ut xij legiones Romanorũ aut captę, paucis elapſis, aut cæſę cũ ducibus fuiſ-
ſent. Caput uero Craſſi cũ dextra ad regẽ delatũ, ſpectantibus fuit ludibrium. Rex
itaq; aurũ in oris eius rictũ iuſſit infundere, dicens: Vrat te parthicũ, quod te uiuũ
urebat aurũ. Eo ſucceſſu Parthi elatiores effecti, tranſire in Syriã cenſuerunt. Quos
ſtrenue inſidijs excepit Caſſius, & cõmiſſæ ſibi prouinciæ repulit finibus: deinde
in Iudæam irruit, & Iaracheis deletis, xxx. millia Iudęorum in ſeruitutẽ uendidit.

Antipater. Cypris.

Antipater aũt, de quo ſupra dixi, ꝙ Hyrcano faueret, accepit uxorem, cui nomẽ
Cypris, ſplendidiſſimo inter Arabiæ fœminas loco natam, ex qua ſuſcepit filios
quatuor: Phaſelum, Herodem, Ioſephũ, Pherorã, & filiam nomine Salome. Qui
cum Gabinij fauorem muneribus atq; obſequijs promeruiſſet, etiam Caſſij fami

Ioſephus lib. Antiquit. 14

liaritatem adeptus eſt. Cauſa quippe tantorum filiorũ uir egregius eſt factus, ad
promerendam muneribus ſocietatem potentium. Sic Ioſephus de eo teſtatur. A-
fricanus uero hiſtoriographus pręcipuus, aiunt (inquit) qui de eo diligẽter explo
rarunt, Antipatrum quendam patrem fuiſſe Herodis Aſcalonitæ, qui & ipſe fue-
rit Herodis cuiuſdã filius, templi Apollinis æditui. Hic Antipater ab Idumæis la-
tronibus captus admodum puer, permanſit cũ prædonibus, pro eo, quod pater e
ius rei familiaris inopia, filium redimere non poſſet. Verum puer latronũ uita &
moribus inſtitutus, Hyrcano cuidam Iudæorum pontifici familiaris efficitur. Ex

Africanus hiſtoricus.

quo natus eſt Herodes, hic qui Saluatoris temporibus fuit. Hæc Africanus.

Incendiũ ignis unde. 14. uici conſumpti.

Anno ab urbe condita Dcc. qui eſt Ptolemæi Dioniſij xxviij. incertũ unde, con
cretus plurimã urbis partẽ ignis inuaſit, nec unq; antea tanto incendio correptam
ac uaſtatam ciuitatem ferunt. Nam xiiij. uicos eius conſumptos dicunt. Hinc iam
bellum ciuile ſucceſſit execrandum ac lamentabile, quod magnis iam dudum
diſſentionibus ac molitionibus parabatur, quo præter calamitates quæ in bellis

Bellũ ciuile.

acciderunt, etiam fortuna populi Romani mutata eſt. Nã rediens Cæſar uictor ex
Gallia, decerni ſibi abſenti iterũ conſulatũ popoſcit: ſed cõtradictũ eſt ei à Marcel
lo conſule, annitente Pompeio & Catone, iuſſuſq; eſt Cæſar dimiſſis exercitibus
Romã uenire, & ex Marcelli conſulis autoritate ad legiones quę apud Nuceriam
erãt, Gneus Pompeius cũ imperio miſſus eſt. Propter quam iniuriam Cæſar ſe cõ
tulit Rauennam. Marcus Antonius, & Publius Caſſius, tribuni plebis, pro Cęſare
intercedentes, à Lentulo cõſule curia foroq; prohibiti, ad Cęſarẽ profecti ſunt, Cu
rione ſimul Cęlioq; comitantibus. Cæſar cũ militibus quos habebat, cõtra patriã
uenit, & Rubicone flumine transmeato, mox ut Ariminũ uenit, quinq; cohortes
quas tũc ſolas habebat, cũ quibus (ut Liuius ait) orbẽ terrarũ adortus eſt, quid fa-
cto opus eſſet, edocuit, deplorans iniurias ſuas, cauſam belli ciuilis pro reſtituen-
dis in patriã tribunis eſſe teſtatus eſt. Inde per Antoniũ ſeptẽ cohortes quæ apud

Corbionem legis in Liui. li. 8. ab urbe cõdita.

Salonẽ morabantur, à Lucretio accepit, tres legiones quę cũ Domitio apud Corfi
nium morabãtur, ad ſuas partes tranſmiſit. Conſules uero cũ Gneo Pompeio, Se
natuſq; omnis, atq; uniuerſa nobilitas ex urbe fugientes, & in Gręciam tranſeũtes
apud Dyrrachiũ bellũ cõtra Cæſarẽ parabãt, quo multi oriẽtis reges cũ auxilijs cõ
ueniebãt. Cęſar uacuã urbẽ ingreſſus, dictatorẽ ſe fecit, negatamq; ſibi ex ęrario pe
cuniã, fractis foribus inuaſit, protulit ex eo auri pondo iiij. millia. cxxxv. argenti
põdo prope xc. millia. Inde uenit Maſſiliã, ad quã oppugnandã, Treboniũ cũ tri

Vide commentaria Cęſaris

bus legiõibus relinquens, ad Hiſpanias cõtendit, quas Lucius Afranius, & Marcus
Petreius, et Marcus Varro, Põpeiani duces obtinebant, ibiq; multis pręlijs Petreiũ
& Afrani-

& Afranium ſuperatos,compoſita pactiõe dimiſit:in ulteriore uero Hiſpania du
as legiones à Marco Varrone ſuſcepit:Similiter & duces eius.Curio Catonem Si
cilia expulit,Valerius Cottam Sardinia, Varrus Tuberonem Africa eiecit. Cæſar
compoſitis rebus ſuis,Dyrrachium uenit,et Pompeium fruſtra obſidione cinxit,
cum illi maria paterent.Pompeius caſtellum quoddam mari propinquum,ubi
præſidia Cæſaris erant,euertit,& milites occidit. Cæſar autem omiſſa obſidione
ad Pompeium conuertit:Torquatus uero prorumpens auerſum è ueſtigio inſecu
tus eſt.Ita Cæſaris milites ancipiti periculo territi,ipſo Cęſare fruſtra obſiſtente fu
gerunt, euaſit tamen Cæſar, quia nocte interueniente, Pompeius ſequi noluit.
Dixit autem Cæſar,nec Pompeium ſcire uincere,& illa tantum die ſe uinci potu
iſſe.Cęſa ſunt in eo prȩlio xxiiij.millia militum Cęſaris:Centuriones xxxij:equites
Romani complures. Cæſus eſt ibi Sceua Cæſaris miles fortiſſimus, cuius ſcu-
tũ centum uiginti ictibus petitũ fuiſſe dicitur.Inde citato agmine,Cęſar per Epirũ
in Theſſaliam perrexit.Pompeius uero cum maximis copijs ſecutus eſt,bellumq;
commiſſum eſt.Videre ibi & gemere erat,contractas Romanorum uires in cam
pis pharſalicis ad occaſionem mutuam conſtitiſſe,quas ſi cõcordia rexiſſet, nulli
populi, nulli reges finire potuiſſent. Fuerunt enim ex parte Pompeij octoginta
octo cohortes,peditum plus quàm xl.millia,equites in ſiniſtro cornu Dc. in dex
tro D.reges & ſenatores,& Romani equites plurimi, ex parte autem Cæſaris mi
nus quàm xl.millia peditum,equites mille.Cumq; diu utrinq; ſub dubia ſorte cæ
derentur,atq; ex alia parte Pompeius diceret,parce ciuibus,nec tamen faceret, ex
alia uero Cæſar hoc faceret, ꝙ urgeret dicens, miles faciem feri,tandem uniuer-
ſus Pompeij fugit exercitus,caſtraq́; direpta ſunt.Cęſa ſunt in eo prȩlio Pompeia-
norum xv.millia,centuriones xxxiij.Pompeius fugiẽs in oſtio Penei amnis one-
rariam nauim nactus, in Aſiam tranſijt,inde per Cyprum Alexandriam petijt, ut
à rege Aegypti, cui tutor ipſe à ſenatu datus fuerat propter iuuenilem eius ętatem,
acciperet auxilia. Qui fortunam magis quàm amicitiam ſecutus,occidit Pompei
um,caputq́; eius & annulũ Cæſari miſit.Quibus cõſpectis Cęſar etiam lachrymas
fudiſſe dicitur,tanti uiri intuens caput generi ſui quondam,& inundatum odori
bus imperauit cremari.Pompeij uxor,filijq; fugerunt,cætera Pompeiana claſſis
direpta eſt,omnibus qui in ea erant,crudeliſſime trucidatis.Ibi & Pompeius Bi-
thynicus occiſus eſt. Lentulus uero uir conſularis apud Peluſium interfectus eſt.
Cęſar compoſitis apud Theſſaliam rebus,Alexandriam uenit, ubi Achillas dux
regius ſemel imbutus Pompeij ſanguine,Cęſaris quoq; necem meditabatur. Nã
iuſſus exercitum cui præerat,dimittere,prope xx.millia armatorum, non modo
ſpreuit,uerum etiam aciem direxit.In ipſo prȩlio regia claſſis ad terrã ſubducta,
iubetur incendi.Ea flamma cum partem quoq; urbis inuaſiſſet cccc.millia librorũ
proximis forte ædibus condita exuſſit, ſingulare profecto monimentum ſtudij
curæq; maiorum, qui tot tantaq́; illuſtrium ingeniorum opera congeſſerant.Po
ſtea Cęſar inſulam ubi Pharus eſt,cœpit,eò Achillas cum Gabianis militibus ue-
nit,ingens pugna commiſſa eſt,magna ibi Cęſarianorum militum multitudo ce
cidit,omnes etiam interfectores Pompeij interfecti ſunt.Cæſar quoq; ui inſiſten-
tium hoſtium preſſus,ſcapham aſcendit. Qua mox pondere ſubſequentium gra
uata ac merſa,per ducentos paſſus ad nauim una manu eleuata,qua chartas tene
bat,natando peruenit.Mox nauali certamine pulſatus,magna fœlicitate claſſem
regiam,aut depreſſit,aut cœpit.Alexandrinis petentibus regem reddidit, moni
tum,aut magis amicitiam Romanam,quàm arma experiri ſtuderet. Qui tamen
ilico,ut liber fuit,bellum intulit,ſed continuo cum toto exercitu ſuo & ipſe dele
tus eſt.Nam & xx.millia hominum in eo bello referũtur cæſa,xij millia cum lxx.
longis nauibus dedita.Quingenti ex uictoribus cecidiſſe dicuntur.Rex ipſe ado-
leſcens ſcapha exceptus,ut fugeret,multis inſilientibus merſus,necatuſq́; eſt: cor-
pus eius ad littus deuolutum,indicio loricæ aureæ cognitum fuit. Qua Cæſar Ale
xandriam prȩmiſſa,omnes Alexandrinos ad deditionem deſperatione compu-
lit,regnumq́; Aegypti Cleopatræ Ptolemæi ſorori dedit,cum qua ſtupri conſue-
tudinem habuit,quæ poſtea regio comitatu urbem ingreſſa eſt.

Vide Plutar: in Pomp. & Cæſaris uita.

Faciem feri. uide Sueton.

Põpeius à rege Aegypti. occiſus.

Cæſar lachrymas fundit,cõſpecto capite Pompeij.

Nota.

CCCC.millia librorũ exuſta Alexãdriæ

Bellum Alexandrinum.

Quingẽti alij V.naues.

HISTORIA.

Iordanis. Tertulianus

CLeopatra itaq; ſoror Ptolemæi,regnauit Alexandriæ annis uiginti duobus,ut Iordanis Epiſcopus dicit.Sed Tertullianus ſcribit,ꝙ regnarit annis tantũ xx.dicens eã conregnaſſe Auguſto,annis xiij, ipſumq́; poſtea regnaſſe annis alijs xliij.qui ſunt lvi.anni Auguſti.Regni autẽ Cleoparræ,licet tot anni fuiſſe dicantur,in ordine tamen regum non plus quàm duo computantur, quia tertio eius anno Gaius Iulius Cæſar Romanum arripuit imperium. Hanc ſiquidem Cleopatram poſtea Romanus ductor Antonius ſuſcipiens, ſuoq́; lateri, ſpreta ſorore Octauiani,conſocians,cõtra ciues proprios dimicauit. Quem Octauianus Auguſtus certamine ſuperans in actiaco littore,utroſq; iugales coegit,ut ſe ipſos perimerent:ſicq́; regnum eorum in Romanorum Imperium deuenit,ubi & uſq; hactenus,& uſq; in finem mundi,ſecundum prophetiam Danielis,regni debetur acceſſio.

HISTORIA ROMANORVM.

Iulius Cæſar.



CAIVS IVLIVS Cęſar,à quo Romani Principes Cæſares appellãtur,primus apud Romanos ſingulare arripuit imperiũ,regnauitq́; annis quinq;, ab urbe cõdita Dccv.Hic itaq; reuerſus ab Alexandria per Syriam,Pharnacem Mitridatis Magni filiũ uicit, Romãq; ingreſſus, tertio ſe dictatore & conſulem fecit, cum Marco Aemilio Lepido,qui magiſter militũ, ei cauſa dictaturę ante annũ fuerat.Deinde in Africam profectus eſt,ubi & infinita Romanorũ nobilitas cũ Iuba rege Mauritaniæ ,apud Tapſum ſibi bellum reparauerat,Duces autem Romani erant,Publius Cornelius Scipio, ex antiquiſſimo genere Scipionis Africani, qui etiam ſocer magni Põpeij fuerat,Marcus Petreius Varrus,Marcus Portius Cato, Lucius Cornelius Fauſtus,Syllæ dictatoris filius.Contra hos commiſſo prælio,poſt multas hominũ cædes, uictor extitit Cæſar,caſtra eorum direpta ſunt,ſexaginta Elephãti capti. Cato ſeſe apud Vticam ueneno occidit.Iuba percuſſori iugulum dato precio præbuit .Petreius gladio ſe perfodit.Scipio in naui qua ad Hiſpanias fugiens, uento coactus in Africam redijt,ſemetipſum iugulauit.In eadem naui etiam Torquatus occiſus eſt.Cæſar Pompeij magni nepotes, filiamq́; Pompeiam,ſimulq́; cum his Fauſtum Syllæ filium,& Afranium ac Petreium filium iuſſit occidi. Poſt annum Romam cum quatuor triumphis ingreſſus,quarto dictator & conſul creatus eſt,totiuſq; regni monarchiã ſolus aſſumpſit,ex quo continua Romanis naſcuntur imperia. Diſpoſito itaq; ac recuperato reipublicæ ſtatu,continuo in Hiſpaniam contra Gneum Pompeium,& Sextum Pompeium,filios Pompeij Magni profectus,multa bella ſorte uaria geſſit. Vltimum bellum apud Mundam urbem geſtum eſt,ubi tantis uiribus dimicatũ eſt,tantaq; cędes acta,ut Cæſar quoq; ueteranis etiam ſuis cedere non erubeſcentibus,ſe uoluerit occidere,ne poſt tantam rei militaris gloriam , in poteſtatem adoleſcentũ,natus annos lxvi. ueniret. Deniq; reparatis ſuis,tum ſubito in fugã uerſus eſt exercitus Pompeiorum. Titus Labienus & Actius Varrus in acie cæſi ſunt. Gneus Pompeius cum centum æquitibus fugit. Sextus Pompeius,frater eius contracta celeriter,non parua Luſitanorum manu,cõgreſſus cum Ceſonio,uictus,fugienſq; interfectus eſt. Hoc bellum eo die actum eſt,quo pater eorum Pompeius ab urbe bellum geſturus,antea aufugerat,quatuorq; annis hoc bellum ciuile orbe toto intonuit. Cæſar itaq; bellis ciuilibus toto orbe compoſitis,Romam rediens,agere inſolentius cœpit , contra

Cato ſe ueneno necat.

Cæſar Romã cum quatuor triumphis ingreditur Monarcha.

Bellũ Cæſaris apud Mundã oppidũ Hiſpaniæ.Florus.

Inſolentia Cæſaris.

conſue

conſuetudinem Romanæ libertatis. Cum ergo honores ex ſua uoluntate præſtaret, qui antea ferebantur à populo, nec ſenatui ad ſe uenienti aſſurgeret, aliaq; regia & penè Tyrannica faceret, coniuratum eſt in eum à ducentis & xl. uel amplius ſenatoribus, equitibuſq; Romanis. Præcipui inter coniuratores fuerunt duo Bruti, ex genere illius Bruti, qui primus conſul fuerat Romæ, regesq; expulerat: & Gaius Caſſius, & Seruilius Caſcas. Quadam igitur die, ſenatu in curia congregato, cum Cæſar adueniſſet, uiginti tribus cultris ſenatorijs confoſſus eſt, moxq; autores cædis ſtrictis pugionibus, in capitolium ſeceſſerunt. Turbato populo, diu deliberatum eſt, utrum capitolium cum autoribus cædis oporteret incendi. Corpus eius raptum, populus dolore ſtimulatus, in foro fragmentis tribunalium ac ſubſelliorum cremauit. Eadem uero nocte, quæ cædem eius præceſſit, Calphurnia uxor eius uidit in ſomnis eum confoſſum uulneribus in ſinu ſuo iacere: orauitq; eum, ne mane abiret in ſenatum: ſed ille auſpiciorum uerba ſępe negligens, contepmſit ſomnium, rei autem probauit euentus. Ante paucos quoq; dies boue ex more mactato, cor in extis non eſt repertũ. Quod cum Spurinna aruſpex pronunciaſſet ei ad uitæ periculum pertinere, Cæſar memor conſtantiæ, ait: Miraris ſi bos cor non habet: ſed mox uitę eius finis fuit. Idem Spurinna ante paucos ferè annos eidem Cæſari dixerat, cauendas ei eſſe Idus Martias. Quo die uiſo, ait Spurinnæ Cæſar: Idus Martij uenerunt. Ille reſpondit: Sed nondum tranſierunt. Eodem die confoſſus eſt Cæſar, uir quo nullus unq; magis bellis enituit. Eius ſiquidem ductu, undecies centum nonaginta duo millia hominum cæſa ſunt. Nam quantum bellis ciuilibus fuderit, annotare noluit. Signis collatis quinquagies dimicauit. Marcum Marcellum ſolus ſupergreſſus, qui xxxix. uicibus fuerat præliatus. Ad hoc nullus celerius ſcripſit: nemo uelocius legit, quaternas etiã epiſtolas ſimul dictauit. Tantæ fuit bonitatis, ut quos armis ſubegerat, clementia magis uicerit. Eodem tempore Romę tres ſimul exorti ſoles, paulatim in eundum orbem coierunt. Inter cætera quoq; portenta, quæ toto orbe facta ſunt, bos in ſuburbano Romæ ad arantem locutus eſt, fruſtra ſe urgeri: Non enim frumenta, ſed homines breui defuturos.

Coniuratio in Cæſarem. 260 ſenatorum.

Calphurniæ ſomniũ de morte Cæſaris.

Idus Martij.

Quantum ſanguinis effuſum ſub Cæſare.

Clementia Cæſaris.

Bos loquutus.

HISTORIA ROMANORVM.



OCTAVIANVS Cæſar, qui poſtea Auguſtus eſt appellatus, filius Actiæ, ſororis Iulij Cæſaris, à quo & deinceps Imperatores Romanorũ Auguſti dicti ſunt. Regnauit poſt Iulium annis lvi. duodecim cum Antonio & Lepido: ſolus uero xliiij. Hic Octauio patre ſenatore genitus, maternum genus ab Aenea per Iuliam familiam ſortitus eſt, filius Actiæ, ſororis Iulij Cæſaris, quem ille adoptauit in filium, cum non haberet proprium, & teſtamento hæredem reliquit, nomenq; ſuum ferre iuſſit. Interfecto igit Cæſare auunculo ſuo, cum primum rediens ab Apollonia urbem ingrederetur, hora circiter tertia, repente liquido ac puro ſereno ad ſpeciem cœleſtis arcus, orbem ſolis ambijt circulus: quaſi eum potiſſimum in mundo, ſolumq; clariſſimum in orbe monſtraret, cuius tempore naſciturus eſſet, qui ipſum ſolem ſolus, mundumq; totum feciſſet & regeret.

Circulus uiſus ſolem ambiens quid indicarit

Anno itaq; ab urbe condita, Dccix. interfecto Iulio Cæſare, bella ciuilia reparata ſunt. Percuſſoribus enim Cæſaris fauebat Senatus. Antonius autem conſul, qui erat partium Cæſaris, ciuilibus bellis eos opprimere conabatur. Ergo turbata reſpublica, inter multa ſcelera, quæ Antonius commiſit, Decium Brutum apud Mutinam

Panſa & Hircius conſules. tinam obſidione concluſit. Pro qua re à ſenatu hoſtis iudicatus eſt: miſſiq́; ſunt ad expugnandum eum duo conſules, Panſa & Hircius, & cum his Octauianus adoleſcens, natus annos x. & vij. Ex quibus Panſa primo ueniens, pilo grauiter uulneratur, & interpoſitis diebus moritur. Hircius uero collegæ auxilium ferens, magnas Antonij copias uaſta cæde deleuit: Octauianus Cęſar eatenus caſtra cuſtodiuit. Secunda aduerſus Antonium pugna, magnæ utrinq; ſtrages factæ ſunt. Hircius conſul occiditur. Cæſar uictoria potitur. Conſulum occiſorum uterq; exercitus Octauiano Cæſari ſubditur. Antonius fugatus, amiſſo exercitu confugit ad Lepidum: qui tunc magiſter equitum Cæſaris fuerat, & tum militum copias grandes habebat. A quo ſuſceptus eſt: ipſoq; interueniente, Cæſar recepit eum in gratiam: atq; ob fidem reconciliatę gratiæ, filiam eius in matrimonium ſortitus eſt: & ut uindicaturus patrem Cæſarem, à quo per teſtamentum hæres adoptatus fuerat, Romam cum exercitu tendebat: & cum Antonio ac Lepido rempublicam armis tenebat: & ſenatum proſcripſerat. Cumq; rumor de futura proſcriptione in urbe ortus eſſet, Gaius Thoranus uir prætorius nihil tale ſuſpicans incurſantibus militibus, in domo ſua interfectus eſt: aliję; complures nobiles trucidati ſunt. Sed ne incircumſcripta cędes effrenatius ageretur, centum xxxij. ſenatorum nomina in tabula propoſita ſunt. Primum Lepidi præcepto & nomine: deinde Antonij: tertio Cæſaris. Ibi Antonius Tullium Ciceronem inimicum ſuum proſcripſerat. Lucium quoq; Cęſarem auunculum ſuum, & quod exaggerando ſceleri acceſſit, uiduam matrem proſcripſit. Ibi Lepidus Lucium Paulum fratrem, in eundem proſcriptorum gregem coniecit: adiectiq; ſunt poſtea triginta equites Romani. Multę & uarię clades diu actę ſunt, domus proſcriptorum, direptis oibus, dirutæ ſunt.

Bellum Auguſti contra Antonium.

Bellum Bruti & Caßij. Interea Brutus & Caſſius, interfectores Gaij Cęſaris ingens bellum mouerunt. Erant enim per Macedoniam & Orientem multi exercitus quos occupauerant. Profecti igitur ſunt contra eos Octauianus Cęſar & Marcus Antonius, Lepido ad defendendam Italiam remanente, & apud Philippos Macedonię ciuitatem contra eos pugnantes, primo prelio uicti ſunt. Perijt tamen dux nobilitatis Caſſius, ſecundo Brutum & infinitam nobilitatem uictam interfecerunt. Ac ſic inter eos diuiſa eſt reſpublica, ut Cæſar Hiſpaniam & Gallias & Italiam teneret: Antonius Aſiam, Pontum, & Orientem. Sed in Italia bellum ciuile mouerat Lucius Antonius conſul frater eius, qui cum Cæſare contra Brutum & Caſſium dimicauit. Is apud Peruſium Tuſcię ciuitatem uictus & captus eſt, ſed nō occiſus. At Romę Fulnia, uxor Antonij, ſocrus Cęſaris, dominatum, ut mulier, exercebat: inſolens etiā in eos, per quos, ut inſoleſceret, agebatur. Cęſarem quoq; contumelijs & inſidijs petijt: à quo propulſata ad Antonium in Gręciam conceſſit. Antonius uero etiam Octauiam ſororem Cæſaris duxit uxorem.

Fuluia regnat

Bellū Auguſti cum Sexto Pompeio. Interim à Sexto Pompeio, Gnei Pompeij filio, ingens bellum in Sicilia commotum eſt: aduerſus quem Octauianus Cæſar, & Marcus Antonius pugnauerūt, ſed inter eos poſtremo pax conuenit. Quam cum poſtea Pompeius rumperet Agrippa iuſſu Cæſaris cum eo conflixit, & uicit: centum ſexaginta tres naues eius aut merſit, aut cœpit: Pompeius cum decem & ſeptem uix lapſus euaſit. Lepidus quoq; magna, uiginti legionū, inſolentia tumens, cum Meſſanam militibus permiſſam diripuiſſet, ipſum Cæſarem ad ſe uenientem, ſemel atq; iterum ſpreuit, ac potius telis appeti iuſſit: quæ ille collecta in læuum brachium lacerna repellendo uitauit. Mox immiſſo equo ad ſuos reuerſus, inſtructoq; exercitu, aduerſus Lepidum ueniens, plurimas legiones eius, paucis interfectis, in ſuam partem tranſire coegit. Lepidus tandem intelligens, quo ſua uanitas tenderet, depoſita paludamento, aſſumptaq; ueſte pulla, ſupplex Cæſari factus, uitam & bona impetrauit perpetuo quidem emendatus exilio. His temporibus Agrippa in Aquitania rem proſpere egit: & Lucius Ventidius Baſſus, irrumpentes in Syriam Perſas, tribus prælijs uicit. Parthorum regis Orodis filium interfecit, eo ipſo die, quo olim Orodes per ducem Surenam Craſſum occidit. Taurus quoq; Cęſaris præfectus, totam penè Siciliam ferro pertentatam, in fidem recepit. Quadraginta quatuor legiones ſub unius tūc Imperio Cęſaris erāt: unde milites multitudine feroces, quoſdā

Lepidus fit ſupplex Cæſari.

pro

pro accipiendis agris, tumultus excitauerant. Sed Cæſar animo ingens, uiginti millia militum exauctorauit, xxx. millia ſeruorum dominis reſtituit, vi. millia, quorum domini non extabant, in crucem egit, iam tum præſignans, ſuo tempore naſciturum eſſe, per quem ſuperbientes reprimendi, & omnes ſerui ſuo uero domino reſtituendi eſſent, qui tamen dominum ſuum recognoſcerent: qui uero ſine domino inuenirentur, mortis ſupplicio punirentur.

Sex millia ſeruorum in crucem acti.

Poſt hæc Cæſar ouans urbem ingreſſus, ut in perpetuum tribunitiæ poteſtatis eſſet à ſenatus decreto accepit.

His diebus trans Tyberim è taberna meritoria fons olei de terra exundauit, ac per totum diem largiſſimo riuo fluxit, ſignificans ſub perpetuo principatu naſcituri eius tempore Chriſti, toto die, id eſt omni tempore Romani Imperij de hoſpita largaque eccleſia oleo ſacri chriſmatis unctos, indeſinenter proceſſuros.

Fons olei è terra.

HISTORIA ROMANORVM.

ANTONIVS aũt, qui Aſiam & Orientẽ tenebat, Artabanẽ Armenię regẽ proditione & dolo cepit, uinctumque argentea cathena ad confeſſionẽ theſaurorũ regiorũ coegit: expugnatoque oppido, in quo erant theſauri, magnã abſtulit copiã argẽti & auri. Qui elatus pecunia, bellũ Cæſari indixit: atque Octauię ſorori Cæſaris repudiũ denunciauit: Cleopatrã ex Alexãdria ſibi occurrere imperans, uxorem duxit. Mox ingens bellum ciuile commouit, congente Cleopatra, dum cupiditate muliebri cupit etiam in urbe regnare. Profectus eſt igitur Cæſar à Brunduſio Calabriæ in Epirum aduerſus Antonium, qui iam omne Actiacum littus claſſibus obſidebat. Naues Cæſaris erant ducentę triginta roſtratæ, & triginta ſine roſtris triremes, & octo legiones claſſi ſuperpoſitæ, abſque cohortibus prætorijs quinque. Claſſis autem Antonij centum ſeptuaginta nauium fuit: quantum numero cedens, tantũ magnitudine præcellens: nam decem pedum altitudine à mari excellebãt. Famoſum hoc bellum fuit ab hora quinta uſque ſeptimam incerta uincendi ſpe: reliquum diei, cum ſequenti nocte in uictoriam Cæſaris declinauit. Prior Cleopatra regina, cum ſexaginta uelociſſimis nauibus fugit. Antonius quoque detracto inſigni pretoriæ nauis, fugientem ſecutus eſt uxorem. Illuceſcente iam die uictoriam Cæſar conſũmauit. Antonius igitur gladio ſe tranſuerberauit, ac ſemianimis ad Cleopatram in Mauſoleum regium, in quo ſe illa moritura condiderat, perlatus eſt. Cleopatra uero exornata, diuerſis ornamentis ad Cęſarem uenit, ſperans eum, ut cęteros, ſua ſpecie ad libidinem illicere. Sed ille ſe intra pudicitiam coartans, eam ſpreuit, & cuſtodiri pręcepit. Quę ubi ſe ad triumphum ſeruari intellexit, è cuſtodia elapſa, in Mauſoleum ſuum ſe recepit: ibique maximos, ut ſolebat, induta cultus, in referto odoribus ſolio, iuxta ſuum ſe collocauit Antonium: admotisque ad uenas ſerpentibus, ſic morte quaſi ſomno ſoluta eſt: fruſtra Cęſare etiam Pſyllos admouente: qui uenena ſerpentium è uulneribus hominum exugere ſolent. Sic Cęſar Octauianus Alexandria urbe opulentiſſima, cum tota Aegypto potitus eſt: prępoſuitque Aegypto Cornelinm Gallum, de quo Virgilius ſcribit. Hunc primum iudicem Romanum Aegyptus habuit.

Artabanes Armeniæ rex uinctus cathena aurea.

Octaui. Cæſar contra Antonium.

Antonius ſe necat.

Cleopatra ad impudicitiã irritat Octauianum.

Pſyllorũ ſaliua ualet cõtra ictus ſerpentiũ Vide Varro.

HISTORIA ROMANORVM.

ANno ab urbe cõdita, Dccxxv. Cęſar ab Oriente uictor rediẽs viij. Idus Ianuarij, urbẽ triplici triumpho ingreſſus eſt, ductis ante currũ eius Cleopatrę liberis, Sole & Luna, ac tũ primũ ſopitis omnibus ciuilibus bellis, Iani portas clauſit. Hoc die Cęſar cõſalutatus eſt Auguſtus primũ, eo quod publicã rem auxerit, atque ex eadẽ die ſũma rerum ac poteſtatũ penes unũ eſſe cœpit, & manſit, quod Gręci monarchiam dicunt.

Octauiani triplex triũphus.

Octau. Auguſtus ſalutatus. μονάρχης.

Anno ſequenti Cęſar Auguſtus parum in Hiſpania per ducentos annos actum intelligẽs, ſi Cantabros & Aſtures duas ferociſſimas gentes Hiſpanię, ſuis uti legibus permiſiſſet, iterũ Iani portas aperuit, atque in Hiſpanias ipſe cum exercitu profectus eſt.

Octauianus alter Alexander Magnus.

fectus eſt. Ibi eum apud Taraconem citerioris Hiſpaniæ urbem, legati Indorum & Scytharum toto orbe tranſmiſſo, tandem inuenerũt, refuderũtq; in Cęſarem Alexandri Magni gloriam. Quoniam ſicut illum Hiſpanorum Gallorumq; legatio in medio Oriente apud Babyloniã cõtemplatione pacis adit, ita hunc apud Hiſpaniam in Occidentis ultimo ſupplex Indus & Scytha Boreus pro pace orauit. Cantabrico itaq; bello, per quinq; annos confecto, totaq; Hiſpania in æterna pace compoſita, Cęſar Romam redijt, & cantabricæ uictorię hunc honorem contulit, ut tunc quoq; portas clauſtris cohiberet. Ita tunc ſecundo per Cęſarem, quarto poſt urbem conditam clauſus eſt Ianus. Non ullo aũt tempore ante eum Romana res magis floruit, quippe cui ipſe, & per ſe, & per duces ac legatos ſuos, plurimum bellis addidit. Ipſe namq; per ſe Romano adiecit Imperio, Aegyptum, Cantabriam, Aſturiam, Dalmatiam, Pannoniam, Aquitaniam: Druſus uero priuignus eius Galliã, Rhetiamq; ſortitus, maximas, fortiſſimasq; gentes armis ſubegit, Vſipios, Tencteros, & Cattos perdomuit: & trans Albim fluuiũ qui in Barbarico longe ultra Rhenum eſt, ſummouit. Marcomannos penè ad internicionẽ deleuit. Poſtea fortiſſimas nationes, quibus & natura uires, & conſuetudo experientiam uirium dabat, pariter uno bello, ſed ſuis aſpero, ſuperauit, id eſt Cheruſcos, Sueuos, & Sicambros: quorum uirtus ac feritas ex eo conſiderari poteſt, q mulieres quoq; eorum, ſi quando præuentu Romanorum inter plauſtra ſua concludebantur, deficientibus telis, uel qualibet re, qua uelut telo uti furor poſſit, paruulos filios colliſos humi, in hoſtium ora iaciebant. Tyberius aũt frater Druſi Pannonios nouo motu intumeſcentes, cruentiſſima cæde deleuit, idemq; continuo germanos bello arripuit, è quibus xl. millia captiuorũ uictor abduxit, quod reuera bellum maximũ & formidoloſiſſimum, quindecim legionibus per trienium geſtum eſt, nec ferè ullum maius bellum, ſicut Suetonius teſtatur, poſt Punicam fuit. Sub eodem uero tempore Quintilius Varus prætor, cum tribus legionibus trans Rhenũ fluuium, mira ſuperbia atq; auaritia in ſubiectos agens, à Germanis rebellantibus, cum tribunis & legionibus deletus eſt. Quam reipublicę cladem Cæſar Auguſtus adeo grauiter tulit, ut ueſte capilloq;, ac reliquis lugentium indicijs deformis, & ſæpe per uim doloris, caput parieti collidens, clamaret: Quintili Vare, redde legiones.

Clauditur Ianus.

Vt Octauianus auxerit Roma. Imp.

Vſipij uel Viſpij, aut. Ptol. & Tencteri, Rheno tantũ ab Vbijs diſcreti ad dextram Rheni ripam. Tacit.

Catti.

Cheruſci.

Sueui.

Sicambri.

Feritas Germanorum paruulos filios humi colliſos, in hoſtium ora iaceer.

Bellum Octa. cum Germanis maximum:

Quint. Vari legiones deletæ à Germanis.

In Africa quoq; Coſſus dux Cæſaris Maſſillos & Getulos latius uagantes, arctatis finibus coercuit, atq; à Romanis limitibus abſtinere metu cõpulit. Piſo etiã aduerſus Vindelicos miſſus eſt, quibus ſubactis, uictor ad Cæſarem Lugdunum uenit. Boſphoranos uero Marcus Agrippa ſuperauit, & ſignis Romanis, quæ illi quondam ſub Mitridate ſuſtulerant, bello reparatis, uictos ad deditionem coegit. Armeniam à Parthis recepit. Parthi, quaſi toto terrarũ orbe, uel domito, uel pacato, omnium oculis notarẽtur, atq; in ſe ſolos omnis uigor Romani Imperij uertendus eſſet, quippe quos priſtina ulciſcendæ Craſſianæ cędis conſciẽtia mordebat, ultrò ſigna quæ Craſſo interfecto abſtulerant, ad Cęſarem remiſerunt, eiq; obſidibus datis, firmum fœdus fideli ſupplicatione meruerũt. Galatia quoq; ſub hoc prouincia facta eſt, cum antea regnum fuiſſet, primusq; eam Marcus Lollius pro prætore adminiſtrauit. Tanto autem amore etiam apud Barbaros Cæſar Auguſtus habebatur, ut reges Romanorum amici, in honorem eius ciuitates conderent, & ex eius nomine Cæſareas uocarẽt. Multi quoq; reges ex regnis ſuis uenerunt, ut ei obſequerentur, & habitu Romano, ſcilicet togati, ad uehiculum uel equum eius cucurrerunt. Ipſe autem adeo execratus eſt turbas, bella, ſimultates, ut niſi iuſtis de cauſis nunq; genti alicui bellum indixerit: iactantiſq; eſſe ingenij, & leuiſſimi dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id eſt folia infructuoſa, ſecuritatem ciuium in diſcrimen per incertos euentus certaminum præcipitare, neq; Imperatori bono quicq; minus quàm temeritatem congruere, ſatis celeriter fieri, quicquid cum maturitate gereretur, armaq; niſi maioris emolumenti ſpe, nequaq; mouenda eſſe. De compendio tenui, iactura graui, petita uictoria, ſimilis ſit hamo aureo piſcantibus, cuius abrupti, amiſſiq; detrimentũ, nullo capturę lucro penſari poteſt. Hic itaq; in Imperio poſitus, tribunitiã per ſe poteſtatẽ exercuit.

Verg. Et Getulæ urbes, genus inſuperabile bello.

Ciuitates conditæ in honorẽ Auguſti.

Sententia Auguſti, prudens & ſancta. σπεῦδε βραδέως.

Aureo piſcari hamo.

exercuit. Deniq; erga ciues clementiſſimus, in amicos extitit fidiſſimus, quorum præcipui erant, Mœcenas ob taciturnitatem, Agrippa ob modeſtiam, laborisq; patientiam. Diligebat præterea Virgilium Flaccumq;, Poetas, liberalibus ſtudijs in tantum incumbens, ut nullus ne in procinctu quidem laberetur dies, quin legeret, ſcriberet, dictaret. Leges alias nouas, alias protulit ſuo nomine correctas. Auxit, ornauitq; Romam multis ædificijs, iſto glorians dicto: Vrbem latericiam reperi, marmoream relinquo. Fuit mitis & gratus, & ciuilis animi, toto corpore pulcher, ſed maxime oculis, quorũ acies clariſſimorum ſyderum modo uibrabat. A cuius facie dum quidam miles oculos auerteret, & interrogaretur ab eo, cur ita faceret, reſpondit: Quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum. Nec tamen hic tantus uir uitijs caruit. Fuit enim paululum impatiens, leniter iracundus, occulte inuidus, palàm factioſus: dominandi uero ſupra quàm æſtimari poſſit cupidus, aleæ luſor ſtudioſus. Cumq; eſſet cibi ac uini multum abſtinens, aliquatenus uero ſomni, uſq; ad uulgaris tamen famæ probrum ſeruiebat libidini. Nam inter duodecim catamitos, totidemq; puellas, accubare ſolitus erat: abiecta quoq; uxore ſua Scribonia, amore coniugis alienæ poſſeſſus, Liuiam, quaſi marito concedente, ſibi coniunxit: cuius iam erant Liuiæ filij, Druſus & Tyberius. Cumq; eſſet luxuriæ ſeruiens, erat tamen eiuſdem uitij ſeueriſſimus ultor, more hominum quorundam, qui in ulciſcendis uitijs, quibus ipſi uehementer indulgent, acres ſunt. Nam Poetam Ouidium, qui & Naſo, pro eo quod tres libros artis amatoriæ ſcripſerat, irreuocabili damnauit exilio. Oblectabatur etiam omni genere ſpectaculorum, præcipue ferarum incognita ſpecie.

Dotes Octa. Auguſti.

Vitia Octauiani.

Seueriſſimus ultor libidinis in alijs.

Huius temporibus Romæ ſapientes inſignes erant: Virgilius, Horatius Flaccus, Liuius, Saluſtius, Ouidius, Hortenſius, Athenodorus Tharſeus, Socio Alexãdrinus.

Eruditi ſub Octa. Aug.

ANNI OCTAVIANI.

ANno igitur ſeptingenteſimo decimo à conditione urbis, OCTAVIANVS cęſar regnare cœpit, regnauitq; cũ Antonio & Lepido annis duodecim, poſtea ſolus quadraginta quatuor, qui ſunt quinquaginta ſex.

Primo autem anno, iuſſu ſenatus, bellum aduerſum Antonium mouit, eumq; deuicit. Eodem anno cum multi in ultionem Cæſaris occiderentur, Cicero in Phormiano ſuo ab Herennio & Popilio occiſus eſt, anno ætatis ſuæ lxiiij. Eodem quoq; anno Ouidius Naſo naſcitur in Pelignis.

Cicero occiditur in Phormiano ſuo.

Curtius Talaſſus in inſula Arado cum quatuor cohortibus exuſtus eſt uiuus, eò quod tributa grauius exigeret. Octauianus interueniente ſenatu, in amicitiam regreditur cum Antonio. Cornificius poeta deſertus à militibus, interijt, quos ſæpe fugientes, galeatos lepores appellauit. Huius ſoror erat Cornificia, cuius inſignia extant epigrammata. Secunda ſeceſſio Cæſaris & Antonij. Cornelius nepos ſcriptor hiſtoricus clare habetur. Formius cum filio Formio claruit, ſed filius conſularis ante patrẽ obijt. Brutus & Caſſius magnis exercitibus comparatis apud Athenas conuenerunt, totamq; Græciam depopulati ſunt. Quos Cæſar & Antonius denuo reconciliati, in Macedoniam perſecuti ſunt, & ad mortem compulerunt: nam in deſperationem adacti, immaturam ſibi mortem ante belli terminum intulerunt. Inuitatis quippe percuſſoribus, Caſſius caput, latus Brutus præbuit. Marcus Bauius poeta, quem Virgilius in Bucolicis notat, in Cappadocia moritur.

Cornificiæ mulieris epigrammata.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui.

HErodes alienigena, filius Antipatri Idumæi, & Cypridis Arabitæ, ſuadente Antonio, à ſenatu Romano rex Iudæorum conſtituitur, regnauitq; annis xlvij. Qui ut ſe Iudæis magis commendaret, uxorem ſuam quæ Doſis uocabatur, de qua filium nomine Antipatrum habuit, abiecit, & regio ſemini ſe coniunxit, accipiens Mariamnem, filiam Alexandri, filij Ariſtoboli, fratris Hyrcani ſummi pontificis & regis, quam procreauerat idem Alexander ex filia Hyrcani patrui ſui.

Ab hoc igitur anno, qui eſt decimus Octauiani cæſaris, & Dccxviij. à conditione urbis: ab origine uero mundi ter milleſimus nongenteſimus uigeſimus tertius, regnum & ſacerdotium Iudæorum uſq; in præſens tempus defecit: & Chriſtus, id eſt, unctus, quem ſcriptura Danielis ſignificat, finem accepit. Nam uſq; ad Hyrcanum

Hebdomadæ Danielis.

Alexandri Iannei filium, iudices, ſacerdotes, reges per ſucceſſiones populo Iudęorum præfuerunt: ſed Hyrcanũ frater ſuus Ariſtobolus de regno expulit, quem Pompeius Romanorum princeps, fauente Antipatro Herodis patre, reſtituit, Ariſtobolum uero Romam captiuum duxit. Hyrcano autem per conſilium Antigoni filij fratris ſui Ariſtoboli à Parthis capto, eodem Antigono in loco patrui ab eiſdem Parthis ſubrogato: ſed mox eodem à Romanis, ſeu ac Herode capto & interfecto, Herodes regnũ accepit, & exinde nequaquam per ſucceſſionem generis ſacerdotalis pontifices conſtituti ſunt, ſed ignobiles quiq;, & alij alio tempore, nõnulli uero per unius anni ſpa-

Sacerdotium uenale.

cium, uel modicum amplius ſacerdotium emerunt. Itaq; Herodes Ananelum quendam de Babylone accitum, pontificem conſtituit. Poſt exiguum uero temporis, Ariſtobolum fratrem uxoris ſuę Mariamnis, nepotem Hyrcani ex filia, ſucceſſorem ei dedit. Quo poſt annum conſilio ipſius Herodis in aqua ſuffocato, rurſus ſacerdotium reddidit Ananelo: ſicq; per diuerſas ſucceſſiones extraneorũ in ſacerdotalis ſucceſſione generis, ſacerdotium defecit Iudæorum. Quæ omnia ita uentura, Angelus Da-

Daniel. cap. 9.

nieli prædixit in hæc uerba: Et ſcies & intelliges ab initio ſermonis reſpondendi & ędificandi Hieruſalem uſq; ad Chriſtum ducem, hebdomadæ vij. & lxij. & poſt hebdomadas vij. & lxij. interibit chriſma, & iudicium non erit, & templum & ſanctuarium corrumpet populus, duce ueniente. Et reliqua. Igitur vij. & lxij. hebdomadæ, quæ ſimul fiunt lxix. faciunt annos ccccLxxxiij. in quibus Chriſti, id eſt, ſacerdotes

In Hyrcano chriſma & ſacerdotium defecit.

per unctioné conſecrati regnauerunt, ab inſtauratione templi ſub Dario, uſq; ad Hyrcanum, in quo nouiſſimum chriſma & ſacerdotium defecit Iudæorum. Quod autẽ à perfectione templi, hoc eſt, à ſexto Darij anno uſq; decimum Auguſti annum, vij. & lxij. hebdomadæ, id eſt, anni ccccLxxxiij computentur, ſic poſſumus approbare. Sexageſimæ ſextæ Olympiadis anno primo, hoc eſt Darij vi. completa eſt templi ædificatio: clxxxvi. Olympiadis anno ij. id eſt, Auguſti x. Herodes regnum ſuſcepit Iudæorum, in quibus fiunt anni ccccLxxxiij. per ſingulas Olympiades quadriennio ſupputato. Saluſtius obijt quadriennio ante bellum Actiacum. Lunæ curſus ſecundum Romanos hoc anno inuentus eſt. Antonius Cleopatræ iunctus, illi Arabiã dedit. Octauiani & Antonij tertiæ diſſenſionis exordium, eò quòd Antonius repudiata ſorore cæſaris, duxiſſet Cleopatram. Nicetes & Theodorus Rhetoricę artis pręceptores habentur. Antonius & Cleopatra ſemet interficiunt: & Aegyptus fit Romana prouincia, in qua uſq; ad Cleopatram regnauerunt, qui uocabantur Lagidæ, annis cclxxiij. ipſa uero regnauit annis xxij. qui fiunt anni ccxcv. Nicopolis iuxta actium promontorium condita eſt. Octauianus cæſar cum ingenti triumpho Ro-

Sol & luna filij Cleopatræ.

mam ingreſſus eſt, ductis ante currum eius filijs Cleopatræ Sole & Luna, eodemq; die ſui triumphi nomen accepit Auguſti. Eodem anno Marcus Terentius Varro philoſophus prope nonagenarius moritur. Cornelius Gallus Foroiulienſis poeta, cuius Virgilius meminit in Aegloga ultima: qui & Aegyptum in prouinciam redactã primus rexit. xliij. ætatis ſuæ anno propria manu ſe interfecit. Auguſtus Calabriam & Gallos uectigales fecit. Munacius Plancus Ciceronis diſcipulus orator inſignis habetur: qui cum Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit. Quintilius Cremonenſis, Virgilij & Horatij amicus, moritur. Pylades Cylix Pantomimus, primus Romæ chorum & fiſtulam ſibi præcinere fecit. Tyberius ab Auguſto miſſus, occupauit Armeniam. Herodes apud Hieruſalem multas & magnas ædes conſtruxit.

Virgilius Brunduſij moritur, & Neapolim tráſfertur, cuius tumulus titulo huiuſmodi notatur, quem ipſe, ut aiunt, moriens dictauit:

Epitaphium Vergilij.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini paſcua, rura, duces.

Panium. Vide Ioſeph. de bel. Iud. li. ca. 16.

Varrus.

Tucca.

Auguſtus põtifex max.

Herodes in Peneade id templum quod Panion uocatur, extruxit. Auguſtus Samijs libertatem dedit. Herodes Samariam olim iam in cineribus ſedentem, à fundamentis ſuſcitans, in honorem Auguſti Sebaſtiam, id eſt, Auguſtam appellauit. In Cypro plurimarum ciuitatum partes terræmotu ceciderunt. Varrus & Tucca Virgilij & Horatij contubernales, poetæ habentur illuſtres, qui libros Aeneidum poſtea emendandos ſuſceperũt ab Auguſto, ea lege, ut nihil de ſuo adderent. Agrippa Boſphorum cepit. Auguſtus à ſenatu maximus pontifex nominatur. Herodes Cæſariam

nomine Cæſaris condidit, quę prius turris Stratonis uocabatur. Horatius lvij. ętatis ſuę anno moritur Romę. Iulius Higinus cognométo Polyhyſtor, grammaticus habetur illuſtris. Herodes Hyrcanum, qui olim ſacerdos & rex Iudæorum fuerat, cauſa illius amicitiæ priſtinę ipſo rogante de captiuitate regreſſum Parthica occidit, metuens ne reciperet regnum. Herodes Ariſtobolum fratrem uxoris ſuæ Mariamnis ſuffocari iuſſit. Tyberius Auguſti priuignus, ſed iam in filium adoptatus, deletis Vindelicis, Armenijs, & Pannonijs, triumphauit. Auguſtus Iuliam filiam ſuam in adulterio deprehenſam, damnauit exilio. Marcus Tullius Tyro, Ciceronis libertus, qui primus notas cómentatus eſt, in puteolano prædio uſq; ad centum annos conſeneſcens, moritur. Portius Latro latinus declamator, tædio duplicis quartanæ ſe interfecit. Cyrinus ex conſilio ſenatus ad Iudęam miſſus, cenſus hominũ, poſſeſſionemq; deſcripſit. Auguſtus uero habitatoribus Romanę urbis per facies dinumeratis, inuenit uirorum centum triginta milia & mille, & xxxvij.

Hyrcanus occiditur.

Portius Latro

Cyrinus uel Cyrenius. Lucæ 2.

AVguſtus cæſar xlij. imperij ſui anno, qui eſt ab urbe condita Dccl. ab oriente in occidentem, à ſeptentrione in meridiem, ac per totũ oceani circulũ quo Romanum peruenit imperiũ, cunctis gentibus unà pace cõpoſitis, Iani portas tertio ipſe clauſit, quas extũc per duodecim ferè annos quietiſſimo ſemper obſeratas ocio, ipſa etiã rubigo ſignauit: nec unq̃ poſtea, niſi ſub extrema ſenectute Auguſti, pulſante Athenienſiũ ſeditione, & Dacorũ commotione, patuerunt. Clauſis igitur Iani portis, rempublicam quam bello quæſierat, pace nutrire atq; amplificare ſtudens, leges primus ſtatuit, per quas genus humanum libera reuerentia morẽ gereret: ipſe uero domini appellationem ut homo declinauit. Nam eodem ludos ſpectante, cũ quidã Mimus pronũciaret: O dominũ ęquũ & bonũ. uniuerſiq; quaſi de ipſo dictũ exultantes approbauiſſent, ille ſtatim quidẽ manu uultuq; indecoras adulationes repreſſit, & inſequẽti die grauiſſimo edicto oẽs corripuit, dominumq; ſe poſt hęc appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus ſuis ſerio uel ioco paſſus eſt.

Habitatores urbis Romæ.

Iani portæ ter tio clauſæ.

Auguſt. Octa. leges ſancit.

Auguſt. Octa. uetat ſe dici dominum.

HISTORIA.

EO igitur tempore, hoc eſt, anno xlij. Octauiani Cęſaris Auguſti, ex quo autem Aegyptus in prouinciã redacta eſt, & Cleopatra cũ Antonio uicta anno xxviij quando firmiſſimã pacẽ ordinatione Dei Cæſar Auguſtus cõpoſuit, naſcitur in Bethleem Iuda dominus noſter Ieſus Chriſtus, uerus Deus & homo. Cui pax iſta famulabatur, anno ab initio creationis mũdanę, ſecundũ Hebraicã ueritatem ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo ſecundo: ſecundum ſeptuaginta duo interpretes, eorumq; ſectatores, quinquies milleſimo duceteſimo primo: à diluuio bis milleſimo treceteſimo ſexto: ab Abrahę natiuitate bis milleſimo xiiij: à Moyſe & egreſſu filiorum Iſrael de Aegypto, milleſimo quingenteſimo nono: a Salomone & prima templi ædificatione milleſimo triceſimo primo: à reædificatione quæ ſub Dario facta eſt, quingenteſimo xix. ab urbis Romanæ conditione ſeptingenteſimo quinquageſimo primo: Olympiadis centeſimę nonageſimę quartę anno tertio.

CHRISTI natiuitas.

ANNI AVGVSTI CAESARIS.

ANno ſecundo, qui eſt Auguſti xliij. Auguſtus amicitiã facit cum Parthis. Anno domini. iij. Herodes occidit infantes. Anno domini iiij. Iudas Gallilæus ad rebellandum cohortatur Iudæos. Anno domini v. Aſinius Pollio orator & cóſularis, qui de Dalmatijs triumphauit, in uilla Tuſculana moritur anno uitæ octogeſimo. Anno domini vi. Herodes magno cruciatu moritur, pro quo filius eius Archelaus regnauit annis ix. Multos autem filios habuit Herodes, ex diuerſis uxoribus, quas plures duxerat: Antipatrum ex Doſide, quã habuit anteq̃ rex fieret: Ariſtobolum & Alexandrum, filiasq; duas ex Mariamne Hyrcani nepte ex filia, quam ſibi ex regio ſemine coniunxerat, poſtq̃ ipſe factus eſt rex, abiecta Daſide cum filio Antipatro: ſed poſtea ipſis & alijs accuſantibus, occidit Mariamnem: filios quoq; ipſius, Alexandrum & Ariſtobolum quaſi de nece matris indignantes, occidit, Alexandro autem fuerunt duo filij, Tigranes, & Alexander, ex

Glaphira regis Cappadociæ Archelai filia. Ariſtoboli uero filij fuerunt, Agrippa qui ſub Gaio rex factus eſt, & Herodes ac Ariſtobolus. filiaq́ Herodias, ex Beronice conſobrina ſua, ſcilicet, filia Salome, ſororis Herodis patris ſui.

Habuit Herodes & alios filios, Antipam & Archelaum, & filiam Olympiadem, ex Marthace Samaritide, Herodem ex filia Simonis pontificis, item Herodem et Philippum ex Cleopatra Hieroſolymitide, Phaſelum ex Pallade. Poſtquam autem Alexandrum & Ariſtobolum filios ſuos qui de ſemine regio erant, occiderat, Antipatrũ, pro accuſatione fratrum ſibi placentem, propoſuit hæredem regni relinquere per teſtamentum. Sed cum & ipſe de nece illius tractare diceretur, miſſum in carcerẽ ſub ipſo ferè mortis articulo interfici iuſſit & ipſum, mutatoq́ teſtamento, ſucceſſorem regni ſcripſit Archelaum. Regnauit autem Herodes poſtquam Antigonus interemptus eſt annis xxxiiij. ex quo autem regnum à Romanis acceperat, annos xxxvi. ſicq́ poſt multa facinora male moritur.

Herodis mors poſt multa facinora.

Anno domini vij. qui eſt Augusti xlviij. fames facta eſt Romæ adeo dira, ut omnes peregrinos & ſeruorum maximas copias, exceptis medicis & præceptoribus, trudi ex urbe præceperit Auguſtus. Quæ ideo creditur diuinitus immiſſa, quia cum Gaium nepotem ſuum mitteret Auguſtus ad ordinandas Aegypti Syriæq́ prouincias, ille præteriens ab Aegypto fines Paleſtinæ, apud Hieroſolymam in templo Dei tunc ſancto & celebri adorare cõtempſit. Quod Auguſtus ubi per eum cõperit, prauo uſus iudicio, prudenter eum feciſſe laudauit. Vnde diuina uindicta populum cum principe peccante corripuit, & quantitatem offenſionis, qualitas ultionis oſtendit.

Fames Romæ & unde.

Anno domini viij. Tyberius iam Cæſar factus, Dalmatas & Sarmatas in Romanam poteſtatẽ redegit. Anno domini ix. qui eſt Auguſti quinquageſimus, ab urbe uero condita Dcclviij. quatuordecim uicos urbis, incertum unde conſurgens flamma conſumpſit. Anno domini x. Athenienſes moliuntur nouas res contra Romanos. Anno domini xi. Meſſala Coruinus orator, biennio antequàm moreretur, ita memoriam ac ſenſum amiſit, ut uix pauca uerba coniungeret. Anno domini xij. Iani portæ per duodecim annos iam clauſæ ab Auguſto aperiuntur. Anno domini xiij. Socio philoſophus Alexandrinus, præceptor Senecæ, claruit. Anno domini xiiij Auguſtus cum Tyberio cenſum Romæ agitans, inuenit nonagies tercentena & lxx. millia hominum. Anno domini xv. qui eſt imperij Auguſti quinquageſimus ſextus, Archelaus accuſatus ob inſolentiam, nono regni ſui anno, in Viennam ab Auguſto relegatus eſt, & Iudæa Tetrarchis committitur, Herodi, Antipatro, Liſaniæ, Philippo. Eodem anno Auguſtus Nolam ingreſſus morbo capitur, & in Attella oppido Campaniæ moritur, anno ætatis ſuę lxxv. Quem mortuum, ſenatus multis modis cenſuit honorandum, dicens: Vtinam aut non naſceretur, aut natus non moreretur. Romæ in campo Martio eſt ſepultus.

Tyberius Cæſar.

Meſſala Coruinus.

Numerus hominum Romæ

Archelai exilium.

Auguſti mors

ANNI TYBERII

Tyberius ſecundus ab Auguſto.



Anno Dominicæ incarnationis xvi qui eſt à cõdita urbe Dcclxvi. Tyberius Liuię filius, Auguſti priuignus, mox gener, poſtremo adoptione filius, imperiũ Romanũ adeptus eſt ab Auguſto ſecũdus, & regnauit annis xxiij. Iſte quia Claudius Tyberius Nero dicebatur, eleganter à ioculatoribus Claudius Biberius Mero, ob uinolentiã nominabatur. Satis prudens in armis, ſatiſq́ fortunatus, ante ſumptũ imperiũ ſub Auguſto fuit, ut non immerito Reipublicę dominatus ei cõmitteretur, habẽs ſcientiã literarũ, multo prę clarus eloquio, ſed ingenio peſſimo, truci, auaro, inſidioſo, ſimulans ea ſe uelle quę nol-

Simulator maximus.

let, & ea

let,& ea nolle quæ uellet. His quaſi infenſus,quibus conſultum cupiebat:his uerò
quos oderat, quaſi beniuolus apparens: repentinis reſponſionibus melior quàm
præmeditatis. Deniq; delatum à patribus principatum,quem quidem aſtu percepe
rat, finxit ſe abnuere,quid ſinguli dicerent aut ſentirent,atrociter explorans. Quę res
bonos quoſq; peſſum dedit. Aeſtimantes enim eum ex animo declinare magnitudi
nem imperialis moleſtiæ,cum ſententias ſuas ad eius uoluntatem,ut ſibi uidebatur,
promunt,poſtrema exitia inciderunt. Per ſe nulla bella geſſit,ſed ne per legatos qui
dem aliqua grauia,niſi quòd tantum aliquantis in locis præcogniti gentium tumo-
res cito premebantur. Getulorum latrocinia repreſſit. Maroboduum Sueuorum re-
gem callide circumuenit. Quendam fabrum fertur iugulaſſe, qui adinuenit uitrum
fabricare,& ſecundum libitum ſuum inflectere,dicens ei: Si uixeris,& hoc alios do-
cueris,aurum & argentum annullabitur. Cum magna & graui modeſtia Reipubli-
cæ præfuit,plurimo imperij ſui tempore,adeo, ut quibuſdam præſidibus ad augen
da prouincijs tributa ſuadentibus ſcripſerit: Boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non
deglubere: Sed ſtatim mutatur in peius. Nam & filios ſuos adoptiuos Druſum &
Germanicum,germani ſui Druſi filios,ueneno interfecit: præfectum ſuum Seianum
noua molientem occidit,& ex uiginti patricijs,quos ſibi cauſa conſilij elegit, uix du-
os incolumes reliquit, cæteros diuerſis cauſis necauit. Habuit ipſe filium nomine
Druſum: ſed eo mortuo,filium eius Tyberium cognomento Gemellum, & filium
Germanici Gaium,filij fratris ſui Druſi,adoptauit in filios,ex quibus Gaius ſibi ſuc-
ceſſit in regnũ. Huius itaq; Tyberij temporibus, Agrippa filius Ariſtoboli, qui filius
fuit Herodis,quẽ ipſe cum fratre ſuo Alexandro interfecit,demorans Romæ, Druſo
Tyberij filio familiaris fuit: ſed mortuo eodem Druſo,pater eius præ impatientia do
loris prohibuit omnes amicos filij ante faciẽ ſuam accedere, ne illis uiſis, dolor eius
renouaretur. Vnde Agrippa in Iudæam deſcendens,& poſt aliquantum tempus Ro
mam rediens,fauente Antonia uxore Druſi fratris Tyberij, quæ Beronicen Agrippæ
matrem admodũ diligebat,in amicitiam receptus eſt à Tyberio, à quo iuſſus eſt ne-
poti ſuo Tyberio ſemper adhærere,illumq; ſumma ope excolere. Sed ille Gaium An
toniæ nepotem magis dilexit,unde & offenſam Tyberij incurrit. Nam cũ quadam
die Gaio optaret,ut illum,mortuo Tyberio, dominum cunctorum uidere merere-
tur,nunciatum eſt hoc Tyberio,ſtatimq; coniecit eum in uincula,in quibus perman-
ſit uſq; ad Gaij tempora. Anno domini xvij. qui eſt Tyberij ij. Aſinij Pollionis fili-
us Aſinius Gallus diris à Tyberio ſupplicijs enecatur. Anno domini xviij. Liuius hi-
ſtoriographus Patauij moritur. Ouidius quoq; poeta in exilio moritur. Anno domi
ni xix. Germanicus Druſi filius,Caligulæ pater, de Germanis,ad quos ab Auguſto,iã
ſene,miſſus fuerat, triumphat. Anno domini xx. Germanicus cæſar à Tyberio pa-
truo ſuo ueneno interficitur. Anno domini xxi. Feneſtella hiſtoriographus & poeta
lxx. uitæ ſuæ anno moritur,& Cumis ſepelitur. Anno domini xxij. Tyberius mul-
tos reges per blanditias ad ſe uocauit,nunquamq; remiſit: inter quos & Archelaum
Cappadocem, cuius etiam regnum in prouinciæ formam redegit, & nobiliſſimam
eius ciuitatem Mazacam ex ſuo nomine Cæſaream appellauit. Anno domini xxiij.
Pompeij theatrum incenſum eſt. Anno domini xxiiij. Tyberius Druſum fratris ſui fi-
lium regni conſortem fecit,quẽ eodem anno ueneno interemit. Anno domini xxv.
Seruius Plautus, corrupti filij reus, ſemet in iudicio interemit. Anno domini xxvi.
Philippus Tetrarcha Paneadem,in qua plurimas ædes conſtruxit,Cęſaream Philip
pi uocauit. Anno domini xxvij. Pilatus à Tyberio præſes Iudææ mittitur. Anno do-
mini xxviij. Anno domini xxix. Herodes Tetrarcha frater Philippi ad magnam ami
citiam Tyberij peruenit,ædificans ciuitatem,quam ex eius nomine Tyberiadem uo-
cauit. Anno domini xxx. Iohannes baptizare cœpit populum. Cuius baptiſmate
Dominus noſter Ieſus Chriſtus in Iordane baptizatus, triceſimo ætatis ſuæ ſecundũ
carnem anno,cœpit ſigna facere & prædicare,uirtutibus uera comprobans eſſe quæ
diceret. Anno domini xxxi. dominus noſter Ieſus Chriſtus diſcipulos eligens, Euan
gelicis eos imbuit Sacramentis. Ioannes Baptiſta decollatur ab Herode Tetrarcha,
filio Herodis illius, ſub quo natus eſt dominus, machinante Herodiade uxore ſua:
quam abſtulit fratri ſuo,ut Marcus dicit,Philippo. Eandem Herodiadem Beda ſcri-

Maroboduus Sueuorũ, marcomannorum, Quadorumq; rex, Cornelio T. & Velleio Paterculo autoribus.

Tyberius filios Druſi ueneno interficit.

Liuius moritur.

Feneſtella.

Cæſarea ciuitas.

Tyberias ciuitas.

Baptiſmus Ioannis.

Herodias.

 bit,filiam

bit filiam fuiſſe Arethæ regis, quam idem Aretha primum Philippo coniunxerit, ſed poſtea ablatam Herodi fratri eius dederit, eo quod ipſe ditior & potentior fuerit. Io- *Ioſeph. li. 18. cap. 9.* ſephus uero ſcriptor antiquitatum, neutro conſentiens, in xviij. libro ſcribit in hunc modum:

HISTORIA.

HIs quoq; temporibus inter Aretham Petreum & Herodem regem ſimultatio magna contigit, propter huiuſmodi cauſam: Herodes Tetrarches uxorem habuit Arethæ filiam, cum qua non paruū tempus aduixerat. Sed cum Romā aduocaretur, tranſiens, in domo Herodis exceptus eſt: frater eius erat etiam ipſe, ſed non ex una matre progenitus: Herodes enim ex filia Simonis ſacerdotis fuerat procreatus. Cumq; ibi eſſet, Herodiadis amore captus eſt, uxoris alterius Herodis, filia enim erat iſta Ariſtoboli, ſoror Agrippæ maioris. Audet igitur cum muliere de nuptijs ineundis miſcere ſermonem. Illa uero ſuſcipiente, pacta firmantur, ut cū Roma reuerſus fuiſſet, illa connubij iura ſuſciperet. Erat enim in pactis, ut filiam Arethę regis excluderet. Et Herodes quidem Romam talibus pactis firmatis aduehitur: ſed cum reuerſus fuiſſet, peragens Romæ propter quæ fuerat euocatus, uxor eius fideliter cuncta cognoſcens, quæ inter eū fuerant, Herodiademq; compoſita, anteq; eam ille cuncta cognouiſſe ſentiret, rogat uirum, ut in Macherunta, ubi limes erat Arethæ Herodiſq; regionis, ab eo mitteretur, nihil ei ſuę uoluntatis aperiens. Hoc Herodes libenter accipiens, mittit uxorem, nihil eam ſenſiſſe penitus arbitratus. Illa uero præmiſerat ante multum tempus ad patrem, ut ei apud Macheruntа omnia pararentur, quæ itineris uſus expoſceret. A ductoribus Arethæ ſuſcipitur, cōfeſtimq; Arabiam intrat, atq; ibi ab illis ductoribus ad alios, ab illiſq; rurſus ad alteros tranſmiſſa, cum ſumma celeritate patri perducitur, cui cunctam Herodis uoluntatem aperit. Ille uero exhinc inimicitiarum ſumpſit inicium, atq; ab utroq; congregato exercitu, in regione Gamalica bello confligitur, non quidem ipſis præſentibus ſed ductoribus ab utraq; parte tranſmiſſis. Pugna itaq; facta, & exercitu Herodis afflicto, proditione perfugarum qui ex Philippi Tetrarchia ad Herodem quaſi auxiliandi cauſa conuenerant, hæc Herodes ſcribit ad Tyberium. Ille autem indignatus quod Arethas talia perpetrauerit, ſcribit Vitellio Syriæ tunc rectori, ut ei bellum incunctanter inferret, & aut uiuum eum uinctum adduceret, aut certe mortui caput auferret. Tyberius quidem ut hæc ageret, rectori Syriæ demandabat. Quibuſdam autem Iudæorum uidebatur ideo periſſe Herodis exercitum, quod in eum ſatis iuſte indignatio diuina commota ſit, pro uindicta Iohannis, qui uocabatur Baptiſta. Hunc enim Herodes occidit, uirum ualde bonum, qui præcipiebat Iudæis uirtuti operam dare, iuſtitiam colere, pietatem in Deum ſeruare, & per baptiſmum in unum coire.

Herodes capitur amore Herodiadis.

Tyberius Vitellium inſtigat aduerſus Herodem.

Teſtimonium Ioſephi de Ioanne Bapt.

Huc uſq; uerba Ioſephi, quæ docent Herodiadem nec filiam Arethę fuiſſe, nec uxorem Philippi, cum ſuperius in libro xvij. antiquitatum idem ſcribat: Herodem maiore pœnitudine ductum ſuper interfectione filiorum ſuorum Alexandri & Ariſtoboli, erga filios eorum clementem extitiſſe, & Alexandri filio maiori, filiam Ferotæ fratris ſui iunxiſſe: filio uero Ariſtoboli, filiam Antipatri: filio autem Antipatri, filiam Ariſtoboli Mariamnem. Alteram uero, id eſt, Herodiadem, filio ſuo Herodi. Et is inquit, natus eſt ei ex filia pontificis, cum poſt ſubinferat, Herodem & Philippum, ex Cleopatra Hieroſolymite natos, pontificis uero filiam Mariamnem dictā fuiſſe. Ex his prudens lector eligat quid magis ſit tenendum, cum & difficile ſit Euangeliſtę uerbis non credere, & omnes aſtipulentur Ioſephum ueracem antiquitatum relatorem exiſtere, niſi forte dicatur Euangeliſta pro affinitate perſonarum mutationem feciſſe nominum: nec multum curauerit inter tot Herodis filios exquirere, quod duos ſibi æquiuocos ſcribatur habuiſſe. Bedæ uero indulgendum putamus, quod Herodiadem Arethę filiam dixerit, quia multis ſcribendis intentus, multiplicitatem hiſtoriarum forte per omnia tenere non potuit, maxime cum & beatū Hieronymum in commentario Marci eadem ſenſiſſe forſitan legerit.

De Genealogia Herodū uide Ioſeph. Teutonicum, per Hed. uerſum.

Hinc Auguſtus Macrobio teſte, dicebat, ſe malle eſſe porcum, q̃ filiū Herodis.

Ioſephi autoritas.

Beda excuſatur & Hiero.

Anno

ANno dominicę incarnatiõis xxxij. diſcipuli Chriſti, Euangelicis inſtructi documentis, uerbũ fidei per ciuitates Iudææ, ipſo mittente prædicauerunt. Anno incarnationis ſuæ xxxiij. Dominus noſter Ieſus paſſus eſt in carne, & reſurrexit, in cuius paſſione multa contigiſſe miracula, etiã gentiliũ ſcriptores teſtantur. Ioſephus quoq; inter cætera quę tẽpore illo ſtupenda contigerũt, ſcribit ſacerdotes templi primũ cõmotionem locorũ, & ſonitus quoſdã audiſſe, dein ex adyto templi uocẽ erupiſſe, tranſeamus à ſedibus his. De ipſo etiam Chriſto ſcribit ita:

Verbum fidei eſt cõfiteri ore dominũ Ieſum & credere in corde, q. Deus illũ excitauit à mortuis. Ro. 10.

Vide li. 7. belli Iud. cap. 12.

IOSEPHVS DE CHRISTO:

FVit aũt his temporibus Ieſus ſapiens uir, ſi tamen uirũ eum nominare fas eſt. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor hominũ, eorum qui libenter audiunt quæ uera ſunt, & multos quidẽ Iudęorũ, multos etiã ex gentibus ſibi adiunxit: Chriſtus hic erat. Hunc accuſatione primorũ noſtræ gentis uirorũ cum Pilatus in crucem agendum decreuiſſet, non deſeruerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertio die iterum uiuus, ſecundũ q̃ diuinitus inſpirati Prophetæ, uel hæc, uel alia de eo innumera miracula futura eſſe prędixerũt. Sed & in hodiernũ diem Chriſtianorũ, qui ab ipſo nuncupati ſunt, & nomẽ perſeuerat & genus.

Li. 18 antiqui. cap. 6. Eadem legis Græce in Suida, quæ hic libuit ſubijcere.

Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνήρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή, ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων, καὶ πολλοὺς μὲν τῶν Ἰουδαίων, πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο. ὁ χριστὸς οὗτος ἦν. καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου, οὐκ ἐπαύσαντο οἱ τὸ πρῶτον αὐτὸν ἀγαπήσαντες. ἐφαίνη γὰρ αὐτοῖς, τρίτην ἔχων ἡμέραν, πάλιν ζῶν. τῶν θείων προφητῶν ταῦτα καὶ ἄλλα μυρία θαυμασὰ περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων. εἴσετι νῦν τῆς τῶν χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένον οὐκ ἀπελείπετο φῦλον.

ANno domini xxxiiij: Iacobus frater Domini, Hieroſolymis Epiſcopus ordinatur ab Apoſtolis, ſeditq; annos triginta. Anno domini xxxv. Pilatus imaginẽ Cęſaris in templo ſtatuere uolẽs, ſeditiones in Iudęis excitauit. Anno domini xxxvi. Seianus pręfectus, cohortatur Tyberiũ, ut Iudęos deleat. Perſius Volaterris naſcitur. Anno domini xxxvij. Pilatus ad Tyberiũ ſcripſit, de paſſione & reſurrectione domini, & de uirtutibus eius, per quas creſcente plurimorum fide, Deus crederetur. Tyberius aũt cum magno fauoris ſuffragio rettulit ad ſenatum, ut Chriſtus Deus haberetur. Senatus uero indignatione cõmotus, cur nõ ſibi prius ſecundum morẽ delatum eſſet, ut de ſuſcipiendo cultu, prius ipſe decerneret, conſecrationẽ Chriſti recuſauit: edictoq; conſtituit exterminandos eſſe urbe Chriſtianos, pręcipue cum & Seianus pręfectus Tyberij ſuſcipiendę religioni obſtinatiſſime contradiceret. Tyberius tamen accuſatoribus Chriſti, edicto mortem cõminatus eſt, plurimosq; ſenatorum proſcripſit, & in mortem coegit. Pilatus aũt cum in Iudęa decimum compleret annũ accuſatus à Iudæis apud Vitellium, qui tunc Syriæ principabatur, iuſſus eſt ab eo Romam ire, ut in iudicio Cæſaris ſe ab obiectis purgaret, ſed anteq̃ Romam ueniret, Tyberius rebus humanis exceſſit.

Iacobus Epiſcopus Hiero.

Pilati literæ ad Tyberium, de Chriſto.

Edictum Ro. Senatus, cõtra Chriſtianos.

Accuſatores Chriſti, proſcripti.

Eodem anno Ariſtoboli filius Agrippa, cognomento Herodes, Romam ueniens, à Tyberio clementer tractatur, fauente Antonia matre Germanici & Claudij, quę fuit uxor Druſi fratris Tyberij. Sed cum accuſaretur quòd optaret Tyberium citius mori, regnumq; Gaio dari, in uincula ab eo conijcitur, nec eo uiuente ſoluitur.

Anno domini xxxviij. Tyberius Romanos grauiter affligens, ingenti omnium gaudio in Campania ueneno perijt, inſidijs Caligulæ anno imperij ſui xxiij. ætatis ſuæ lxxviij.

Tyberius moritur ueneno.

ANNI GAII CALIGVLAE.

Anni ab initio mundi quatuor mille.

Gaius Caligula.



ANno Dñicæ incarnationis xxxix. ab urbe condita, Dcclxxxix. Gaius Caligula tertius, ab Auguſto ſuſcepit imperiũ & regnauit annos tres, Menſes decẽ, Dies octo. Hic fuit filius Germanici, nepos Druſi, qui fuit priuignus Auguſti, frater uero Tyberij. Hic qa in exercitu natus fuit, ex calciamento militari, Caligula cognominatus eſt: magnoq́; fauore auiæ ſuæ Antoniæ nutritus, in magnis habebatur honoribus: adoptatusq́; à Tyberio in filiũ, cum Tyberio filij ſui Druſi filio, in aula nutriebatur: liberalibusq́; diſciplinis apprime eruditus, propter Germanici patris ſui uirtutẽ à populis amabatur.

Caligula unde dictus

Augurium de ſucceſſore Tyberij.

Tyberius igitur, cum iam ad ſenectutem perueniſſet, patrijs Dijs ſupplicabat, ut ei ſignum manifeſtũ oſtenderent qui nam poſt eum in Imperiũ ſucceſſiſſet: feſtinans quidem, ut nepoti ſuo principatum relinqueret. Cui cum dictum eſſet illum regnaturum, qui ſequẽti die primus ex omnibus ad eum ueniſſet: miſit ad nepotis ſui pędagogum, iubens ut primo mane puerum ad ſe perduceret, putans illa re numinis ſuperare ſententiam. Cumq́; dies illuxiſſet, iuſſit Euodum, ut quiſquis foris eſſet infantulorum, ad ſe primitus euocaret. Ille autem egreſſus, Gaium ante tabernaculũ repperit: Nam Tyberius necdum aderat, ciborum acceptione tardatus. Ille uero ignorans totum quod agebatur, ueni, inquit, uocat te pater, & induxit eum. Videns autem Tyberius maieſtatis ſupernæ potentiam, ſemetipſum culpabat, ꝙ illum augurium poſtulaſſet, ſed non ualens diuinę ordinationi reſiſtere, Gaium benigne alloquens, commiſit ei Imperium, monens illum erga nepotem Tyberium exiſtere beniuolum.

Gaio committitur Imperiũ

Accepto autem regno poſt Tyberium, omnium ante ſe ſceleratiſſimus fuit, & qui Tyberij dedecora purgauerit. Ante principatum quippe omnibus acceptus fuit, in principatu uero talis extitit, ut merito uulgaretur atrociorem illo dominum non fuiſſe. Nam ut breuiter crudelitatem eius depromam, exclamaſſe fertur: Vtinam populus Romanus unam ceruicem haberet. Sæpe enim de conditionibus temporum ſuorum queſtus eſt, ꝙ nullis calamitatibus publicis inſignirentur. Plurima fecit, de quibus neſcio, an deceat memoriæ tradi, niſi forte iuuat de principibus noſſe omnia, ut improbi ſaltem famæ metu talia declinẽt.

Atrocitas Gaij ἀδιατρεχίαν laudabat Suet.

Horrenda uitia Gaij.

In palatio matronas nobiles publice libidini ſubiecit, tribus ſororibus ſuis ſtupra intulit, ex una earum etiam natam filiam uitiauit. Memmium Regulum coegit, ut coniugem ſuam ſibi uxorem, in loco filię, daret, ſeq́; patrem eius diceret, & inſtrumẽta matrimonij, ut pater conſcriberet. Sorores ſuas quas ſtuprauit, inſularum exilio damnauit. Hic primus diademate impoſito, dominum ſe appellari iuſſit, & in Deorum numerum ſe referri præcepit: Hic ſtatim, ut poſt mortem Tyberij regnũ accepit, Agrippam cognomento Herodem, à uinculis abſoluit, in quæ illum Tyberius cõiecit, eiq́; tetrarchiam Philippi patrui ſui, qui iam deceſſerat, tradidit, regemq́; appellauit, cui poſtea tetrarchiam Herodis patrui ſui adiecit. Iſte eſt qui in Actibus Apoſtolorũ Herodes appellatur, qui & Iacobum occidit, & Petrum in carcerem miſit, & poſtea ab Angelo percuſſus, uermibus ſcaturiẽns expirauit. Cuius filij fuerunt Agrippa rex æquiuocus eius, & Beronice ſoror eius. Regnauit autem annis ſeptem, moriturq́; anno tertio Claudij. Philippus uero patruus eius, mortuus eſt anno xxij. Tyberij, regens Traconitidis & Gaulanitidis regionem annis xxxij.

Gaius iubet ſe appellari dominum

Agrippa. Herodes.

Anno domini xl. qui eſt Gaij ſecundus, Iudæi qui iam tunc ob paſſionem Chriſti meritis ubiq; cladibus exagitabantur, apud Alexandriam exorta ſeditione, profligati ſunt cæde, atq; pulſi ex urbe. Pro quibus Philo, uir ſane apprime eruditus, ſecunda uice Romam ueniens, & apud Gaium interpellans, nihil profecit, ſed ibi commorans dicitur cum Petro Apoſtolo locutus

Vide Euſebiũ lib. 2. cap. 5.

fuiſſe

fuiſſe, eiusq́ amicitiam habuiſſe. Anno Domini xli. Pilatus multis calamitatibus à Caio oppreſſus, ſeipſum interfecit. Anno Domini xlij. Matthæus Euangeliũ ſcripſit Hebraice. Herodes tetrarcha, qui in Ioannis Baptiſtæ nece autor extitit, & paſsioni Domini interfuit, filius Herodis Magni, ſub quo natus eſt Chriſtus, Romam uenit, cogente Herodiade uxore ſua, quam abſtulit fratri ſuo. Quæ cum uideret Agrippam fratrem ſuum à Gaio regẽ factum, exprobrare cœpit Herodi ſocordiam, quia per id ꝙ noluerit ad Cęſarem nauigare, careret maiori honore. Nam cum Agrippam ex priuato regem feciſſet, non eſſet dubium, quin eum ex tetrarcha pari honore prouheheret. His adductus Herodes, Romam uenit, ſubſequente eum & accuſante Agrippa filio fratris ſui Ariſtoboli. Gaius eum de auaritia uehementer increpauit, eiq́ tetrarchiã auferens, Agrippæ commiſit, ipſum uero perpetuo exilio Lugdunum relegauit. Cognoſcens autem ꝙ Herodias ſoror eſſet Agrippę, uoluit ei opes & quæq́ propria concedere: ſed illa mariti cauſa contemnens omnia, ſecuta eſt eum in exilium, ibiq́ pariter perierunt.

Herodes Lugdunum in exiliũ relegatur. Ioſeph. li. 18. cap. 14.

Eodem anno Gaius cum aduerſus omnes ingenti crudelitate ſæuiret, à militibus in palatio occiſus eſt, anno ætatis xxxviij. regni iiij. Qui poſtq́ occiſus eſt, duo libelli in ſecretis eius reperti ſunt, quorum alteri pugio, alteri gladius index erat, ambo lectiſſimorum uirorum utriuſq́ ordinis, ſenatorij uidelicet & equeſtris, nomina & notas continebant, qui morti deſtinati erant. Inuenta eſt & arca ingens uariorum uenenorum, quibus mox Claudio Cæſare iubente demerſis, maria infecta traduntur, non ſine magno piſcium exitio, quos enecatos per proxima littora paſsim æſtus eiecit.

Sueto. in Caligula.

CLAVDIVS.



ANno Dominicæ incarnationis xliij. ab urbe autem condita Dcc. nonageſimo tertio, CLAVDIVS ab Auguſto quartus, Imperium adeptus eſt, regnauitq́ annos xiij. menſes viij. dies xxviij. Hic fuit patruus Gaij Caligulę, filius Druſi priuigni Auguſti, qui apud Moguntiam habet monumentum, cuius nepos erat Caligula. Iſte cum ſenatus cenſuiſſet genus Cæſareũ exterminatum, deformi latebra latere repertus, quia uecors erat, mitiſsimus uidebatur imprudentibus, ſicq́ raptus à militibus, Imperator effectus eſt, annitente Agrippa, qui tunc forte Romam uenerat, & à ſenatu in conſiliũ uocatus fuerat, unde & filiũ eius Agrippã regem fecit. Hic uentri, uino, libidini fœdæ obediens, uecors & prope hebes ac pauidus, libertorũ & coniugis ſubiacebat Imperijs. Cupiens tamen utilẽ ſe publicæ rei oſtendere principẽ, exercitũ mouit in Britanniam, tranſuectusq́ in inſulã, quam nemo ante Iulium Cæſarẽ, nec poſt eũ auſus fuit adire, intra paucos dies ſine prælio & ſanguine plurimã eius partem in deditionẽ accepit: Orchadas etiam inſulas ultra Britanniam Romano imperio adiecit, ac ſexto menſe ex quo profectus eſt, Romam redijt. Sic ergo de Britannis triumphauit, filiumq́ ſuũ Britannicũ uocauit. Vxor uero Claudij Meſſalina, primo paſsim adulteris utebatur: ex quo facto plures metu abſtinebant, & extincti ſunt. Dehinc atrocius accenſa, nobiliores quaſq́ nuptas, & uirgines ſcortorũ modo ſecum propoſuerat, coactiq́ ſunt mares ut adeſſent. Quòd ſi quis talia horruerat, confiсto crimine in eũ omnemq́ familiã eius ſæuiebatur. Ita liberti eius poteſtatẽ ſummã adepti, ſtupris, exilio, cæde, proſcriptione omnia fœdabant. Ex quibus Fœlicem legionibus Iudææ præfecit. Poſsidonio Eunucho poſt triumphum Britannicum, inter militariũ fortiſsimos arma inſignia tanq́ participi uictoriæ dedit: Polybium inter conſulares medium incedere fecit. Hos omnes anteibat Narciſſus: Poſt hæc Claudius Agrippinam, Germanici

Claudius quartus ab Auguſto.

Druſi monumentum Moguntiæ.

Nauigatio Claudij in Britanniam.

Orcades inſulæ ſunt Oceani Septentrionalis ultra Britanniã. Suet. meminit Stœchadarum.

Fœlix Iudææ præfectus.

nici fratris ſui filiam,ſororem Caligulæ,matrem uero Neronis accepit uxorem, quæ
filio ſuo procurans Imperium,priuignum ſuum Britannicum,primo in palatio mul
tiformibus inſidijs circumuenit,dehinc ipſum coniugem ueneno interemit.

ANNI CLAVDII.

Petrus Romã uenit.

PRimo igitur imperij ſui anno, cum cõfirmaretur in regno Agrippæ cõ-
ſilio, dedit Agrippæ eidem pro remuneratione omnia quæ dedit Au-
guſtus Herodi,aliud quoq; regnum,quod Liſaniæ dicebatur fuiſſe. An
no Domini xliiij. Duodecim Apoſtoli,cum eatenus in Iudæa tantum
prædicarent,iuxta preceptum Domini,ut Beda ſcribit,anno à paſſione Domini xij.
in totum orbem diuiſi ſunt. Vnde Petrus fundata primum Antiochena Ecclesia,Ro-
mam tetendit,ut quidam uolunt hoc anno,ſecundum alios,quarto Claudij anno.
Anno domini xlv. Primus Epiſcopus Antiochiæ ordinatur Euodius.

Ioſeph.li. ant. 19.cap.8. Euſeb.lib.2. cap.10.

HERODES Agrippa filius Ariſtoboli,anno vij. regni ſui percutitur ab An
gelo:relinquẽs filiũ nomine Agrippã,& tres filias,Beronicen, Mariamnẽ,
atq; Druſillam. Tunc Claudius,ut Ioſephus teſtatur,regnũ eius in prouin
ciã redegit,in cuius procurationẽ miſſus eſt Cuſpius Fadus. Anno domini
xlvi. Claudius de Britannis triumphauit.

HISTORIA.

Fames per Agabum prædicta in Actis.

EOdem anno facta eſt fames grauiſsima per Syriam,quam etiã Agabus
Propheta prædixit,ut in Apoſtolorum legitur actibus:ſed à Chriſtiano
rum neceſſitatibus apud Hieroſolymam,conuecto ex Aegypto frumen
to,Helena Adiabenorum regina largiſſime miniſtrauit. Hoc etiam an-
no,ſcilicet Claudij quarto,illud factum eſſe Beda opinatur,quod in Actibus Apoſto
lorum legitur:ſtatuerunt,ut aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex illis
ad Apoſtolos & presbyteros in Hieruſalem,& hanc aſcenſionem ſuam eſſe illam,de
qua ipſe Paulus ita ſcribit ad Galathas. Deinde poſt annos quatuordecim, aſcendi
Hieroſolymam cum Barnaba,aſſumpto & Tito. De hac aſcenſione poſitis quibuſ-
dam,Beda ſubinfert. Sequitur ergo beatum Petrum eodem xiiij. poſt paſſionem Do
mini anno,quo eum Hieroſolymis alloquitur Paulus,Romam ueniſſe credamus,id
eſt quarto Claudij Cæſaris anno. ſimulq;,ni fallor,hac expoſitione Paulum Apoſto-
lum eodem quo Dominus paſſus eſt & reſurrexit anno ad fidem ueniſſe probamus.

Q. An Petrus Romæ fuerit, agitata Anno Domini 1520. herbeſcente doctrina pietatis in Germania.

PEtrum uero quarto Claudij anno Romam ueniſſe,ferè omnes ſanctorũ tẽ-
porum ſcriptores teſtantur. quidam autẽ Pontificatũ in urbe Romana hoc
anno illũ ſuſcepiſſe opinantur. Et hoc exinde uerũ conijcitur, quia Petrus ſe
dem Romanã xxv. annis tenuiſſe dicitur,& ultimus Neronis annus,quo Pe
trus paſſus eſſe narratur,xxv. à quarto Claudij numeratur. Vnde ſatis apparet, ꝙ eo-
dem anno,quo Romam uenit,etiam ſedem Pontificatus accepit.

Succeſsio Pontificum Ro. Petrus. Linus.

De ſucceſsione uero Pontificum Romanorum,& ordine atq; temporum eorum,
iam inde à principio,& deinceps in plurimis,diuerſa ſentiuntur à diuerſis. Quorum
opiniones hic ſummatim ſcribere,idcirco arbitror nõ eſſe ab re,ut & ſegniores, & ne
gligentiores mei ſimiles,ad ueritatem rei attendendam excitentur,& prudentiores
ad hanc ſubtilius inueſtigandam prouocentur. Quidam ſcribunt, quibus & Eccle-
ſiaſtica conſentire uidetur hiſtoria, Linum poſt paſſionem Petri Apoſtoli Romanæ
ſedi xxv. annis præſidentis,hanc regendam ſuſcepiſſe: & poſt duodecim ſui regimi-
nis annos, ſecundo Titi anno Pontificatum Anacleto reliquiſſe, & hunc item poſt

Anacletus. Clemens. Euariſtus. Alexander. Sixtus.

duodecim annos Clemẽti ſedem tradidiſſe,quod uidetur anno Domitiani xiij. con
tigiſſe,ipſumq; Clemẽtem poſt nouem ſui Pontificatus annos ſub Traiano paſſum:
Euariſtum quarto eiuſdem Traiani anno ſucceſſiſſe,huic Alexandrũ,illi uero Sixtũ,
& ſic cæteros. Alij uero ſcribunt Linum & Cletum ſub Petro fuiſſe, ipſumq; Petrum
mox ut Pontificatum accepit, Linum pro ſe in agendis Eccleſiaſticis,quo ipſe liberi-
us prædicationi uacaret,ordinaſſe; illoq; poſt annos duodecim decedente, Cletum

huic ſubrogaſſe. Quo etiam item poſt annos xij. defuncto, eo anno & tempore quo
ipſe Petrus paſſus eſt, ſcilicet xiiij. Neronis anno, Clementi ſedem commiſiſſe: & ei,
ſuisq́ ſucceſſoribus ligandi ſoluendiq́ poteſtatem, ſicut ipſe à Chriſto ſuſcepit, demũ
tradidiſſe, & huic paſſo ſub Domitiano, Anacletum ſucceſſiſſe: cui Euariſtum, & huic
Alexandrum, ſicq́ cæteros. Quę deſcriptiones cum ſibi multum diſſonæ probentur,
quærendum cui magis credi iudicetur. Conſideremus ergo earum inęqualitates. Igi
tur ſi Linus Anacletum, isq́ Clementem ſucceſſorem reliquiſſe accipitur, ut prior de-
ſcriptio teſtatur, Cletus omnino de pontificum catalogo excluditur, cuius ueneratio
per omnes Eccleſias ſic celebris eſt, ut non ſolum in martyrologijs attituletur, uerum
etiam in canone miſſarum, & in ſupplicationibus letaniarum, publicitus inter Linũ
& Clementem recitetur. Si uero poſt Linum Cletus, dein Clemẽs, & poſt hunc Eua
riſtus & Alexander numerentur, locus non habetur ubi Anacletus recipiatur, cum Be
da in martyrologio ſuo dicat hunc quartum poſt Petrum ſediſſe, & ſub Domitiano
paſſum fuiſſe, ut primus ſit Linus, ſecundus Cletus, tertius Clemens, quartus Anacle
tus. Sed ſi Poſt Clemẽtem Anacletus ponatur, & ſecundum Bedam ſub Domitiano
paſſus recipiatur, neceſſario illud refellitur, quòd anteceſſor eius Clemens ſub Traia
no paſſus dicitur, cũ euidenter ſub Domitiano paſſus eſſe probetur, ſi ſucceſſor eius A
nacletus, ab eodem occiſus non negetur.

HISTORIA.

ADhuc autem argumentatur & illud. Quia ſi Linus & Anacletus iuxta quoſ
dã, ſiue Linus & Cletus ſecundum alios, uterq́ poſt paſſionẽ Petri, quę xiiij
Neronis anno facta eſt, per annos xij. tenebat Pontificatum, quod ſpaciũ
per xxiiij. annos in Domitiani duodecimum protenditur annũ: Clemens ab Apoſto
lo Petro ſedem, & ligandi ſoluendiq́ licentiã nullatenus accepiſſe probatur, quod à
nõnullis firmatur. Additur & hoc ꝙ S. Dionyſius Ariopagita, beati Pauli Apoſtoli di *De Dionyſio Ariopagita.*
ſcipulus, & Athenarum Epiſcopus, cũ ſicut in libro paſſionis eius legitur, beatos Apo
ſtolos Petrum & Paulũ audiret Romæ teneri, ſubrogato Athenis Epiſcopo, propera
uit Romam uelocius attingere: ſummopere deſiderãs, ſi Deus ita uellet, cum eiſdem
ſanctis Apoſtolis occumbere. Sed cum diuina diſpoſitio uota ipſius præueniret, ſan-
ctiq́ Apoſtoli prius paſſionis gloria coronarentur, quàm ipſe Romam adiret, tandẽ
perueniens, Clementem, condiſcipulum ſuum, Romæ ſedi iam præſidentem in-
uenit: qui & illum in Gallias prædicatorem direxit. Quæ igitur fuit feſtinantia tanti
deſiderij, ſi per xxiiij. annorum ſpacium, uel amplius inter Athenas & Romam nullo
potuit obſiſtente cohiberi? Nec enim illud refragatur, ꝙ oſtio fidei ſibi aperto, cauſa
ſeminandi uerbum Dei, aliquandiu retardatus fuiſſe narratur. Quia & ſi per contigu
as parochias, diuina ſemina prædicandi auidus diſperſerat, paſſionis tamen deſide-
rio feruens, ab Athenis infra xxiiij. annos maturius Romam contendere poterat. Ad
huc uero cum idem Dionyſius xcvi. Dominicæ incarnationis anno, qui eſt xiiij. Do-
mitiani paſſus deſcribatur, Clemens uero, qui eũ direxit in Gallias, duodecimo eius
dem principis anno, iuxta ſuperiorem opinionem deſcriptiõis ſedem accepiſſe dica-
tur, mirum poteſt uideri, qualiter anno, nondum, aut uix expleto poſſent omnia hęc
expleri, ſcilicet ut Dionyſius de Roma in Gallias ueniret, & tam ceruicoſum populũ
ignotus adhuc & aduena fidei iugo ſubſterneret, baſilicam conſtrueret, aliaq́ plura
quæ de eo leguntur, ſacerdotum ſuper his commotorum relatio Romam recurreret,
diuulgataq́ perſecutione, præfectus inde miſſus in Galliam, Dionyſium diuerſis pœ
nis occideret. Liber quoq́ paſſionis Alexandri Papę teſtatur, ꝙ in ordine Pontificum
Romanorum, Clemens poſt Petrum primus, hoc eſt ſecundus ab illo habeatur. Sic *Liber paſſiõis Alexandri.*
enim ibi ſcriptum eſt. Quinto loco à beato Petro Apoſtolo, Romanę Eccleſiæ cathe-
dram Alexander ſuſcepit, & reliqua. Quod ſi Linus à Petro ſecundus dicatur, neceſſe
eſt ut Cletus ante Clementem, & Anacletus poſt eum à numero excludantur, qua-
tenus Alexander quintus inueniatur, ſcilicet ut Petro exiſtente primo, Lino ſecundo,
Clemente tertio, Euariſto quarto, Alexander quinto loco ſubſequatur. Aliter enim
Alexander quintus à Petro nõ habetur, quia ſi Linus à Petro ſecundus, & Cletus ſiue

Acletus

Acletus Anacletus ante Clementem fuerit poſitus, Alexãder erit ſextus, ſi uero Cletus ante Clementem, & Anacletus poſt illum ponitur, Alexander ſeptimus habetur, niſi Clemens à Petro ſecundus numeretur, illis & talibus allegatis pro imperitia mea, propter rerum & temporum cõuenientiam, hos magis interim ſequendos æſtimo,

Quod Linus & Cletus ſub Petro fuerint. Clemens primus Papa.

qui Linum & Cletum dicunt fuiſſe ſub Petro, & illos quidem hoc officium quod co epiſcopi ſub Epiſcopo tenent, adminiſtraſſe. Clementem uero Petro, ipſo tradente, legitimo iure ſucceſsiſſe, & idcirco eum à quibuſdam primum Papam uocatũ, quia uelut hæreditario iure ligandi ſoluendiq́; à Petro accepiſſe dicitur Pontificatum. Pro hoc uero ab alijs dictum tertium eſſe à Petro, ꝙ ſub ipſo Apoſtolo præceſſerint eum Linus & Cletus in ſacerdotali officio. Hucuſq; de his, in ſequentibus uero eadem cauſa pro ſucceſsionis ordine & temporum ſerie generat erroris cumulum, qui pro ſimilitudine nominum perſonis inditorum inoleuiſſe creditur, ob incuriã & uitium ſcriptorum.

Fabianus papa.

Fabianus quippe Papa legitur ſub Decio paſſus, poſt quẽ Cornelius, itemq́; poſt eum in catalogo pontificum, & in quibuſdam etiam Chronicis inueniuntur poſiti, Lucius, Stephanus, Sixtus, Dionyſius. Cum igitur ſub Decio Fabianus paſſus legatur, Sixtus quoq; ſub quo Laurentius archidiaconatum tenebat per omnes eccleſias, & legendo & cantando, ſub eodem paſſus prædicetur: Decius uero non amplius q̃ xxx. menſibus, hoc eſt annis duobus & dimidio regnaſſe dicatur, à quibuſdam etiam minus, id eſt anno uno & menſibus tribus, ſi inter Cornelium, Fabiani ſucceſſorem, & hunc Sixtum, Lucius & Stephanus ponantur, ut ſub Valeriano & Gallieno paſsi

Ordo confuſus in hiſtoria Eccleſiaſtica.

legantur fuiſſe, & Cornelius tribus annis, Lucius uero menſibus octo, Stephanus autem duobus annis Romanæ ſedi præfuiſſe in Eccleſiaſtica hiſtoria dicantur. Vnde ſatis intelligi poteſt uitio ſcriptorum pro ſimilitudine nominum ordinem eſſe confuſum: & Cornelio ſucceſsiſſe Sixtum, & huic Dionyſium, illi autem Luciũ, huic uero Stephanum, cui item Sixtum, dein iterum Dionyſium, ſicq́; per ordinem reliquos. Hæc autem omnia non dico, quaſi pro mea garrulitate præiudicium cupiens inferre aliorum me ſatisq́; præcellentium ſententiæ, ſed quaſi pro indagandę ueritatis cupiditate, ſtulticiæ notandus elogio, ſenſum meæ denudans imprudentiæ. Cæterum ſa

Varietates in hiſtoriographis.

piens quiſq; pro captu ſuo deliberet, quid pro uero tenẽdum dijudicet, ego uero tot & tantas uarietates in hiſtoriographis cernens, & pro tenuitate ingenioli mei mecũ ruminando & admirando perpendens, hiſtorias, paſſionum libros, chronicorum exemplaria, quæ habere potui, diligẽter pro meo captu percurri, multaq́; inueniens,

Conſilium authoris huius Chronicæ, qui uixit anno domini .1199.

ſcriptorum negligentia uel imperitia deprauata, propter numerorum uarietates literis deſignatorum, in quibus facile à diligentibus delinquitur, quanto magis à non attendentibus, dum aut litera pro litera ponitur, uel aliqua forte ſubducitur, in quantũ meæ licuit ruſticitati, nulliuſq; autoritatis exilitati, quædam correxi, temporaq́; pontificum Romanorum, temporibus Imperatorum, quam diligẽtius poteram, annexi: & ab hoc anno Dominicæ incarnationis xlij. qui eſt primus beati Petri Apoſtoli, in Pontificatu Romano, & ſi non annos præſulum ſingulorum, quos reperire non potui, ordinem tamen cunctorum, ſicut ad nos perlatus eſt, uſq; in Mcxcix, eiuſdem incarnationis annum ſeriatim perduxi: ubi ſi ſapientum iudicio, mea ſimplex placuerit diligentia, nulliusq́; ueritatis inuidentia, gratias Deo: ſin autem, melius oſtẽdenti uel luti certi & ueri cupidus, deſiderantiſſime cedo. Fado ſucceſſit Alexander.

ANno Domini xlvij. Domitius orator clarus habetur, qui poſtea ſub Nerone ex cibi redundantia in cœna moritur. Anno Domini xlviij. inter Theraſiam & Theramin mari Aegeo noua inſula emerſit xxx. ſtadiorum ſpatio extenta. Cumanus quidam ſucceſſit Tyberio Alexandro, in procuratione Iudæę. Anno Domini

Seditio ſub Cumano. Ioſeph. lib. 20 antiqui. cap. 6

xlix. ſub procuratore Iudęę Cumano, tanta ſeditio Hieroſolymis, in diebus Azimorum exorta eſt, pro culpa militis unius, ut coarctato in exitu portarum populo, triginta millia Iudęorum cęde proſtrata & compreſſa dicantur. Anno Domini L. Herodes rex Calcidis frater Adriopę maioris moritur, tres filios relinquens: Ariſtobolum de priori natum uxore: Berenicianum & Hyrcanum ex Berenice fratris ſui Agrippę. Cuius regnum Claudius Agrippę iuueni dedit filio Agrippę: quia regnũ patris eius iam in prouinciam redegit: eò ꝙ ipſe tunc puer erat, quando pater obijt.

Fames Romæ ſub Claudio. Acto. cap. 11.

Hoc anno tanta fames Romæ fuiſſe dicitur, ut Imperator in medio foro correptus à populo,

à populo, conuitijsq́; & fragminibus panũ turpiſſime infeſtatus, uix furorem plebis euaſerit. Eo tempore Paulus apud Athenas, aram ignoto deo ſuperſcriptã repperit. Anno domini li. Claudius Iudæos expulit urbe Roma. Anno domini lij. Phœnix apud Aegyptum uiſus eſt: quem uolucrem ferunt anno Dcliiij. ex Arabia memorato loco aduolare. Anno domini liij. Simon Magus autor Simoniacæ hæreſis extitit. Anno domini liiij. Claudius Fœlicem Iudææ procuratorem fecit. Apollonius ex Italia ortus, Pythagoricus philoloſophus Romæ pollebat, ita ut ipſum quoq; Pythagoram fuiſſe, Philoſtratus & alij acrioris ingenij deſcribant. Anno domini lv. Aegyptius quidam pſeudopropheta, Iudæos complures ſeducens, à Fœlice opprimitur. Anno domini lvi. Claudius ab Agrippina uxore ſua, ueneno, ut dicitur, interemptus eſt, anno uitæ ſuæ lxiiij. Cuius funus, ut quondam Tarquinij Priſcij, diu occultatũ eſt, & dum arte muliebri, corrupti cuſtodes, ægrum ſimulãt, priuignus eius Nero Agrippinæ filius, imperij iura ſuſcepit.

Simon magus

Apollonius.

Ioſeph. lib. 20 cap. 11.

HISTORIA.



Anno Dominicæ incarnationis, lvij. ab urbe uero condita Dccc. vij. DOMITIVS NERO filius Domitij Aenobarbi, & Agrippinæ ſororis Caligulæ, quintus ab Auguſto ſumpſit imperiũ, & regnauit annis xiiij. non plenis, ſcilicet annis xiij. menſibus vij. diebus lxxviij. Cuius mater Agrippina filia fuit Germanici fratris Claudij: uir autem Domitius Aenobarbus ex nobiliſſimis Romanorũ. Quo mortuo, Claudius amauit eã, & propter amorem eius interemit uxorem ſuam Meſſalinam, ex qua habuit filium Britannicum, & filiam Octauiam. Habuit etiam ex prima uxore ſua nomine Petina, filiam Antoniam. Ducta uero Agrippina, filium eius Domitium in filium adoptauit, eumq́; Neroné uocauit, & filiam ſuam Octauiam ei deſponſauit. Agrippina uero metuens, ne Britannicus regnum à patre perciperet, de morte Claudij cogitauit. Quo mortuo, repente principem militiæ Burrum cum tribunis prepotentibus miſit, qui Neronem de caſtris adductum, more principis, adorarét. Qui hoc modo accepto imperio, Britannicum quidem ueneno latenter occidit, matrem uero propriam interfecit, hoc ei retributionis impendens. Per quinquennium autem primum bonus apparuit, in tantum, ut quidam ſcripſerint Traianum ſolere de eo dicere, cunctos principes longe diſtare à Neronis quinquennio. Reliquum uero quod à quinq; annis ſuperuixit, ita Caligulæ auunculi ſui ueſtigia ſecutus eſt, immo ſupper greſſus eſt, ut turpe ſit dicere, ad quantam malignitatem peruenerit. Plurimam ſenatorum partem interfecit, equeſtrem ordinem pene deſtituit, bonis omnibus hoſtis fuit. Libidinibus porro tantis agitatus eſt, ut ne à matre quidé uel ſorore, ulla ue conſanguinitatis reuerentia referatur abſtinuiſſe, uirum in uxorem duxerit. Ipſe amictus nubentium uirginum ſpecie, conuocato ſenatu ad paciſcédum de ratione dotis, in ipſisq́; nuptias celebrantibus pelle coopertus feræ, à uiro ut uxor ductus ſit. Patricidia multa commiſit, matre, fratre, ſorore, uxore, cæterisq́; conſanguineis interfectis. Vrbem Romam per ſex dies & noctes incendit, ut quale eſſet incendium Troiæ, uideret: ipſe ſtans in altiſſima turri, lætusq́; proſpectans flammas, tragico indutus habitu, Iliadem tragœdiam canebat. In re militari nihil omnino auſus, Britanniam pene amiſit. Auxit molem facinorũ eius, temeritas impietatis in Deum. Primus enim perſecutionem in Chriſtianos mouit per omne regnum ſuum, ipſumq́; nomen extirpa re cupiens, principes Apoſtolorum Petrum & Paulum occidit. Ipſe Veſpaſianum cũ filio ſuo Tito, ad deſtruendam Hieruſalem, miſit. Inter hæc Galba Hiſpaniæ prætor, & Gaius Vitellius imperium corripuere. Nero autem omnibus execrabilis, hoſtis à ſenatu iudicatus eſt: decretum eſt, ut furca collo eius inſerta, nudus per publicum duceretur

In hunc dixit Licinius Craſſus, non mirandũ, quod æneã barbam haberet, cui eſſet os ferreũ, & cor plumbeũ. Suet

Hinc Prouerbium, Neronis quinquenniũ.

Libido Neronis.

Nero fit uxor

Sueton. habet ἅλωσιν flammæ decantauit in ſuo illo ſcenico habitu.

Neronis impietas in Chriſtianos.

ceretur, & uirgis uſq; ad mortem cæſus, de ſaxo præcipitaretur. Quod ille audiens, ſimulq; aduentum Galbæ comperiens, fugit è palatio, & cũ eo Nephitus, noctisq; medio urbe egreſſus eſt. Secuti ſunt autem eum Phaon & Epaphrodius, & Nephitus, & Spado Neſpero, quem quondam exectũ in mulieré formare tentauerat. Cumq; ueniſſet in ſuburbanum liberti ſui, quod eſt inter Salariam & Numentanam uiam, ad quartũ urbis miliarium, ictu gladij ſe percutere uoluit, ſed trepidante manu, hoc perficere non potuit. Et cum nullum inueniret à quo feriretur, exclamauit dicens: Ita nec amicum, nec inimicum habere poſſum. Videns hoc Neſpero, adiuuit manum trementem: & ita perijt anno uitæ ſuæ xxxi. Imperij xiiij. ſicq; omnis Auguſti familia in eo conſumpta eſt. Huius temporibus Romæ pollebant Seneca tragicus & philoſophus, Muſonius & Plutarchus philoſophi, Iuuenalis & Perſius ſatyrici, Lucanus quoq; filius fratris Senecæ, & Statius.

Neronis mors

ANNI NERONIS.

Petrus Paulo Romæ occurrit.

PRimo autem Neronis anno, Feſtus ſucceſſit Fœlici præſidi. Anno domini lviij. Paulus Apoſtolus apud Feſtum, præſente Agrippa rege, religionis ſuæ rationem exponens, ab eodem Feſto uinctus, Romã mittitur, ubi & Petrus occurrens, Paulum conuenit: & quia Linus iam exceſſit, Cletum in locum eius ſubrogauit, qui & ipſe annis xij. Eccleſiam rexit. Hucuſq; librum actuum Apoſtolorum Lucas perduxit Euangeliſta. Anno domini lix. Probus Berithius eruditiſſimus grammaticus claruit. Anno domini lx. Statius Surculus poeta Tholoſanus celebris fuit. Anno domini lxi. Terræmotus Romæ & eclypſis ſolis facta eſt. Anno domini lxij. Feſto ſuccedit Albinus in præſidatu Iudæę. Anno domini lxiij. Iacobus frater domini lapidatur à Iudæis, & Simon frater eius in locum eius conſtituitur. Anno domini lxiiij. Marcus Euangeliſta paſſus eſt Alexandriæ. Anno domini lxv. Perſius moritur anno ætatis xxix. Ante menſam Neronis fulmẽ cecidit. Anno domini lxvi. Annæus Lucanus Cordubenſis poeta in piſoniana coniuratione deprehenſus, brachium ad ſecandas uenas præbuit. Anno domini lxvij. Nero incendit Romam ad ſimilitudiné Troiæ. Anno domini lxviij. Annæus Seneca Cordubenſis, præceptor Neronis, & patruus Lucani, iuſſus à Nerone genus mortis eligere, inciſione uenarũ, & hauſtu ueneni interijt. Cuius frater Iunius Gallio egregius declamator, propria ſe manu interfecit. Frater uero illorũ Lucius Annæus Melas, bona filij ſui Lucani à Nerone promeruit. Anno domini lxix. Veſpaſianus dux exercitus aduerſum Iudæos, qui Geſtij Flori ſucceſſoris Albini auaritiam nõ ferentes rebellabant, à Nerone miſſus, inter cęteras urbes Iotapatam munitam ciuitatem cepit, in qua & Ioſephum, qui & Ioſippus, ducem belli comprehendit. Qui cum interficiendus eſſet à Romanis, prædixit Veſpaſiano, quod ipſe imperator futurus eſſet, ſicq; uitam promeruit. Hic eſt ſcriptor antiquitatũ. Anno domini lxx. Petrus Apoſtolus peracto prædicationis ſuæ tempore, iterum ueniens Romam defuncto Cleto diſcipulo ſuo, Clementi cathedram Romanam commiſit, dans ei ſuisq; ſucceſſoribus poteſtatem ligandi & ſoluendi, ſicut ipſe accepit à domino: eodemq; anno ipſe Petrus iubente Nerone crucifixus eſt, Paulus uero decollatus. Sedit autem Clemens annis xix. menſes v. paſſusq; eſt ſub Domitiano nono kal. Decemb. licet quidã contendant eum paſſum ſub Traiano. Secundum Eccleſiaſticam hiſtoriam primus poſt Petrum Linus hoc anno Romanam ſuſcepit Eccleſiam, & per xij. rexerat annos.

Marcus Euangeliſta.

Senecæ mors.

Vide libros de bello Iud.

Petri & Pauli paſsio.

HISTORIA.

NEro autem poſt interfectionem Apoſtolorum ſeipſum interfecit, ordine ſupraſcripto, ut in Romana legitur hiſtoria, cum quidam ſcribant illum in ſylua errantem, à lupis eſſe deuoratum. Hunc Perſæ in tantum dilexerunt, ut legatos mitterent Romam, multum rogantes, ut concederetur illis licentia fabricandi ei ſepulchrum. Cæterũ aliæ prouinciæ omnes, & tota Roma, de interitu eius nimis exultauerunt, in tantum, ut omnes ueſtiti pileis manumiſſionum, quod tunc erat ſignum liberationis, quaſi ab impio domino liberati, uictoriam celebrarẽt. Ignatius Antiochię ſecundus ordinatur Epiſcopus, cum eum præceſſerit Euodius.

Perſæ amantes Neronis.

Vide A. ul. Gel ſerui raſo capite pileum acciplebant.

Anni

ANNI GALBAE.



ANno dominicæ incarnationis, lxxi. Galba.
ab urbe condita Dccc. xxi. GAL-
BA antiquiſſimæ nobilitatis ſe-
nator, de Sulpitiorum genere pro
genitus, cum lxxiij. gereret ætatis annum,
ab Hiſpanis & Gallis electus, mox ab uniuer-
ſo exercitu libenter imperator acceptus, ſta-
tim ut Neronis mortem audiuit, Romam
uenit, ſextusq́ ab Auguſto, menſibus xij.
regnauit. Huius priuata uita inſignis fuit mi- Priuata uita
litaribus & ciuilibus rebus: ſæpe fuit conſul, Galbæ.
ſæpe proconſul, ſępe dux in grauiſſimis bellis.
Militem ſuum ita ſeueriſſime tractans, ut in-
greſſo eo in caſtra, diceretur ſtatim ab altero
ad alterum: Diſce militare, Galba uenit, non
Getulicus. Imperium uero adeptus, cum auaritiæ uitio ſeuitiaq́ omnes offenderet,
Piſonem quendam nobilem adoleſcentem in filium regnumq́ adoptauit. Ipſe autē
menſe vij. in medio Romanæ urbis foro decollatus eſt, inſidijs cuiuſdam Othonis, VideSuetoniū
qui poſt eum arripuit regnum.

HISTORIA.



LVCIVS OTHO occiſis Gal-
ba & Piſone, inuaſit imperiū Ro- Otho Syluius.
manorum, ortus ex oppido Ferē
tino, materno genere nobilior q̄
paterno, neutro tamen obſcuro.
In priuata uita mollis, maximeq́ in adoleſcen
tia turpis, & Neronis familiaris, in imperio
uero documentum ſui non potuit oſtendere.
Nam cum ijſdem temporibus quibus Otho
Galbam occiderat, etiam Vitellius à germani
cis exercitibus imperator factus eſſet, bello cō-
tra Vitelliū ſuſcepto, tribus leuibus prælijs O-
tho uictor extitit: uno apud Alpes, alio circa
Placentiam, tertio circa locum quem Caſtoris
uocant: quarto cum apud Bebriacum in Ita- Otho ſe necat
lia uictus eſſet leui prælio, ingens tamen copias habens ad bellum, ſponte ſemet oc- Suet. Vno ſe
cidit, xxxviij. etatis anno tranſacto, xcv. imperij die, ſcilicet mēſe iij. Hic proprijs mi traiecit ictu in
litibus tam amabilis fuit, ut pleriq́, uiſo eius corpore mortuo, ſuis manibus interirēt. ſra læuam pa-
pillam.

HISTORIA



VITELLIVS Romā uictor in- Vitellius.
greſſus, ui Romano potitus eſt
imperio, familia honorata ma
gis quàm nobili ortus. Nam pa
ter eius Lucius Vitellius non ad
modum clare natus eſt: tres tamen ordinari-
os geſſerat conſulatus. Hic cū multo dedeco-
re imperauit, multa ſeuitia, cæteriſq́ uitijs no-
tabilis, maxime ingluuie & uoracitate, quip-
pe qui de die quarto uel quinto ſæpe fertur
epulatus. Notiſſima certe cœna memoriæ
mandata eſt, quam ei Vitellius frater eius ex-
hibuit, in qua ſuper cæteros ſumptos duo mil
lia lectiſſimorum piſcium, & ſeptem millia

auium appoſita ſunt. Hanc exuberauit dedicatione patinæ, quam ob immẽſam magnitudinem clypeum Mineruæ αἰγίδα πολιούχου dictitabat. In hac Scarorum iocinora, phaſianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicoptorum, murenarum lactes à Carpathio uſq; fretoq; Hiſpanię per nauarchos & triremes petitarũ cõmiſcuit. Hæc Suetonius. Interim Veſpaſianus Hieroſolymam obſidens, audita Neronis morte, à militibus imperator creatus eſt. Quod audiens Vitellius, Sabinũ fratrem Veſpaſiani, cum multis alijs, in capitolio incẽſo interfecit. Vnde à militibus Veſpaſiani ſub muris urbis habito prælio ſuperatus, cũ in quandam cellulam palatio proximam ſe contruſiſſet, turpiter inde protractus, uinctis poſt tergum manibus, reſupino capite, gladio ad mentum ſuppoſito, per forum ad ſpectaculum uulgi ducitur, multisq; fimum & cœnum in faciem eius mittentibus, minutis ictibus excarnificatus, unco inde trahitur, & in Tyberim proijcitur, anno ętatis lvij, imperij autem menſe viij. Tres poſt Neronem rapuerunt imperium. Galba in Hiſpania, quo miſſus erat cum exercitu: Otho Romæ: Vitellius in Germania: regnaueruntq; anno uno, & menſibus ſex.

Ignatius Alexandrinus Epiſcopus.

Antiochiæ ſecundus ordinatur Epiſcopus Ignatius.

HISTORIA.

Veſpaſianus.



ANno Dominicæ incarnationis, lxxij. ab urbe condita Dccccxxij. VESPASIANVS à Nerone cum exercitu miſſus, comperta morte Neronis, ab exercitu imperator efficitur: dimiſſoq; Tito filio ſuo in Iudæa, ad obſidendam Hieroſolymam, ipſe per Alexandriã profectus eſt Romam, ubi accepto imperio, ſeptimus ab Auguſto regnauit annis ix. Obſcure quidem natus, ſed uir militari uirtute præcipuus, & optimis comparandus, utpote qui à Claudio miſſus in Germaniam, deinde in Britanniam, tricies & bis cum hoſte conflixit, multumq; Romano imperio adiecit. Hic in imperio moderate ſe geſſit. Inter cætera nanq; bona hanc gratiam habuit, ut inimicitias in corde non retineret, in tantum, ut filiam prędicti Vitellij inimici ſui multis dotatam diuitijs, nobiliſſimo traderet marito. Hic cum ab amicis moneretur, ut caueret ſe à Tametio Pompoſiano, de quo ſermo uulgabatur, quòd regnaturus eſſet, conſulem illum fecit, alludens tali cauillo: Quando regnum acceperit, talis beneficij memor erit. Talibus ſæpe uerbis iocularibus amicorum iras placauit. Cumq; Romam incendijs ruinisq; ueteribus deſtitutam repararet, ac multa regno Romano adijciens, cum Tito filio de ſuperatis Iudęis triumpharet, cunctisq; amabilis exiſteret, profluuio uentris feſſus, in uilla propria circa Sabinos interijt, anno ętatis lxxix. Cuius anno primo Titus filius eius Iudęos inenarrabili fame cruciauit obſeſſos, premens eos diuerſis bellicis inſtrumentis.

Dotes Veſpaſiani.

Inimicis benefacere.

Vide lib. 7. bel Iud. apud Ioſephum.

ANNI VESPASIANI.

Corn. Tacitus hiſt. Aug. li. 21

Occiſi & capti in bello Iudaico.

ANno Dominicæ incarnationis lxxiij. Hieruſalẽ à Tito capitur, non ſine multo ſuorum ſanguine. Subuerſaq; ciuitate, ſexingenta millia Iudæorũ interfecit, ut Cornelius & Suetonius referũt. Ioſephus uero, qui & Ioſippus, unus ex Iudęis, qui ei tunc bello pręfuit, ſcribit undecies centena millia fame perijſſe, & gladio: & centum millia captiuorũ publice uenundata. Vt aũt tanta multitudo Hieroſolymis reperiretur, cauſam azimorum fuiſſe refert, ob quæ ex omni gente Iudæorum ad templum confluentes, urbe quaſi carcere ſunt incluſi. Oportuit enim, ut ijſdem diebus Paſchæ interficerentur, in quibus Saluatorem interfecerunt. Colligitur autem omne tempus in ſecundum annum Veſpaſiani, & ſubuerſionem Hieroſolymorum

morum nouiſſimam à xv. anno Tyberij cæſaris, & ab exordio Euangelicæ prædicationis anni xlij. à captiuitate autem quam ab Antiocho paſſi ſunt Iudæi, anni cc. à ſecundo anno Darij quo reædificabatur templum, Dxc. à prima uero ædificatione ſub Salomone, anni mille cij. Anno domini lxxiiij. Veſpaſianus capitolium cœpit reædificare. Anno domini lxxv. ſeditio in Alexandria orta eſt. Anno domini lxxvi. Coloſſus erectus eſt, habens altitudinem pedum cvij. Anno domini lxxvij. Ioſephus hiſtoriographus claruit. Anno domini lxxviij. tres ciuitates Cypri terræmotu corruerunt. Anno domini lxxix. peſtilentia Romæ tanta facta eſt, ut intra non multos dies decem fermè millia hominum morerentur. Anno domini lxxx. Veſpaſianus profluuio uentris mortuus eſt. *Peſtis Romæ.*

HISTORIA.



Anno Dominicę incarnationis lxxxi ab urbe condita Dcccxxxi. TITVS Veſpaſiani & Domicillę filius, viij. ab Auguſto imperiũ ſuſcepit, & ij. annis, duobusq; menſibus regnauit. Hic etiam VESPASIANVS ex nomine patris dictus eſt, uir in utraq; lingua, ſcilicet, Græca & Latina diſertiſſimus, bellicoſiſſimus, moderatiſſimus, omniumq; genere uirtutum mirabilis, adeo, ut amor & delitię generis humani dicetur. Tantę uero largitatis erat, ut nulli à ſe petenti negaret. Cumq; reprehenderetur ab amicis cur hoc faceret: reſpondit, nullum debere ab imperatore triſtem exire. Quadam itaq; die dum recordaretur in cœna, quod ea die nulli quicquam præſtitiſſet, dixit aſſidentibus: Amici, hodie diem perdidi. Anno autem ætatis ſuæ xlij. obijt in eadem uilla qua & pater eius. Tantus uero planctus fuit in urbe Roma pro morte eius, quaſi orphani relinquerentur à patre. *Titus Veſpaſianus.* *Suetonius, Nõ oportere ait, à ſermone principis triſtem diſcedere*

ANNI TITI.

Primo igitur imperij ſui anno, amphitheatrũ Romæ ædificauit, in cuius dedicatione quinq; millia ferarũ occidit. Anno dominicæ incarnationis lxxxij repentinũ incendiũ Romę per triduũ fuit. Secundũ Eccleſiaſticam hiſtoriã defuncto Lino, Anacletus ordinatur Papa, ſeditq; annos xij. ſed alij hoc negant.

ANNI DOMITIANI.



Anno Dñicæ incarnationis, lxxxiij. ab urbe condita Dccclxxxiij. DOMITIANVS Veſpaſiani & Domicillæ filius, frater Titi iunior, nonus ab Auguſto regnare cœpit, & annis xv. ac menſibus ſex regnauit. Iſte primum finxit ſe miſericordem & modeſtum eſſe: mox Tyberio aut Caligulæ uel Neroni ſimilior ꝙ patri aut fratri, ad omnia uitiorum genera profectus eſt, in tantũ, ut pro ſceleribus omnibus ſecundo Chriſtianos perſequeretur, primus poſt Neronem: in qua perſecutione Iohannẽ Apoſtolum & Euangeliſtam ob prædicationẽ uerbi diuini in Pathmos inſulã relegauit, & flauiam Domicillam filiã ſororis Flauij Clementis, in Pontianam inſulam cum multis alijs exiliauit: multosq; nobiles ex Romanis necauit. Hic dominum ac Deum ſe appellari ſcribiq; iuſſit, nullamq; niſi auream uel *Domitianus.* *Domitianus perſequutor Chriſtianorũ.* *Domitianus Deum appellari ſe uult.*

 argenteam

Muſcas capta re, et ſtilo præ acuto confige re Sueto.

argenteam ſtatuam ſibi in palatio ſtatui permiſit. In tantam uero mentis ſegnitiem deuenit, ut remotis omnibus, ſolus in palatio muſcarum perſequeretur agmina. Quem cum quidam percunctaretur, an aliquis eſſet in palatio, reſpondit: Ne muſca quidem. Cum'q; odioſus eſſet omnibus, coniuratione ſuorum interfectus eſt in palatio, aſcita in conſilium uxore ſua Domitia, ob amorem Paridis Hiſtrionis, anno uitę ſuæ xxxv. Funus eius per ueſpillones cum ingenti dedecore exportatur, & ignobiliter eſt ſepultum, ſenatusq; nomen eius abradendum decreuit, ne quis eum imperatorem nominaret. Hic in arte ſagittandi tam doctus fuit, ut inter expanſos digitos hominis à longe ſtantis, ſagittam tranſmitteret.

Veſpillo uilis cadauerum fu nerator, qui ueſpertino tẽ pore efferre ſolet, ob ino piam.

Hic ceſſat Sue tonius.

Quintilianus

Hic primo anno ſuo Eunuchos prohibuit. Anno domini lxxxiiij. Titus decreto ſenatus inter deos reputatur. Anno domini lxxxv. Domitianus plurimos ſenatorũ in exilium mittit. Anno domini lxxxvi. Anianus primus poſt Marcũ Alexandrię Epiſcopus, obijt, poſt xxvij. Epiſcopatus ſui annum Cui Albilius ſecundus ſuccedit. Anno domini lxxxvij. Quintilianus ex Hiſpania Calagurritanus primus Romę publicam ſcholã habuit, & ſalarium è fiſco accepit. Anno domini lxxxviij. Domitianus Mathematicos & Philoſophos urbe pepulit. Anno domini lxxxix. Anacletus tertius à Petro Clemẽti ſucceſſit, ſedensq; annis xij. menſes x. paſſus eſt ſub Traiano vi. Kal. Maij. Anno domini xc. Domitianus Forum & multa ædificia fecit. Anno domini xci. Hæreſis Menandri & aliorũ multorũ oritur. Anno domini xcij. Domitianus de Dacis & Germanicis triumphauit. Anno domini xciij. Domitianus prohibuit uites in urbibus ſeri. Anno domini xciiij. Domitianus perſecutionem ſecundam in Chriſtianos primus poſt Neronem mouit, iuxta Eccleſiaſticam hiſtoriam, in urbe Romã. Anacletus xij. annis in epiſcopatu exactis, ſacerdotij ſedem Clementi tradidit, quam ille nouem anuis tenuit. Anno domini xcv. Domitianus multos nobilium perdidit. Anno domini xcvi. Dionyſius Ariopagita primus Athenienſium Epiſcopus à Paulo Apoſtolo conſtitutus, ſed poſtea in Gallias prædicator directus, apud Parrhiſium decollatus eſt, cum Ruſtico & Eleutherio, ſub Siſinno præfecto, anno à paſſione domini lxiiij. Anno domini xcvij. Flauia Domicilla in inſulam Pontianam exiliata eſt. Anno domini xcviij. Domitianus à ſuis interfectus eſt.

Dionyſius Ariopagita Act. 5.

ANNI NERVAE.



Dion Caſsius Nerua, omnes qui impietatis in deos rei fue rant, abſolui uoluit, Chriſti anos intel ligens.

ANno Dominicæ incarnationis 99. urbis uero conditę Dcccxlix. NERVA Cocceius oppido Narnienſi genitus, medię nobilitatis, admodum ſenex decimus ab Auguſto ſuſcepit imperium, regnauitq; anno uno, menſes quatuor, dies octo. Hic in priuata uita moderatus & ſtrenuus, in imperio ciuiliſſimum ſe & æquiſsimũ præbuit. Hic ex decreto ſenatus conſtituit irritum fieri, quicquid Domitianus fieri iuſſit: & edicto ſuo exules omnes reuocauit. Vnde & ſanctus Ioannes Apoſtolus ab exilio Epheſum rediens, & Eccleſiam hæreſibus turbatam inueniens, hortatu fratrum Euangelium ſcripſit, quo fidem rectam confirmauit. Nerua uero adop ☩ to in regnum Traiano, morbo confectus obijt, menſe quinto anni ſecundi imperij ſui, ætatis anno lxxij.

ANNI TRAIANI.

Traianus Co loniæ fit impe rator.

ANo Dominicæ incarnationis centeſimo, urbis uero conditæ Dcccl. VLPIVS TRAIANVS Crinitus, ex urbe Tudertina genitus, genere Hiſpanus, ex familia antiqua magis ꝙ clara, cũ tamen pater eius conſul eſſet, apud Agrippinam nobilem Galliæ ciuitatem imperator factus eſt, regnauitq; undecimus ab Auguſto annis xix. menſes vi. diebus v. Hic Rempublicam



blicam ita adminiſtrauit, ut omnibus principibus merito præponeretur. Nam cum duo ſint quæ ab egregijs principibus expetantur, ſanctitas domi, in armis fortitudo, utrobiq; potétia, tantus in eo maximarũ rerum fuerat modus, ut quaſi temperamento quodam uirtutes miſcuiſſe uideretur, niſi ꝙ cibo, uinoq; paululum deditus erat, laboris patiens fuit, iuſtitię iuriſq; humani & diuini tam repertor noui, ꝙ ueterũ cuſtos. Multa Romano imperio adijciebat, multa beneficia per totum orbẽ quibuſq; præſtabat, fuit enim bellicoſus, & in omnibus bonis ſtudioſus: Hunc cum amici culparent, ꝙ nimium cõmunis eſſet erga omnes, reſpondit. Imperator talis eſſe debet erga ſubiectos, quales ſe erga Imperatores eſſe optaret, ipſe priuatus. Huius ergo imperium credebatur diuinitus datum, in remedium perditi & proſtrati ſenatus Romani, pro eo ꝙ plęraq; magnifica illud denunciauerint, in quibus illud pręcipuũ ꝙ cornix è faſtigio capitolij attico ſermone clamauit, ἐσαι πάντα καλῶς. Hic poſtea deceptus errrore, cum perſecutionem tertiam moueret in Chriſtianos, & Plinius ſecundus, qui inter cęteros iudices, ut Tertullianus refert, perſecutor datus erat, ei ſuggereret, eos homines nihil morte dignum gerere, niſi ꝙ Dijs non immolarent, & Chriſtum, ueluti Deum ante lucem ſurgentes, laudarent, à malis uero omnibus abſtinerent, reſcripſit ei Traianus, Chriſtianos pro fide nullatenus inquirendos, ſicq; perſecutio ſedata eſt. Igitur Traianus doſt ingentem gloriam bello, domiq; quæſitam, è Perſide rediens, apud Seleuciam Iſauriæ profluuio uentris extinctus eſt, anno uitæ ſuæ lxiij. menſe primo, die iiij. Menſe uero vi. anni uiceſimi regni ſui. Cuius exuſti corporis cineres in urna aurea relati Romam, humati ſunt in foro Traiani, ſub eius columna, cuius altitudo cxl. pedes habet, & imago ſuppoſita eſt triumphantium more inuecta, ſenatu & exercitu præeunte, ſolusq; omnium intra urbem ſepultus eſt. Huius memoriæ tantum delatũ eſt, ut uſq; ad noſtram ætatem non aliter in ſenatu principibus acclamaretur, niſi, fœlicior Auguſto, melior Troiano.

Duæ dotes principum: ſanctitas domi fortitudo in armis.

Diuinitus datus Traianus, in remedium perditi et proſtrati ſenatus.

Plinius ſecundus.

Tertullianus de Antelucanis cœtibus in Apolog. cap.

Quidam ueneno interiſſe putant.

Dion Caßius.

Huius anno primo Iohannes Apoſtolus & Euãgeliſta apud Epheſum obdormiuit, anno à paſſione Domini lxviij. uitę ſuæ xcix. Alexandriæ tertius ordinatur Epiſcopus Cerdo, qui ſedit ibi annis undecim. Anno domini ci. Nerua, iuſſu ſenatus, inter Deos refertur. Anno domini cij. Anno domini ciij Euariſtus papa quartus ordinatur, ſedensq; annis octo, patitur ſub Traiano vi. kal. Nouemb. Anno domini ciiij. Traianus multos Romano ſubiecit imperio. Anno domini cv. Anno Domini cvi. Traianus de Dacis & Scythis triumphauit. Anno Domini cvij. Terræmotu quatuor urbes Aſiæ ſubuerſæ ſunt. Anno Domini cviij. Anno Domini cix. Traianus perſecutionem quartam mouit in Chriſtianos, in qua Simõ, Cleophæ filius, qui in Hieroſolymis Epiſcopatum tenuit poſt Iacobum, crucifigitur, cum eſſet cétum uiginti annorum, pro quo iuſtus ordinatur. Ignatius quoq; ſecundus, Antiochiæ Epiſcopus, Romam adductus, beſtijs traditur, pro quo tertius Heron cõſtituitur. Anno domini cx. Plinius ſecundus clarus habetur, & pro Chriſtianis agit. Anno domini cxi. Alexander quintus Romanæ Eccleſiæ papa ordinatur, ſedensq; annis decem, cum Euentio & Theodolo patitur v. Non. Mai. ſub Hadriano duce Aureliano. Quartus Alexandriæ ordinatur Epiſcopus nomine primus, ſeditq; annis xij. Anno domini cxij. Anno Domini cxiij. Tres ciuitates Galatiæ terręmotu corruerunt. Anno domini cxiiij, Hyeroſolymę quartus ordinatur Epiſcopus Zacheus, poſt quem Tobias quintus, Beniamin ſextus, Ioannes ſeptimus, Mathias octauus, Philippus nonus, Seneca decimus, Iuſtus undecimus, Leui duodecimus, Effrem tredecimus, Ioſes uel Ioſeph decimus quartus, Iudas decimus quintus. Hi quindecim ab Apoſtolis uſq; ad euerſionẽ & reſtaurationem Hieruſalem, quæ ſub Hadriano facta eſt, ex circumciſione præfuerunt Hieroſolymis à paſſione domini per annos ferè centum & ſex. Anno Domini

Ioh. Euangeliſta moritur.

Edeſſa capta & incenſa.

Parthi à Traiano domiti.

Arabiam & Agarenos domat. Dion C.

Ignatius beſtijs traditur, uide Sophronium, & lachrymas excutiet hoſtoria.

Quindecim Epiſcopi Hieroſolymorũ, uſq; ad tempora Adriani Cæſaris, Hebræi fuerunt. Euſeb lib. 4. cap. 5.

cxv. Traianus Armeniã, Aſſyriam,& Meſopotamiam fecit prouincias. Anno Domini cxvi. Anno Domini cxvij. Salaminam Cypri urbem ſubuerterunt Iudęi. Anno Domini cxviij. Traianus profluuio uentris moritur. His temporibus apud Aſiam ſuperetat adhuc,& florebat ex Apoſtolorum diſcipulis Polycarpus Smirneorum Eccleſię Epiſcopus,& Papias ſimiliter apud Hieropolim ſacerdotium gerens.

Polycarpus.

HADRIANVS.



ANno Dominicæ incarnationis, centeſimo xix. urbis conditæ Dccclxx. Helius Adrianus genere Italicus, filius Hadriani, qui fuit conſobrinus Traiani, de Hadria ciuitate, agri Piceni, ũde & mare Hadriaticũ dicitur, duodecimus ab Augusto Imperator efficitur: regnauitq; annis xxi Hic licet eſſet filius conſobrini Traiani, noluit tamen eũ adoptare: ſed ſine uolũtate eius factus eſt Imperator, operã tamẽ dante Plotina uxore Traiani. Vnde & glorię Traiani inuidẽs tres prouincias reliquit, quas Traianus adiecit, Armeniã, Aſſyriã, & Meſopotamiam. Hic eruditiſſimus et facũdiſſimus fuit græcolatino ſermone, acutus nimis ad interogandum & reſpondendũ, ordinata reſpõdens ordinatis, iocoſa iocoſis, maledica maledicis, cãtilenã cantilenis, ficta fictis, ita ut præmeditatũ crederes eũ contra omnia. In omnibus enim omnia ſtudia Athenienſium ſecutus eſt, in loquẽdo, in canendo, in pſallendo, in medicinę arte diſcenda, in muſica, in geometria. Item pictorum & figulorum ſcientiam habuit, & omnia hæc perfectedidicit: aliaq; multa, ita ut rara eſſet res illi non experta, & ſuper q̃ credi poſſit, hęc in memoria retinebat: loca, res, cauſas, milites, & eos quos nũq; uidebat, proprijs nominibus appellabat. Fuit homo uarius, & multiplex ac multiformis: diſſimulator in bono & in malo. & ut bonum ſe oſtẽderet, uitia quæ habebat, callide abſcondebat. Hic per Quadratũ, Apoſtolorum diſcipulũ, & per Ariſtidem Athenienſem, uirum fide, ſapientiaq; plenum, & per Serenum Granium legatum, libris de Chriſtiana religione compoſitis inſtructus, mitior Chriſtianis efficitur. Multos labores ſuſtinuit, orbem circũeundo, & multa reparando. Alexandriam & Hieroſolymam dudum ſubuerſas reſtaurauit. Iudęos denuo rebelles ultima cęde perdomuit, ablata eis licentia, Hieroſolymam introeundi, quã ipſe in meliorem ſtatum, in eo loco, ubi Dominus extra portã crucifixus eſt, reſtaurauit: & Heliam de ſuo nomine uocauit. Obijt in Campania apud Baias, morbo ſubcutaneo, anno ætatis ſuæ lxij. imperij. xxi. menſe x.

Adrian. græce & latine eruditus

Quadartus Adriano principi, Eleuſina ſacra inuiſenti librũ pro noſtra religione tradidit, & tãtæ admirationi fuit, ut à perſequutiõe grauiſſima illius ſedaret ingenium R. Volate.

ANNI H. ADRIANI.

PRimo anno ſuo Alexandriam publicis reſtaurauit impenſis. Anno Domini cxx. Senatus inter Deos refert Traianũ. Anno Domini cxxi. Alexãder papa paſſus eſt, cui ſuccedẽs Sixtus papa vi. ſedit annis ix. patiturq; ſub Hadriano viij. Idus Aprilis. Anno Domini cxxij. Iuſtus Alexandriæ quintus ordinatur Anno Domini cxxiij. Anno Domini cxxiiij. Anno Dñi cxxv. Anno Dñi cxxvi. Saturnides & alij duo hęreſim cõdiderũt. Anno Dñi cxxvij. Anno Dñi cxxviij. Quadratus Apoſtolorũ diſcipulus, & Ariſtides Atheniẽſis noſter philoſophus, libros de fide compoſuerunt. Anno Domini cxxix. Anno Domini cxxx. Teleſphorus papa vij. ordinatur, ſedensq; annis x. patitur ſub Hadriano Nonas Ianuar. Hic conſtituit miſſas in ſancta Dominicę Natiuitatis nocte celebrari, & tempore ſacrificij Gloria in excelſis cantari. Antiochię iiij. Epiſcopus Cornelius ordinatur. Anno Domini cxxxi. Nicopolis & Cęſarea terręmotu corruerunt. Anno Domini cxxxij. Eumenes Alexandriæ vi. ordi-

Apologia Quadrati pro Chriſtianis.

Quinquaginta arces dirutæ, uici. 985. direpti & igne cõſumpti. Vide Dionem Caſ.

Teleſphorus papa.

vi. ordinatur, ſedit annis xiij. Anno Domini cxxxiij. Anno Domini cxxxiiij. Anno Domini cxxxv. Anno Domini cxxxvi. Anno Domini cxxxvij. Hieroſolyma ab Helio Hadriano reſtaurata, & ab eius nomine Helia uocata eſt. Anno Domini cxxxviij Marcus Hieroſolymę ordinatur Epiſcopus primus ex gẽtibus, cũ antea fuerint xv. ex circumciſione.

Anno Domini cxxxix. Hadrianus morbo ſubcutaneo moritur. Hoc regnãte, Aquila Ponticus ſacras ſcripturas de Hebræo tranſtulit in Grecum. *Hadrianus Phthiſi conſumptus. Dion Caß.*

ANNO AB INITIO MVNDI IIII. Mille C.



ANno dominicæ incarnationis cxl. urbis cõditę dccccxci. Antoninus Fuluius Boiomus, qui propter clementiam poſtea cognominatus eſt Pius, genere claro, ſed non admodũ uetere, tertius decimus ab Auguſto ſortitus eſt Imperiũ, regnauitq; annis xxij. menſibus iij. Iſte ab Hadriano adoptatus eſt in filiũ, cuius & gener fuit, uir inſignis, & qui merito Numę Pompilio cõferatur, ſicut & Traianus Romulo æquatur. Vixit ingenti honeſtate priuatus, maior in Imperio, nulli acerbus, cunctis benignus, in re militari gloriæ moderator, defendere magis prouincias q̃ ampliare ſtudens, uiros æquos ad miniſtrandam rempublicam quærens. Et cum orbem terræ nullo bello per annos xxij. autoritate ſola rexerit, adeo tremebãt eum, & amabant cuncti reges & nationes ac populi, ut parentem ſiue patronum magis q̃ dominum uel Imperatorem eum reputarent, omneſq; in morem cœleſtium propitium optantes, de controuerſijs inter ſe iudicem poſcerent. Obijt autem anno uitæ ſuæ lxxvij. *Antoninus decimus tertius ab Auguſto* *Antoninus parens, non dominus.*

ANNI ANTONINI.

PRimo huius anno Iginus Papa octauus ordinatus, ſedit annis iiij. deceſſitq; iiij: Idus Ianuar. Hic clerũ cõſtituit, & gradus diſtribuit. Anno Domini cxli. Valentinus & Cerdo Eccleſiam impugnant hęreſi. Anno Domini cxlij. Iidẽ hęreſiarchæ Romam uenerunt. Anno Domini cxliij. Iuſtinus Philoſophus librũ pro Chriſtiana religione compoſitũ Antonino obtulit, eumq; beniuolũ erga Chriſtianos fecit. Anno Domini cxliiij. Pius Papa nonus, ſedit annis xv. migrauit v. Idus Iulij. Anno Domini cxlv. Antiochię quintus cõſtituitur Epiſcopus Heros. Anno Domini cxlvi. Alexandriæ ſeptimus ordinatur Marcus, per annos x. Anno Dñi cxlvij Anno Domini cxlviij. Anno domini cxlix. Anno domini cl. Apollonius Stoicus Calchidicus claruit. Anno domini cli. Anno domini clij. Anno Domini cliij. Creſcens quidam Cynicus Philoſophus, in Iuſtinum noſtri dogmatis philoſophum perſecutionem mouit, qua illum guloſum & philoſophiæ præuaricatorem eſſe coarguit, in qua perſecutione Iuſtinus glorioſe pro Chriſto ſanguinẽ fudit. Anno domini cliiij. Antoninus commotus hæreſi Creſcentis, uniuerſis Aſiæ plebibus ſcripſit epiſtolam pro Chriſtianis. Anno Domini clv. Alexãdrię Celadion ordinatur viij. qui ſedit annis xiiij. Anno domini clvi. Anno domini clvij. Anno domini clviij. Anno domini clix. Anicetus papa decimus ordinatur, qui ſedit annis decem. Sub quo Polycarpus Romam ueniens, multos correxit, quos Valentini & Cerdonis error ſubuertit. Hic ergo Anicetus conſtituit, ut clerus comam non nutriat, paſſuſq; eſt ſub Marco & Seuero xvi. kalen. Maij. Anno domini clx. Hieroſolymæ poſt Marcum ordinatur Caſſianus, xvij. deinde Publius xviij. Maximus xix. Iulianus xx. Gaianus xxi. Symmachus xxij. Gaius xxiij. Iulianus xxiiij. Capito xxv. Anno Domini clxi. Antoninus obijt apud Lorium uillam ſuam. *Iuſtini Apologia pro Chriſtianis.* *Antonini apologia pro Chriſtianis.* *Clerus comam non nutriat.*

HISTORIA.

Marcus Aurelius Anto. Verus, aliàs Philoſophus dictus.



ANno Dñi clxij. ab urbe condita Dccccxiij. Marcus Aurelius Antoninus Verus, quartus decimus ab Auguſto Imperiũ adeptus eſt, in quo regnauit annis xix. Iſte haud dubie nobiliſſimus fuit, quippe cuius origo paterna à Numa Põpilio, materna uero à Solone rege pendebat. Hic omnes uirtutes, & cœleſte habebat ingenium, & in calamitatibus publicis factus eſt quaſi defenſor, & ſi in illis temporibus ipſe non fuiſſet, ſine dubio gloria Romana periſſet. Iſte propinquum ſuum Lucium Annium Seuerum, qui erat gener Antonini Pij, noua beniuolentia conſortem Imperij fecit, tumq; primum Romana res publica duobus æquo iure imperium adminiſtrantibus paruit, cum uſq; ad illos ſemper ſingulos habuiſſet Auguſtos. Hi bellum contra Parthos geſſerunt, ad quod tamen Lucius Annius Seuerus perrexit, multaq; & ingentia per ſe, ducesq; ſuos peregit, rediensq; cum uictoria in Venetia obijt, anno Imperij xi. ictus caſu morbi, quem Græci ἀπόπληξιν uocant. Sicq; Marcus Antoninus iterum ſolus Imperium obtinuit.

Marcomãnis Quadis. Sep tẽtrione enim ſeuiente, inde Perſis orientem uaſtãtib. uide B. Egnat.

ANNI ANTONINI VERI.

PRimo huius anno Vologeſus rex Parthorũ, poſt uictoriã Traiani, tũc primũ rebellãs, uicinas ſibi Romanas prouincias depopulatus eſt, cõtra quẽ Lucius Annius profectus eſt. Anno Domini clxiij. Lucio Cæſari Athenis ſacrificanti ignis in cœlo ab Oriente, in Occidẽtem uiſus eſt ferri. Anno Domini clxiiij. Fronto orator inſignis habetur, qui Marcũ Antoninũ Verũ latinis literis erudiuit Anno domini clxv. Seleucia urbs Syriȩ, cũ ccc. millibus hominũ à Romanis capta eſt. Anno Domini clxvi. Anno domini clxvij. Orta perſecutione quarta à Nerone, ſub his regibus, Polycarpus, & Pionius, & alij multi paſſi ſunt. Anno Domini clxviij. Anno Domini clxix. Sother papa xi. ordinatur, ſedensq; annis ix. deceſſit xi. kal. Maij. Agrippinus Alexandriæ nonus ordinatur Epiſcopus. Anno Domini clxx. Theophilus uir ſapiens ordinatur Antiochiæ Epiſcopus vi. Anno Domini clxxi. Dionyſius Corynthiorum Epiſcopus clarus habetur, Sed & Pynetus Cretenſis Epiſcopus, Melito Sardenſis, Philippus & Apollinaris, Muſanus & Modeſtus, & præcipue Hireneus Lugdunenſis Epiſcopus.

Fronto Orator.

Egeſippus quoq; his temporibus claruit, qui ſub Aniceto papa Romam ueniens, uſq; ad Eleutherium papam permanſit, multaq; ingenij ſui monimenta reliquit. Anno Domini clxxij. Lucius Annius Antoninus Seuerus obijt, & Aurelius Marcus Antoninus Verus regnum ſolus obtinuit, ſed Lucium Commodum filiũ ſuum regni conſortem fecit. Anno Domini clxxiij. Melito Sardenſis Epiſcopus, Apologeticum Antonino Imperatori pro Chriſtianis dedit. Anno Domini clxxiiij. Anno Dñ clxxv. Anno Domini clxxvi. Anno Domini clxxvij. Antiochiæ vij. ordinatur Maximus, Anno Domini clxxviij. Eleutherius papa xij. ordinatur, ſedensq; annis xiij. deceſſit viij. kalen. Iunij. Ad hunc Lucius rex Britanniæ literas miſit, rogans ut baptizaretur, quod & impetrauit. Anno Domini clxxix. Anno Domini clxxx. Antoninus in Pannonia moritur.

Egeſippus.

Melitonis apologeticon, pro Chriſtianis.

HISTORIA.

ANno Dominicæ incarnationis clxxxi. urbis uero conditæ Dccccxxxij. Lucius Aurelius Commodus Antoninus, filius Antonini Veri xv. ab Auguſto imperiũ accepit, & annis xij. ac menſes viij. regnauit, nihil paternũ habẽs, niſi ꝙ contra Ger-

Lucius Aurelius.



tra Germanos & ipſe fœliciter pugnauit. Hic Septembrẽ menſem ad nomen ſuum tranſferre conatus eſt, ut comodus diceretur. In luxurijs & omni ſorde uixit. Senatores multos interfecit, maxime quos uidit nobilitate & ſapientia præcellere, inter quos & Saluium Iulianum legislatorem occidit. Huic Martia Libertini generis uxor fuit, forma & meretricijs artibus pollens. Quæ cum animum eius penitus deuinxiſſet, egreſſo è balneo, ueneni poculum obtulit, amiſſoq́ ei fortiſſimo paleſtrita in domo Veſtiliani, eũ ſtrangulari fecit: anno ætatis ſuæ xxxij. Qui in tanta execratione fuit omnibus, ut hoſtis humani generis etiam mortuus iudicaretur.

Martia uenenum propinat Commodo.

ANNI COMMODI.

HIc primo Imperij ſui anno de Germanis fœliciter triumphauit. Iulianus Alexandrię x. ordinatus, ſedit annis decẽ. Anno domini clxxxij. Anno do. clxxxiij. Anno domini clxxxiiij. Hieroſolymis ordinatur Maximus Epiſcopus xxvi. poſt quẽ Antonius xxvij. Valens xxviij. Dulichianus xxix. Narciſſus xxx. Helius xxxi. Germanio xxxij. Gordius xxxiij. item Narciſſus xxxiiij. horũ Epiſcopatus anni & tẽpora nõ ſunt cognita. Anno domini clxxxv. Anno domi. clxxxvi. Anno domini clxxxvij. Anno domini clxxxviij. Origenes Alexãdrię naſcitur. Anno domini clxxxix. Anno domini cxc. Anno domini cxci. Victor Papa xiij. ordinatur Alexandriæ xi. ſeditq́ annis xliij. Anno domini cxcij. Serapion Antiochiæ ordinatur Epiſcopus viij. Anno domini cxciij. Aurelius Commodus, omnibus incommodus ſtrangulatur. Anno dominicæ incarnationis cxciiij. urbis conditæ, nonageſimo xlv. Helius Pertinax, ſextusdecimus ab Auguſto, ſuſcepit imperium, regnauitq́ menſes ſex. Hic ex libertino patre in Liguria natus, cum præfecturam urbis ageret iam ſeptuagenarius, ex ſenatus conſulto ſuſcepit imperium, coactus & repugnans: unde & Pertinax dictus eſt, per multos labores ad ſummos prouectus honores. Qui in tantũ certauit, ut fortunæ pila uocaretur. Hic obſecrante ſenatu, ut uxorem ſuam uocaret Auguſtam, filiumq́ ſuum Cęſarem, ſufficere inquit debet, ꝙ ego ipſe inuitus regnaui, cum non mererer. Hunc ſeptimo menſe, ſiue ut alij uolunt, octogeſimo primo die occidit in palatio Didius Saluius Iulianus Iuris peritus, Mediolanẽſis, uir nobilis, nepos Saluij Iuliani illius, qui ſub diuo Hadriano leges compoſuit, factioſus, pręceps, regni auidus. Occiſo autem Helio Pertinace, idem Iulianus rempublicam inuaſit, ſed non ultra ſeptem menſes regnauit. Hoc enim tempore Niger Piſcenius apud Antiochiam, & Seuerus Septimus in Sabaria Pannonię, eleuantur Imperatores. Ab hoc Seuero Iulianus bello ciuili uictus eſt apud Pontem Miluium, & fugiens in palatiũ, captus eſt: & extenta ceruice, more damnatorum, decollatus eſt.

Epiſcoporum Hieroſolymorum nomina. Germanio.

Cõmodus omnibus incommodus.

Pertinax fortunæ pila.

Iulianus rempub. inuadit.

Sabaria Colonia diui Claudij Pli. lib. 3. cap. 24.

HISTORIA.

ANno dominicę incarnationis cxcv. ab urbe condita nongenteſimo xlvi. SEVERVS Septimus adeptus eſt imperium, ſeptimusdecimus ab Auguſto, regnauitq́ annis xvij. menſes iij. Iſte oriundus ex Africa, ſolus omnium memoria ex Africa imperator fuit. Primũ fiſci aduocatus fuit: mox militaris tribunus, per multa deinde & uaria officia, uſq́ ad miniſtrationẽ totius publicę rei peruenit. Et quia Heliũ pertinacẽ ultus eſt in Iuliano, Pertinacẽ ſe dici uoluit. Bella multa feliciter egit. Ex quibus maximũ in Britannia, ubi ut receptas prouincias in ſecuritate teneret, uallum firmiſſimũ crebris turribus ſuperpoſitis, per cxxxij. paſſuum à mari ad mare perduxit, ibiq́ apud Eburacum moritur, anno uitæ ſuæ lxv. imperij xvij. Duos

Seuerus decimusſeptimus ab Auguſto.

filios

Baßianus. Geta.



filios reliquit, Baſſianum & Getam, ſed Geta hoſtis publicus iudicatus eſt, Baſſianum uero ſucceſſorem reliquit, cui nomẽ Antonini imponi uoluit. Huius tẽpore perſecutione quinta in Chriſtianos facta, multi pro fide Chriſti coronati ſunt, inter quos & Leonides, pater Origenis martyrizatus eſt. Hoc regnante Samarites quidam Symmachus, Iudęorũ factus proſelitus, item diuinas ſcripturas ex Hebręo in Grę cũ transfudit, ſuamq́ꝫ æditionem condidit. Sed hic, ut in Eccleſiaſtica hiſtoria legitur, Hebioneus fuit, quæ eſt hęreſis, aſſerens Chriſtum de Ioſeph & Maria natum, purum hominem fuiſſe, & legem ritu Iudęorum ſeruandam eſſe. Commentarios etiam quoſdã idem conſcripſit, in quibus conatur de Euangelio ſecundũ Matthęum, autoritatem ſuæ hæreſeos confirmare, poſt hunc, annò penè tertio, Theodotio Ponticus item ſuam in eodem opere æditionem fecit.

Sub Seuero multi martyres. Symachi tralatio Euſeb. li. 5. cap. 14.

Theodotio.

ANNI SEVERI.

Clemens. Panthenus.

PRrimo annò ſuo Seuerus Iulianum interfecit, ſeq́ꝫ Pertinacem appellari præcepit. Anno domini cxcvi. Clemens Alexandrinæ Eccleſię presbyter, & Panthenus Stoicus Philoſophus in diſputatione dogmatis noſtri, diſertiſſimi adhuc floruerunt. Anno domini cxcvij. Narciſſus Hieroſolymitanus Epiſcopus, & Theophilus Cęſarienſis, Polycarpus quoq́ꝫ & Bachilus Aſianę prouincię Epiſcopi, inſignes habentur. Anno domini cxcviij. Quęſtione orta in Aſia, inter Epiſcopos, an ſecundũ legẽ Moyſi xiiij. die menſis primi paſcha celebrandũ eſſet, Victor papa, datis late libellis conſtituit, die dominico Paſcha celebrari, ſicut & prædeceſſor eius Eleutherius, à xiiij. luna primi mẽſis, uſq́ꝫ in uiceſimam primã. Cuius decretis fauens Theophilus Cęſarię Paleſtinę Epiſcopus, cum cęteris Epiſcopis, qui in eodẽ concilio erãt, ſcripſit ſynodicam epiſtolam, ualde utilem aduerſus eos, qui cum Iudęis Paſcha celebrant. Anno domini cxcix. Anno domini cc. Seuerus Parthos & Arabas ſuperat. Anno domini cci.. Anno domini ccij. Anno domini cciij. Zepherinus papa xiiij. ordinatur, ſedensq́ꝫ annis xviij. migrauit vij kalen. Septemb. Anno domini cciiij. Perſecutio quinta facta eſt in Chriſtianos, in qua inter multos alios Leonides pater Origenis, paſſus eſt pro Chriſto. Ipſe uero Origenes octauũ decimum agens ætatis annum, in multisq́ꝫ proficiens, grammaticam etiam gentiles docebat, multosq́ꝫ ad fidem conuertebat, inter quos Plutarchũ, & fratrẽ eius Heraclem, quorũ Plutarchus etiam martyrij palmam conſecutus eſt: Heracles uero poſt Demetriũ, Alexandriæ prælatus eſt. Anno domini ccv. Alexander ob confeſſionem Chriſti habetur clarus. Anno domini ccvi. Anno domini ccvij. Perpetua & Fœlicitas beſtijs reputantur Carthagine. Anno domini ccviij. Anno domini ccix. Seuerus bellum in Britannos transfert. Anno Domini ccx. Tertullianus omnium ore celebratur. Anno domini ccxi. Origenes Alexandriæ ſtudet. Anno domini ccxij. Seuerus Eburaci moritur in Britannia.

Quæſtio de Paſchate, de qua multa in Euſebio, & quod pro hac quæſtione nulla in ecclesia Dei diſſenſio oriri debeat. Et quomodo Euchariſtiam ſolenniter tranſmiſerint. Euſeb. lib 5. cap. 25.

HISTORIA.

Baßianus. M. Anto. Caracalla. Antonianæ Caracallæ. Aelius Spart. & Eutropius lib. 8.

ANno Dominicæ incarnationis ccxiij. ab urbe condita nongenteſimo lxv. MARCVS ANTONINVS Baſſianus Caracalla, filius Seueri, xviij ab Auguſto, ſucceſſit patri in imperium: regnauitq́ꝫ annis ſex, menſesque duos. Hic Baſſianus à nomine aui materni dictus, rogatu patris à ſenatu appellatus eſt Antoninus. Et quia plurimas ueſtes è Gallia deferens, talares caracallas ex his fecit, populumq́ꝫ his ueſtibus indutum ad ſalutandum ſe ingredi pręcepit, Caracalla nuncupatus eſt. Hic morum fere paternorum paulo fuit aſperior & minax,

impatiens



impatiens fuit libidinis, in tantum, ut nouercam ſuam Iuliam duxiſſet uxorem. Hic conſpecto Magni Alexandri corpore, Magnum ſe atq; Alexandrum iuſſit appellari. Adulantium fallacijs eò perductus, ut truci fronte & ad læuum humerum conuerſa ceruice, quod in ore Alexandri notauerat, incedens, fidem uultus ſimilimi perſuaderet ſibi.

Is aduerſum Parthos moliens expeditionē, apud Ediſſam ſedens ad officia naturalia, à milite Macrino qui quaſi ad cuſtodiam ſequebatur, interfectus eſt, anno ætatis ſuæ quadrageſimo quarto.

ANNI ANTONINI CARACALLAE.

PRimo huius anno Aſclepiades Epiſcopus x. Antiochiæ ordinatur. Anno domini ccxiiij. Alexander Epiſcopus Cappadociȩ cum locorum ſanctorū deſiderio Hieroſolymam tenderet, uiuente adhuc Narciſſo Epiſcopo eiuſdem urbis xxx. perſenilis ætatis uiro, & ipſe ibi ordinatus eſt Epiſcopus, domino ut id fieret, per reuelationem præcipiente. Hic itaq; Narciſſus miræ ſanctitatis uir fuit, qui inter plurima uirtutum inſignia, in uigilijs paſchæ, cum oleum luminaribus de- *Narciſſus.* eſſet, aquam infundi iuſſit, quam benedicens oleum fecit. Poſtea à quibuſdam male ſibi conſcijs, cum iudicium eius formidaſſent, noxio quodam crimine infamatus *Hæc Euſeb. in* eſt: quorum unus ita ut non igni conſumeretur, uera ſe dicere teſtabatur: alius ne re- *hiſt. Eccleſia-* gio morbo corrumperetur: tertius ne luminibus priuaretur. Et quamuis nullus qui *ſtica li. 6. ca. 7* uitam eius nouerat, illis licet iurantibus crederet, ille tamen moleſtias non ferens & quietam uitam diligens, ſubterfugit, & in ſecretioribus locis per annos delituit. Primus autem ille teſtis, ex parua ſcintilla nocte domo ſua ſuccenſa, cum omni familia igni conſumptus eſt: alius regio morbo à pede uſq; ad uerticem corruptus eſt: tertius *Vindicta diui* priorum cernens exitum, tandem confeſſus eſt reatū ſuum, & eo uſq; perſtitit in fle- *na in teſtes* tibus. Narciſſus uero cum nō inueniretur, neceſſarium uiſum eſt Epiſcopis, ut ordina *periuros.* rent pro eo alium, cui nomen Helius: cui poſt paruum tempus ſucceſſit Germanio, & huic Gordius. Cum ecce ſubito quaſi rediuiuus apparuit Narciſſus, reuerſuſq;, ro- *Germanio.* gatu fratrum, loco ſuo eſt reſtitutus, cui iam centum & ſedecim annorū, Alexander diuino monitu uiuo ſucceſſit, & cū eo Eccelſiam ſtrenue rexit. Anno domini ccxv. Anno domini ccxvi. Anno domini ccxvij Anno domini ccxviij. Anno domini ccxix Editio quam nominamus quintam, Hieroſolimis eſt inuenta. Anno dominicæ incarnationis ccxx. ab urbe condita nongenteſimo. lxxi. Opilius Macrinus qui præfectus erat prætorij. xix. ab Auguſto, imperator efficitur ab exercitu, cum Diadumeno *Opilius Ma-* filio ſuo: regnanſq; annum unum, & menſes duos, ab eodem exercitu apud Archilai *crinus imp. Vi* dem tumultuante occiditur cum filio ſuo. Antiochiæ ordinatur Philetus epiſcopus *de Iulium Ca-* undecimus. *pitol.*

HISTORIA

ANno Dominicæ incarnationis ccxxi. urbis uero conditæ nongenteſi- *M. Aur. Ant.* mo lxxij. Marcus Aurelius ANTONINVS VARVS, qui putaba- *Varus, alias* tur filius Antonini Caracallȩ, ex conſobrina ſua occulte ſtuptata, xx. ab *Geta dictus.* Auguſto imperator factus, regnauit annis iiij. Huius matris auus Baſſia *Vide Aelium* nus, ſacerdos fuit ſolis, quem Phœnices Heliogabalum nominant, un *Spar.* de & iſte Heliogabalus dictus eſt, ſacerdos & ipſe in templo Heliogabali. Is cum Romam ingenti militum & ſenatus expectatione ueniſſet, probris omnibus ſe contaminauit, impudiciſſime uiuens, nullum obſcœnitatis genus omiſit. Vnde & cupiditatem ſtupri, quam naturæ defectu aſſequi nondum poterat, in ſe transferens, mulie bri nomine Baſſianā ſe pro Baſſiano iuſſit appellari, ueſtalem uirginē quandam quaſi in matrimonio iungenſq; ſibi, abſciſiſq; genitalibus, matri magnæ ſe conſecrauit.



HicMarcellum conſobrinū ſuum, qui poſtea Alexander dictus eſt, cæſarem fecit. Poſt triennium uero & menſes viij. ex quo regnare cœpit, Romæ tumultu militari cum matre ſua interfectus eſt, anno ętatis xvi. corpusq́ eius per urbis uias, more canini cadaueris, tractum eſt à militibus, cauillo militari appellātibus eum, indomitæ rabidæq́ libidinis catulam. Hyppolitus Epiſcopus multorū conditor opuſculorum, canonem temporum quæ ſcripſit, huc uſq; perduxit, qui etiam ſedecennalem paſchę circulum reperiens, Euſebio qui decennouenalem compoſuit, occaſionem dedit.

Hyppoliti opera.

ANNI AVRELII.

PRimo Aurelij anno, Caliſtus papa xv. ordinatus, ſedit annis quinq;, paſſusq́ eſt ſub Alexandro imperatore. ij. Idus Octobris. Anno domini ccxxij. Anno domini ccxxiij. Nicopolis quæ prius Emmaus uocabatur, condita eſt, legationis induſtriam pro ea ſuſcipiente Africano temporum ſcriptore. Anno domini ccxxiiij. Aurelius militari tumultu occiditur.

HISTORIA.

Aurel. Alexāder Seuerus.



ANno Dominicæ incarnationis, ccxxv. à cōditione urbis nongenteſimo lxxvi. Aurelius SEVERVS ALEXANDER ignobilis fortunæ, xxi, ab Auguſto imperator factus eſt iuuenis admodum, ab exercitu Cæſar nominatus, à ſenatu Auguſtus: regnauitq́ annis xiij. Hic Mammeam matrem ſuam pie & unice dilexit, pro quo omnibus placuit. Illa uero ei multum dominata, eo uſq; illū coegit, ut illa ipſa permodica, ſi qua menſę ſupereſſent quamuis ſemeſa, alteri cōuiuio reſeruarentur. Quæ tamen poſtea Origenem præſbyterum audire curauit: eumq́ Antiochiam uocatū, honorifice tractauit, & eo audito, chriſtiana facta eſt. Alexander itaq; ſuſcepto bello aduerſus Perſas, Xerxē regē glorioſiſſime uicit, militarē diſciplinā ſeueriſſime rexit, Romę quoq; fauorabilis & amabilis fuit. cuius tēpore Taurinus in oriēte ſūpſit imperiū. Iulianus Maximus in Gallia. Alexāder uero apud Mogōtiacū poſitus, cū uideret ſe à militibus deſeri, optauit ut aliquis eū occideret. Cūq; ei unus cū gladio occurriſſet, ille obuoluto capite ceruicē præbuit, ſtatimq́ perijt. anno uitæ xxvi. imperij xiij. Sub cuius imperio, in Nicopoli Actiaca, id eſt, in Epiro, editio quā ſextā dicimus, inuenta eſt.

Mammea fit Chriſtiana ſub Origine.

Alexander Mogontiæ occiditur.

ANNI ALEXANDRI.

HIc primo regni ſui anno, Xerſen regem Perſarum uicit. Anno dn̄i ccxxvi. Vrbanus Papa xvi. efficitur, ſedensq́ annis viij. multos conuertit ad fidem, & ad martyrium exhortatus eſt, ipſeq́ paſſus eſt ſub Alexandro, viij. kal. Iunij. Anno domini ccxxvij. Anno domini ccxxviij. Vlpianus iuris conſultus, aſſeſſor Alexandri claruit. Anno domini ccxxix. Anno domini ccxxx. Anno domini ccxxxi. Antiochiæ conſtituitur Zebennus epiſcopus xi. Anno domini ccxxxij. Anno domini ccxxxiij. Anno domini ccxxxiiij. Pontianus papa xvij. ordinatus

natus, ſedit annis ſex, paſſusq́ eſt ſub Maximino xij. kal. Decemb. Heracleas Alexandriæ ordinatur xij. Anno domini ccxxxv. Origenes de Alexandria in Paleſtinæ Cæſaream tranſit. Anno domini ccxxxvi. Anno domini ccxxxvij: Alexander Mogontiæ occiditur.

ANNI MAXIMINI.



ANno Dominicæ incarnationis, ccxxxviij. urbis conditæ nongenteſimo lxxxix. Iulius MAXIMINVS genere Thrax, ordine miles xxij. ab Auguſto imperator factus eſt, ſola militum uoluntate, ſine ſenatus autoritate, regnauitq́ annis tribus. Hic perſecutionem ſextam à Nerone in Chriſtianos exercuit. Huius tempore duo Gordiani, pater & filius imperium arripuerunt, ſed unus poſt unum interierunt. Maximinus autē bello aduerſus Germanos ſuſcepto, & fœliciter acto apud Aquileiam à Puppieno quodam interfectus eſt cum filio adhuc puerulo, cunctis militari ioco clamantibus: ex peſſimo genere nec catulum habendum fore. Anno domini ccxxxix, Maximinus perſecutionē ſextā mouit in Chriſtianos: in qua cum Pontianus Papa occubuiſſet, Antherus ei ſucceſſit xviij. papa: ſed poſt menſem unum, dieſq́ tredecim, & ipſe paſſus eſt, iij. Non. Ianuarij. Anni ab initio mundi iiij. mil. cc. Anno domini ccxl. Fabianus papa xix. ordinatur ſedens annis xiij. & menſibus xi. paſſus eſt ſub Decio, xiij. kalen. Feb. Maximinus imperator Aquileiæ occiditur. Antiochiæ Babylas ordinatur xij.

Maximinus Thrax.

Perſecutio in Chriſtianos, uide 9. lib. Euſebij in aliquot capitibus

HISTORIA.



ANno dominicę incarnationis ccxli, ab urbe cōdita nongenteſimo xcij. GORDIANVS nepos Gordiani ex filia, ortus Romæ ex clariſſimo patre, xxiij. ab Auguſto imperator creatus, regnauit annis vi. Hic cum Romā ueniſſet, Puppienus & Galbinus fratres, qui occiſo Maximino, imperiū inuaſerūt, de ruſtico genere, in palatio interfecti ſunt. Gordianus aūt admodū puer, cū Tranquillinā duxiſſet uxorē Romæ, ad orientē profectus, bellum Parthis intulit: quo fœliciter geſto, Perſas ingentibus prælijs afflixit: & cum rediret, à Philippo, qui poſt eū regnauit, occiſus eſt, anno uitæ xx.

Gordiani tres Vide Iuliū Capitol.

ANNI GORDIANI.

HVius anno primo, Iulius Africanus chronographus inter Eccleſiaſticos ſcriptores nobilis habetur. Qui in Chronicis, quæ ſcripſit, refert ſe Alexandriam properaſſe, Aradę opinione celeberrima prouocatū, quē & in diuinis, & in humanis & philoſophicis ſtudijs, atq́ in omni Græca doctrina inſtructiſſimum fama loquebatur. Anno domini ccxlij. Origenes in Cæſarea Paleſtinæ, Theodorum cognomento Gregorium, & Anthenodorum fratrem eius, Ponti poſtea epiſcopus inſignes, diuina imbuit ſapientia. Anno domini ccxliij. Porphyrius Plotini Platonici philoſophi auditor, Romę clarus habetur. Anno domini ccxliiij. Theopompus Chronicus, & Nicanor ſophiſta, Athenis claruerunt. Anno domini ccxlv, Gordianus bellū Parthis intulit. Anno dñi ccxlvi. Gordianus à Philippo interficitur.

Iulius Aphricanus Chronographus. Euſebi. li. 6. ca. 23.

Aradas.

ANNI PHILIpPI.

Philippus primus Imperator Chriſtianus. Euſebius lib.6.cap.25.





ANno Dominicę incarnationis cc.xlvij. urbis conditæ nongenteſimo xcviij. Marcus Iulius PHILIPPVS xxiiij. ab Auguſto inuaſit imperium, occiſo Gordiano,& unà cum filio ſuo Gaio Iulio Saturnino Philippo, regnauit annis vij Iſti omnium imperatorum primi Romæ Chriſtiani effecti ſunt: & in ipſis Paſchæ uigilijs, cum iungi uellent ſacrificijs, & cõmunicare, à Fabiano pontifice Romano non permiſſi ſunt, niſi prius cõfiterentur peccata ſua, & inter pœnitentes ſtarent. Quod illi ſuſcipientes libentiſſime, diuinum ſibi metum, & Chriſtianitatis pleniſſimam fidem rebus & operibus comprobabãt ineſſe. His anno iam tertio imperantibus, milleſimus annus conditæ urbis Romæ impletus eſt: quo ſolenniter ab oibus celebrato, innumerabiles beſtiæ in circo magno interfectę ſunt. Ludiq́ theatrales in campo Martio celebrati, tribus diebus ac noctibus populo peruigilante. Ambo deinde, ſcilicet, pater & filius ab exercitu interfecti ſunt: pater Veronæ, capite medio ſupra ordines dentium prę ciſo, filius uero Romæ, cum eſſet annorũ xij. Hic adeo ſeueri fuit animi, ut iam à quinquennij ætate nullo cuiuſquam commento ad ridendum ſolui potuerit: patremq́ ludis ſecularibus petulantius cachinnantem, licet adhuc puer, uultu auerſato notauerit.

Philippus primo regni ſui anno, Philippum filium ſuum conſortem regni facit, Anno domini ccxlviij. Anno domini ccxlix. Alexandriæ Dionyſius ordinatur epiſcopus xi j. Annus ab urbe condita milleſimus feſtiue celebratus eſt Romæ. Anno domini ccl.. Anno domini ccli. Anno domini cclij. Philippus urbẽ nominis ſui conſtruxit in Thracia. Anno dñi ccliij. Philippus ſenior Veronę, iunior occiditur Romę.

HISTORIA.

Decius.



Martyres ſub Decio.

ANno Dñicæ incarnationis ccliiii. ab urbe cõdita milleſimo quinto, DECIVS in Pannonia inferiori Bubaliæ natus, xxv. ab Auguſto inuaſit imperium, interfectis eius fraude Philippis, hoc eſt, patre & filio, & xxx. menſibus, id eſt, duobus annis & dimidio. Quidam autem ſcribunt eum uno tantũ anno regnaſſe: ſed hoc multũ diſcordat paſſionibus ſanctorum, qui leguntur ſub eo paſſi fuiſſe. Nam cũ legatur Fabianus papa xiiij. ſui epiſcopatus anno martyriũ ſub illo accepiſſe, & huic Corneliũ triennio in ſede ſucceſſiſſe, itemq́ ſub eodem paſſum fuiſſe, Sixtũ quoq́ & Laurentium & Hyppolitũ, aliosq́ ꝗ plures, ſtare nõ poteſt, ut tot ſibi in Romana ſede ſuccedentes, uno anno trucidauerit, maxime cũ Cornelius, ut Eccleſiaſtica docet hiſtoria, triẽnio ſedẽ tenuerit. Vñ & de ipſorũ quoq́ pontificũ ſucceſſione quęſtio animũ pulſat, quõ Decio regnũ uel uno, uel duob. & dimidio anno tenẽte, Cornelius epiſcopatum Ro-

Sixtus. Laurentius. Hyppolitus.

tum Romanum tribus, iuxta Eccleſiaſticam hiſtoriã, annis tenuerit, eiq; Lucius per octo menſes, Stephanus uero per biennium, dehinc Sixtus per xi. annos, exin Dionyſius per nouem annos ſucceſſerit, cum per omnem Eccleſiam Cornelius & Sixtus, cuius diaconus erat Laurentius, ſub Decio paſſi prædicentur: Lucius uero & Stephanus ſub Valeriano & Galieno martyrizati legantur. Qua de re cõijci poteſt, ſucceſſionum uices uitio ſcriptorum pro ſimilitudine nominum mutatas fuiſſe, autoritatem uero catholicæ Eccleſiæ, ad nos uſq; perlatam, probabile eſt ſequendam eſſe. Sed ut ad ſuperiora redeamus, Decius filium ſuum Decium Cæſarem fecit & perſecutionẽ ſeptimam poſt Neronem in Chriſtianos mouit, occaſionem ſumens odium Philipporum quos interfecit, in qua perſecutione multi ſanctorum paſſi ſunt. Huius temporibus cum plurimi Gothi Iſtrum fluuium tranſmeantes, Romanorũ ciuitates deuaſtarent, Decius cum filio ſuo illos bello aggreſſus, xxx. millia ex eis occidit, de ſuis quoq; multos amiſit. Filius eius etiam interfectus eſt, ipſeq; inter confuſas turbas gurgite cuiuſdam paludis ſubmerſus eſt, ita ut nec cadauer eius inueniri potuerit, anno imperij ſui iij. uitæ l. Hęc iuxta hiſtoriam. In paſſionum uero libro ſcriptum reperitur, quod interfecto Sixto papa, & eius archidiacono Laurentio, alijsq;, ac deinde Hyppolito, ſocijsq; eius, xxvij. die poſt paſſionem ſanctorum, Decius & Valerianus præfectus ſedentes in carruca, cum tractarent adhuc de nece ſanctorum, dæmonijs arrepti ſint, & in præſentia Decij Valerianus expirauerit: Decius uero rediens in palatium, triduo uexatus ſit, & in conſpectu Triphoniæ uxoris ſuæ exhalauerit. Qualiter autem ſuper his ueritas ſe habeat, in ſcriptorum ratione conſiſtat.

Autoritas Eccleſiæ.

Decius 03 millia Gothorum occidit.

Liber paßionum.

ANNI DECII.

PRimo Decij anno facta in Chriſtianos perſecutione, Fabianus papa xix. paſſus eſt, xiij. kal. Feb. Cui Cornelius xx. ſuccedens, ſedit annum, & menſes vij. & dies aliquod, licet in Eccleſiaſtica hiſtoria legatur (ſi tamen uitio ſcriptorum liber deprauatus non eſt) tribus annis ſedem tenuiſſe, quod rationi temporum Decij non uidetur conuenire. Alexander Hieroſolymitanus epiſcopus Narciſſi ſucceſſor curſum bonum conſummauit, cui Azabanes ſucceſſit. Anthiochenus quoq; pręſul æqualiter Alexandro decertans, & in uinculis moritur, poſt quẽ Fabianus xiij. conſtituitur. Anno domini cclv. Cornelius papa xx. paſſus eſt xviij. kal. Octob. cui ſuccedens Sixtus papa xxi. ſedit menſes x. Anno domini cclvi. Sixtus papa paſſus eſt viij. Idus Aug. cum alijs. Paſſi ſunt hoc anno Polochronius epiſcopus cum multis, Abdon & Sennes, Olympiades & Maximus, Laurentius poſt Sixtum, Hyppolitus cum ſocijs ſuis, alijq; quàmplures. Dionyſius papa xxij. poſt Sixtum ordinatus, ſedit annis ij. & menſibus v.

Martyres ſub Decio.

Epiſtola eſt Dionyſij Alexandrini ad Flauianum Antiochenũ de martyribus Alex.

HISTORIA.



ANno Dominicæ incarnationis, cclvij. ab urbe cõdita milleſimo viij. Virius GALLVS Hoſtilius xxvi. ab Auguſto, imperator ab exercitu creatur, & cum Voluſiano filio ſuo regnauit annis ij. mẽſibus iiij. Huius imperij Dionyſius Alexandrinus epiſcopus meminit ita: At ne Gallus quidem malum Decij aut uidere potuit, aut cauere, ſed in eundem lapidem offenſionis impingẽs, ſanctos uiros perſecutus eſt. His tẽporibus Aemilianus quidam in Mœſia imperator eleuatus eſt, contra quem ambo, pater ſcilicet ac filius, pergentes, ab exercitu ſuo interfecti ſunt: pater habens annos uitæ xlvij. Aemilianus autem Maurus genere, poſt menſes quatuor occiſus eſt.

ANNI GALLI.

Origenes moritur.

Quinq; millia librorum Origenis.

PRimo anno regni Galli, & Voluſiani, Origenes presbyter, anno ætatis ſuæ lxx. nondum impleto, moritur, & in Tyro ſepelitur, qui in tantum ſedulus fuit ſcribendi, ut Hieronymus quodam loco dicat, quinq; millia librorum eius ſe legiſſe. Antiochiæ conſtituitur Demetrianus Epiſcopus xiiij. Anno domini cclviij. Gallus & Voluſianus occiduntur. Dionyſius papa xxij. migrauit vi. kal. Ian. Hic presbyteris Eccleſias diſtribuit, & parochias diuiſit.

HISTORIA.

Licinius.

Galienus.

Et hic uides differentiã inter Auguſtum & Cæſarem, Eſt enim Cæſar ſub Augusto.





ANno Dominicæ incarnationis, cclix. urbis uero conditæ milleſimo x. LICINIVS Valerianus cognomento Colobius, in Rhetia & Norico agens, ab exercitu imperator creatus, mox Auguſtus eſt appellatus, xxvij. ab Auguſto. Romæ uero Galienus filius eius à ſe natu Cæſar appellatus eſt, regnaueruntq; ſimul annis ſex: Galienus uero ſolus poſtea ix. qui faciunt annos xv. Valerianus itaq; nobilis quidem erat genere, ſtolidus tamen & iners multum, nec ad aliquem uſum publici officij conſilio ſeu geſtis accommodatus. Galienus autem primum fœliciter regnauit, poſtea uero luxurioſe uiuens, imperium fere adnihilauit. Valerianus igitur filium ſuum Galienum fecit Auguſtum, & Cornelium Valerianum Galieni filium cæſarem conſtituit. Mox autem ut regnare cœpit Licinius Valerianus, perſecutionem à Nerone ix. in Chriſtianos exercuit. Poſtea in Meſopotamia bellum gerens, à Sapore Perſarum rege captus, luminibusq; priuatus, miſerabilis ſeruitute ibi conſenuit. Nam quàm diu uiuebat, ſemper accliuis humi, regē in equum aſcenſurum dorſo attollebat. Vnde Galienus tam claro Dei iudicio territus, pacē noſtris dedit: ob meritum tamen uel propriæ libidinis, uel paternę Theomachię, innumera, Barbaris aſſurgentibus, Romani regni detrimenta ſuſtinuit. Ad ultimum profectus aduerſus Aureolum ducem ſuum, qui Mediolano regnare tentauit, comprehendit illum apud Pontem, qui ex nomine eius Aureolus appellatur, & Mediolanum obſedit. Sed cum ibi luxurioſe uiueret, artificio eiuſdem Aureoli à ſuis interfectus eſt, anno ætatis quinquageſimo. Hac autem perſecutione, quæ ſub patre ſuo facta eſt, aliqui paſſos eſſe confirmant, Cornelium, Lucium, Stephanum, & Sixtum, Romanos pontifices, cum tamen Cornelius & Sixtus, ut ſupra dictum eſt, in paſſionum libris ſub Decio paſſi legantur.

Vide Euſebiũ lib. 7. cap 16.

ANNI VALERIANI ET GALIENI.

PRimo regni ſui anno, Licinius Valerianus perſecutionē in Chriſtianos mouit. Lucius papa xxiij. ordinatur, ſedenſq; menſes viij. patitur iiij. Non. Mar. Cui ſuccedens Stephanus xxiiij. ſedit annis ij. patiturq; iiij. Non. Aug. Anno domini cclx. Anno domini cclxi. Anno domini cclxij. Sixtus papa xxv. ordinatus, ſedit annis xi. patiturq; viij. Idus Aug. Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopu

Epiſcopus,doctor præcipuus, cuius doctiſſima extant opuſcula,martyrio coronatur xviij.Kalen.Octobris. Anno Domini cclxij . Theodotus cognomento Gregorius, cuius ſupra mentionem fecimus,Neocęſariæ ponti Epiſcopus,magna uirtutum glo= ria claruit,qui & ſtagnum quoddam precibus exiccauit,& montem,ut Eccleſię locus ſufficeret,mouit. Anno Dñi cclxiij.Antiochię ordinatur Epiſcopus xv.Paulus Samo ſatenus.Anno Dñi cclxv· Valerianus à Sapore Perſarum rege capitur.Anno Domini cclxvi.Galienus caſu patris perterritus, pacem Chriſtianis dat. Anno Dñi cclxvij. Anno Domini cclxviij. Anno Domini cclxix. Anno Dñi cclxx. Hieroſolymorũ Epi= ſcopus Hymenęus ordinatur.Alexandrię cõſtituitur Epiſcopus xiiij.Maximus. Anno Dñi cclxxi, Antiochię ordinatur Epiſcopus Doninus xvi. Anno dñi cclxxij. Anno dñi cclxxiij.Dionyſius papa xxvi.ordinatur,ſedit annis ix.Galienus Mediolani interficit.

Cypriani opuſcula. *Miraculũ de ſtagno exiccato Euſeb.li.7. cap.25.*

ANNI CLAVDII.



Anno Dñi cę incarnationis cclxxiiij ur bis cõditę mill.xxv. CLAVDIVS, quẽ multi dicũt à Gordiano creatũ xxviij . ab Auguſto, à militibus ele= ctus,à ſenatu Auguſtus appellatus,re gnauit annũ unũ, mẽſes ix. uir parcus & mo= deſtus, & iuſti tenax, ac reipublicæ idoneus. Hic Galieni moriẽtis ſẽtẽtia Imperator deſig= natus eſt,ad quẽ Ticini poſitũ ueſtimẽta rega= lia ille direxit.Hic interfecto à ſuis Aureolo, re= cipiẽs legiones,Gotthos per xv.annos Illyricũ Macedoniãq; uaſtãtes,ingẽti prelio uicit,dein= de aduerſus xxx. millia Alemãnorũ,haud pro cul à lacu Benaco dimicãs, tantam eorũ mul= titudinẽ fudit, ut uix dimidia pars remaneret. Qui cum intra bienniũ morbo interiret, tanto eum ſenatus decorauit honore, ut di= uus appellaretur,& in curia clypeus aureus,in capitolio uero aurea ſtatua ei ponere= tur.Cuius frater Quintilius uir unicæ moderationis & ciuilitatis,ſolusq; fratri præfe= rendus,à militibus electus, & conſenſu ſenatus Auguſtus appellatus,xvij.imperij die Aquileiæ occiſus eſt. Anno Domini cclxxv.Paulus Samoſatenus Antiochiæ Epiſco= pus,à multis Epiſcopis hæreticus eſſe conuincitur,dogmatizans Chriſtum commu= nis naturæ hominem tantum fuiſſe,aduerſus quem Malchion diſertiſſimus Antio= chenæ preſbyter Eccleſiæ, utpote qui in eadem Eccleſia rhetoricam docuerat, acci= pientibus notarijs diſputat, qui dialogus uſq; hodie extat . Deiecto autem Paulo xvi.Antiochiæ,ſubrogabatur Doninus Epiſcopus.

Claudius. uide Epitomen Sexti Aurel. Vict. *Plinius lib.3. cap.19.* *Quintilius.* *Paulus Samoſatenus.* *Vide Euſe: ſiſe hæc referentem li.7.ca.23*

ANNI AVRELIANI.



Anno Dñi cę incarnationis cclxxvi à cõdita urbe,mill.xxvij. AVRE= LIANVS patre mediocri, & ut di cũt Aurelij ſenatoris colono proge nitus,xxix.ab Auguſto Imperator electus, reg nauit annis v.mẽſibus vi. uir in bello potẽs,ſed animi immodici,& ad crudelitatẽ propẽſioris ita ut nõ ſolũ nobiles plures dãnaret, ſed etiã ſororis ſuę filiũ necaret. Diſciplinę tamẽ mili= taris,& morum diſſolutorum magna erat ex parte corrector,quiq; Gothos ſtrenuiſſime ui= cit,haud diſſimilis Magno Alexãdro, ſeu Cæ ſari dictatori,Nam Romanum Imperium tri= ennio ab inuaſoribus receptauit,cum Alexan= der annis xij. per ingentes uictorias ad Indiam

Aurelianus

peruenerit, Gaius Cæſar decennio Gallias ſuperauerit,aduerſus ciues quadriennio pugnauerit.Hic primus apudRomanos diadema capiti ſuo impoſuit,& ueſtes auro gemmisq́ contextas,in uſu habuit,quod antea Romanis moribus incognitum fuit, porcinæ quoq caruis uſum populo conſtituit.Hic cum perſecutionem nouam poſt Neronem in Chriſtianos mouiſſet,fulmen ante illum magno circumſtantium pauore ruit,ac non multo poſt inter Conſtantinopolim & Heracliam à militibus occiſus eſt.Anno domini cclxxvij.Antiochiæ Thynæus ordinatur Epiſcopus xvij.Anno domini cclxxviij.Anno domini cclxxix.Euſebius Laodicenus Epiſcopus inſignis habetur.Anno domini cclxxx.Aurelianus occiditur.

Primus q diadema capiti impoſuit.

Perſequutor Chriſtianorũ.

Non cum uoluerit tyrannus, cruciamur,ſed cum probauerit ipſe corripimur.Euſebius li.7.cap.25.

HSTORIA.



Tacitus.

Huius ſententia eſt, Nemo iuſtius quàm grauis uir, prudẽtius quã doctus Imperator.B.Eg.

Florianus.

ANno Dominicę incarnatiõis cclxxxi ab urbe condita,mille:xxxij, TACITVS ab Auguſto xxx. ſuſcepit imperiũ,uir egregie moratus, & ad regendã rempublicã idoneus,ſed nihil potuit oſtendere,quia poſt vi.menſes apud Pontũ occiſus eſt.Huic Florianus ſucceſſit,ſed nec hic aliquid dignũ memoria egit,quia duobus tantũ menſibus & xx.diebus in imperio uixit. Nam dũ magna pars exercitus eligeret Equitium probũ,militiæ peritum,Florianus quaſi per ludum tenuit imperium diebus lx.deinde ſibimet uenas incidens,ſanguine interijt fuſo.

HISTORIA.



Probus ex patre hortulano

ANno dominicę incarnatiõis cclxxxij PROBVS ab Auguſto xxxi. Imperium adeptus,regnauit annis vi.urbis cõditę,mille.xxxiij.mẽſes iiij.Iſte patre genitus ruſtico, hortorũ cultore ſtudioſiſſimo,nomineDalmatio,& gloria militari ad adminiſtrationẽ publicã acceſſit. Gallias à Barbaris occupatas ingenti pręliorũ fœlicitate reſtituit,uir acer,ſtrenuus,& iuſtus,multa gerens bella,& qui Aurelianũ gloria militari coęquaret, & morum ciuilitate ſuperaret. Interfectus eſt aũt apud Sirmium militari tumultu. His temporibus Anatolius natione Alexãdrinus, Laodiceæ Syriæ Epiſcopus, philoſophorum diſciplinis eruditus,plurimo ſermone celebratur,cuius ingenij magnitudo,de libro quem ſuper Paſcha compoſuit,& decem libris Arithmeticæ inſtitutionis,apertiſſime poteſt cognoſci.

Anatolij laus.

ANNI PROBI.

PRimo PROBI anno Fœlix papa xxvij.ordinatus,ſedit annis v. deceſſitq́ iij.kalen.Ianuar.Hic cõſtituit miſſas celebrari,ſuper memorias martyrũ. Anno dñi cclxxxiij. Manes quidã extitit genere Perſes, uita & moribus Barbarus,tam acer ingenio,ut inſanire,uel dęmone uideretur impleri,ex quo inſana Manichęorũ hęreſis orta eſt.Anno domini cclxxxiiij.Anno domini cclxxxv. Cyrillus xviij Antiochiæ ordinatur Epiſcopus. Anno Domini cclxxxvi.Anno domini cclxxxvij. Eutichianus papa xviij.ordinatur,ſedensq́ menſibus x. deceſſit,vi. Idus Decembr. Cui ſuccedens Gaianus xxix.ſedens annis xv.paturq́ ſub Diocletiano x.kalen.Maij Alexandriæ ordinatur Thennas Epiſcopus xv.Archelaus Meſopotamię Epiſcopus,

Anno.28. conſtitutæ Miſſæ Martyrum.

Manichæorũ hæreſis.

librum

librum diſputationis ſuę,quã habuit aduerſus Manen Hęreſiarcham , Syro ſermone compoſuit,qui translatus à Grecis,habetur à multis.

Archelai diſputatio contra Manen.

ANNI CARI.



ANno Dñicæ incarnatiõis cclxxxviij urbis cõditę mill. xxxix. CARVS Narbonę in Gallia natus,xxxij: ab Auguſto,moxq́; filios ſuos,Carinũ & Numerianũ,Cęſares faciens,duos cũ his annos regnauit. Is nũciato ſibi Perſarũ tumultu, profectus in Orientẽ,cũ apud Antiochiã maneret Numerianus filius eius Eccleſiã uoluit intrare, & Chriſtianorũ myſteria explorare. Quem cũ ſanctus Cyrillus Epiſcopus prohiberet,dicens illi,non licere diuina myſteria uidere,qui pollutus eſſet ſacrificijs idolorũ,indignatus ille,occidit eũ. Carus aũt cũ Perſas fortiter in bello ſterneret, & notiſſimas urbes eorũ

Carus.

Cyrillus occiditur à Numeriano.

Polluti non uideant diuina myſteria.





caperet,ſuper Tygridem fluuiũ caſtra ponens,ictu fulminis interijt. Numerianus uero filius eius,cum dolore captus oculorum,in lectica ueheretur,inſidijs Apri , ſoceri ſui,occiſus eſt. Cumq́; mors eius occultaretur,donec Aper regnum poſſet inuadere, fœtore corporis ſcelus proditum eſt. Interea Carinus in Italia relictus , Sabinum Iulianum inuadentem Italiam in campis Veronenſibus occidit , ſeipſum uero ſceleribus inquinauit. Multos falſis criminibus occidens, nobilium matronas ui corrumpens, omnibusq́; inuiſus,non multo poſt trucidatur cuiuſdam tribuni manibus , cuius uxorem dicitur polluiſſe. Anno dñi cclxxxix. Carus fulmine perijt,filij eius occiſi ſunt.

O Statum ſpiritalem hoc tẽpore.1536.

HISTORIA.



ANno dominicæ incarnationis ccxc. ab urbe condita, mill. xl. DIOCLETIANVS xxxiij . ab Auguſto, Imperator ab exercitu creatus eſt,regnauitq́; xx. annis,uir obſcuriſſime natus de Dalmatia. Quidam enim dicunt eum fuiſſe filium cuiuſdã Dalmatæ ſcribæ,alij uero libertinum Amilij ſenatoris. Fuit autem natus de ciuitate, & matre Dioclea , unde & ipſe quouſq́; imperium ſumeret, Diocles appellatus eſt. At ubi ſumpſit imperiũ, nomen græcum conuertit in latinum,ut à Dioclete diceretur Diocletianus. Erat autem callidus, & ſagax, & admodum ſubtilis ingenij. Cuius tempore

Diocletianus.

Diocles.

pore cum quidam ruſticani, qui Bagaridæ dicebantur, tumultũ in Gallia facerent, ac Amandum, & Aemilianũ duces haberent, Diocletianus Maximianum cognomento Herculiũ cæſarem fecit, eum in Galliã contra tumultuantes miſit, quos ille facile deuicit. Erat autem idem Maximianus de Pannonia natus, genere ruſticano, inciuilis ingenij, ferus, crudelis, aſperitatem ſuam uultus etiam horrore ſignificãs, luxurioſus, in conſilijs ſtultus. Genuit uero de Eutropia, Syra muliere, Maxentium & Fauſtam, coniugem Conſtantini: cuius patri Conſtantio dedit priuignã ſuam Theodoram, ex qua ille accepit vi. liberos fratres Conſtantini, quem ex concubina Helena generauit in Gallia.

Turbatio in Rom. Imp.

INter hęc per omnes Romanos terminos turbatio facta eſt. Carauſius quidã ſumpta purpura, occupauit Britanniam, Iulianus Italiã, Achilleus Aegyptũ, Quinquegẽtiani Africam, Narſeus rex Perſarũ Orientẽ. Ob hæc Diocletianus Maximianũ Herculium fecit Imperatorem, Conſtantium uero & Galerium Maximianum Cæſares conſtituit. Quorum Conſtantius Claudij nepos fuit ex filia. Galerius uero in Dacia ripenſi natus eſt ex parẽtibus, fuitq; paſtor armẽti, unde & Armentarius appellatus eſt, ſed ſatis laudabilis fuit, pulcher corpore, magnus & fortis bellator. Hic accepit filiam Diocletiani Valeriam uxorem.

Fortuna proſpera & aduerſa uno die Sexaginta millia Germanorũ interfecta.

Carauſius poſt ſeptennium à ſocio ſuo Alecto fraude occiſus eſt in Britannia. Maximianus Herculius Quinquegentianos uicit in Africa. Conſtantius in Gallia, iuxta Lingonas, una die & aduerſam, & proſperam habuit fortunam. Nam cum repente Barbaris irruẽtibus, intra ciuitatem claudi cogeretur, uix quinq; horis medijs aduentante exercitu, ferè lx. millia Alemannorum interfecit. Diocletianus autem obſeſſum Alexandriæ Achilleum, octauo ferè menſe ſuperauit & occidit. Erat autem cum ipſo & Conſtãtinus filius Conſtantij. Qui cũ adhuc iuuenis eſſet, fortiter agebat in prælijs, & condeſcẽdebat ſemper Chriſtianis. Quem uidens Diocletianus intellectu animi, ac robore corporis proficere, & deprehendens hunc futurum tyrannidis ſuæ deſtructorem, inuidia motus, ioco eum perimere cogitauit. Deus autem hunc inopinate ſaluauit, & patri reſtituit. Galerius autem Maximianus cõtra Narſeum regem Perſarum dimicans, primum uictus eſt, fugiensq; uenit ad Diocletianum in Meſopotamiam, à quo male tractatus, ita ut faceret eum aliquandiu ante currum ſuum currere, collectis iterum militibus redijt, magnamq; uictoriam acquiſiuit.

HISTORIA.

Maximianus. Perſequutio in Chriſtianos ſub Diocle. & Maximiano.

NOno decimo igitur regni ſui anno, Diocletianus in Oriente, MAXIMIANVS Herculius in Occidente, perſecutionẽ decimam poſt Neronem exercuerũt in Chriſtianos, quæ cæteris ſæuior per x. annos Eccleſiam afflixit inceſſanter, quamuis & antea ſemper Chriſtianos perſequerentur. Sed tunc tam crudelis & tam ſæua, tamq; crebra perſecutio flagrabat, ut intra unum menſem xvij. millia martyrum pro Chriſto inueniantur. Nam & Oceani limbum trãſgreſſa, Albinum & Aaron, ac Iulium cum alijs pluribus uiris ac fœminis Britanniæ fœliciter cruore damnauit. Paſſus eſt & Pamphilus preſbyter, Euſebij Cęſarienſis Epiſcopi neceſſarius, cuius ipſe uitam tribus libris cõpręhendit. Secundo aũt perſecutionis anno, Diocletianus uidensſe propter ſenectutem minus idoneum ad regendum Imperium, dixit ad Maximianum Herculium, uideri ſibi bonum, ut iunioribus & fortioribus publicam cauſam regendã cõmitterent, ipſiq; in ocio quiete uiuerent. Quod licet ille non ex tota uoluntate faceret, tamen conſenſit, & in uno die purpurã, regniq; potentiã depoſuerũt, Diocletianus apud Nicomediã, Maximianus apud Mediolanum: & conceſſit Diocletianus Salonam, Maximianus in Lucaniam, perſecutio tamen permanſit uſq; in ſeptimum annum Conſtantini, Helenæ filij.

Decem & ſeptẽ millia martyrũ pro Chriſto in uno menſe. Vide Euſeb. li. 6. de Martyribus Aphricæ, Mauritaniæ, Thebaidis, Aegypti, Phrygiæ, Alexandriæ.

ANNI DIOCLETIANI ET MAXIMIANI.

PRimo anno Diocletiani, Bagaridæ in Gallia tumultum fecerunt. Anno Domini ccxci. Diocletianus Herculium Maximianũ Cæſarem fecit. Anno Domini ccxcij

Carauſius



Carauſius ſumpta purpura, Britanniam occupat. Anno domini ccxciij. Quinquegentiani Africam infeſtauerunt. Anno Domini ccxciiij. Achilleus occupauit Aegyptum. Anno Domini ccxcv. Diocletianus Maximianum Herculium fecit auguſtum & conſortem regni, Conſtantium uero patrem Conſtantini, & Galerium Maximianum, Cæſares conſtituit. Anno Domini ccxcvi. Anno Domini ccxcvij. Anno Dñi ccxcviij. Primus Diocletianus adorari ſe ut Deum iubet. Anno domini ccxcix. Anno domini ccc. Anno domini ccci. Labda Hieroſolymis ordinatur Epiſcopus. Anno Domini cccij. Veturius Magiſter militiæ, Chriſtianos perſequitur, paulatim ex illo tempore perſecutione in noſtros creſcente. Anno domini ccciij. Marcellinus papa xxx. ordinatus, ſedit annis iiij. patiturq; vi. kalen. Maij. Anno Domini ccciiij. Anno domini cccv. Hieroſol mis præficitur Thermon Epiſcopus. Antiochię Tyrannus ordinatur Epiſcopus xix. Anno domini cccvi. Petrus Alexandriæ ordinatur Epiſcopus xvi. Anno domini cccvij. Marcellus Papa xxxi. ordinatus, ſedit anno uno & menſibus viij. paſſusq; eſt xvij. kalen. Febr. Anno domini cccviij. Publicata undiq; perſecutione, Diocletianus in Oriente, Maximianus in Occidente, Eccleſias ſubuertunt, libros diuinos ſuccendunt, & Chriſtianos decima poſt Neronem perſecutione affligunt. Anno domini cccix. Diocletianus & Maximianus purpuram deponunt. Marcello papa martyrizato, ſucceſſit Euſebius papa xxxij. cui poſt menſes viij. paſſo ſuccedens Melciades xxxiij. ſedit annis iiij. deceſſitq; iiij. Idus Decemb.

Diocletianus iubet ſe ut Deum adorare.

Scripturæ ſacræ ardent. Euſe. li. 8. ca. 2

HISTORIA.





Anno dominicæ incarnationis cccx. ab urbe condita, milleſimo lxi. Cū Diocletianus & Maximianus iam à regno deceſſiſſent, & ab adminiſtratione reipublicæ, CONSTANTIVS & GALERIVS creati ſunt, diuiſusq; eſt inter eos ita Romanus orbis, ut Conſtantius Italiā, Galliā & Africam, Galerius Illyricum, Aſiam & Orientē obtineret. Sed Cōſtantius Auguſti dignitate cōtentus adminiſtrationem Italiæ & Africæ recuſauit, Galliam tantum obtinuit, uir egregius & manſuetus, & præſtantiſſimæ ciuilitatis, non modo amabilis & uenerabilis Gallis, præcipue ꝙ Diocletiani ſuſpectam prudentiam, & Maximiani ſanguinariam temeritatem, imperio eius euaſerūt. Galerius aūt uir probe morigeratus, & egregius in re militari, uidens Italiam quoq; ſuę adminiſtrationi acceſſiſſe, ſinente ſuo ſocio Conſtantio, Cæſares duos creauit, MAXIMINVM, quem Oriēti pręfecit, qui & ipſe perſecutor Chriſtianorū fuit, & SEVERVM, cui Italiā dedit, ipſe uero in Illyrico moratus eſt.

Conſtantius. Galerius Maximinus. Conſtātij laus

Maximinus perſequutor Chriſtianorū. Seuerus.

tus eſt. Conſtantius uero filium ſuum Conſtantinũ Cęſarem fecit, eiq́ Galliam commiſit. Ipſe aũt tertio anno perſecutionis, qui eſt imperij ſui xvi. Eburaci in Britannia obijt. Quo mortuo, Galerius LICINIVM Cæſarem fecit, natũ de Dacia, notũ ſibi

Licinius fit Cæſar.





antiqua conſuetudine ex bello quod aduerſus Narſeum regem geſſerat. Erat em̃ ſtrenuus laboribus, & officijs acceptus. Interea Romæ pretoriani excitato tumultu, MAXENTIVM Herculij Maximiani filium, nuncupauerunt Auguſtum. Quo audito pater eius Maximianus Herculius, arrectus in ſpem reſumẽdi principatus, quam ſuaſu Diocletiani inuitus amiſerat, Romam aduolauit è Lucania. Diocletianum quoq́ per literas adhortatus eſt, ut depoſitam reſumeret poteſtatem, quas ille irritas habuit & ſpreuit. Galerius autem Seuerum cum exercitu contra Maxentium miſit, qui ueniens Romam, obſedit eam. Sed militum ſuorum ſcelere deſertus, Rauennam fugit, & in itinere ab Herculio eſt occiſus. Poſt hæc Herculius Maximianus in contentione exercituum filium ſuum Maxentium imperio nudare conatus, ſed à militibus conuitijs iniuriatus, ad Gallias tetẽdit, dolo compoſito, ꝙ à filio expulſus eſſet, ut genero Conſtantino iungeretur, moliens & ipſum ſi poſſet, reperta occaſione interficere, regnumq́ eius inuadere, qui in Gallijs & militum, & prouincialiũ ingenti iam fauore regnabat. Detectis autem inſidijs eius per filiam Fauſtam, quæ dolum eius uiro nunciauit, inde profugit. Sed à Conſtantino inſequente Maſſiliæ captus, fractis laqueo ceruicibus, perfidiæ ſuæ pœnas dedit, anno uitæ ſuæ lx.

Maxentius.

HISTORIA.



ANno Dñicæ incarnationis cccxi. urbis cõditæ, mil.lxij. CONSTANTINVS ex obſcuriori matrimonio, ſcilicet ex Helena concubina, Conſtantij filius, mortuo patre, annitentibus cunctis qui aderant, præcipueq́ Croco, Alemannorum rege, auxilij gratia cum eo comitante xxxiiij. ab Auguſto in Britañia creatus eſt Imperator vi. kal. Aug. & in locum patris exoptatiſſimus moderator acceſſit, regnauitq́ annis xxx. menſibus x. Hic ſororẽ ſuã Conſtantiã, Licinio Mediolanũ accito cõiunxit, filiũq́ ſuũ nomine CRISPVM, Mineruia cõcubina eiſdem diebus Arelatẽſi oppido natũ, & LICINIANVM, Licinij filium, menſium ferè xx. Cæſares fecit. Interea Galerius Maximinus, cum perſecutionem à Diocletiano & Maximiano immiſſam ipſe atrocioribus edictis cumularet, diuina tactus uindicta, putrefacto intrinſecus pectore, & uitalibus diſſolutis, cum ultra humanæ horrorem miſeriæ, uermes etiam eructaret, & medici iam fœtorem non ferentes, crebro iuſſu eius occiderentur, à quodam

Conſtantinus.

Crocus Alemanorũ rex, hũc Aurelius Victor uocat Erocum.

Criſpus.

Licinianus.

Maximini perſequutio in Chriſtianos.





à quodam medico ex deſperatione conſtantiam ſumente, increpatus eſt, dicente pœnam eius à Deo eſſe, & ideo ſanari non poſſe, moxq́ late miſſis edictis, Chriſtianos de exilio reuocauit, ipſe tamen cruciatus non ſuſtinens, uitæ finem fecit.

Pœna à Deo, ſanari nequit.

Genitalibus putreſcētibus uitæ tedio uim ſibi gladio intulit. B. Aeg.

HISTORIA.

INter hæc reſpublica à nouis quatuor Imperatoribus tenebatur, Cōſtantino, & Maxentio, filijs Auguſtorum, Licinio & Maximino, hominibus nouis. Quinto tamen imperij ſui anno, Conſtantinus bellum ciuile Maxentio intulit, eiusq́ copias multis prælijs fudit: propter magicas tamen artes, quas ille multum dilexerat, metuebat eum. Cumq́ congredi cum eo multum hęſitaret, & de cœlo licet adhuc Paganus, auxilium quæreret, uidit per ſoporem ad Orientis partem in cœlo ſignum crucis igneo fulgore rutilare, & tanto uiſu exterritō ſibi aſtare Angelos dicentes: Conſtantine in hoc uinces. Fertur autem & ipſe Chriſtus ſibi apparuiſſe, & ſignū crucis ei monſtraſſe, & ut ſimile faceret, præcepiſſe. Quod & fecit, habens eam in uexillis depictam. Igitur Conſtantinus Romam ueniens, contra Maxentium caſtra poſuit, iuxta pontem Miluium: & ecce Maxentius portis erumpens, ſequentibus cæteris, præcurrit armatus. Conſtantinus uero crucem quam formauerat, ante ſe iuſſit portari: factaq́ congreſſione, ſuperati ſunt, qui circa Maxentium fuerunt. Ipſe autem fugiens paulo ſuperius, à ponte Miluio, ubi prius ad decipulam fecit quaſi pontem ex nauigijs fieri, tabulis deſuper ſtratis, cum uellet eundem pontem ex latere intrare, lapſu equi in profundum demerſus eſt, uixq́ corpus eius inuentum eſt. Erat tunc annus Conſtantini vij. Interea ciues Romani ciuitatem coronant, & cum gaudio uictorem Conſtantinum, uiuificamq́ crucem ſuſcipiunt. Inter hæc Maximinus Chriſtianorum & ipſe perſecutor ſæuiſſimus in Oriente aduerſus Licinium res nouas molitus, cum aduerſus eum duceret exercitum repente diuino iudicio doloribus uiſcerum internorum correptus, uehementer exagitari cœpit: deinde homo antea uorax, ſemperq́ uino repletus, nunc ne ſummis quidem labris cibum deguſtare, aut uinum potuit odorari. Sicq́ carnibus ſuis inedia & ariditate conſumptis, ad hoc ſolum profecit infœlix, ut iuſtam eſſe dei uindictam in ſe profiteretur. Ad ultimum tamen morbo prius amiſſis, uiuendi finem accepit. Valens quoq́ in Oriente ab exercitu imperator appellatus, à Licinio occiſus eſt. Alexander etiā quidā apud Carthaginē effectus imperator, ab exercitu Conſtantini iugulatur. Sic itaq́ omnis poteſtas imperij ad Conſtantinum & Licinium peruenit. Qui Licinius cum primo ſe probum, & quaſi erga Chriſtianos oſtenderet deuotum, poſtea uidens profectum imperatoris Conſtantini, ductus inuidia, occultis inſidijs, maxime per familiares ac miniſtros, principem decipere molitus eſt: ſed cum id parum procederet, apertum illi bellum indicit, Chriſtianos uero priuato & ſpeciali odio perſequi parat, hoc in querelam deuocans, quòd non ita pro ſe, ſicut pro Conſtantino excubarent orationibus. Cuius flagitijs Conſtantinus obuiam ire parat, deuictoq́ Licinio, ſolus cum filijs ſuis imperij monarchiam obtinuit, anno regni ſui xiiij. Vnde per inſolentiam & ipſe, ut aiunt,

ἐν τούτῳ νίκα.

Labarū uexilli nomen, ut numiſmata oſtendunt, habet ☧ hoc eſt, Χ & ρ quod ſignum Iulianus poſthac aboleuit.

Maxentio Tiburinis gurgitibus abſumpto. Bap. Egn

Valens occiſus à Licinio.

Licinius contra Chriſtianos.

Coſtantini cru delitas in filiũ, & uxorem, et nepotem, & amicos.

mutatus, & crudelior effectus, primum ſororis ſuæ filium, egregiæ indolis iuuenem interfecit: mox Criſpum filium ſuum ex Minerua, ſuggerente, ut dicunt, coniuge ſua Fauſta, necari iuſſit: deinde ipſam Fauſtam in balneas ardentes cõiectam, interemit, cum eum dolore nimio mater Helena pro nece nepotis increparet. Poſtea innumeros interfecit amicos. Et cum in multis flagitijs graſſaretur, cum tamen in eo multæ uirtutes animi haberentur, diuinitus lepra percuſſus, per ſanctum Syluestrem papam, unà cũ matre, alijsq; multis, ad fidem conuerſus eſt, & baptizatus: moxq; omne ſtudium ad Eccleſiæ tranſtulit profectum, legesq; ſtatuens Chriſtianas, fecit baſilicas multas. Fecit & urbem nominis ſui Conſtantinopolim, quæ prius Bizantium dicebatur, quam ſedem Romani imperij, & caput totius Orientis eſſe uoluit. Fecit & pontem in Danubio: omnes bonas artes ſuos diſcere faciebat, maxime ſtudia literarum: ipſe in legendo, ſcribendo, meditando, multum ſe exercebat. Huius mater

Leproſus fit et baptizatur.

Conſtantinopolis.

Pons Danubij

Helena.



HELENA religioſa, diuinis admonita uiſionibus, Hieroſolymam petijt, & locum ubi Chriſtus crucifixus eſt, ab incolis requiſiuit: qui idcirco ad inueniendũ difficilis erat, quia ab antiquis perſecutoribus ſimulacrum Veneris in eo fuerat fixum, ut ſi quis Chriſtum adorare uellet in loco illo, Venerẽ uideretur adorare: & ob hoc locus non frequentabatur, pene q; in obliuione fuerat. Sed ueniens Helena, cœlitus ſibi deſignatum inuenit locum, purgatisq; in altum ruderibus, crucem ſanctam repperit, ſub Epiſcopo eiuſdem urbis Machario. Eiuſdem principis tẽpore, Arrius Alexandrinæ præsbyter Eccleſiæ, à ueritate fidei catholicæ deuians, exitiabile plurimis dogma conſtituit, ſed mox ab Alexandro eiuſdem urbis epiſcopo, ex urbe pulſus eſt, cumq; homines quos in errorem induxerat, etiam in ſeditionem excitaret, apud Niceam urbem Bithyniæ conuentus cccxviij. epiſcoporum factus eſt ſub Syluestro papa, per quos Arrianum dogma exitiale prodítum, palàm eſt damnatum. Poſtquàm uero mater imperatoris Helena ex hac luce diſceſſit, Conſtantij Licinij tunc derelicta, fratris Auguſti ſolatijs utebatur. Huic in noticiam uenit præsbyter quidam latenter partibus Arrij fauens: qui primo nihil horum apud eam egit, ſed ubi multa familiaritas copiam dedit, paulatim cœpit Arriũ ei commendare, donec animum Conſtantiæ ſuum fecit. Quæ cum moritura uiſitaretur à fratre, extremam popoſcit ab eo gratiam, ut eundem pręsbyterum in familiaritatem reciperet, & quæ pro ſalute ſua ſibi ab eo ſuggererentur, audiret: ſe enim dicebat pro ſalute illius eſſe ſolicitam. Cuius uerbis frater credulus, aurem pręsbytero accommodat, eiuſq; ſuaſu Arrium de exilio iubet reuocari, ut quid de fide ſentiret, exponeret. Qui cũ de fide ſcriberet, miratus imperator, rurſus eum ad Concilij examen remiſit, rogans, ut ſi fides eius probaretur, clementi erga eum iudicio uterentur, ſi tamen Epíſcopi eius Alexandri aſſenſus accommodaretur. Cumq; Alexandriam ueniret, omne illius incœptum fruſtratum eſt. Interea dum hæc Alexandriæ agitarentur, Conſtantinus Republica bene ordinata, cum tres filios ſuos, Conſtantinũ & Conſtantem ac Conſtantium, & filium fratris ſui Dalmatium cæſares feciſſet, ægritudine captus eſt. Et cum filius eius Cõſtantius, cui Orientis regnum decreuerat, id obtineret, fecit ei teſtamentum, quod uocato ad ſe clam pręsbytero à ſorore commendato dedit, præcipiens ei, ut nulli hoc, niſi Conſtantio daret. Quod cum ille faceret, poſt mortem imperatoris, etiam apud Conſtantium maximam familiaritatem obtinuit. Scribunt autem quidam, Conſtantinum imperatorem in Arrianam hęreſim incidiſſe, & ab Euſebio Nicomedienſi epiſcopo rebaptizatum fuiſſe, quod eccleſiaſtica hiſtoria non docet, quæ ſub magna religione illum diſceſſiſſe perhibet. Obijt autem in ſuburbana uilla Nicomediæ, xi. kal. Iunij, anno uitæ xlvi. imperij xxxi. ſepultusq; eſt in Bizantio in baſilica Apoſtolorum.

Venus in locũ crucifixionis: O impietatem

Arrius.

Arriani ſeditioſi.

Quatuor Cæſares.

Conſtantinus. Arrianus.

Anni

ANNI CONSTANTINI.

HVius anno primo Maxentius, Herculij filius, Auguſtus appellatur. Anno dñi cccxij. Maximianus apud Maſſiliam turpiter occiditur. Anno domini cccxiij. Quirinus Sceſianus Epiſcopus glorioſe paſſus eſt, manuali mola ad collum ligata, è ponte præcipitatus in flumen, diutiſſime ſupernatauit, & cũ expectantibus colloquutus, ne ſui exemplo terrerentur, uix orans ut mergeretur obtinuit. Anno dñi cccxiiij. Syluester papa xxxiiij. ordinatur, ſedensq́ annis xxij. menſes x. migrauit ij. kal. Ian. Anno dñi cccxv. Conſtantinus Maxentio bellũ infert. Anno dñi cccxvi. Petrus Alexandrinus Epiſcopus martyrizatur. Anno dñi cccxvij. Achillas Alexãdriæ ordinatur Epiſcopus xvij. Hieroſolymis ordinatur Machatius xxxix. Maxentius interijt. Anno dñi cccxviij, Anno dñi cccxix. Diocletianus moritur. Anno dñi cccxx. Licinius perſecutioné mouet in Chriſtianos. Anno dñi cccxxi. Anno dñi cccxxij. Anno dñi cccxxiij. Licinius occiditur. Alexander ordinatur Alexandriæ epiſcopus xviij. Anno dñi cccxxiiij. Anno dñi cccxxv. Anno dñi cccxxvi. Año dñi cccxxvij. Concilium ccc. epiſcoporum in Nicea congregatur. Anno dñi cccxxviij. Anno dñi cccxxix. Crux dñi ab Helena inuenitur. Anno dñi cccxxx. Hucuſq; hiſtorias ſcribit Euſebius, exin Hieronymus. Anno dñi cccxxxi. Antiochiæ ordinatur uitalis xx. poſt quẽ Philogonus xxi. dehinc Paulinus xxij. poſt hunc Euſtachius: quo ob fidẽ exiliato, ſucceſſerunt hæretici epiſcopi numero xi. Anno dñi cccxxxij. Anno domini cccxxxiij. Iuuencus presbyter Hiſpanus Euangelia uerſibus compoſuit. Anno dñi cccxxxiiij. Conſtantinus Bizantium urbem reparauit, & ex nomine ſuo Conſtantinopolim uocauit. Athanaſius Alexandriæ ordinatur epiſcopus xix. Anno dñi cccxxxv. Anno domini cccxxxvi. Anno dñi cccxxxvij. Anno domini cccxxxviij. Marcus papa xxxv. ſedit menſes viij. requieuitq́ Non. Octob. Anno dñi cccxxxix. Iulius papa xxxvi. ſedit annis xvi. obijt ij. Idus April. Anno domini cccxl. Conſtantia ſoror Cõſtantini, uxor Licinij, moriens, Arrianum quendam presbyterum fratri commẽdat. Conſtantinus imperator dum bellum molitur aduerſum Perſas, qui Meſopotamiam infeſtabant, egrediens à Conſtantinopoli, iuxta Nicomediam moritur.

Petrus Alexãdrinus martyr.

Hactenus Euſebius, exin Hieronymus.

Iuuencus Poeta Euãgelicus.

ANNI CONSTANTII.



ANno Dominicæ incarnationis, cccxli. urbis conditæ milleſimo xcij. CONSTANTIVS filius Conſtantini, xxxv. ab Auguſto imperium adeptus, xxiij. annis cum fratribus ſuis CONSTANTINO & CONSTANTE regnauit. Fuit etiã inter ſucceſſores Conſtantini DALMATIVS, filius fratris ſui Dalmatij, quem ipſe Cõſtantinus in conſortiũ regni adoptauit. Hi ſinguli ſingulas partes regẽdas ab ipſo Cõſtantino acceperunt. Conſtantinus cuncta trans Alpes, Conſtans Italiam & Illyricũ & Africam, Conſtantius Aſiam & Orientem, Dalmatius Thraciã, Macedoniam, & Achaiam. Verum Dalmatius proſperrima indole, & patruo haud diſſimilis, non multo poſt à militibus occiſus eſt, Conſtantio patrueli ſuo ſinente potius q̃ iubente. Poſt hæc inter Conſtantinum & conſtantem diſcordia exorta eſt, propter Italiam & Aphricam. Conſtantinus itaq; dum nititur partes fratris iunioris inuadere, bellum mouit contra eum: ſed dum inconſultius apud Aquileiam prælium aggreſſus eſt, à Conſtantis militibus eſt interfectus, & in fluuium, cui nomen eſt Alſa, non longe ab Aquileia eſt proiectus: ſicq́; Romani imperij principatus, Occidentalium quidem partium ad Conſtantem, Orientalium uero peruenit ad Conſtantium. Igitur Conſtantis imperium aliq̃diu ſtrenuum fuit, & iuſtum: deinde cum prauioribus uteretur amicis, intollerabilis prouincialibus, & militibus factus eſt iniocundus. Vnde dum circa Gallias uenandi cu-

Conſtantius.

Conſtantinus.

Conſtans.

Dalmatius.

Alſa fluuius Aquileiam Colonĩa defluit. Pli. li. 3. ca. 18 et Alſa qui media interfluit Alſatiã, olim Ellus, nũc Illa.









piditate,per ſyluas & ſaltus erraret,autore Magnentio quodam regni auido, à militibus occiſus eſt,anno ætatis xxx.imperij xvij. Tribus aũt Cæſar fuit. Cuius regnum MAGNENTIVS inuaſit, & DECENTIVM conſanguineum ſuum, ſiue ut quidam uolunt,fratrem ſuum, cæſarem fecit. Conſtantius uero GALLVM patruelem ſuum,Cæſarem fecit: nomenq́ʒ ſuum ei imponens,eum in Antiochiam Syriæ miſit, ut ibi habitans,partes illas cuſtodiret,quẽ tamen poſtea iuſſit occidi. Poſt hæc Conſtantius Magnentio bellum intulit,factaq́ʒ congreſſione,Magnentius ſolus fugit Lugdunum,ibiq́ʒ coartatus,gladiũ occulte à parte parietis accepit,ſicq́ʒ perfoſſus interijt, anno ætatis propè quinquageſimo, imperij iij. Cuius morte audita,Decẽtius laqueo faſcia compoſito,uitam finiuit. Acta ſunt hæc anno imperij Conſtantij vi. Eo tempore Romano imperio Conſtantius ſolus princeps & Auguſtus præfuit,uir egregiæ tranquillitatis,nimium familiaribus credens & amicis: uxorum amori deditus erat, quibus contentus,nulla tranſuerſa libidine aut iniuſta ſe polluebat. Ex omnibus tamen uxoribus quas plures habebat,Euſebiam præcipue diligebat: cuius etiam ſuaſu, Iulianum fratrem Galli cæſarem faciens,in conſortium regni aſſumebat. Poſt hæc, antiquo hoſte paci Eccleſiæ ſemper inuidente,Arrius,ſuiq́ʒ ſequaces,familiaritatis locum apud Conſtantium acceperunt, qui eum in erroris ſui conſortium declinauerunt. Vnde impietas Arriana Conſtantij fulta præſidio,exilijs,carceribus & uarijs afflictionum modis primo Athanaſium, deinde omnes non ſuæ partis epiſcopos perſecuta eſt. Conſtantius uero inter hæc bellum Parthis præparans,cũ audiſſet Iulianũ ad imperium inhiare,Parthica expeditione relicta,redijt,& inter Ciliciã & Cappadociã febri acerrima,quã indignatio augebat,obijt,anno ætatis xlv. imperij xxiij.

Magnentius.
Decentius.
Conſtantij dotes.
πολύγαμος
Arriani abuſi Conſtantio.
Indignatio febrim auget.

PRimo Conſtantij anno,Iacobus Niſibenus epiſcopus agnoſcitur,cuius precibus ſæpe urbs diſcrimine liberata eſt. Anno domini cccxlij. Anno domini cccxliij. Conſtantinus fratri bellum inferens,occiditur iuxta Aquileiam. Anno domi-

no domini cccxliiij. Anno domini cccxlv. Maximinus Treuirorum Epiſcopus clarus habetur, à quo Athanaſius Alexandriæ Epiſcopus à Conſtante profugus honorifice ſuſceptus eſt. Anno domini cccxlvi. Anno domini cccxlvij. Anno domini cccxlviij. Anno domini cccxlix. Athanaſius epiſcopus ad Conſtantis literas regreſſus eſt Alexandriam. Anno domini cccl. Anno domini cccli. Anno domini ccclij. Anno domini cccliij. Conſtans haud longe ab Hiſpania interficitur, anno ætatis xxx. Anno domini cccliiij. Gallus Conſtantij patruelis cæſar factus eſt. Anno domini ccclv. Liberius papa xxxvij. ordinatur. Quo ab hæreticis ob fidem catholicam in exiliū truſo, diaconus eius Fœlix xxxviij. in ſacerdotium ſubſtituitur. Qui cum Conſtantium uinceret eſſe hæreticum, ab eo poſt annum deiectus eſt, & ut quidam dicunt, capite truncatus eſt, iiij. kal. Aug. Liberius uero exilij tædio uictus, hæreſi ſubſcripſit, Romamq́ quaſi uictor intrauit. Anno domini ccclvi. Victorinus Rhetor, & Donatus grammaticus, Romæ inſignes habentur. Anno domini ccclvij. Iulianus à Conſtantio cæſar efficitur. Anno domini ccclviij. Euſebius Vercellenſis epiſcopus, & Dionyſius Mediolanēſis, & Lucifer Caralitanus exiliantur. Anno domini ccclix. Antonius abbas migrauit anno ætatis cv. Anno domini ccclx. Oſſa Andreę Apoſtoli, & Lucæ Euangeliſtæ, & Timothei, Conſtantinopolim allata ſunt. Anno domini ccclxi. Paulinus Treuirorum epiſcopus in exilio obijt. *Paulinus Treuir.* Hilarius Pictauienſis epiſcopus Arrianorum inſtinctu à Conſtantio in Frigiam exiliatus, cum Dionyſio Mediolanenſi, & Euſebio Vercellenſi, quarto exilij anno, cū librum de fide Conſtantio porrexiſſet, redire permiſſus eſt. *Hylarius.* Anno domini ccclxij. Anno domini ccclxiij. Conſtantius moritur, anno ætatis ſuæ quadrageſimo quinto.

HISTORIA.



Anno Dominicæ incarnationis, ccclxiiij. urbis cōditæ milleſimo cxv. CLAVDIVS IVLIANVS iam Cæſar xxxvi. ab Auguſto imperium accepit, & annos duos & octo menſes regnauit. *Claudius Iulianus.* De cuius genere ac diſciplina, & quomodo apoſtatauerit, uel qualiter ad regnum peruenerit, pauca dicenda ſunt. Conſtantinus Magnus, qui Conſtantinopolim fecit, duos ex eodem patre, ſed non ex eadem matre habuit Germanos, Conſtantium & Dalmatium. Quorum ſenior Cōſtantius duos habuit natos, Gallum, & Iulianum. Dalmatius uero Dalmatium, quē Conſtantinus, ut prædictum eſt, hæredem regni cum filijs ſuis reliquit. Quem cum poſt mortem Conſtantini milites peremiſſent, Gallus quoq; & Iulianus pene cū Dalmatio periculum mortis ſuſtinuerant, niſi Gallum quidem ægritudo quæ ineuitabilis putabatur, liberaſſet, Iulianum uero ætas infantilis: erat enim annorum viij. Cumq́; ab eis furor imperatorum quieuiſſet, Gallus circa Epheſum apud doctores erat, ubi etiam à progenitoribus poſſeſſiones habebat. Porro Iulianus creſcens, in auditorijs Conſtantinopolitanæ urbis exercebatur, in baſilica ubi doctores erant, habitu priuato procedens, habebatq́; pædagogum Eunuchum, nomine Mardonium, præceptorem grammaticū Nicomedem Laconenſem, rhetoricam uero legebat apud Eubolum ſophiſtam, magiſtrum Baſilij poſtea epiſcopi. Erat autem Iulianus ab initio Chriſtianus. Cumq́; in lectione proficeret, & fama per populum uolitaret, quòd etiam publicam rem gubernare poſſet, æſtuationes induxit imperatori Conſtantio. *Iulianus ab initio Chriſtianus.* Quamobrem amouit eum urbe regia, miſitq́; Nicomediam, præcipiens ei, ne conueniret Libanium ſophiſtam Syrum, quaſi pro eo quòd Paganus eſſet, ille tamen librorum eius lectionibus utebatur. Cumq́; proficeret in rhetorica, ſuperuenit Nicomediam Maximus philoſophus, non ille Bizantius

pater Euclidis,ſed Epheſius,quem poſtea quaſi artes magicas exercentem, Valenti-
nianus imperator iuſſit occidi. Non ob aliam cauſam uenit Nicomediam, niſi Iulia-
ni fama protractus. Apud quem dum Iulianus uerba philoſophica prægustaſſet, cœ-
pit etiam imperij cupidinem menti eius immittere. Cumq; hæc non laterent aures
imperatoris,Iulianus inter ſpem metumq; conſtitutus,ſuſpicioné cęlare uolens,ton-
ſus monachicam ſimulabat uitam,& latenter quidem exercebatur in philoſophia,
Tonſus monachicam uitam ſimulat.
in manifeſto autem ſacros Chriſtianorum legebat libros. Deniq; in eccleſia Nicome
diæ lector eſt conſtitutus,& diuinos codices populo audiente legebat,ut ſub hoc ha
bitu furorem declinaret imperatoris, nequaquam tamen à ſpe recedens quam men
te conceperat, dicebatq; plurimis amicorum ſuorum fœlicia fore tempora, quibus
ipſe rebus potiretur.Poſt paululum uero perempto Gallo, repente Iulianus fit ſuſpe
ctus Imperatori,qui etiam eum cuſtodiri præcepit.Et dum fuga lapſus fuiſſet, diuer-
ſa loca circumeundo,ſaluatus eſt,uixq; ſero uxor imperatoris Euſebia cælatum inue
niens,ſupplicauit imperatori,quatenus nil mali pateretur,ſed potius philoſophan-
dum ad Athenas mitteretur.Ille autem deſiderio regni diſcurrens uniuerſam Hella
Conſulit idola
dam,uates quærebat reſponſa reddentes,conſulens ſi ad ſuum deſiderium perueni-
ret,inuenitq; uirum qui ei deſiderata ſe dicere fateretur. Is eum perducens ad quen-
dam locum idolorum,& intromittens eum in aditum,ſeductores dæmones euoca-
uit: quibus apparentibus,terrore compulſus Iulianus, in fronte ſua crucis formauit
ſignaculum: Ad cuius aſpectum dæmones repente diſparuerunt. Pro qua re Magus
Frontem cruce ſignat territus.
cœpit culpare Iulianum. At ille terrore ſe inuaſum ſignificans, crucis ſe dixit obſtupu
iſſe uirtutem,quia uidentes eam dæmones euanuerunt.Porro Magus: Non ſuſpice-
ris,inquit,hoc ò bone uir, quod timuerint, ſed abominati potius hoc abſceſſerunt.
Iulianus conſtituitur Cæſar.
Et ita capiens miſerum,odio Chriſtiani ſignaculi repleuit Iulianum.Poſt hæc igitur
euocauit Conſtantius Iulianum & conſtituit eum Cæſarem, dans ei coniugem He-
lenam ſororem ſuam,miſitq; eum contra Barbaros ad Gallias. Vbi dum ciuitatem
Signũ imperij
quandam fuiſſet ingreſſus, corona laurea, quibus ſolent ciuitates ornari,inter co-
lumnas pendens,rupto fune, ſuper caput eius decidit, eumq; aptiſſime coronauit.
Am. Marcell. lib. 16. ſcribit. Alemannorũ reges, Chonodomarius, & Veſtralpus, Vrius, Vrſicinus &c.
Quo uiſo,cuncti clamauerunt, hoc fore ſignum imperij. Ille autem uiriliter contra
Barbaros agens,nobilem eorum regem Nodomarium cepit, & Conſtantio miſit.
Itemq; cum Alemannis apud Rhenum fluuium reſidentibus dimicans, potentiſſi-
mum regem eorum Badomarium cepit,claraq; uictoria decoratus, dum mediocri-
tate uitæ atq; manſuetudine militibus gratus eſſet, ab eis appellatus eſt Auguſtus.
Cumq; corona deeſſet imperialis,unus ſigna portantium, torquem quam habebat
in collo ſumens,Iuliani capiti circumpoſuit. Hocq; modo Iulianus imperator eſt fa-
ctus. Quo facto,nil iam de Conſtantio cogitans, iudices ab illo factos, honoribus
mulcebat, & illius nomini inuidiam ſuſcitabat. Igitur repente religione mutata,
cum à ſuis Chriſtianus eſſe putaretur, ſemetipſum pontificem nominauit: & ueni-
Magnæ Alemannorum copiæ apud Argentoratũ oppidum Galliarũ á cæſare Iuliano oppreſſæ. Hiero.
ens ad templa Paganorum,ſacrificabat,ſubiectisq; talia colere ſuadebat, & Chriſtia
num baptiſma ſacrificijs & inuocationibus & ſanguinis immolatione ablui ſtude-
bat. Cumq; Conſtantius propter bellum Perſicum Antiochiæ moraretur, ſperans
Iulianus,quòd ſine bello poſſet Illyricum detinere,uenit illuc, dicens: ſe uelle Con-
ſtantio ſatis facere: quaſi non ſponte, ſed coactus à militibus, infulas imperij ſuſce-
piſſet. Cuius aduentum audiens Conſtantius, relicto bello, Conſtantinopolim ue-
nit: ſed in ipſo itinere,ut prædictum eſt,interijt. Quo defuncto, Iulianus iam Thra-
cas habebat,& non multo poſt Conſtantinopolim ueniens, appellatus eſt Augu-
Hiſt. Eccl. Tri lib. 6. cap. 2.
ſtus. Mox cœpit cogitare, qualiter ſibi populum complacaret,eiusq; fauorem acqui-
reret, quod hac arte fecit. Bene ſciebat Conſtantium ab omnibus orthodoxis
odio haberi, ob quam rem ab Eccleſijs uidebantur expulſi, & epiſcopi confiſca-
Ambit populi fauorem.
ti, exilioq; directi. Simul etiam nouerat Paganos fuiſſe contriſtatos pro ſacrifi-
ciorum prohibitione, & deſiderare tempus, quo eorum aperirentur templa. Ar
tificioſo itaq; uelamine apud utroſq; ſe commendans, primum quidem crude-
litati Conſtantij circa ſubiectos derogabat, eamq; coram omni populo redargu-
ens, iuſſit epiſcopos exilio deportatos reuocari, & confiſcatas eorum ſubſtantias
reddi. Templa quoque Paganorum, ueluti ſibi neceſſariorum, præcepit aperiri:

& multa

& multa talia agens, utriſq; ſe conciliabat, præcipue tamẽ Paganis occulte fauebat. Igitur dudum ſtudẽs paganitatem in omni ditione ſua dilatari, & Chriſtianitatem exterminari, Primum quidem Galilæorum filios (ſic enim ſaluatoris noſtri cultores appellabat) præcepit haud Poetarum & Rhetorum atq; Philoſophorum legere diſciplinas, proprijs inquiens pennis ſecundum prouerbium uulneramur, ex noſtris enim armati conſcriptionibus, contra nos bella ſuſcipiunt. Et templa quidem erant aperta, & ſacrificia paganorum per ciuitates ſecundum uoluntatem illiũs procedebant. Inter hæc igitur Perſæ audientes mortem Cõſtantij, rebellare ceperunt, & fines Romanorum inuaſerunt. Contra quos Iulianus profectionem inſtituens, in ipſo bello diuinitus interemptus eſt. De cuius interfectiõe, diuerſi diuerſa ſentiunt. Quidam namq; dicunt eum à quodam transfuga per ſolitudinem tribus diebus ductum, inſidias incidiſſe, & à Perſis undiq; circumuentum à quodã ex his conto percuſſum eſſe, relatumq; in tabernaculũ, paulatim ſanguine uacuatum defeciſſe. Quidam uero dicunt iaculum repente delatum, diſcurrens per brachium in latus eius merſum fuiſſe: alij unum paſtorem Hiſmahelitarum, alij milites fame & itinere fatigatos eum interemiſſe, alij quẽdam inuiſibilium hoc feciſſe. Sed ſiue homo, ſiue angelus fuerit, manifeſtum eſt, quia diuinis iuſſionibus miniſtrauit. Calliſtus autem, qui inter familiares eius militabat, & heroico uerſu eius conſcripſit hiſtoriam, ait eum à dæmone fuiſſe uulneratum. Libanius uero ſophiſta Syrus, inter cætera quæ de eius uita ſcribit, in fine libri ſic ait: O dæmonum alumne, dæmonumq; diſcipule, & dæmonum obſeruator Iuliane. Nos autem in libro uitæ ſancti Baſilij Cæſarienſis Epiſcopi certum legimus, orante & ieiunante eodem Baſilio cum populo ſuo, quibus ad Perſicum bellũ pergens, mala minatus eſt, iuſſu ſanctæ Dei genitricis Mariæ, per Mercurium martyrem in eadem ciuitate quieſcentem, ipſum eſſe peremptum. Fertur autem manum ſuam ſanguine impleuiſſe, & in aerem ſparſiſſe, & ita dixiſſe, νενίκηκας γαλιλαῖε: Viciſti Galilæe, uiciſti. Interijt autem anno imperij ſui tertio, ſeptimo uero, ex quo Cæſar à Conſtantio factus eſt, uitæ autem xxxi. Poſt cuius mortem eius magicæ artes inuenteſunt. Carræ nãq; ciuitas eſt, hactenus impietatis eius reliquias habens, per hanc iter agens, quoniam per Edeſſam propter piæ religionis cultum tranſire noluerat, in templum, quod à paganis colitur, eſt ingreſſus. Vbi cum quædam cum ſuis confortibus ſacrilegia celebraſſet, ianuas ad clauſtra diſpoſuit, & quoſdam milites ibi obſeruare præcepit, ut intra hoc nullus accederet, donec ipſe rediret. Quo defuncto ingredientes in templũ, inuenerunt mira Principis ſimulachra, eiuſq; ſapientiã & famoſiſſimã pietatem. Viderunt enim mulierẽ à capillis ſuſpenſam, extenſas manus habentẽ, cuius uterum aperuerat, ut Perſarum uictoriam in eius iecore inſpiceret. Hoc ergo ſcelus in Catris inuentum eſt. Verum in Antiochia plurimas arcas in palatio humanis aiũt capitibus plenas fuiſſe repertas, & innumera in puteis demerſa corpora mortuorum. In qua urbe dum eius nunciatus fuiſſet interitus, publicam cuncti habuere feſtiuitatẽ, cõmuniter omnes clamantes: Maxime fatue, ubi ſunt uaticinia tua? Vicit Deus, & Chriſtus eius. Fuit autem hic liberalibus diſciplinis apprime eruditus, facundia ingẽti, memoria tenaciſſima atq; ampliſſima, corpore ualidus, ſed breuis, barba prolixa, oculis diſcurrẽtibus, & huc illucq; directis, audax plus q̃ imperatorẽ decet, cultor idolorum ſuperſticioſus, religionis Chriſtianæ inſectator ſtudioſus.

Chriſtiani Galilæorum filij.

Sententiæ de morte Iuliani.

Calliſti hiſtoria.

Lege hæc ad analogiã fidei.

ANNI IVLIANI APOSTATAE

IVlianus itaq; imperator factus, adidolorũ culturam ſe tranſtulit, blandaq; perſecutione Chriſtianos primũ ſeducere tentauit, illiciens potius quàm impellens ad ſacrificandum, unde multi decepti ſunt.

Anno Domini ccclxv. Pagani apud Sebeſtiam Paleſtinæ urbem ſepulchrum ſancti Iohannis Baptiſtæ inuadunt, oſſa per agros ſpargunt, eademq; rurſus collecta & cremata, latius diſpergunt, ſed quidam monachi ex Hieroſolymis intermixti, colligentes quæ potuerunt colligere, ad patrem ſuum Philippum pertulere. Ille ſupra ſe hæc ducens, ad Athanaſium per Diaconum Iulianum miſit Alexandriam. Quæ illi paucis arbitris, ſub cauato ſacrarij pariete incluſa, prophetico ſpiritu poſteræ generationi

tioni conſeruauit profutura. Cuius præſagium ſub Theodoſio per Theophilum Epiſcopum cōpletum eſt, qui deſtructo Serapis ſepulchro, ſancti Iohannis ibidem conſecrauit Eccleſiam. Athanaſius Alexandriam rediȷ̃t. Impius Iulianus ad bellum profectus Perſicum, diuino percutitur iudicio, menſe viiȷ̃. anni tertiȷ̃ imperiȷ̃ ſui, ſed mox altera die abſq; omni dilatione Iouianus coronatur à militibus.

ANNI IOVIANI.

Iouianus.



ANno dominicę incarnatiōis ccclxvi. ab urbe condita milleſimo cxviȷ̃. IOVIANVS ab Auguſto xli imperium ſuſcepit, & menſes viȷ̃ regnauit, genitus patre Barroniano, incola prouinciæ Pannoniæ. Cuius pater cum liberos crebro amitteret, per ſomnium ei dictū eſt, ut eum qui inſtante partu ędendus foret, Iouianū diceret. Fuit aūt inſignis corpore, lætus ingenio, ſtudioſus in literis, fortis uiribus, χιλίαρχ⊗, id eſt millenarius illo tempore quo Iulianus legē militibus propoſuerat, ut aut ſacrificarent, aut militia cederent. Qui cingulum magis elegit amittere, ꝙ Imperatoris præceptis obedire: ſed Iulianus tunc propter belli neceſsitatem inter milites eum habebat. Qui cum uiolenter à militibus ad imperiū traheretur, clamabat ſe nolle Paganis hominibus imperare, cum ipſe Chriſtianus eſſet. Cumq; omniū uox communiter proclamaret, ſe quoq; Chriſtianos eſſe, ſuſcepit imperium. Dein cum Conſtantinopolim feſtinaret, uenit ad prędium Dadaſtana, inter Galatiam & Bithyniam, ubi tempore hyemis languore conſtrictus, cum in nouo cubiculo recubaret, calore prunarum, & nidore parietum nuper calce illitorum, ſuffocatus obiȷ̃t viȷ̃. menſe imperiȷ̃, anno uitæ xxxiȷ̃. xiȷ̃. kalen. Septemb.

HISTORIA.

Hiſt. Tripar. lib. 7. cap. 7.
Valētinianus Funarius.



ANno Dominicæ incarnationis ccclxviȷ̃. urbis conditæ, milleſimo cxviȷ̃. VALENTINIANVS xlȷ̃. ab Auguſto Imperator appellatus eſt, uir optimus, & apice principali digniſsimus, & regnauit annis xi. Iſte fuit Pannonius genere de Cibala ciuitate, cuius pater Gratianus mediocri ſtirpe ortus, Funarius eſt appellatus, eò ꝙ quadam die uenalem funem portanti, quinq; milites nequiuerunt extorquere. Quo merito aſcitus in militiam, uſq; ad præfecturæ prætorianæ dignitatem aſcendit. Ob cuius commendationem apud milites, Valentiniano reſiſtenti, oblatū eſt imperium. Qui cum ſub Iuliano apoſtata, ſcutariorum tribunus eſſet, & integram fidem haberet, & Iulianus quadam die templum Fortunæ ingrederetur, miniſtri templi ex utraq; parte ianuarum ſtantes, aſperſione aquæ, ſicut ipſi dicebant, ingredientes purgabant. Tunc Valentinianus præcedens Imperatorem, ut aſperſionis guttam ſua uidit in chlamyde, indignatus, pugno percuſsit templi miniſtrū, dicens ſe maculari potius quàm purgari. Quod reſpiciens Imperator, iuſsit eum trudi in cuſtodiā, dicens: Aut ſacrificet, aut militia excedat. Qui mox ſponte diſceſsit. Nec mora, Iuliano interfecto, Iouianoq; mortuo, in loco perſequutoris ſui ſuſcepit imperium. Cumq; Conſtantinop olim



ſtantinopolim perueniſſet, poſt xxx.dies imperij ſui, fratrem VALENTEM in communionem regni aſſumpſit, largiés ei partes Orientales, ſibi retentans Occidentales. Cumq́ iam annum tertium cum fratre ageret, GRATIANVM filium ſuum necdum plene puberem, hortatu ſocrus & uxoris ſuę Serenæ, Auguſtum creauit. Habuit autem & alium filium paruulum VALENTINIANVM, de alia uxore Iuſtina, quem uiuéte Serena, nec tamen abiecta, hoc modo duxiſſe probatur. Iuſtus Iuſtinæ pater, cum eſſet Piceni iudex temporibus Conſtantij, uidit in ſomnis ꝙ in dextro femore Imperialem pupuram genuiſſet. Quę uiſio

Valens.

Gratianus.

Valentinianus iunior.





cum ad Conſtantij aures perueniſſet, metuens ne Imperator ex eo naſceretur, mittens occidit Iuſtum. Cuius filia Iuſtina uirgo permanens, cum perueniret ad Serenæ notitiam, amabatur ab ea, ita ut etiam balneis cum ea uteretur, eiſq́ pulchritudine obligata, & amore capta, diceret Imperatori, quòd Iuſtina ſic ſpecioſa eſſet, ut etiam ipſam deceret uxorem Imperatoris eſſe. Quo ſermone concepto, Valentinianus Iuſtinam ducere tractans uxorem, non tamen Serena abiecta, legem propoſuit publilce per ciuitates, ut omnes qui uoluiſſent, impune bina matrimonia ſuſciperent. Nam ideo populoſas fore gentes dicebat, quia hoc apud eas ſolenne eſſet. Qua lege propoſita, ipſe Iuſtinam duxit uxorem, ex qua natus eſt ei Valentinianus & tres filiæ: Iuſta, Grata, & Galla. Quarum duæ in uirginitate permanſerunt, Gallam uero Theodoſius maior duxit uxorem, ex qua, Placidia filia eius noſcitur eſſe progenita. Nam Archadium & Honorium ex Placilla priore coniuge habuit. Auxentio itaq́ Arriano Mediolanenſi Epiſcopo defuncto, Ambroſius præſidatum urbis agens, nec dum baptizatus, communi ciuium conſenſu Epiſcopus eligitur, iubenteq́ Valentiniano baptizatur, & tanquam dignus in Epiſcopatum ordinatur. Multa itaq́ prælia Valentinianus cum diuerſis gentibus commiſit, inter quas & Alani rebellauerunt Romanis. Contra quos cum Valentinianus Romanum direxiſſet exercitum, plurimi ex eis occiſi ſunt, reliqui uero Meotidas paludes intrauerunt. Tunc Valentinianus dixit exercitibus ſuis, ꝙ ſi qui ex eis Mæotidas paludes intrarent, & Alanos inde propulſarent, per decem annos abſq́ tributo eos permitteret. Tunc quidam de Sicambria ingreſſi, pugnauerunt contra Alanos, factaq́ uictoria, eiecerunt eos. Quo facto, Valentinianus appellauit eos Attica lingua Frácos, hoc eſt feroces & duros ac fortes. Cuius gentis quia ſe obtulit mentio, regumq́ eius in libris ſanctorum ſæpe fit commemoratio, licet facere uideat digreſſionem, pro rerum tamen notitia, repetita eiuſdem generis origine, quàm breuius potero, regum eius deſcribam ſucceſſionem.

Lex Valentiniani, de duabus uxoribus ducendis.

Vide hiſt. Tri. lib. 8. cap. 11.

Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus eligitur.

Φράγκοι γερμανικὸς Suidas.

DE ORI

DE ORIGINE FRANCORVM, egreſſio Authoris.

Hæc lege cum iudicio: & de origine nobiliſſimæ gentis habes in.1.lib. rerum Germanicarum B. Rhenani.

Sicambri.

Remiſſio tributorum per annos decem.

FRANCORVM gentis, exordia de antiqua Troianorum prodiere proſapia. Nam eo tempore, quo poſt excidium Troiæ, Aeneas Italiā uenit, quidā ex eiſdem Troianis ſimili modo profugi circa Mæotidas paludes applicuerunt, ibiq; conſidentes, terminos ſuos uſq; in Pannoniam dilatauerūt. Cōſtruxerūt autē ciuitatē Sicambriā, ibiq; per multos habitātes annos, in populum multum creuerunt, & Cicambri primum dicti ſunt. Hi pro eo quod Alanos, ut dictum eſt, de Męotida palude expulerunt, Franci à Valentiniano uocati ſunt, & pro hac uictoria per decennium remiſſione tributorum donati ſunt. Decennio uero peracto, miſit Valentinianus ad eos quendam ducem pro exigendis tributis. Sed illi ut erant feroces, tributis ulterius ſubiacere dedignati ſunt, miſſosq; ad ſe interfecerunt. Fuerunt autem tunc Principes inter eos antiquorum uocabulorum præferentes inſignia, Priamus & Antenor. Audiens itaq; Imperator eorum factionem, nimis iratus, iuſſit omnem Romanum exercitum, cum pluribus exteris gentibus pugnare contra eos. Pugna cōmiſſa, cum ex utraq; parte multi caderent, tandem Franci multitudinem tantam ſuſtinere non ualētes, fugerunt, ibiq; mortuus eſt Priamus rex eorum. Egreſſi autem de Sicambria, uenerunt in terram Germaniæ, ad gentem ſcilicet Romanis infeſtiſſimam, habitaueruntq; aliquanto tempore in Thuringia, cum Marcomede filio Priami, & Sunnone filio Antenoris. Omnes autem populi ex illa parte Rheni habitantes, Germani dicti ſunt, quia corpora magna habebāt, & fortiſſimi ſemper & indomiti erant. Inter hæc defuncto Sunnone, Franci habuerunt conſilium inter ſe, ut unum regem haberent, ſicut & gentes cęteræ. Acceptoq; conſilio à Marcomero, Faramundum ipſius filium regem conſtituere, & ex eo tempore leges habere cœperunt, quas gentiles eorum conſiliarij Vuiſogaſtaldus & Salegaſt fecerunt, à quo Salegaſt, etiam lex Salica inuenta dicitur & nominata. Erant autem Franci Pagani.

Priamus rex Francornm moritur.

Germani.

Faramundus fit rex.

Lex Salica.

Franci nūc Salicam legem, nūc Romanā, nunc Gombetam præferebant: Vſogaſt Boſogaſt, Salagaſt, Vindigaſt quatuor gentis ſuæ proceres legem Salicam dictauerunt. Vide Sigibertum.

Clodius rex.

Leudunum.

Carbonaria ſylua.

Franci.

Francigenæ.

Meroueus rex

Aegidius Romanus rex.

Hildericus rex

Siagrias.

Hilpericus.

Deniq; mortuo Faramundo, Clodius filius eius Crinitus ſucceſſit, à quo Francorū reges Criniti appellati ſunt. Vltra Rhenum uero uſq; ad Liperum fluuium habitabāt Romani, ultra Ligerim autem dominabātur Gotthi, Burgundiones uero habitabant iuxta Rhodanum, ubi poſtea facta eſt ciuitas Leudunum. Franci itaq; de Thuringia Rhenum tranſgreſſi, Romanos qui tunc temporis per ſuos magiſtratus Galliæ imperabant, bello adorſi ſunt, & uſq; in Carbonariam ſyluā fugant, fundunt, occidunt, ſicq; illatam ſibi à Romanis iniuriam acriter uindicant. Ingreſſi autem Tornacum & Camaracum ciuitates Galliæ, primo uniuerſa maritima, quæ inter Scaldum & Sunnam fluuios iacent, uiolenter obtinent, ſicq; paulatim progredientes & regredientes, Remos, Sueſſonam, Aureliam, & Agrippinam, ac Treuerim, poſtremo omnem Galliam, ſiue Germaniam, ab Aquitania uſq; Bauariam ſibi ſubiugant. Et hi quidem qui Teutonicis commixti ſunt, proprio uocabulo Franci, qui autem per connubia à Gallis ſunt progeniti, Francigenæ ſunt appellati. Clodius itaq; cum regnaret annis xx. mortuus eſt: cui ſucceſſit Meroueus, à quo reges Francorum Merouingi nominati ſunt. Quo mortuo, filius eius Hildericus ſuſcepit regnum: Quem luxurioſe uiuentem, & cum filiabus populi fornicantē, interficere nolentes, abiecerunt: & Aegidium quendam Romanum ſuper ſe poſuerunt. Sed poſt annos octo pœnitentes ſuper hac re, Hildericum reuocauerunt, factuſq; eſt rex uirtute magnus ſuper omnes priores Francorū reges. Agrippinam quippe ciuitatem temporibus eius, occiſis à parte Aegidij multis Romanis, Franci ceperunt, eamq; Coloniam appellauerunt, Treuerim quoq; appręhenderunt, & incenderunt, totamq; illam terram uaſtauerunt.

Mortuo autem Aegidio, Siagrius filius eius ſucceſſit in locum eius, ſeditq; in Sueſſionum ciuitate, ubi ſedes regni erat. Sed Hilpericus cum exercitu ſuperueniēs, omnem terram illam prædatus eſt, & Aurelianenſem, & Andegauenſem ciuitatem regno ſuo adiecit. Qui cum regnaret annis xxiiij. mortuus eſt, & Clodoueus filius eius regnum accepit. Hic cum Siagrio bellum commiſit, fugientemq; ad Alaricum regem Gothorum, miſſa legatione repoſcit, & redditum interfecit, totumq; regnum eius ſibi ſubijciens,

ciens, Romanos in tantũ deleuit, ut nulla eorum ueſtigia hodie reperiantur in Gallia. Accepit autem uxorem, neptem Gundebaudi regis Burgundionũ, nomine Gotehildam. Gundebaudus itaq; rex Burgundionũ, quatuor filios habuit, Gundebaudum ſcilicet, patrem Sigiſmundi & Gothemari, Hilpericum patrem Gotehildæ, Gotegiſelum, & Gotemarum. Mortuo autem Gundebaudo ſeniore, Gundebaudus iunior occidit fratrem ſuum Hilpericum, & uxorem illius ligato ad collum eius ſaxo, in aquam mergi præcepit, alios uero duos fratres in exilium miſit. Gundebaudus autem dum neptem ſuam Gotehildam Hilperici filiam ſecum haberet, & legati Clodouei regis illuc forte directi, eam uidentes, pulchritudinem eius apud dominum ſuum laudarent, miſſo Aureliano quodã honorato ſuo, accepit eam Clodoueus uxorem puellam Chriſtianam. Quæ cum ei Chriſtum ſæpe prædicaret, illeq; credere abnueret xv. anno regni ſui ſuſcipiens bellum cõtra Alemannos, cum penè uinceretur, hortatu Aureliani ſe crediturum ſpopondit, ſi Dei adiutorio Alemannos uinceret, moxq; & illos ſuperauit, & omnem terram eorum ſubiugauit, ac deinde per ſanctum Remigium Remorum Epiſcopum inſtructus, cum omni gente ſua eſt baptizatus. Poſt hæc abijt in Pictauienſem ciuitatem, ubi rex Alaricus habitabat, pugnanſq; cum eo interfecit eum xij. anno eiuſdem Alarici. Amalaricus uero filius Alarici fugiens in Hiſpaniam, regnum patris ſui poſtea ſagaciter recepit. Anno quinto poſt hanc uictoriam mortuus eſt Clodoueus in pace, anno regni ſui xxx. à tranſitu uero ſancti Martini anno cxij. Habebat aũt filios iiij. idem rex Clodoueus, Clodomirem, Theodericum, Hildibertum, & Clotharium. Hi regnum eius inter ſe diuiſerunt æqualiter, & eleuati ſunt in magna potentia. Theodericus uero tunc habebat filium nomine Theodebertum ſtrenuum & utilem. Amalaricus quoq; filius Alarici regis Gothorũ, ſororem illorum nomine Ruothildam petijt in coniugium, quam illi non negãtes, cum magna gloria ei dederunt. Sed cum ille uelut Arrianus eam poſtea indigne tractaret, mittens illa nuncium de Hiſpania ad fratrem ſuum Hildebertum in Aruerna ciuitate ſedentem, iniurias ſuas ei conqueſta eſt. Vnde ille iratus, cum magno exercitu Hiſpaniam tetendit, occiſoq; Amalarico ſororem ſuam cum magnis theſauris abſtulit, quæ tamen languore præuenta, in ipſo eſt itinere mortua.

Gundebaudus rex Burgundionum.

Ludouicus rex, dictus Gallis Clodoueus.

Clodoueus ducit puellã Chriſtianam in uxorem.

Hoc bello cecidit uniuerſa gloria & libertas alemãnorum, nec deſtitit uictor Ludouicus rex, donec partem ferro, partem ſeruitute, totã Alemannorũ gentem perdomuiſſet.

Remigius baptizat Clodoueum, pui hãc uictoriam ſuperis acceptã fert.

In illis diebus Gotehilda regina ueniens Pariſium, dixit ad filios ſuos. Nõ me pœnitet filij mei uos dulciter enutriſſe, tantum iniuriã meam indignamini, & mortem patris ac matris meæ uindicate. Qui mox ira cõmoti, cum exercitu magno Burgundiam pergunt, contra Sigiſmundum & Gotemarum filios Gundebaudi, qui patrem ac matrem Gotehildæ interfecit. Sigiſmundus rex Burgundionum illo in tempore ædificauit monaſterium ſancti Mauritij, ſociorumq; eius in loco Agauno, ubi & paſſi ſunt. Collecto autem exercitu, Burgundiones exierunt obuiam filijs Gothehildæ & Clodouei, ſed cõmiſſa pugna, cæſi Burgundiones fugerunt. Sigiſmundus itaq; dum fugeret ad ſanctos Agaunenſes, conſecutus eſt eum Clodomir, captumq; cum uxore & filijs, duxit in pagum Aurelianenſem, & in carcerem miſit, & poſtea interfectos in puteum proiecit, in loco qui dicitur columnabicus. Poſt hæc iterũ collecto exercitu, Clodomir in Burgundiam perrexit, cõtra Gotemarum, iterumq; repugnantem, ſed fugiẽtem, dum perſequeretur & præcurreret equo uelociſſimo, ex aduerſa parte percuſſus, corruit, & mortuus eſt. Quod audiens Clotharius, Gundeucam uxorem fratris ſui accepit in coniugium.

Quatuor filij Clodouei.

Gothehildis regina.

Sigiſmundus rex Burgundionum.

Theodericus autem rex, poſtq; regnauit annis xxiij. mortuus eſt, & Theodebertus filius eius ei ſucceſſit. Qui cum annis xiiij. regnaret, obijt, & Theodebaldus filius eius illi ſucceſſit. Quo poſt annos vij. defuncto, Clotharius patruus eius regnum ipſius cum theſauris multis accepit. Gotehildis autem regina in eleemoſynas profluens, in ſumma abſtinentia & ſobrietate uitam duxit, & apud Turonicam urbem plena dierum ad dominum migrauit, & in baſilica ſancti Petri ad latus uiri ſui Clodouei ſepulta eſt à filijs ſuis Hildiberto, & Clothario, ubi & beatiſſima Genofeua quieſcit.

Clotharius regnat.

Gothehildis Eleemoſinaria.

Clotharius autem rex de diuerſis uxoribus vij. habuit filios, De Ingunde regina Guntharium, Hildericum, Sigebertum, Guntrammum, Heribertum, & filiam Clodeſindam, de Regingunda uero ſorore Ingundis habuit Hilpericum. Per amorem enim Ingundis, eò q; eſſet pulchra & decora, & ipſe nimiũ eſſet luxurioſus, ſororem

eius

eius Regingundam accepit in cõiugium. De Guſina quoq; accepit Gratianum. Qui cum eſſet decorus nimis & acerbus,ac callidus,patri rebellauit,ſed captus ,& ad patrem adductus ,in caſa quadam incendi iuſſus eſt.Hildebertus uero frater Clotharij, apud Pariſium diu ægrotans,mortuus eſt.cuius regnum & theſauros Clotharius rex aſſecutus eſt.

Medardus Epiſcopus.

His etiam temporibus beatus Medardus Epiſcopus plenus uirtutibus, migrauit ad Dominũ,quem rex Clotharius in Sueſſione ciuitate cum magna gloria ſepeliri fecit.

Metis. Sueßion. Aureliæ. Pariſij.

Poſt hæc Clotharius rex febre correptus,obijt anno regni ſui li.regnũq; eius quatuor filij eius inter ſe diuiſerunt,ſcilicet Heribertus,Guntrammus,Hilpericus,Sigibertus,accepitq; Heribertus regnum Hildiberti patrui ſui,ſedemq; conſtituit Pariſijs.Gũtrammus autem regnum Clodomiris accipiens,Aurelianis ſedem conſtituit. Hilpericus uero regnum patris ſui Clotharij poſſidens,Sueſſionis ſedem poſuit. Sigibertus autem regnum Theodorici,ſcilicet Auſtraliã ſortitus,apud Metenſem ciuitatem regni ſedem locauit.

Guntramni regis uiſio.

Mons auri.

Ex quibus Guntrammus rex pacificus,& omni bonitate laudabilis erat,uitamq; in conuerſatione ſancta ducebat,cuius unum factum mirabile huic operi placet inſerere.Quodam tempore dum uenatum iret,omnes ſocij eius per ſyluam diſcurrentes illum ſolum cum uno tantum ſibi fideliſſimo dimiſerunt, iuxta riuulum quendam; Quem cum grauis ſomnus urgeret,caput ſuum in illius fideli ſui ſinũ poſuit, & dormiuit.Cum ſubito uidit ille,in cuius ſinu dormiebat,quaſi paruum animal de ore regis exire,& ad riuum tendere,multoq; niſu tentare,ſi quo modo poſſet tranſire.Cũq; tranſitus copiam non inueniret,ille qui hoc uidit, gladium ſuum de uagina eduxit, riuoq; ſuperponens,illud tranſire fecit. Tranſiens autem riuum, non longe inde in foramen num montis iuxta poſiti,intrauit:reuerſumq; per eandem uiam, poſt horam unam in os regis rurſus introiuit. Qui mox euigilans, magnam uiſionem ſe uidiſſe narrauit,dixitq; ſibi apparuiſſe in ſomnis,q; iter agẽs ad quendam fluuium magnum ueniret,quem per ferreum pontem tranſiret,ueniensq; ſub montem quendã, multum ibi aurũ uideret. Quod cum illi fideli ſuo narraret,illeq; uiciſſim ſibi omnia quæ geſta ſunt,intimaret,ad locum illum acceſſerunt,fodientesq; multa pondera auri,antiquitus ibi recõditi,inuenerunt,de quo auro rex idem poſtea ciborium magnũ fieri,diuerſisq; gemmis exornari præcipiens, uoluit illud Hieroſolymam ad ſepulchrum Domini mittere,ſed cum hoc perficere non poſſet,iuſſit illud poni ſupra corpus beati Marcelli martyris in Cabillona ciuitate ſepulti,diciturq; aliud huic ſimile non inueniri.

Audeuora Hilperici uxor.

Germanus epiſcopus excommunicat regẽ ob ductas duas ſorores.

Hilpericus autem accepit uxorem Audeuoram,quæ peperit ei tres filios,Theodobertum,Neroueum,& Clodoueum.Heribertus uero duxit Ingobergam. Quæ cum haberet duas puellas nimis pulchras,cuiuſdam pauperis filias,rex in amorem earũ uehementer exarſit.Quas cum regina odio haberet,rex iratus,eam abiecit,& unam ex illis in coniugium ſumpſit,deinde alteram ſibi quoq; copulauit.Pro qua re cum S. Germanus Pariſiorum Epiſcopus,utroſq; excommunicaret,& rex hoc parui pendẽs, eam non dimitteret,percuſſa Dei iudicio,mortua eſt,,nec multo poſt rex ipſe defunctus eſt.Porrò Sigibertus rex uidens nequitiam fratris ſui,dedignatus talia coniugia, legationem in Hiſpaniam miſit,regisq; filiam Brunihildem petijt, & accepit puellã pulchram & ingenioſam:Et quia Arrianæ legi ſubiecta erat,in nomine ſanctæ Trinitatis eam baptizari iubebat, ex qua filium Hildibertum ſuſcipiebat.

Columbanus.

Periculum πολυγαμίας.

His temporibus S. Columbanus de Hibernia uenit in Galliam,quem Sigibertus rex benigne ſuſcepit.Hilpericus autem frater Sigiberti, uidens eum regali coniugio ſublimatum, cum iam plures uxores haberet,ſororem Brunihildis natu maiorem, nomine Geltſundam in coniugium petijt,promittens per legatos omnes alias uxores ſe dimiſſurum.Qua deſponſata,& cũ multis theſauris a ccepta, Fridegundis quædam ex uxoribus eius plurimis genere infima,ſed ſpecioſa & callida,hanc in ſtratu ſuo per noctem ſtrangulauit,& priorem Audeuoram conſilio peſſimo ab eo ſeparauit,ipſaq; in locum earum,quaſi legitima ſucceſſit.

Eo tempore Iuſtinianus Imperator apud Conſtantinopolim obijt,Iuſtinus uero imperium ambiuit.Poſt hæc Hilpericus Theodebertum filium ſuum ultra Ligerem

in regnum

in regnum fratris ſui Sigiberti cum exercitu direxit qui mox Turonum & Pictauim cæteraſq; urbes inuaſit, eccleſias incendit, monaſteria deſtruxit, clericos interfecit. Contra quem Sigibertus mouens exercitum, interfecit eum: Hilpericus uero cũ uxore Fridegunda fugit in Turnacũ: Sigibertus autem ciuitates quæ ultra Pariſium ſunt, accipiens, cum Franci qui quondam Hildiberto ſeniori ſubditi erant, hunc uellent ſuper ſe regem conſtituere, & Hilpericum relinquere, fraudibus & cõſilio Fridegundis, quæ nimium callida erat, interfectus eſt anno regni ſui xiiij. ætatis autẽ xl. Tunc Brunihildis cum filijs ſuis apud Pariſium ſedebat: Gundoaldus autem dux, qui erat maior domus, filium Sigiberti paruulum Hildibertum furtim per noctem abſtulit, & cum eo fugit, collectiſq; gentibus ſuper quas pater eius regnauerat, regem illum conſtituit.

Theodeberti crudelitas.

Tempore illo beatus Germanus Pariſiorum epiſcopus plenus uirtutibus magnis, migrauit ad Dominum. Mortui autem ſunt & filij Hilperici, omnes quos habebat de Fridegunda: ſed ad ultimũ genuit Clotharium, qui poſtea factus eſt rex magnus, & hic genuit Dagobertum.

Germanus epiſcopus moritur.

Inter hæc maximæ diſcordiæ ortæ ſunt inter Hilpericum & nepotem ſuum Hildebertũ filium Sigiberti, irritabantq; eos ex utriſq; partibus, Fridegundis, & Brunehildis.

Eo quoq; tempore mortuus eſt bonæ memoriæ Guntrammus rex inclytus, frater Hilperici, cum regnaret annis xxxi. cuius regnum, ſcilicet Burgundiam, Hildibertus fratruelis eius accepit. Poſt hæc cum Fridegundis adulterium cum Landerico quodam committeret, & hoc regi Hilperico innoteſceret, illa eum metuens, egit conſilium cum duobus iuuenibus, qui regem ſero de uenatione uenientem, ſtatim ut de equo deſcendit, interfecerunt, clamantes ipſi inſidias eſſe de parte Hildiberti: ſicq; ipſa cum filio ſuo paruulo Clothario regnũ tenuit. Hildibertus igitur filius Sigiberti cum regnaret annis xx. mortuus eſt, habens duos filios, ſeniorem nomine Theodebertum ex concubina: iuniorem Theodericum ex regina. Sed ſenior Theodebertus regnum accepit, ſcilicet Auſtraſiam: iuniorem uero Theodericum auia ſua Brunihildis direxit in regnum Guntrammi regis, uidelicet Burgundiam.

Guntrammus rex moritur.

Fridegundis adultera.

Eo tempore Fridegundis mortua eſt. Brunihildis autem prauum cõſilium ſubminiſtrauit nepoti ſuo Theoderico dicens: Cur non requiris theſaurum & regnum patris tui, de manu Theodeberti, cum non ſit frater tuus, ſed de meretrice quadam patris tui concubina ſit ęditus? Ille uero hoc audiens, ut erat acerbis moribus, exercitũ plurimum contra fratrem direxit. Cumq; conuenirent in pręlium, Theodebertus uictus, fugit in Coloniam. Theodericus autem illum perſecutus, cum cuncta uaſtaſſet, & populus, ut ſubiectis parceret, ad eum clamaſſet, ait: Si uultis ut parcã uobis, Theodebertum mihi uiuum adducite, aut caput eius afferte. Qui ciuitatem ingreſſi, cum ſuaderent Theodeberto ut theſaurum redderet, quatenus frater eius recederet: ille uerbis eorum credulus, ingreditur theſaurarium ſuum: & cum precioſiſſima quæq; requireret, unus ex eis retro ceruicem eius gladio percuſſit, & caput eius amputauit. Theodericus uero apprehendens ipſam ciuitatem, multos theſauros accepit, rediensq; ad urbem Metenſem, filiam Theodeberti pulchram nimis, cum duobus filijs paruulis abduxit, filioſq; occidens, filiam in coniugium accipere uoluit. Cui cum diceret Brunihildis: Non debes ducere filiam fratris tui. ille iratus, ait: Nonne tu dixiſti mihi, quod non eſſet frater meus? Cur induxiſti ſuper me peccatum hoc, auctrix mortis? Et euaginato cultro, uoluit eam transfigere: ſed illa à circũſtantibus erepta eſt. Poſt hęc odio nimio infecta, potionem uenenatam per miniſtros ſuos ei direxit, quam ille bibens, mortuus eſt. Taliter refert hiſtoria Francorum. Sed in libro actuũ ſancti Columbani legitur, quod apud Talbiacũ pugnauerint, uictumq; Theodebertum & fugientem, Theodericus inſecutus apprehenderit, & ad auiam ſuam Brunihildem adduxerit, quem illa clericum fieri rogauerit, ſed nõ poſt multos dies impie peremerit. Theodericus uero apud Metenſem ciuitatem commorans, diuino igni crematus ſit. De hac controuerſia ſcriptores uideant. Mortuo autem Theoderico, filius eius Sigibertus in regnũ ſucceſſit, ille ſcilicet, de quo libro actuum ſancti Galli legitur, quòd Gunzonis ducis filiam deſponſauerit, quam idem beatus Gallus a dę-

Theodebertm uult fratris filiam ducere.

Liber actuũ S. Columbani.

Theodericus diuino igne crematus.

Liber actuũ S. Galli.

monio liberauerit. Clotharius itaq; filius Hilperici, collecto exercitu, fines regni quæ ſuæ ditioni debebantur, cum conabatur recipere, Sigibertus ei cum exercitu occurrit, quem ille captũ occidit, & quinq; fratres eius, filios Theoderici, ſimiliter interemit. Poſt hæc Burgundiones & Auſtraſij, facta pace cum Francis, Clotharium in monarchia totius regni regem ſublimauerunt. Tunc conclamantibus omnibus, Brunihildem morte turpiſſima eſſe condignam: primum camelo impoſitam, totum exercitum girare fecit: deinde indomitorum pedibus equorum alligatam, interimi præcepit, ſepulchrumq; eius ignis fuit. Erat autẽ Clothario filius, nomine Dagobertus, puer efficax & ſtrenuus, & ad omnia ſolertiſſimus, quem rex adultum cum Pippino ducem Auſtraſiam regnaturum direxit. Clotharius autem cum regnaret annis xliiij. plenus dierum mortuus eſt, & Dagobertus filius eius monarchiam in tribus regnis ſolus obtinuit, fuitq; fortiſſimus, & Francorum nutricius, in iudicijs eccleſiaſticis ſeuerißimus, largitor eleemoſinarum præcipuus, pacem in toto regno ſuo ſtatuens, & timorem gentibus in circuitu incutiens, ipſeq; uelut Salomon pacificus, regnum obtinuit quietus.

Brunihildis turpißima mors.

Dagobertus fit monarcha triũ regnorũ.

Eo tempore defuncto Gundoaldo maiore domus, Erchinoaldum uirum illuſtrẽ in locum eius ſtatuit. Habebat autem idem rex ex regina Mathilda de genere Saxonum, filios duos, Sigibertum, & Clodoueum: quorum maiorem Sigibertum duci Pippino, & ſancto Choniberto Colonienſi epiſcopo, in Auſtraſia regnaturum direxit, iuniorem Clodoueum ſecum retinuit. Sigibertus hic ſancto Koniocho epiſcopatũ Traiectenſem dedit. Pippinus autem dux pater erat ſanctæ Gertrudis uirginis, & Beggæ, quã duxit uxorem Angiſus filius ſancti Arnolfi, uiri magni, deoq; dilecti, qui pro amore dei renuncians ſeculo, diuino ſe mãcipauit ſeruitio, factusq; eſt poſtea epiſcopus Metenſium: deinde heremiticam diligens uitam, plenus uirtutibus migrauit ad dominum. Huius ſancti Arnolfi pater fuit Arnolfus uir illuſtris, filius Anſberti, & Blithildæ Lotharij regis filiæ.

Sigibertus.
Clodoueus.

Angiſus Epiſcopus Metenſium.

Dagobertus autem rex, cum regnaret annis xxxiiij. mortuus eſt, & Clodoueus filius eius regnauit pro eo ſuper Francos, accepitq; uxorem de genere Saxonum, nomĩne Mathildem, pulchram, & ingenioſam, quæ genuit ei tres filios, Lotharium, Hildericum, & Theodericum. Sigiberto uero fratre Clodouei, rege Auſtraſiorum, defuncto, dux Pippinus filium eius Grimoaldum maiorem domus conſtituit. Habuit autem & ipſe Sigibertus filium paruulum, nomine Dagobertũ. Decedente igitur tempore, Sigibertus defunctus eſt, & Grimoaldus maior domus, filium eius Dagobertũ totondit: Didonemq; Pictauienſis urbis epiſcopum in Scotiam exilians, Dagobertum epiſcopatui præpoſuit. Quod indignantes Franci, Grimoaldo inſidias ſtatuunt captumq; Clodoueo deferunt, quem ille uinculatum carceri mancipauit, ubi ut dignus erat, uitam finiuit.

Clodoueus regnat.

Dagobertus Pictauienſis epiſcopus.

Eo tempore Clodoueus, inſtigante diabolo, brachium ſancti Dionyſij martyris abſcidit, ex quo regnum Francorum caſibus peſtiferis concidit. Clodoueo itaq; poſt xv. annos regni ſui defuncto, Franci ſtatuerunt Lotharium fratrem eius cum matre Mathilda regnare pro eo. Hic ſanctum Leodegarium Auguſtuduni fecit epiſcopum.

Brachium ſancti Dionyſij abſciſum.

Eo quoq; tempore Erchinoaldo maiore domus defuncto, in locum eius ſucceſſit Ebroinus. Poſt non multum uero tempus, mortuo Clothario. Ebroinus maior domus, Theodericum fratrem eius conſtituere uoluit regem. Sed quia idem Ebroinus iam odioſus fuit Francis, ſpreto eius conſilio, alterum eius fratrem Hildericum, qui Auſtraſijs iam imperabat, ſuper ſe regem conſtituunt. Quod uidens Ebroinus, in Luxouienſe cœnobium tõſo capite, quaſi perpetuo monachus, ſe cõtulit. Poſt aliquod tempus, Hilderico, cum leuis eſſet, ac omnia inconſulte ageret, à quibuſdam cum regina prȩgnante interfecto, rurſumq; Theoderico in regnum reuocato, Ebroinus de clauſtro prorumpens, ad regem peruenit: receptoq; principatu ſuo, tyrannidem magnam in Francos, quibus odioſus erat, exercuit: inter quos & ſanctum Leodegarium occidit. Mortuo autẽ Theoderico, filij eius Clodoueus & Hildebertus regnauerunt: poſt quos Dagobertus iunior, cui Hilpericus cum Reginfrido ſuccedentes, à Karolo Pippini filio deiecti ſunt, & Lotharius ſubſtitutus, poſt quem iterũ Hilpericus regnauit, poſt hunc Theodericus. Quo xx. Leonis imperatoris anno mortuo, & primo

Conſtantini eiuſdem Leonis filij anno, Karolo defuncto, quinq; annis poſt Theodericum ſine rege interlapſis, ſexto demum anno Pippinus & Karlomannus, filij Karoli, Hildericum ſtatuunt regem, qui & ultimus erat de antiquo genere regum.

Tempore autem regum præcedentium, poſt mortem Ebroini, Angiſus ſancti Arnolfi filius, nomen, ut aiunt, ducens ab illo Troiano Anchiſa patre Aeneę, maior domus effectus eſt in regno Francorum: poſt quem Pippinus filius eius, & Beggæ, ſororis ſanctę Gertrudis: poſt hunc filius eius Karolus, cognomento Fortis, qui per multas pugnas principatum tulit de manu Reginfridi, quem Karolum genuit Pippino Albhaidis ſoror Diodonis domeſtici ſui, quam ille ſuperduxit legitimæ uxori ſuę Plectrudi, de qua ſuſceperat Drugonem & Grimoaldum. Quam rem dum deteſtaretur ſanctus Lampertus epiſcopus ab eodē Diodone eſt interfectus, Pippino, ut aiunt conſentiente, Hildeberto Theoderici filio regnante. Mortuo autem hoc Karolo, filij eius Pippinus & Karlomannus principatum tenuerunt ſimul annis iiij. poſtea Pippinus ſolus annis vij. adhuc quidem regibus in Francia ex antiqua ſtirpe ſolo nomine regnantibus, ſed nil regię dignitatis habentibus, donec per autoritatem Zacharię papæ, Hilderico qui tunc falſum regis nomen habebat, detonſo, & in monaſterium detruſo, idem Pippinus ex præfectu palatij in regnum eſt ſublimatus, ac deinde per ſucceſſorem eius Stephanum papam, unà cum uxore ſua Bertherata, filijsq; Karolo & Karlomanno, regali eſt unctione conſecratus, & in regno confirmatus, anno ab incarnatione Domini Dccliiij.

Carolus Fortis. — forte Carolus Martell[us]

Pippinus rex.

His, de gente regibusq; Francorum noticiæ cauſa, ſiue per repetitionem præcedentium, ſeu per anticipationem ſequētium dictis, quaſi per quendam exceſſum, iam redeamus ad inceptum.

ANNI VALENTINIANI.

Valentinianus primo regni ſui anno, qui eſt Dominicæ incarnationis ccc. lxvij. fratri ſuo Valenti regnum orientis dedit, ipſe occidentale tenuit. Anno domini ccclxviij. Damaſus papa xxxviij. ordinatus, ſedit annis xviij. ſub ſeditione tamen, quia Vrſinus quidam diaconus Romæ eccleſiæ ſibi ſacerdotium uſurpauit: Damaſus uero conſtituit, ut Pſalmi die noctuq; canantur in Eccleſia. Anno domini ccclxix. lana pluuiæ permixta de nubibus fluxit. Anno Domini ccclxx. Hilarius Pictauienſis epiſcopus obijt. Anno domini ccclxxi. Athalaricus rex Gothorum, Chriſtianos in ſua gente perſequitur. Anno domini. ccclxxij. Euſebius Vercellenſis, & Lucifer Caralitanus obierunt. Anno domini ccclxxiij. Valentinianus Saxones cæde perdomuit in Francia. Anno domini ccclxxiiij, Didimus Alexandrinus multa de noſtro dogmate commentatur. Anno domini ccc. lxxv. Sanctus Martinus Turonis ordinatur epiſcopus. Anno domini ccclxxvi. Magnentia quæ & Tecla, Romanorum nobiliſſimā, Hyeroſolymam ueniens, magnis uirtutibus & humilitate claruit. Anno domini ccclxxvij. Valentinianus rupta uena nuper inciſa moritur.

Pſalmi canēdi

Athalaricus Chriſtianorū perſecutor.

Tecla.

Valens igitur frater Valentiniani, dum per conceſſionem fratris regnaret cum eo in regno Orientis, id eſt, in Conſtantinopoli, annis xi. poſt mortem fratris regnauit ibi annis iiij. Gratiano & Valentiniano fratris ſui filijs, regnū occidentis, id eſt, Romanum tenentibus imperium. Hic itaq; Valens mox ut frater eius ab eo diſceſſit, Dominica uxore ſua, ut aiunt, ſuadente, ab Eudoxio Arriano epiſcopo rebaptiztus eſt, ſtatimq; in Chriſtianos perſecutionem moueret, ſi fratrem non timeret. In Antiochia tamen plurimo tempore commorans, omnibus licentiam dedit ſua ſacra celebrare, Gentilibus ſcilicet atq; Iudæis, & omnibus hæreticis: illis tantummodo inimicus erat, qui Apoſtolicam doctrinā prædicabant. Poſt mortem uero fratris, impietatem quam mente conceperat, operibus explebat. Nam ſacerdotes Domini exiliabat, monachos in militiam cogebat: nolētes militare, interfici iubebat.

Valens in Chriſtianos.

Monachi in Militiam ſub Valente.

Inter hæc diabolico inſtinctu perſcrutari cupiens, quis poſt eum regnaturus eſſet, nectomantiam fecit: ſed diabolus eius audacia & crudelitate abuſus, nō aperta, ſed

Valẽs quoſdã occidit ex indicio dæmonis adiurati.

Theodoſiolus martyr.

obliqua ei reſponſa dedit, per quæ multos artificioſe interemit. Nam cũ de imperio conſuleretur, quatuor literas demõſtrauit, θ.ε.ο.δ. dicẽs hoc nomẽ poſt Valentẽ imperij culmen accepturũ. Vnde ille zelo ductus, multos interemit, quos tyrannidem aſſumere æſtimauit. Occidebantur itaq; Theodori, Theodoti, Theoduli, & quicũq; has literas in capite ſui nominis habuiſſent. Hoc ergo timore plurimi ſua nomina mutauerunt, negantes cum iuramento, quæ prius habuerunt, ut pericula effugerent. Inter cæteros autẽ occiſus eſt & Theodoſiolus uir fortis, ex Hiſpania genus ducens, pater Theodoſij poſtea imperatoris. Hic Theodoſiolus à Valentiniano fratre Valentis in Aphricam miſſus, Firmum quendam ſeſe in regnum extollentem, ad mortem coegit, totamq́; Aphricam & Mauritaniam Romano imperio ſubiecit. Sed cũ à Valẽte per inuidiam iuberetur occidi, prius in remiſſionem peccatorũ rogabat baptizari, ſicq́; iugulum ultro præbuit percuſſori.

Huni in Gothos.

Vide Theodo. in hiſt. Trip. lib. 8. cap. 13.

Traiani magiſtri militũ ex poſtulatio cũ Valente.

Ea tempeſtate Hunorũ gens diu inacceſſis ſecluſa montibus, repentina rabie percita, exarſit in Gothos, eosq́; conturbatos, ab antiquis expulit ſedibus. Qui tranſito Danubio, ad Valentem uenerunt, & ſine omni pactione ſuſcepti, Thracias ad habitandum ab eo acceperunt. Deinde cum idem imperator non daret eis quod ſufficeret, non ſuſtinentes famem, apprehenderunt arma, euntesq́; per Thraciam, omnia licenter uaſtabant & incendebant. Hoc audiens ualens, egreſſus ab Antiochia, congregauit exercitum ut pugnaret cum Gothis. Primumq́; moratus apud Conſtantinopolim, miſit Traianum magiſtrum militiæ contra eos, qui uictus, ignominioſe reuerſus eſt. Cui cum Valens mollitiem exprobraret, ait: Non ego uictus ſum ô imperator ſed tu, qui contra Deum pugnas, Barbaris nutũ eius cõcilias. An neſcis quòd ab eccleſijs expuliſti, & quibus eas tradidiſti: Ille fera pœnitentia ſtimulatus, epiſcopos, cæterosq́; ſanctos reuocari de exilijs præcepit. Inter hæc barbari per Thraciã diſcurrebant, iãq; ſuburbana Cõſtantinopolitana, nullo prohibẽte, incendebant. Egreſſus itaq; de Cõſtantinopoli, duxit exercitum ad urbem Hadrianopolim: commiſſaq́; pugna cũ Gothis, primo impetu Gothorũ, Romani equites nudatos deſeruere pedites, quos Gothi mox circundederunt, ac ſagittarum nubibus huc & illuc fugientes obruerunt. Ipſe quoq; imperator Valens ſagitta ſauciatus, & in fugam uerſus, cũ ob nimium dolorem de equo laberetur, in uiliſſimam caſam deportatur, ubi Gothis superuenientibus, ipſumq́; ibi neſcientibus, igne impoſito concrematur, anno uitæ quinquageſimo, regni autem xv. quorum xi. regnauit cum fratre, iiij. poſt illum. Iuſto itaq; Dei iudicio ab illis igni crematus eſt, quos ipſe perfidiæ ſuccenderat igne. Antea quippe petentibus Gothis, ut eis mitteret prædicatores & doctores, qui eos catholicam fidem inſtruerent, miſit Arrianos doctores, ſicq́; omnis illa gens Arriana facta eſt. Mortuo autem Valente, Gothi iam ſecuri pergũt ad urbem Conſtantinopolim, ubi tunc Dominica uxor Valentis ſedebat, quæ ex ærario publico præmia bene certantibus præbens, urbem uiriliter defendebat. Sub his temporibus Apollinaris Laodicenus epiſcopus, multa noſtræ religionis ſcripta compoſuit: qui poſtea deuians à fide, hęreſim ſui nominis inſtituit. Quia uero Gothorum mentio non ſolum in hoc loco, ſed & in præcedentibus ſæpe eſt habita, & in ſequentibus ſæpius habenda, nõ ſuperfluum uidetur, ſi de origine eorum altius ab initio repetatur, & qui, aut unde eſſent, quàm breuiſſime ueriſſimeq́; poteſt, hic aliquid inſeratur: quia & Huni, qui eos de ſedibus ſuis expuliſſe referuntur, originem ex his traxiſſe dicuntur: Gepidi quoq; & Amazones ex eis proceſſiſſe leguntur.

Valens concrematur.

Gothi facti Arriani.

Apollinaris.

De Gothis ſcripſere Procopius, Ablabius, et Iornandes.

HISTORIA GOTHORVM.

Scanzia.

Plin. lib. 4. ca. 16. Scandiam.

Viſtula.

CLaudius Ptolemęus, orbis terræ deſcriptor egregius, refert in ſecũdo ſui operis libro, eſſe in oceani Arctooſalo inſulam quandam magnam, nomine Scanziam, in modum folij cedri lateribus pandis per longum ductam, quã & Pomponius Mela in maris ſinu Codano poſitam refert, cuius ripas influit Anus. Hæc à fronte poſita eſt Viſtulę fluminis, qui Sarmaticis montibus ortus, in conſpectu Scanziæ ſeptentrionali oceano triſulcus illabitur, Germaniam, Scythiamq́; determinans. Vbi etiã aliæ plures inſulæ dicuntur eſſe diſpoſitæ,

diſpoſitę: ad quas ſi congelato mari ob nimium frigus lupi tranſierint, luminibus ſe tuntur priuari. Ita non ſolum hominibus inhoſpitales, uerum etiam beſtijs terræ ſūt crudeles. In Scanzia uero inſula multæ & diuerſę manent nationes, quarum vij. commemorat Ptolemęus: ex quibus una dicta Adogit, in Arctoa parte eiuſdem inſulę cōſiſtit, quæ in media æſtate xl. diebus & noctibus lucem continuam fertur habere: itemq; brumali tempore eodem dierum noctiumq; numero, alternato mœrore cum gaudio, claram lucem neſcire. Et hoc inde uenit, quia prolixioribus diebus per axis marginem ſolem uident redeuntem ad Orientem: breuioribus uero non ſic apud illos conſpicitur, ut Auſtrales cōſpicere cenſuerunt. Nobis enim uidetur ſol ab imo ſurgere: illis uero marginem circuire. Nec hoc alicui incredibile uideatur, quia Plinius ſecularium erudititiſſimus literarum, eodem modo fieri in inſula Thyle teſtatur, circa ſolſtitium æſtiuale & brumale, aliquibus tantum diebus. Quod & uenerabilis Beda comprobat, dicens, ſibi dictum fuiſſe à quibuſdam clericis, qui in eadem inſula fuerunt, à kal. Feb. uſq; ad kal. Aug. quod in diebus circa ęſtiuale ſolſtitium, in ueſpertina hora abſcondat ſe ſol, occidens quaſi poſt paruulum tumulum, ita ut in minimo illo ſpacio nihil fiat tenebrarum, ſed quicquid homo operari uoluerit, tanq̃ in præſentia ſolis poſſit: & ſi in altitudine montium eiuſdem terræ fuiſſent, forſitan ſol nunquā eis latuiſſet. In medio autem ſpatio illius minimi temporis, media nox fit in medio terrarum orbis. Sed & beatus Auguſtinus in ſententia quæ in Eccleſiaſtico fit de ſole de ambitu ſolis dicit: Auſtralis ergo pars cum habet ſolem, nobis dies eſt: cum autem ad partem Aquilonis circuiens peruehitur, nobis nox eſt: non tamen in alia parte non eſt dies, ubi præſentia ſolis eſt, niſi forte poeticis figmentis cor inclinandum eſt, ut credamus ſolem mari ſe immergere, atq; inde lotum, ex alia parte mane ſurgere: quanquam ſi ita eſſet, abyſſus ipſa ſolis præſentia illuſtraretur, atq; ibi dies eſſet, poſſet enim & aquas illuminare, quando ab eis non poſſet extingui: ſed hoc monſtroſum eſt ſuſpicari. Alia quoq; gens ibi eſt, quæ Suethans dicitur, cuius gentis homines, uelut Thuringi, equis utuntur eximijs: & hi ſunt, qui in uſus Romanos Saphirinas pelles, commertio interueniente, per alias innumeras gentes tranſmittunt, famoſi decora pellium nigredine. Hi cum inopes uiuant, ditiſſime ueſtiuntur. Sunt ibi & Suetidi cogniti in hac gente, reliquis corpore eminentiores, quamuis Dani ex ipſorū ſtirpe progreſſi, Herulos proprijs ſedibus expulerint, qui inter omnes Scanziæ nationes nomen ſibi præcipuum ob nimiam proceritatem affectant.

In Scanzia multæ & diuerſæ natiōes.
Adogit inſula
Quid ſi pro Scandia Thule inſula?
Plin. de Thule
A Thule unius diei nauigatio nec mare concretū, à nōnullis Croniū appellatur li. 4. cap. 16. Beda.
Auguſtini ſentētia ſuper loco Eccleſiaſtici.
Populus Suethans forte Suiones. uide Cornel. Tacitum.
Suetidi.
Dani.
Heruli.

Ex hac igitur Scanzia inſula, quam alij Scandanauiam dicunt, quaſi officina gentium, aut certe uelut è uagina nationum, diuerſæ nationes egreſſæ ſunt, Dani, Daci, Heruli, Rugi, Turcilingi, Vuandali, Vuinili, qui & Longobardi, & hi qui poſtea Burgundiones dicti ſunt, & aliæ multæ Barbaræ nationes. Ex eadem quoq; cum rege ſuo nomine Berich, Gothi qui & Getæ, quondam memorantur egreſſi, cum tribus tantum nauibus. Sed qui in una erant naui, aliquantulum, ut fieri ſolet, tardiores, cum alios ſequi non poſſent, in quandam Viſtulæ fluminis inſulam uenientes, quouſq; meliores inuenirent ſedes, ibi reſederunt, nomenq; genti ex trarditate ſua dederunt. Nam lingua eorum pigra Gepanta dicitur: ipſaq; gens poſtea paulatim corrupto nomine ex uitio tarditatis Gepidorum uocabulum ſortitur. Quod ipſum nec credo falſiſſimum, ſunt enim ingenio tardiores, & uelocitate corporum grauiores. Alij uero qui in duabus erant, mox ut citeriorem oceani ripam attigerunt, nomen loco dederunt, qui hodieq; ut fertur, Gothiſcanzia uocatur. Inde mox promouentes, ad Vlmerugorum ſedes, qui tunc oceani ripas inſederunt, caſtrametati ſunt, eoſq; commiſſo prælio, proprijs ſedibus expulerunt, uicinoſq; eorum Vuandalos tunc ſubiugantes, ſuis uictorijs applicauerūt. Vbi uero magna populi numeroſitate creſcente, quintus iam penè rex poſt Berich, regnabat Filimer Gadarici magni filius, conſilium dedit, ut cum familijs ſuis Gothorum inde promoueret exercitus. Qui aptiſſimas ſedes locaq; dum quæreret congrua, peruenit ad Scythiæ terras, quę lingua eorum Ouim uocabantur. Vbi delectatus magna ubertate regionum, per pontem tranſpoſuit exercitum ultra quendam fluuiū. Medietate autem exercitus tranſpoſita, pons ubi amnem traiecerat, dicitur irreparabiliter corruiſſe, nec ulterius licuit iam alicui ire aut redire. Nam is locus, ut fertur, tremulis paludibus uoragine circumiecta concluditur, quem

Scanzia dicta Scandinauia, officina gentium.
Berich, qui et Berig.
Gepidi.
Gepantū idem quod pigrum:
Gothiſcanzia.
Vlmerugorū ſedes.
Filimer quintus rex poſt Berich.
Ouim.

utraq; confuſione natura reddit imperuium. Veruntamen hodie illic & uoces ar-
Gens Spalorũ à Gothis uicta
mentorum audiri, & indicia hominum deprehendi, cõmeantium atteſtatio, quam
uis longe audientium, ſolet perhibere. Hi ergo qui apud Filimer dicuntur in terras
Ouim eméſo amne tranſpoſiti, optato potiti ſolo, ilico ad gentem Spalorum adue-
Ablauius ſcriptor gentis Gothorum.
niunt; conſertoq; prælio, uictoriam adipiſcuntur. Exinde iam uelut uictores ad extre-
mam Scythiæ partem, quæ Pontico mari uicina eſt, properant, quemadmodum &
in priſcis eorum carminibus pene hiſtorico ritu in commune celebratur, & Ablauius
deſcriptor Gothorum gentis egregius ueriſſima teſtatur hiſtoria. In quam ſententi-
Scythia.
am nonnulli conſenſere maiorum, eosq; Scythas appellare cenſuerunt. Scythia ſi-
quidem Germaniæ confinis eſt, eotenus ubi Iſter fluuius oritur, uel ſtagnum Marſia-
num dilatatur, uſq; ad Danubium, montemq; Taurum, non illum Aſiæ, ſed propri-
um Scythiæ per omnem Mæotidis ambitum, cuius paludis circuitus eſt paſſuum
mille centum xliiij. nuſquam octo cubitis altius ſubſidentis. In qua Scythia prima
ab occidente gens eſt Gepidorum, quæ magnis opinatisq; ambitur fluminibus, in-
troſſus Dacia eſt, ad coronæ ſpeciem arduis alpibus emunita: dein per immenſa ſpa-
Sclaueni.
cia Venetiarum natio populoſa conſidet, quorum nomina licet nunc per uarias fami
lias & loca mutentur, principaliter tamẽ Sclaueni nominantur. Prima uero manſio
Prima manſio Gothorum.
Gothorum in Scythiæ ſolo, fuit iuxta paludem Mæotidem: ſecunda in Myſia Thra
ciaq; & Dacia: tertia ſupra mare Ponticum. Et dum in prima ſede iuxta Mæotidem
habitarent, Filimerem regem habuerunt. In ſecunda, id eſt, in Myſiæ Thraciæq; & Da
Zalmoxes, aliàs Zamolxes rex.
ciæ ſolo Zamolxem, quem miræ philoſophiæ & eruditionis fuiſſe teſtantur. Pleriq;
autem ſcriptores annalium tradunt eos prius habuiſſe eruditorem Zeutem, poſtea
Dicineum, qui uenit ad eos eo tempore, quo Sylla Romano principatu potitus eſt,
Comoſicus rex & pontifex Gothorũ.
poſt Dicineum habuiſſe Sapientem Comoſicum, qui propter ſuam peritiam & rex
illis haberetur & pontifex: quartum uero habuiſſe Zamolxen. Nec defuerunt qui
eos ſapientia erudierunt: unde & pene omnibus Barbaris Gothi ſapientiores extite
Dio hiſtoricus Gothorum.
runt, Græcisq; pene ſimiles, ut refert Dio, qui hiſtorias, annalesq; eorum Græco ſtilo
compoſuit: qui etiam dicit eos primum Taraboſteos, deinde Pileatos, uocitaſſe hos
qui inter eos generoſi extabant, ex quibus reges & ſacerdotes ſibi ordinabant. Adeo
Mars ex Getis.
ergo laudati fuere Getę, ut Martem, quem poetarum fallacia deum belli pronunciat,
apud ſe dicerent fuiſſe progenitum. Vnde dicit Virgilius:

Gradiuumq; patrem Gethicis qui pręſidet aruis.

Quem Martem Gothi ſemper aſperrima placauere cultura, ſcilicet, morte captiuo
rũ: opinantes bellorum pręſulem apte humano ſanguine placandum. Hac itaq; ſede
morantibus Gothis, qui & Scythæ dictæ ſunt, Veſoces rex Aegypti, qui regnauit eo
Primum bellũ in Gothos.
tempore, quo Soſarinus imperauit Aſſyrijs, & Inachus Sicyonijs, bellum primus in-
tulit Gothis, quibus tunc erat rex Tanauſis, qui eidem occurrens, eumq; grauiter de
bellans, uſq; in Aegyptum fugauit, deſtitutum exercitum inuadit, omnemq; belli ap-
paratum capeſſit, ac totam Aegyptum deuaſtaſſet, ſi paludes Nili non obſtitiſſent.
Inde reuerſi Gothi omnem pene Aſiam infinitis cædibus perdomitam, uectigalem
fecerunt, ubi per xv. annos ſine pactione immorati, tandem uxorum flagitatione re-
uocantur, denunciantium, ni redeant, ſe à finitimis ſobolem quæſituras. Hoc autem
ſpacio quo uiri commorati ſunt in Aſia, fœminæ illorum à uicina quadam gente ten
tantur in prædam: ſed illę à uiris ſuis edoctæ, ſumptis armis, fortiter reſtiterunt, ho-
ſtesq; ſuperuenientes, cum magna uerecundia abegerunt. Vnde quidam opinantur
Amazones.
has fuiſſe, quę Amazones dicuntur: ſed hoc repugnare uidetur, quod harũ uiri poſt
xv. annos ab eiſdem reuocati legũtur. Illarum uero mariti partim bello, partim ab ip-
ſis occiſi ſcribuntur. Amazonum autem origo huiuſmodi fuiſſe legitur.

DE AMAZONIBVS.

MEdio tempore habitationis Gothorum in hac ſede, duo regij iuuenes
Plinius. Scolopetius.
PLINIVS & SCOLOPETIVS apud eos per factionem opti
matum domo pulſi, ingentem iuuentutem ſecum traxere, & in Cappa
dociæ Pontice ora iuxta fluuium Thermodoontem conſidentes, cam-
pos Themiſcyrios ſibi ſubiecere. Vbi proxima queq; dum populantur, conſpiratio-

ne fini-

ne finitimorum per inſidias cum ſuis comitibus penè omnibus trucidantur. Horum
uxores exilio ac uiduitate permotæ, arma corripiũt, & ut omnibus par ex ſimili con-
ditione animus fieret, uiros qui ſuperfuerãt, interficiunt, atq; accenſæ in hoſtem, ſan-
guine ſuo ultionem cæſorum uirorum excidio finitimorum exequũtur. Tunc pace ar
mis quæſita, ueritæ ne prole rareſcente deficerent, externos concubitus uicinarũ gen-
tium ineunt, factis nundinis ſemel in anno, ita ut eadem die futuri temporis reuer-
tentes ad ipſum, ut quicquid maſculini ſexus edidiſſent, patribus redderẽt, quicquid
fœminei, matres ad arma bellica erudirent. Neq; enim uirgines earum ſuſum ad ali-
quid operandum tenebant, ſed equis, & armis & uenationibus ſe exercebant. Qui-
dam autem dicunt ꝙ editis maribus, nouercali odio infantis miſerandi fata rumpe-
rent, & ita apud illas deteſtabile eſſet puerperium, quod ubiq; conſtat eſſe uotiuum.
Quæ crudelitas illarum, maximũ terrorem uicinis gentibus cumulabat uulgatæ opi-
nionis. Nam quæ rogo ſpes eſſet capto, ubi nefas habebatur ignoſci uel filio? Puellis
autem dexteras inurebant mamillas, ne ſagittarum uel iaculorum impedirentur ia-
ctus, unde & Amazones dicuntur, hoc eſt ſine mãma. Harum duæ reginæ fuere Lam *Amazones, id eſt ſine mãma.*
peto & Marpeſia, quas audentiores cæteris eligentes, earum ſe principatui ſubdide-
runt. Quæ agmine diuiſo, in duas partes, uiciſſim curam belli, & domus cuſtodiam
ſortiebantur. Sed Lampeto, dum proprios fines domi tueretur, Marpeſia fœminarũ
agmine ſumpto, nouum genus exercitus duxit in Aſiam, diuerſaſq; gentes bello ſu-
perans, alias pace concilians, ad Caucaſum montem uenit, ibiq; certum tempus de-
morans, loco nomen dedit Saxum Marpeſiæ, Vnde Virg. ait. Ac ſi dura ſilex ſupereſt *Saxum Marpeſiæ.*
Marpeſia cautes. Inde egreſſæ Alim fluuiũ, qui iuxta Gargarũ ciuitatem præterfluit,
tranſierũt: & Armeniã, Syriam, Ciliciã, Galatiã, Piſidiam, multaq; Aſię loca obtinu-
erunt, ibiq; diutius dominantes, Epheſum & alias ciuitates, caſtraq; condiderunt, *Epheſus.*
ſuoq; nomini dicauerunt. Templum quoq; Dianæ ob ſagittandi ac uenandi ſtudiũ, *Dianæ templum.*
quibus artibus ſe tradiderant, mira pulchritudine apud Epheſum cõſtruxerunt. Tali
ergo caſu Scythię gentis fœminæ Aſiæ regnum per centum annos tenuerunt. Sicq;
magna pars exercitus opulentiſſima præda onuſta in cautes Marpeſias ad ſocias pro
prias repedauit, reliquæ uero ad tuendum Aſiæ imperium relictæ, incurſu hoſtium
cum Marpeſia regina, trucidatę ſunt. Cuius filia eius locum Sinope capeſſit, quæ ſin- *Sinope.*
gularem uirtutis gloriam perpetua uirginitate cumulauit. Hac fama gentes excitas
tanta formido & ammiratio inuaſit, ut Hercules quoq; cum iuſſus fuiſſet à Domino *Hercules timet Amazones.*
ſuo, exhibere ſibi arma reginæ Amazonum, quaſi ad ineuitabile periculum deſtinare
tur, ex uniuerſa Græcia lectam ac nobilem iuuentutem contraxerit, ix. longas naues
præparauerit, nec tamen ſic contentus examine uirum, ex improuiſo eas aggredi, &
inſperatas circumuenire maluerit. Duæ ſorores tunc regnõ præerant, Anthiope & *Anthiope.*
Orithia. Hercules autem aduectus, incautas, inermeſq; & pacis incuria deſides op- *Orithia.*
preſſit Amazones, & inter cæſas & captas plurimas, duæ ſorores Antiopæ retentæ
ſunt, Melanippe ab Hercule, Hippolyte à Theſeo. Sed Theſeus Hippoliten matri-
monio aſciuit, Hercules uero Melanippen ſorori reddidit, & arma reginæ in precium
redemptionis accepit. Poſt Orithiam Penteſilea regno eſt potita, cuius clariſſima uir
tutis documenta inter uiros Troiano accepimus bello, in quo ipſa occiſa dicitur ab
Achille. Fuerunt autem cum ea lxx. millia Amazonum, quarum paucæ reuerſæ ſunt.
Poſt Penteſileam regnũ tenuit Thaliſaridis, quæ habuit pacem cum Alexandro Ma-
gno. Dicuntur autem Amazones regnaſſe per annos multos, uſq; ad Iuliũ Cæſarem.
Hæc aũt de Amazonibus huic hiſtoriæ ſubintulimus, ut has quoq; de ſtirpe Gothorũ *Amazones ex ſtirpe Gothorum.*
deſcendiſſe monſtraremus, nunc uero ad cœptam eorundem hiſtoriam redeamus.

Dio hiſtoricus, & antiquitatum diligentiſſimus inquiſitor, qui operi ſuo Geticum
titulum dedit, regem illis poſt multa tempora fuiſſe cõmemorat nomine Telephum
Herculis filium, procerum quidem corpore, ſed plus uigore terribilem, qui paternã *Dio in opere Getico.*
fortitudinem proprijs uirtutibus æquans, Herculis genus & formæ ſimilitudinem re
ferebat. Huius regnum Mœſiam appellauere maiores. Is coniugio ſororis Priami co-
pulatus, bellum habuit cum Danais, in qua pugna Teſſandrum ducem Gręciæ pere-
mit. Et dum Aiacem infeſtus inuadit, Vlixemq; perſequitur ictibus, equo cadente,
ipſe corruit, Achilliſq; iaculo femore ſauciato, diu mederi nequiuit, Græcos tamen

quamuis ſaucius à ſuis finibus proturbauit. Telepho uero defuncto Euriphilus filius eius ſucceſſit in regnum, ex Priami regis ſorore progenitus, qui cum ob Caſſandræ amorem bello intereſſet Troiano, ut parentibus ſocero & ferret auxilium, mox extinctus eſt. Poſt longum interuallum Thomiris regina cum filio ſuo Gothis præſidebat, quæ Cyrum regem Perſarum bellum Scythis inferentem, interficiebat. Poſt hæc Antinus Gothis regnauit, cuius filiã Darius, Hyſtaſpis filius, rex Perſarum poſtulás, ſed repudiatus cum Dcc. millibus armatorum, bellum Scythis intulit, ſed lxxx. millibus perditis, refugit. Poſt quem Xerſes filius eius paternas iniurias ulturum ſe æſtimans, cum Dcc. millibus armatorum de regno, & ccc. millibus de auxilijs, mille quoq; nauibus roſtratis, & tribus millibus onerarijs ad eos proficiſcitur, ſed nec tentare in conflictu animoſitatem eorum præſumens, cum rubore reuertitur.

Darius filius Hyſtaſpis.

Philippus quoq; pater Alexandri Magni, cum ipſo filio ſuo ad Scythiam prædandi tranſijt intentione, commiſſo q; prælio, cum Scythæ & numero & uirtute præſtarent, fraude Philippi nimium callidi uincuntur. In qua pugna xx. millia puerorum & fœminarum Scythicæ gentis capta ſunt, magna pecorum copia abducta, auri argentiq; nihil repertum. Poſtea cum eis amicitiam fœderans, Medopam Gudilę regis Gothorum filiam, accepit uxorem, ut tali affinitate roboratus, Macedonum regnum firmaret.

Medopa Gudilæ regis Gothorũ filia Philippi regis uxor.

De hinc regnãte in Gothis Beroiſta, Diceneus uenit in Gothiam, eo tempore quo Sylla Romanum tenuit principatum. Quem Diceneum ſuſcipiens Borbiſta, dedit ei regiam poteſtatem, cuius conſilio Gothi Germanorum terras, quas nunc Francitenent, populati ſunt, quibus hoc erat ſalubre, hoc commodum, hoc uotiuum, ut quicquid Diceneus eorum cõſiliarius præcepiſſet, hoc modis omnibus expediſſent. Qui cernens eorum animos ſibi in omnibus obedire, & naturale ingenium eos habere, omni penè Philoſophia eos inſtruxit, elegitq; ex eis nobiliſſimos & prudentiores uiros, quos Theologiam docens, numina quædã & ſacella uenerari ſuaſit, eosq; ſacerdotes fecit, nomen illis Pileatorũ tradens, quia opertis capitibus tiaris, hoc eſt pileis litabant, reliquam uero gentem capillatam dici iuſſit. Quod nomen Gothi pro magno ſuſcipientes, adhuc in ſuis cantationibus reminiſcuntur. Decedente uero Diceneo, pari penè ueneratione habuerunt Comoſicum, qui nec imparis erat ſolertiæ. Hic etenim, rex illis & pontifex, ob ſuam peritiam, in ſumma iuſtitia populum regebat. Et hoc rebus humanis excedente, Zamolxes rex Gothorum in regnum conſcendit, & per xl. annos in Dacia ſuis gentibus imperauit. Daciam autem dico antiquam, quam nunc Gepidæ poſſidere noſcuntur. Quæ patria in conſpectu Mœſiæ ſita, trans Danubium corona cingitur montiũ, duos tantum habens acceſſus, unum per Bontas, alterum per Tabas. Hanc Gothiam quã Daciam appellauere maiores (quę nunc ut diximus, Gepidia dicitur) tunc ab Oriente Roxolani, ab Occaſu Tamazites, à Septentrione Sarmatæ, & Baſtarnę, à Meridie amnis Danubij fluenta terminant.

Diceneus Boroiſta.

Pileati.

Capillati.

Comoſicus.

Datia.

Gothia.

Gepidia.

Tertiam ſedem ſuper mare Ponticum, Gothi iam humaniores & prudẽtiores habebant, diuiſiq; per familias populis, Vuiſigothæ, id eſt Occidentales Gothi familię ſeruiebant Euualdorum, Oſtrogothæ uero, id eſt Orientales Gothi præclaris ſubiacebant Amalis. Quorum ſtudium fuit primum inter uicinas gentes, arcum intendere neruis, Lucano atteſtante, qui ait:

Armenioſq; arcus Geticis intendite neruis.

Aliquorum etiam facta maiorũ, cantuum modulationibus, cytharisq; canebant Ethe ſpamaræ, Hanalę, Fridigerni, Vuidiculæ, & aliorum, quorũ in hac gente magna opinio eſt, quales uix Heroas fuiſſe miranda iactat antiquitas. Diu itaq; Gothi regnauerunt, adeo ut Cęſar, qui primus omnium Romanũ ſibi uẽdicauit imperiũ, omnemq; penè ſuę ditioni ſubegerat mundum, Gothos ſępe pertentans, ſubijcere non poſſet. Gaius Tyberius iam tertius Romanus regnauit, Gothi tamẽ in ſuo regno incolumes perſeuerant. Domitiano uero xi. iam ab Auguſto regnante, ripam Danubij iam diu à Romanis obſeſſam, Gothi deletis militibus Romanis, eorumq; ducibus, uaſtauerũt. Cui prouincię tunc poſt Agrippam pręerat Oppius Sabinus, Gothis autem principabatur Dorpaneus. Inter quos bello commiſſoq; Gothi Romanos uicerunt, caput Oppij Sabini abſciderunt, multas ciuitates & caſtella de parte Imperatoris publice

Scripta exemplaria habebant pro Tertiam, Traciã.

Vuiſigothæ.

Oſtrogothæ, Ab Amala, quẽ Augis genuit, Amalorũ origo.

Cæſar nequiuit Gothos ſubigere.

Dorpaneus.

prædati

prędati ſunt. Qua neceſſitate compulſus, Domitianus cum omni uirtute Illyricum properauit, prelatoq; militibus Fuſco ductore, cum electiſſimis uiris amnem Danubij, qui & Iſter dicitur, conſertis nauibus inſtar pontis eum tranſmeare pręcepit, ſuper exercitum Dorpanei. Gothi haud ſegnes arma capeſſunt, primoq; conflictu Romanos deuincunt, & extincto Fuſco duce militum, caſtra prædantur. Magnaq; potiti uictoria, iam proceres ſuos, non quaſi puros homines, ſed quaſi ſemideos Anſes uocauerunt. Quorum genealogiam, ut paucis percurrã. Primus horum Heroũ fuit Gapt, qui genuit Halmal, Halmal uero genuit Angis, Angis genuit eum, qui dictus eſt Amala, à quo & genus Amalorum decurrit, Amala uero genuit Hiſarnam, Hiſarna autem genuit Oſtrogotham, Oſtrogotha genuit Vnilt, Vnilt genuit Athal, Athal genuit Achiulf, Achiulf autem genuit Anſilam, & Ediulf & Vuldulf, & Hermenricum, Vuldulfuero genuit Vualeranans, Vualeranans genuit & Vuinitharium, Vuinitharius quoq; genuit Theodemir & Vualemir & Vuindemir, Theodemir genuit Theodericum, Theodericus genuit Amalaſuentam, Amalaſuenta genuit Athalaricum & Mataſuentam de Vtherico uiro ſuo, qui affinitate generis, ſic ad eam coniunctus eſt. Hermenricus, ſupradictus filius Achiulf genuit Hunnimundum, Hunnimundus Thoriſmundum, Thoriſmundus genuit Berimundum, Berimundus autem genuit Vuidericum, Vuidericus genuit Eutharicum, qui coniunctus Amalaſuentæ, genuit Athalaricum & Mateſuentam. Mortuus eſt autem Athalaricus in annis puerilibus, & Mateſuentæ Vuitigis eſt copulatus, de quo illa non ſuſcepit filium. Cum autem Vuitigis rebus humanis excederet, Germanus Patritius fratruelis domini Iuſtiniani Imperatoris, ſumens eam in connubium, Patritiam fecit ordinariã, genuitq; filium ex ea nomine Germanum. Defuncto autem Germano uiro ſuo, ipſa uidua perſeuerare diſpoſuit. Coniunctio conſanguinitatis Hermenrici & Theoderici talis fuit. Hermenricus & Vuitulfus filij fuerunt Achiulfi, Hermenricus, Vuitulfus, Hunimundus, Vualeranans, Thuriſmundus, Vuinitharius, Berimundus, Vuandalaricus, Vuidericus, Dietmarus, Eutharicus, Theodericus, cuius filiam Amalſuindam Eutharicus accipiens, genuit Athalaricum & Mateſuindam, ſtirpemq; Amalorum iam penè diuiſam coniunxit. His ita inſertis, non ab re, ut credimus, ad ordinem hiſtoriæ redeamus.

Anſes dicti proceres, quaſi ſemidei.

Germanus Patritius.

Dorponeo igitur rege Gothorum defuncto, ſucceſſit Oſtrogotha, & pars Gothorum, quæ Orientalem plagam tenebat, Oſtrogotharum nomen accepit, ſiue à rege, ſiue à regione, reliqui uero, qui in occidua erant parte, Vuiſigothæ dicti ſunt, ambæ tamen partes regi Oſtrogothæ ſubiacuerunt, mirumq; in modũ illis proficientibus, ſub eorum dextera Vuandalus iacuit, Marcomannus ſub precio ſtetit, princeps Quadorum in ſeruitutem redactus eſt. Philippo itaq; Romanis imperãte, qui ſolus ante Conſtantinum, Chriſtianus cum Philippo, id eſt filio, fuit, cuius & ſecundo anno regni Roma milleſimum annum expleuit. Gothi, ut aſſolet, diſtracta ſibi ſtipendia ſua ferentes egre, de amicis facti ſunt inimici, nam quamuis remoti ſub regibus uiuerent ſuis, Reipub. tamen Romanæ fœderati erant, & annua munera percipiebant. Quid multa? Oſtrogotha cum ſuis tranſiens Danubium, Mœſiam Thraciamq; prouincias Romanorum uaſtauit, ad quem debellandum Decius ſenator à Philippo dirigitur. Qui ueniens, Romanos milites, quos inuenit, à militia depoſuit, & in priuata uita degere fecit, quaſi eorum neglectu Gothi Danubium tranſierint, factaq;, ut putauit in ſuos uindicta, reuertitur ad Philippum. Milites autem uidentes ſe poſt tot labores à militia pulſos, ad Oſtrogothæ regis auxilia confugerũt. Qui excipiẽs eos, eorumq; uerbis accenſus, mox triginta milia ſuorũ armata producit ad belllum, adhibitis ſibi Thaphilis & Aſtringis nonnullis, tranſitoq; Danubio, Mœſiã populati ſunt, & Marcianopolim eiuſdem patriæ urbem Metropolim, quam Traianus olim ex nomine ſororis ſuę Marcię condidit, obſederunt: acceptoq; precio poſt longam obſidionem ditati, ad propria redierunt, ſuaq; in patria fœliciter uerſabantur, quouſq; princeps eorum extitit Oſtrogotha. Poſt cuius exceſſum Ouida ſucceſſit, qui ducto exercitu, cum Romanorum partes deuaſtaret, Decius iam Imperator cum filio ſuo ei occurrit, conſertoq; prelio, Decij filius & ipſe dictus Decius ſagitta occiditur, pater quoq; cum filium ulciſci moliretur, interimitur. Poſt Decium Gallus & Voluſianus regno potiti, pacem cum Gothis pepigerũt, nec longo interuallo utriſq; occumbẽtibus, Gallienus arripuit

Hic uixit anno mundi. 5446. & anno Domini. 247.

Decius & Decij filius, occiduntur in loco qui dictus eſt Decij ara, uide res Geticas.

Hæ Thermæ ſunt ad ſanitatem infirmorum efficaciſſimæ, uicinæ ciuitati Anchialos, quã Sardanapalus rex Parthorum conſtruxit.

Conſtantinopolis auxilio Gothorum condita.

Geberich.

arripuit principatum. Quo in omni laſciuia reſoluto, Reſpa & Veducus, Thuro, Varoq; duces Gothorum fretum Helleſponticum transfretantes, multas Aſiæ urbes deprędati ſunt, illudq; opinatiſſimum Dianæ templum ab Amazonibus Epheſi conditum, ſuccenderunt: & cum præda multa regreſſi, Troiam, Iliumq;, quæ uix ab illo Agamemnoniaco bello quantulumcunq; reparata erat, rurſum deleuerunt, ſicq; Aſia uaſtata, Thraciam deuenerunt, & iuxta radicem Gæmi montis aquarum calidarum lauacro delectati, multis diebus cõmorantes, ad propria redierunt. Poſt hæc ab Herculio Maximiano in auxilium Romanorum contra Parthos rogati, fideliter decertauerunt, & Narſeum regem Perſarum, Saporis magni nepotem fugauerunt. A Conſtantino quoq; Imperatore rogati multo affuerunt auxilio, & ut famoſiſſimam Rhomę æmulam in ſuo nomine conderet ciuitatem, Gothorũ interfuit operatio. Qui fœdere inito cum imperatore, xl. millia ſuorum illi in ſolatium contra uarias gentes obtulere, quorum & numerus, & militia uſq; ad præſens in republica nominatur, id eſt fœderati. Tunc etenim ſub Ararici & Aorici regum ſuorum florebant imperio. Poſt quorũ diſceſſum ſucceſſor regni extitit Geberich, uirtute & nobilitate eximius. Nam patre Helderich natus, auo Ouida, pro auo Cniuida, gloriã generis ſui factis illuſtribus exæquauit. In principio quippe regni ſui mox Vuandalorum genti, qui eo tempore manebant, ubi poſtea Gepidi ſedebant, bellum indixit, regemq; eorum Vuiſumar cum magna parte gentis ſuæ proſtrauit, deprędatiſq; Vuandalis, uictor remeauit. Perpauci uero Vuandali, qui remanſerant, infortunatam ſibi patriam relinquentes, Pannoniam à Conſtantino imperatore ſibi conceſſam petierunt, ibiq; locatis ſedibus, per lx. annos imperatorum Decretis, uelut incolæ famulatunt. Inde iam poſt longum tempus à Stilicone magiſtro militum, & ex conſule, ac Patritio inuitati, Gallias occupauerunt, ubi finitimos deprędantes, non adeo fixas ſedes habuerunt. Geberico namq; rege Gothorum rebus humanis excedente poſt aliquantum temporis

Ermanaracus Alex. Magno comparatus.

Ermanaracus Amalorum nobiliſſimus ſucceſſit in regnum, qui multas Arctoi gentes bellicoſas perdomuit, ſuiſq; legibus parere fecit, quẽ merito nonnulli maiores Alexandro Magno cõparauere. Habebat quippe ſub ditione ſua Gothos, Scythas, Thuidos in Aunxis, Vaſinabrancas, Merens, Mordenſimnis, Caris, Rocas, Tadzans, Athual, Nauego, Bubegentas, Coldas. Et cum tantorum ſeruitio clarus haberetur, nõ quieuit niſi & Erulorum gentes, quibus præerat Alaricus, ſibi ſubijceret. Quæ gens (Ablauio hiſtorico referente) iuxta Mæotidem paludem habitans, in locis ſtagnantibus, quas Græci Ele uocant, Eruli nominati ſunt, gens quanto uelox, tantum ſuperbiſſima. Nulla ſiquidem gens tunc erat, quæ non leuem armaturã in acie ſua ex ipſis eligeret. Sed quamuis eorum uelocitas ab alijs crebro bellantibus eos tutaretur, Gothorum tamen ſtabilitati & tarditati ſubiacuerunt, fecitq; cauſa fortium, ut ipſi inter reliquas gentes Getarum regi Ermanarico ſeruirent. Poſt Herulorum cædem, idem Ermanaricus in Venetos arma commouit, qui numeroſitate pollentes, primo reſiſtere conabantur, ſed nihil ualet multitudo in bello, ubi & Deus permittit, & multitudo fortium armata aduenerit. Venetorũ uero natio, ut ſupra diximus, populoſa eſt, qui ab una ſtirpe exorti, tria ſibi nomina indiderunt. Veneti, Antes, Sclaui, quod nomen eis principale eſt. Qui quamuis nunc ita, facientibus peccatis noſtris, ubiq; ſæuirent, tunc tamen omnes Ermanarico ſeruierunt. Aeſtrorum quoq; nationem, qui longiſſimam Oceani ripam Germanici inſederant, idem prudentia & uirtute ſubegit, omnibuſq; Scythię & Germaniæ nationibus, ac ſi proprijs laribus imperauit. Poſt hæc uero Hunorum gens omni ferocitate atrocior exarſit in Gothos, eoſq; qui prius timori erant cæteris gentibus, ab antiquis, conterritos, pepulit ſedibus. Hos, ut refert antiquitas, ita extitiſſe comperimus.

Multitudo nihil ualet in bello.

Alij laboribus Iarnandes hic citat Oroſiũ.

DE ORIGINE HVNORVM

Mulieres Magæ, Aliorumnæ dictæ: & Germanice Alrunly uocantur uetulæ, quemadmodum à Sicambris dicimus germanice Schamper.

FILIMER rex Gothorum, & GANDARICI magni filius, qui poſt egreſſum eorum de Scanzia inſula, iam quinto loco tenuit regnum Getarum, quiq; terras Scythicas, ut ſuperius dictum eſt, cum gente ſua intrauit, quaſdam mulieres Magas, quas illi Gothico nomine aliorumnas uocant, in exercitu repperit, eaſq; ſuſpectas habens, de medio ſui, iam pręgnantes,

ut quidam dicunt, proturbauit, longeq́; ab exercitu fugatas, in ſolitudine manere coegit. Quidam uero dicunt, ꝙ ſylueſtres homines, quos Faunos uicarios uocāt, dum eas per deſertum errare uiderēt, earum complexibus ſe in coitu miſcuerint, & genus hoc ferociſſimum ediderint. Quod fuit primum inter paludes Mȩotidas minutū, tetrum atq; exile, quaſi hominū genus, nec alia uoce notum, niſi ꝙ humanā ſermonis imaginem aſſignabat. Tali igitur ſtirpe Huni creati, Gothorum finibus aduenerunt. Natio aūt illorū, ut dictū eſt, referente Priſco hiſtorico, Mȩotidē paludem in ulteriori ripa inſidens, uenationi tantū ſtuduit, nullū alium experta laborem, niſi ꝙ poſtq; creuiſſet in populos, fraudibus & rapinis uicinarū gentiū conturbauit quietem. Huius ergo gentis uenatores, ut aſſolent, dum in ulteriori Mȩotidis ripa uenationes inquirerent, animaduertunt quomodo cerua ex improuiſo ſe illis obtulit, quæ ingreſſa paludem, nuncq́; progrediēs, nuncq́; ſubſiſtens, indiciū uiæ tribuit. Quam ſecuti uenatores, paludem Mȩotidē quā imperuiā putabant, pedibus tranſierunt, moxq; Scythicam terram inſcij intrauerunt. Hi uero qui prȩter Mȩotidem aliū mundū eſſe ignorabant, admiratione terræ Scythicæ ducti, ut erant ſolertes,, iter illud antea nulli ætati notum diuinitus ſibi oſtenſum rati, ad ſuos redeunt, rei actum edocent: Scythiā laudant, omnes ſimul per uiam quam cerua docuit, ad Scythiā properant, & quantoſcunq; Scytharū obuios habuerunt, occiderunt, reliquos perditos ſubegerunt. Nam mox ut ingentē illā paludē tranſierunt, ilico Alizuros, & Alcidzuros, ac Itmaros, Tinicaſſos & Boiſcos, qui ripæ Scythiȩ inſidebāt, quaſi quidam turbo gentiū rapiebant. Alanos quoq; pugna ſibi pares, ſed immanitate uictos, formaq́; diſſimiles, frequenti certamine fatigantes ſubiugabant. Nam & quos bello forſitan minime ſuperabant, uultus ſui terrore nimium pauorem ingerentes fugabant, eò ꝙ erat eis ſpecies pauendȩ nigredinis, & ſi dici fas eſt, quȩdā informis offa, non facies, habensq; magis quaſi quȩdā puncta, q̃; lumina, quorū animi fiduciā turbidus prodit aſpectus. Qui etiam in filios ſuos primo die natos deſȩuiunt. Nam ferro ſecant genas eorum, mox ut nati ſunt, ut anteq; lactis nutrimenta percipiant, uulneris cogantur ſubire tolerantiam. Hinc imberbes ſeneſcunt, & ſine uenuſtate ephebi ſunt, quia facies ferro ſulcata, tempeſtiuā pilorū gratiā cicatrice abſumit. Forma quidem exigui, ſed argutis motibus ſunt expediti, & ad equitandū prōptiſſimi, ſcapulis latis, & ad arcus ſagittasq́; paratis, firmis ceruicibus, & ſuperbia ſemper erectis. Hi uero ſub figura hominum, uiuunt beluina ſȩuitia. Quod genus expeditiſſimū multarū nationū graſſatorē, Gethȩ ut uiderunt, expaueſcunt: ſuoq́; cum rege deliberant, quid agant. Ermanaricus uero rex Gothorū, licet, ut ſuperius retulimus, multarum gentium extitiſſet triumphator, de Hunorū tamen aduentu ſolicitus, dum cogitaret, Roſolanorū gens infida, quæ tūc inter alias illi famulatū exhibebat, tali eum occaſione nanſciſciẽ decipere. Quandam fœminā ex memorata gente Suniellus nomine, pro mariti ſui fraudulento diſceſſu, rex furore cōmotus, equis ferocibus prȩcepit alligari, & incitatis curſibus per diuerſa diuelli. Cuius fratres Sarus & Ammius germanȩ obitū uindicantes, Ermanarici latus ferro petierunt, quo uulnere ſaucius, ægram uitam imbecillitate contraxit. Quā aduerſam eius ualitudinem captans Balamir, rex Hunorum, in Oſtrogothorū partem mouit exercitum, à quorum ſocietate iam Vuiſigothæ quadam inter ſe contentione diſiuncti erāt. Inter hæc Ermanaricus tam uulneris dolorē, q̃; Hunorū incurſionē non ferens, iam grādȩuus & plenus dierū, cx. anno uitȩ ſuȩ defunctus eſt. Cuius mortis occaſio dedit Hunis prȩualere in Gothos illos, quos dixeramus in Orientali plaga ſedere, & Oſtrogothas nuncupari. Qui Hunis reſiſtere non ualētes, cum regis ſui Ermanarici morte Veſegothȩ ab eis eſſent diuiſi in antiquā patriā Scythiȩ remeabant, Hunorū ſubiacentes ditioni, Vuinithario tamen Amalo Hermenrici fratruelis filio principatus inſignia retinente, Qui Vuitulfi, aui ſui, qui erat frater Hermenrici, uirtutē imitatus, q̃uis Hermanrici fœlicitate inferior, ægre tñ ferēs Hunorū ſubiacere imperio, paululū ſe ſubtrahit ab illis, ſuáq; dū nitiẽ oſtēdere uirtutē in Anctorū fines mouit procinctū, eoſq; aggrediēs, prima cōgreſſione uincitur, ſed deinde fortiter agēs regē eorū Booz nomine cū filijs ſuis, et dcc. primatibus in exēplū terroris affixit, ut de ditītijs metū cadauera pendentiū geminarēt. Sed dū tali libertate uix anni ſpatiū imperaſſet, nō paſſus eſt Valamber rex Hunorū, ſed ſuper Vuinithariū duxit exercitum,

Iornandes dicit, ſpiritus immundi per Heremū uagātes

Palus Mæotidis.

Ferro genas natorum infantiū ſecare.

Hic uide plura in libro rerū Geticarum.

diuq;

Vuinitharius, qui & Vuandalarius magnam ſtragem Hunorũ facit.

diuq́ cũ certarẽt, primo & ſecũdo certamine Vuinitharius uincit, nec ualet aliquis cõmemorare quantá ſtragẽ Hunorũ fecerit. Tertio uero prelio Vuinitharius interẽptus eſt, ſicq́ rex Hunorũ omnem Populum Gothorum in pace ſubactum poſſedit, ita tamen, ut gens Gothorum ſemper proprios regulos, quamuis Hunorum conſilio, haberet. Defuncto autem Vuinithario, Hunnimundus Hermenrici quondam potentiſſimi regis filius, ſucceſſit in regnũ, eoq́ defuncto, regnauit filius eius Turiſmundus, flore iuuentutis ornatus, qui ſecundo regni ſui anno, contra Gepidos exercitum mouit, magnaq́ de illis potitus uictoria, caſu dicitur interẽptus. Quem ſic luxerũt Oſtrogothæ, ut per xl. annos in locum eius alius non ſuccederet, quatenus illius memoria diu apud eos maneret. Cuius filius Herimundus ſpernens regnum Oſtrogotharum, propter Hunorum dominium, cum filio ſuo Beterico, ad Heſperias gentes ſe contulit, & ſub Theoderico Vuiſigotharum rege, de quibus mox dicetur, tacita generis ſui propinquitate, cum magna gloria militauit. Vnde poſt longum tempus Balamir filius Vuãdalarici, qui erat filius Vuinitharij, regnũ accepit, cum fratre ſuo Dietmaro, necnon & Vuitimaro, eratq́ in his tribus grata contẽplatio: Quando mirabilis Dietmarus pro fratre Vualamiro militabat imperio, Vualamir uero pro altero iubebat ordinando, Vuitimar utriſq́ adhærebat, & quaſi utriſq́ ſeruiebat, ſic illis mutua affectio ne ſe tuentibus, ut nulli regnum deeſſet, quod utriq́ in pace tenebant, ita tamẽ, ut Hunorum regis, qui iam erat Attila, deſeruirent imperio. Poſtq́ enim mortuus eſt Valamber rex Hunorum regnabat Mundzuccus pater Attilæ, poſt quem Germani eius Hoctar, & Roas, poſt quos Attila cum Bleta, Germano ſuo, qui magnæ parti Hunorum præerat. Sed Attila interfecto fratre Bleta, uniuerſum populum ſibi ſubiugabat, uir in concuſſionem gentium, & terrarum omnium metum natus in mũdo, qui (neſcio qua ſorte) cuncta terrebat, formidabili de ſe opinione uuegata. Erat autem ſuperbus inceſſu, huc & illuc circunferens oculos, ut elati potentia, ipſo quoq́ motu corporis appareret, bellorum quidem amator, ſed ipſe manu temperans, conſilio ualidiſſimus, exorabilis ſupplicantibus, ſemel in fide receptis propitius, forma breuis, lato pectore, capite grandi, minutis oculis, barba raris canis aſperſa, tetro colore originis ſuæ referens ſigna. Qui quamuis huius eſſet naturæ, ut ſemper magna confideret, addebat ei tamen confidentiam gladius Martis, apud Scytharum reges inuentus, & ſemper habitus, quem hiſtoricus Priſcus tali refert occaſione detectum. Cum paſtor quidam gregis unam buculam claudicantem conſpiceret, nec cauſam doloris inueniret, niſi quòd eam uideret uulneratam, ſollicitus ueſtigia cruoris inſequens, tandem ad gladium ueniebat, quem latentem in herbis uacca depaſcens, incauta calcauerat, effoſſumq́ protinus ad Attilam detulerat. Quo ille munere multum gratulatur, & ut magnanimus totius mundi principem ſe conſtitutum, ac per Martis gladium, poteſtatẽ bellorum ſibi conceſſam fuiſſe arbitratur. Hinc multis nationibus bella inferens ſuæ ditiõi ſubijciebat. Gepidarum quoq́ regem famoſiſſimum Hardericum, ſibi ſubdebat. Oſtrogothas, ut dictum eſt, ab initio Huni poſſidebant, nec contra conſanguineos Vuiſigothas licuit recuſare certamen, nec aliter ab Hunorum dominio diuelli potuit gens illa Scythica, niſi mors Attilæ proueniret, quæ cunctis in commune nationibus & Romanis fuit optata. Quæ qualiter prouenerit, in ſequentibus dicemus, nunc ad Vuiſigotharum hiſtoriam redeamus.

Mundzuccus pater Attilæ.

Attila inquietudo orbis

Bleta frater Attilæ.

Gladius Martis Attilæ, cõfidentiã dabat Priſcus Hiſtoricus.

Hic plura legis in hiſtoria rerũ Geticarũ

VVISIGOTHARVM HISTORIA EX IORDANE

De Oſtrogotthorum & Vueſtgotthorum appellatiõe, uide Epiſtolam nuncupatoriam B. Rhenani in Procopium.

VISIGOTHAE itaq́, cum per mortem Hermentici ab Oſtrogothis diſcederent, & eoſdem ab Hunis opprimi & expelli cernerent, nimium territi, quid de ſe propter gentem Hunorum deliberarent, ambiebant: diuq́ cogitantes, tandem cõmuni placito legatos ad Valentem fratrem Valentiniani ſenioris, tunc Conſtantinopoli regnantem, ut ſuperius ſcriptum eſt, miſerunt, ut partem Thraciæ ſiue Mœſiæ illis traderet ad colendũ, eius ſe legibus, eiusq́ imperijs ſe uicturos promittentes. Et ut fides uberior illis haberetur, promittunt ſe Chriſtianos fieri, ſi linguæ ſuæ ſcios eis mitteret doctores fidei. Quo ualens comperto, mox gratulabundus annuit, quod ipſe ultro petere uoluiſſet, ſuſceptosq́ in partibus Mœſiæ

bus Mœſiæ

bus Mœſiæ Getas quaſi murum regni ſui contra cæteras ſtatuit gentes. Et quia tunc Valens imperator Arriana perfidia ſaucius, omnes noſtrarum partium ſacerdotes odio habebat, ſuæ partis fautores illuc direxit prædicatores. Qui uenientes, rudibus & ignaris ilico perfidiæ ſuæ uirus infundunt. Sic itaq; Vuiſigothæ per Valentem imperatorem Arriani potius quàm Chriſtiani effecti, de cætero tam Oſtrogothis, quàm Gepidis parentibus ſuis affectionis gratia Euangelizantes per Vlphiam Epiſcopum ſuum Arrianum, qui literas Gothicas primus inuenit, & ſcripturas in eorum linguas diuinas conuertit, omnem huius linguæ nationem ubiq; ad culturam ſectæ huius inuitabant.

Vuiſigothæ Arriani effecti. Vide hiſt. Trip. li. 8. ca. 13.

Ipſi autem, ut dictum eſt, Danubium tranſmeantes, Daciam & Ripenſem Mœſiam, Thraciamq; permiſſu principis obſederunt. Quibus euenit, ut aſſolet genti necdum bene loco fundatæ, ut penuria famis ſtringerentur: cœperuntq; duces eorum, qui regum uice illis præerant, Fridigernus & Alatheus, & Saphrach, exercitus inopiæ condolere, negociationemq; à Lupicino & Maximo Romanorum ducibus expetere. Qui auaritia compellente, cœperunt non ſolum ouium boumq; carnes, uerum etiam canum & immundorum animalium morticinia eis contradere, adeò ut quodlibet mancipium in uno pane, aut x. librarum carne mercarentur. Mancipijs & omni ſupellectile deficiente, filios eorum auarus mercator expoſcit. Sed parentes ſalutem pignorum ſuorum prouidentes deliberant, facilius ingenuitatem perire quàm uitam, dum miſericorditer alendus quis uenditus potius quàm moriturus ſeruatur, filios tradunt.

Lupicinus ductor Romanorum.

Contigit autem illo tempore, ut Lupicinus ductor Romanorũ Fridigernum Gothorum regulum ad conuiuium inuitaret, dolumq; ut poſt exitus docuit, moliretur. Sed Fridigernus dolum neſciens, cum paucis ad conuiuium uenit: & dum in prætorio epulatur, clamorem miſerorum morientium audiuit. Nam in alia parte ſocios eius recluſos, milites ducis Lupicini iuſſu eius trucidare conati ſunt. Quod ſentiens Fridigernus, euaginato gladio non ſine magna temeritate uelociter ex cõuiuio egreditur, ſociosq; à morte ereptos, ad necem Romanorum inſtigat.

Præſtat bello quã fame mori.

Qui nacta occaſione uotiua, elegerunt potius in bello mori, quàm fame deficere: & ilico in mortem ducum Lupicini & Maximi armantur. Illa dies, Romanorum ſecuritatem, & Gothorum ademerat famem: cœperuntq; Gothi iam non ut peregrini, ſed ut ciues & domini poſſeſſoribus imperare, totasq; partes ſeptentrionales uſq; ad Danubium ſub ſuo iure tenere. Quod comperiens in Antiochia Valens, bellum aduerſus eos mouit, in quo ipſe uulneratus, in quandam caſam confugit: ignorantibusq; Gothis, quod imperator in tam uili caſa lateret, appoſito igni, crematus eſt, iuſto ſcilicet Dei iudicio, ut ab ipſis igni combureretur, quos ipſe ueram fidem petẽtes, in perfidiam declinauit, ignemq; charitatis ad gehennæ ignem detorſit. Poſt tanti gloriam trophei, Vuiſigothę Thraciam, Daciamq; Ripenſem potiti tanquam ſolum genitale cœperunt incolere, donec Theodoſius Hiſpani Theodoſij filius, à Gratiano imperatore electus, & in orientali principatu loco Valentis patrui ſui ſubrogatus eſt.

Theodoſius.

Qui acer ingenio, & uirtute atq; conſilio clarus, dum diſciplinam militarem exerceret, ignauia & deſidia piorum principum excluſa, Gothus ut ſenſit pertimuit, militesq; Romani ſub meliori principe fiduciam accipientes, Gothos impetere tentant, eosq; à finibus Thraciæ expellunt. Poſt hæc Theodoſio penè uſq; ad deſperationem ægrotante, datur iterum Gothis audacia, diuiſoq; exercitu, Fridigernus ad prædandam Theſſaliam & Achaiam digreſſus eſt: Alatheus uero & Saphrach Pannoniam petierunt. Quod cum Gratianus audiſſet, qui tunc à Roma in Gallias ſeceſſit, mox collecto exercitu ad eos uenit: nec tamen armis fretus, ſed gratia & muneribus eos uicturus: nam fœdus cum eis inijt, & uictualia illis conceſſit. Theodoſius uero conualeſcens, cum reperiſſet Romanos & Gothos fœdus pepigiſſe, grato animo accepit, & ipſe cum Athalarico qui Fridigerno ſucceſſit in regno, fœdus percuſſit, eumq; Cõſtantinopolim inuitauit. Qui omnino libenter acquieſcens, dum regiam urbem ingrederetur, & à Theodoſio cum omni iocunditate & affectione ſuſciperetur, uidens ædificiorum magnificentiam, & exornati quaſi ad diem feſtum populi frequẽtiam, urbis ſitum, nauiumq; cõmeatum, ac deinceps imperatoris regiam ingrediens, & obſequia diuerſaq; officia conſpiciens, ualde admiratus: En, inquit, cerno, quod ſæpe incredulus audiebam: ſine dubio deus terrenus eſt imperator: & ſi quis aduer

Imperator terrenus deus.

ſus eum manum mouerit, ipſe ſanguinis ſui reus erit. In tali ergo admiratione maiori honore à principe ſuffultus, paucis menſibus interiectis, rebus exceſſit humanis. Quem princeps affectionis gratia penè plus mortuum quàm uiuum honorans, ipſe in exequijs feretrum eius præceſſit, dignæq́ʒ illum ſepulturæ tradidit. Quod uidens cunctus eius exercitus, in ſeruitio Theodoſij pro tanta eius benignitate perdurauit: Romanoq́ʒ ſe ſubdens imperio, uelut unum corpus cum militibus Romanis efficitur, militiaq́ʒ illa dudum ſub Conſtantino fœderatorum reuocata, & ipſi fœderati dicti ſunt. E quibus imperator contra Eugenium Tyrannum, qui occiſo Gratiano, Gallias occupauit, plus quàm xx. mill. armatorum fideles ſibi & amicos intelligens adduxit, uictoriamq́ʒ potitus, ultionem exegit.

Poſt mortem Theodosij, filij regnũ perdunt.

Baltha, id eſt, audax.

Eneti, id eſt, laudabiles.

Et hic plura leges in hiſt. rerum Geticarũ

Poſtquàm uero Theodoſius rebus exceſſit humanis, cœperunt filij eius utranq́ʒ Rempuplicam luxurioſe uiuendo ad nihilum deducere, auxiliarijsq́ʒ ſuis Gothis conſueta dona ſubtrahere, mox Gothis faſtidium eorum creuit, uerentesq́ʒ ne longa pace eorum ſe ſolueret fortitudo, ordinauerunt ſuper ſe regem Alaricum, cui erat poſt Amalos ſecunda nobilitas, Balthorumq́ʒ ex genere origo mirifica, quorum primus dudum ab audacia uirtutis Baltha, id eſt, audax, inter ſuos nomen acceperat: Mox igitur antefatus Alaricus creatus eſt rex, cum ſuis deliberans, ſuaſit eis, ſuo potius labore regnum quærere, quàm alieno exercitui per odia ſubiacere: ſicq́ʒ per Pannoniam intrauit Italiam, nulloq́ʒ penitus obſiſtente, applicuit ad pontem Condiniani, qui tertio miliario erat ab urbe regia Rauenna, cuius dudum poſſeſſores (ut tradunt maiores) Eneti, id eſt laudabiles, dicebantur. In cuius uicinitatem cum Vuiſigotharum applicuiſſet exercitus, Alaricus legationem miſit ad Honorium filium Theodoſij, qui tunc ibi erat, ut daret ei locum, in quo cum exercitu ſuo habitare poſſet. Qui conceſſit ei Galliam & Hiſpaniam, quas Geiſericus rex Vuandalorum iam penè uaſtauit. Quò cum tenderent Gothi, in quodam loco aliquandiu morati ſunt. Tunc Stilico comes & patricius, ſocer Honorij imperatoris, ſubito irruit ſuper eos in ipſa ſacratiſſima die Paſchæ, nihil mali ſuſpicantes, & multos ex ipſis occidit. Primum quippe perturbati ſunt Gothi, ſed mox recollectis uiribus, arma corripiunt, multosq́ʒ de exercitu Stiliconis occidentes, cæteros in fugam conuertunt, & in magnam iram excitati, iam in Gallias pergere nolunt: ſed furibundo animo cœptũ iter deſerentes, in Liguriam quam iam tranſierant, reuertuntur, eamq́ʒ ſpoliantes, Aemiliam pariter & Flaminiam deuaſtant, & per Tuſciam uſq́ʒ ad Romam diſcurrentes, quicquid ex utroq́ʒ latere fuit, in prædam diripiũt, Romamq́ʒ uenientes, apprehenderũt eam, & deuaſtabant, & incendebant. Iuſſit tamẽ Alaricus, ut ſi quis in loca ſancta confugeret, nihil mali pateretur: & quamuis ciuitas prædaretur, nemo tamen occideretur. Capta eſt autem Roma ab Alarico rege Gothorum, poſt annos mille clxiiij. ex quo facta eſt. Exeuntes autẽ Gothi ab urbe, per Campaniam & Lucaniam, Brutiamq́ʒ perrexerunt: & cũ uellent tranſire in Siciliam, multi ex eis in mari perierunt. Alaricus uero dum deliberaret quid ageret, ſubitanea morte apud Conſentiam defunctus eſt. Quem ſui nimia dilectione lugentes, Vaſentem fluuium de alueo ſuo deriuauerunt, regemq́ʒ ſuum Alaricum in medio fluminis cum diuitijs multis ſepelientes, ipſum flumen in alueum ſuum reduxerũt: & ne loſum ipſum aliquis poſtea ſciret, captiuos qui illum auerterant, omnes occiderunt, Athaulfum uero Alarici conſanguineum, ſuper ſe regem conſtituerunt. Qui rediens Romam, quicquid remanſit, more locuſtarum eraſit: nulloq́ʒ reſiſtente, tulit ſororẽ Honorij Placidiam, filiam Theodoſij imperatoris, eamq́ʒ ſibi in cõiugio copulauit. Quæ cum blandimentis animum uiri flecteret, ut pacem cũ Romanis haberet, Gallias tetendit, uiciniſq́ʒ gentibus perterritis, & Vuandalis inde in Hiſpaniam fugatis, tertio anno poſtquã Gallias & Hiſpanias perdomuit, fraude ſuorum interfectus eſt. Poſt quem Geberich regnum accepit: ſed & ipſe à ſuis occiſus, uitam cum regno reliquit. Dehinc iam quartus ab Alarico rex conſtitutus eſt Valia nimium prudens, contra quem Honorius imperator Conſtantiũ uirum induſtria militari pollentem direxit, promittens ei, ſi ſororem ſuam Placidiam, ſiue pace, ſiue quocunq́ʒ modo reduceret, quòd eam ſibi coniugem daret. Quo placito, Conſtantius ouans cum armatorũ copia Hiſpanias petijt, cui Valia nõ minori procinctu occurrit: ſed ab utraq́ʒ

Roma capta ab Alarico rege Goth.

Alaricus moritur.

Valia quartus rex ab Alarico

parte

parte legatione directa, ita conuenit, ut ſororem principi redderet, ſuumq́; adiutorium Romanæ Reipublicæ non denegaret. Duodecimo regni Valiæ anno, quando & Huni poſt quinquaginta annos à Romanis & Gothis ab inuaſa Pannonia expulſi ſunt, uidens idem Valia Vuandalos in ſuis finibus eſſe, cum temeritate contra eos mouit exercitum, expulſosq́; in Africam, uellet eos etiam ibi perſequi, niſi caſus qui dudum Alarico illuc tendenti contigerat, eum reuocaſſet: defuncto Valia, Theodericus regnum accepit, ad quem, ut ſupra dictum eſt, Herimundus filius Thuriſmundi nepotis Hermenrici, ſpreto regno Oſtrogotharum propter Hunorum dominium, ſe contulit.

Theodericus rex.

Inter hæc regnantibus Martiano in oriente, & Valentiniano in occidente, Attila rex Hunorum omnium, & ſolus regnator penè cunctarum Scythicarum gentium, confiſus in multitudine fortiſſimarum gentium, quas ſibi ſubiugauerat, Macedoniam & Mœſiam, Achaiam & utranq; Daciam, Thraciam, & omne penè Illyricum deuaſtauerat, poſuitq; in animo ſuo, uenire ad diſſipandum occidentale imperiũ, hoc eſt, Romanum. Erat nanq; ſub eius poteſtate nominatiſſimus Gepidarum rex Hardericus, eminentior ipſo cui ſeruiebat, & Oſtrogotharum rex Vualamir, cum fratribus ſuis Dietmaro & Vuitimaro, nec non fortiſſimæ gentes, Marcomanni, Sueui, Quadi, Heruli, Turcilingi, Turingi, Rugi, & aliæ Barbaræ gentes, quæ habitabant in partibus Aquilonis. Hi omnes erant in adiutorio eius, eratq; numerus exercitus eius D. millia. Horum omnium Attila ſuperbus imperio, primas mundi gentes, Romanos ſcilicet & Vuiſigothas, ſubdere ſibi optabat: & quamuis ſperaret ſe facere poſſe quod uellet, per uirtutem tantarum gentium, tamen & per aſtutiam uincere quærebat. Timens enim, ne Gothi, qui intra Gallias habitabant, iungerentur Romanis in adiutorium, cum eſſet nimis aſtutus & ſubtilis, miſit nũcios ad Valentinianũ, nullatenus ſe aduerſum Romanos hoſtiliter uenire, nec publicæ rei amicitias in aliquo ſe uelle uiolare, ſed contra Theodericum Vuiſigotharum regem ſibi certaminis cauſas exiſtere. Similiter miſit & ad Theodericum, non ſibi pugnam eſſe aduerſum Gothos, ſed contra Romanos, ſeq; ſatis ſtudere pacem cum Gothis habere. Hoc autem per aſtutiam fecit in dolo, ut ſi Romanos Gothosq́; ab inuicẽ diuideret, hos & illos poſtea facile uinceret. Etius aũt patritius, qui tunc militię pręerat, intelligens aſtutiam & dolos Attilę, miſit ex perſona Valentiniani imperatoris legatos, ad Theodericum regem Gothorum, qui illo in tempore apud Toloſam regnabat, ut pacem firmaret cum illo. Conſenſit in hoc Theodericus, pacemq́; cũ Etio firmauit, ſeq; cum eo contra Attilam pugnare promiſit. Fuerunt autem in exilio Etij patritij Burgundiones, Franci, Alani, Saxones, Riparioli, Briones, Sarmatæ, Armoriciani, Liciani. Producitur quoq; à rege Theoderico Vuiſigotharũ multitudo innumerabilis. Quatuor nanq; filijs ſuis domi dimiſſis, Friderico ſcilicet, Eurico, Retemire & Imnerico, duos tantũ maiores ſecum aſſumit, Thuriſmundum & Theodericum. Conueniunt itaq; in campos Catalaunicos, qui & Mauritij nominantur, centum leugas, ut Galli menſurare ſolent, in longum tenentes, & lxx. in latum, quæ fiunt in longitudine miliaria cl. & in latitudine cv. miliaria. Vna enim leuga Gallica, mille & quingentorum paſſuũ quantitate menſuratur. Cumq́; ad locum ueniſſent, ubi iam pugnare debuerant, interrogauit Attila diuinatores ſuos, quid ſibi de ipſa pugna portenderent. Qui more ſolito, nunc fibras pecorum, nũc quaſdam uenas in abraſis oſſibus intuentes, Hunis infauſta pronunciant, ſcilicet, Attilam non habiturum uictoriam. Hoc tamen quantulumcũq; prędixere ſolatij, quòd ſummus de parte hoſtili ductor, in certamine occumberet. Attila uero, cum hoc de interitu Etij, cuius mortem ſitiebat, denũciare putaret, non dubitauit uel cum ſuorũ perditione bellum cõmittere, dummodo Etium ſuis motibus fortiter obſiſtentem poſſet extinguere. Cõmittit itaq; pugnam circa nonam diei horam, iam in ueſperum die uergente, ut ſi ſuperaretur ab hoſtibus, imminentis noctis ſe tenebris occuleret. Conueniunt itaq; hinc & inde nationes fortiſſimæ, conferuntur acies, fit bellum acre nimis & pertinax, quale uix ulla narratur hiſtoria: nec ante præliandi ardore quieuerunt, q̃ nox ſuperueniens, pugnandi facultatẽ eis adimeret. Eo ſiquidem prælio clxx. millia hominum cæſa referuntur, tantũq; ſanguinis effuſum eſſe, ut paruulus riuulus qui ibi labebatur, ſanguine occiſorum ſubito auctus

Attila rex Hunorum.

Fortißimæ gẽtes Attilæ adiutrices. D. M

D. Beatus Rh. pro Tungris legit Turingis li. 1. rerũ Ger.

Attila ſimulat ſe cõtra Theodericũ pugnare uelle.

Nota dolum Attilæ.

Etius unicum columẽ rerum Romanarum, intelligit dolũ Attilæ.

Auxiliares Etij.

Leuga Gallica

Et hic plura in hiſt. Getica.

Attila cõſulit diuinatores.

Riuus ex ſanguine cadauerũ peremptorum ferens.

auctus

auctus, cadauera peremptorũ ſecum traheret. Attilam ſane de morte Etij ſua fefellit ſuſpicio: nam Theodericus rex Vuiſigotharum occubuit, Etius ſanus euaſit. In quo prælio quamuis neuter ceſſiſſet exercitus, conſtat tamen Attilam fuiſſe ſuperatum. Tunc Vuiſigothę diuidentes ſe ab Alanis, inuadunt Hunorum cateruam: & penè Attilam trucidarent, niſi prouidus ante fugiſſet, & ſe ſuosq́ ilico intra ſepta caſtrorum, quæ plauſtris uallauerant, recluſiſſet. Sic ergo quamuis fragili munimine, eo tamen quæſiuerunt ſubſidium uitæ, quibus paulo ante nullus poterat muralis agger obſiſtere. Altera uero die, intra plauſtrorum munimenta ſe continens, Attila cum egredi nõ auderet, nec tamen tubis & clamore perſtrepere, quaſi incurſionem minitans, non ceſſaret, ut uictores ſuos incluſos turbaret: Thuriſmundus Theoderici regis filius de paterna dolens occiſione, ſtatuit Attilam coartare obſidione, eumq́ cum ſuis ad internitionem delere. Tunc Attila de uita deſperans, ex equitatorijs ſellis ingentem pyram extruxit: ut ſi forte Gothi imminerent, ſuppoſito igne ipſe aſcenderet, ſeq́ cremaret, ne aut quiſquàm de eius uulnere gauderet, aut rex tantarum gentium in poteſtatem hoſtium deueniret.

Occiditur Theodericus. Filius eius cogitat uindictam. Attila deſperans cogitat ſe cremare.

Pyra ex equitatorijs ſellis.

Etius uero metuens, Attila perempto, Romanos poſtea impunè à Gothis deprimi, nec deinceps aduerſum Gothos, ſi neceſſitas incumberet, auxilium inueniri, Thuriſmundum quaſi rebus eius conſulens perſuaſit, ut domum quantotius reuerteretur, regnoq́ paterno potiretur: ne ſi ab eius germanis inuaderetur, ipſe omnino priuaretur, eſſetq́ ſibi acerbius poſtea cum ſuis decertare, ꝙ cum alienis dimicare. Hoc ille conſilium quaſi pro ſua ſalute prolatum, libenter amplectens, domũ redijt, regnumq́ paternum accepit. Cæterum Etius talia machinatus eſt, ut Attilam ab eius impreſſione ſubduceret, ea intentione qua prædictum eſt; heu neſcius quantum hac prouiſione detrimentum patriæ, dum auertere cupit, ingeſſit.

Attila redit Pannoniam.

Tum Colonia Agrippina, Tungrorũ oppidum Noueſium, Vtriceſium, Caſtra Herculis, Vetera, Aſciburgium, Nouiomagus, Antẽnacum, Bingium, Magonciacum, Borbetomagus, Sebuſium, Saletio, Brocomagus, Argentoratũ, Elcebus, Argẽtuaria, Auguſta Rauricorũ Vindoniſſa, Forum Tyberij, Vitudurũ, Auenticũ, & multa oppida funditus deſtructa ſunt. Vide primum lib. rerũ Ger. B. Rhenani.

Nam Attila cernens hoſtes, ſe relicto, ad propria remeaſſe, erectis animis Pannoniam repedauit, multo potiorem coaceruans exercitum, Italiam denuo furibundus intrauit, ac primũ Aquileiam in ipſo Italiæ poſitam principio, expugnare aggreſſus eſt. Quam continuo triennio obſidens, cum aduerſus eam, ciuibus ſtrenue repugnantibus, nil præualeret, iamq́ murmur ſui exercitus penuriam famis tolerare non ualentis, & diſcedere cupientis audiret, die quadam circuiens ciuitatem, ut ex qua parte poſſet eam facilius expugnare, inquireret: cernit repente aues in ædificiorum faſtigijs nidificare ſolentes, quæ ciconiæ uocarentur, uno impetu ex urbe migrare, fœtusq́ ſuos ſublatos roſtris forinſecus deportare, & ut erat ſagaciſſimus, ait ad ſuos: Aſpicite aues futurorum præſcias, perituram ciuitatem relinquere, caſurasq́ arces periculo imminente deſerere. Statimq́ adhibitis machinis, hortatur ſuos, acriter urbem impugnat, ac ſine mora capit: diripiuntur opes, captiuantur uel trucidantur ciues: reſiduum direptioni, ſuppoſito igne, flamma conſumit. Plura dehinc eiuſdem regionis caſtella, immanis hoſtis, extinctis uel captiuatis ciuibus, ſuccendit ac diruit Concordiam, Altinum, ſiue Patauium, uicinas Aquileiæ ciuitates: exinde per diuerſas Venetiarum urbes Huni bacchantur, hoc eſt, Veronã, Vincentiam, Brixiam, Pergamum, ſeu reliquas, Mediolanum quoq́, Ticinumq́ pari ſorte diripiunt, ab igne tamen abſtinentes & ferro. Deinde Aemiliæ ciuitatibus ſimiliter expoliatis, nouiſſime eo loco quo Mincius fluuius Padum influit, caſtrametati ſunt. Vbi Attila conſiſtens, dum animo fluctuaret, utrũ Romam adiret, an deſiſteret, non urbi cui infenſus erat, conſulens, ſed Alarici exemplum, qui captæ urbi non diu ſuperuixit, pauens, repente ſanctiſſimus uir Leo papa per ſe ad eum acceſſit. Qui cum ad regem Barbarum introgreſſus eſſet, cuncta ut optauerat obtinens, non ſolum Romæ, ſed totius Italiæ ſalutem reportauit. Territus nanq́ fuerat Attila nutu Dei, nec aliud Chriſti ſacerdoti loqui ualuit, niſi quod ipſe optauit. Ferunt itaq́ poſt diſceſſum pontificis, interrogatum fuiſſe Attilam à ſuis, cur ultra ſolitum morem tantam reuerentiam Romano pontifici exhibuerit: illumq́ reſpondiſſe, non ſe illius perſonam qui aduenerat, reueritum fuiſſe, ſed alium uirum iuxta eum in ſacerdotali habitu aſtãtem uidiſſe, qui forma auguſtorum, canitieq́ uenerabilior, euaginato gladio mortẽ ſibi minitauerit, ſi non omnia quæ ille expetebat, impleuerit. Igitur Attila tali modo à ſua ſæuitia repreſſus, relicta Italia, Pannonias repetiuit. Ad quem Honoria Valentiniani principis germana, dum à fratre ob decus pudicitiæ diſtricte ſeruaretur, ſuum direxit Eunuchum

chum,quatenus eam ſibi à fratre depoſceret in matrimonium. Qui accepto nuncio, cum iam Italiæ fines exceſſiſſet, nec ſtatim fatigato exercitu regredi potuiſſet, mandat Valentiniano imperatori,peiora proxime ſe illaturum Italiæ,ſi mox ſibi germanam ſuam cum regalium opum portione non tranſmiſiſſet. Reuerſus autem ad prorias ſedes,ſuper plures quas habebat uxores, puellam quandam ualde ſpecioſam, Ildico nomine, ſibi coniunxit. Ob cuius nuptias profuſa exercens cõuiuia, dum tantum uini, quantum antea nunquam in ſemel bibiſſet, dormiensq́ ſupinus iaceret, nimia ſanguinis eruptione qui ei de naribus effluere ſolebat, ſuffocatus eſt. Eadem nocte apud Conſtantinopolim Martiano imperatori arcus Attilæ fractus in ſomnis oſtenditur,quo ſcilicet armorum genere gens illa maxime utebatur. Sequenti uero luce,cum magna diei pars exacta fuiſſet,miniſtri regis poſt clamores maximos fores effringunt,inueniuntq́ Attilam ſine ullo uulnere,ſanguinis effuſione, mortuum, puellamq́ demiſſo uultu,ſub uelamine lachrymantem. Tunc ut illi genti mos eſt, crinium parte trũcata,informem faciem turpauere uulneribus,ut præliator eximius, non fœmineis lamentationibus,ſed agmine lugeretur uirili. Cuius exequiæ multis plauſibus à ſua gente honoratæ ſunt.In medijs ſiquidem campis intra tentorium ſericum cadauere collocato,de tota gente Hunorũ electi equites curſibus illud in modum Circenſium ambientes,facta eius,cantu funereo, celebrant,tali ordine: Præcipuus Hunorum rex Attila, patre genitus Mundzuno, fortiſſimarum gentium dominus,qui inaudita ante ſe potentia,ſolus Scythica & Germanica regna poſſedit: deinde ſtrauam,quam ſic uocant,ſuper tumulum eius ingenti comeſſatione celebrantes,& contraria inuicem ſibi copulantes,luctum funereum mixto gaudio explicabant,noctéq́ ſecreta cadauer terræ commendabant. Cuius fercula primum auro, ſecundo argento,tertio ferri rigore communiunt,tali argumento ſignificantes, potentiſſimo regi omnia conueniſſe: Ferrum,quia gentes edomuit: aurum & argentum, quòd utriuſq́ Reipublicę ornamenta accepit. Addunt etiam arma hoſtium cędibus acquiſita,phaleramenta uario gemmarum fulgore præcioſa, diuerſiq́ generis inſignia quibus colitur aulæ decus. Et ut tãtis diuitijs humana curioſitas arceretur, huic operi deputatos deteſtabili mercede trucidarunt. Poſt hęc inter ſucceſſores Attilæ de regno exorta eſt contentio: & dum inconſulte imperare cupiunt omnes, ſimul imperium perdiderunt. Nam filij eius, quorum per licentiam libidinis penè populus fuit,gentes ſibi diuiſa ſorte poſcebant, ut inſtar familiæ bellicoſi regis cum populis mitterentur in ſortem. Vt autem Gepidarum rex Hardericus hoc comperit, indignatus contra filios Attilæ primus inſurgit,illatumq́ ſeruiendi pudorem ſecuta fœlicitate deterſit: nec ſolum ſuam gentem,ſed & cæteras gentes quæ pariter premebantur, ſua diſceſſione abſoluit: quia facile omnes appetunt,quod pro cunctorum utilitate tentatur immutatum. Igitur armantur,bellumq́ committunt in Pannonia, iuxta flumen,cui nomen eſt Neoda,illic concurſus factus eſt gentium uariarum, quas Attila in ſua tenebat ditionę. Poſt multos ergo cõflictus, fauit Gepidis inopinata uictoria: nam xxx ferè millia tam Hunorum,q́ aliarum gentium, quę Hunis ferebant auxilium, Hardericus peremit,filium Attilę maiorem natu nomine Hellam occidit, quem pater ſuper cæteros in tantum fertur amaſſe,ut eum cunctis alijs ſuis liberis in regno uellet præferre. Quo interempto, reliqui eius germani cũ Hunis fugantur, iuxta littus maris Pontici,ubi prius fuiſſe leguntur Gothi. Hæc cauſa Harderici fœlix fuit in diuerſis nationibus,quæ Hunorum regimini famulabãtur inuitæ, earumq́ animos diu mœſtiſſimos ad hilaritatem libertatis uotiuæ arrexit. Venientes ergo multi ex eis ad Martianum principem,gratiſſime ſunt ab eo ſuſcepti, diſtributaſq́ ſedes quas incolerent,acceperunt. Gepidi nanq́ Hunorum ſibi ſedes uiriliter uendicantes, totius Daciæ finibus uelut uictores potiti ſunt,nihil aliud à Romano imperio niſi pacẽ poſtulantes: Sarmatæ uero & Cemandri, & quidam ex Hunorum parte ad Maternam,urbem Illyrici,ſedes poſuerunt: Scyri & Adagarij Scythiam minorem & inferiorem Mœſiam acceperunt: Rugi,aliǽq nationes nonnullę Bizim & Archadiopolim petiere. Hernach quoq́ iunior Attilæ filius cum ſuis extremas minoris Scythię ſedes elegit. Hemmezur & Bulcindur conſanguinei in Dacia Ripenſi, Hediſco Halmoq́ potiti ſunt,diuerſiq́ diuerſa petierunt.

Attila ſuffocatur ex liberali uini potiõe ſupinus iacens.

Exequiæ Attilæ.

Et hic plura habes in hiſt. Getica.

Ferculũ Attilæ auro,argento,ferro communiũ, quid ſignificet.

Contentio de regno poſt mortẽ Attilæ.

Herdericus cõtra filios Attilæ.

Hella Attilæ filius occiditur.

Gothi uero uidentes Gepidos Hunorum ſedes ſibi uendicare, & Hunorũ popu-
lum ſuas ſedes antiquas occupare, maluerunt à Romano regno terras petere, quàm
cum diſcrimine alienas inuadere: Pannoniamq; accepere, ibiq; ſub rege Vualamiro
& eius germano Dietmaro morabantur, quamuis locis diuiſis, conſilio tamen uni-
tis, Nam Vualamir inter Scarniungam & Aquam nigram, Dietmarus iuxta locum
Pellois habitabat, Vuitimar cum utroq; manebat. Contigit autem ut Attilę filij con

Attilæ filij contra Gothos.

tra Gothos, quaſi deſertores dominationis eorũ, uenirent, ignarisq; alijs fratribus, ſu
per Valamirum ſolum irruerent. Quos tamen, quamuis cũ paucis, ille excepit, diuq;
fatigatos ita proſtrauit, ut uix aliqua eorum pars remaneret. Eo tempore cum pro ge
ſta re ad fratres ſuos Dietmarum & Vuitimarum direxiſſet nunciũ, ueniens nuncius
in domo Dietmari maius inuenit gaudium: ipſo ſiquidem die Theodericus filius
eius, quamuis de concubina, bonæ tamem ſpei puerulus natus erat. Poſt tempus er-
go non multum, rex Vualamirus, & fratres eius Dietmarus & Vuitimarus, dum con
ſueta dona tardarent à principe Martiano accipere, & fœdera pacis tamen cuſtodi-
rent, miſſi ab eis legati ad imperatorem, uidebant Theodericum Triarij filium, ge-
nere quidem Gothico, ſed de alia ſtirpe quàm Amalorum procreatum, omnino cũ
ſuis florentem, & Romanorũ amicicijs utentem, ſe uero omnino deſpici, domi hæc

Gothi Illyricũ uaſtant.

renunciant: moxq; Gothi furore commoti, arma corripiunt, & Illyricum penè totũ
prædando deuaſtant. Sed Martiano imperatore defuncto, cum regnum acciperet
Leo, mox ad priſtinam cum Gothis amicitiam recurrit, & tam præterita, quàm præ
ſentia munera tribuit, & pacis obſidem Theodericum infantulum, Dietmari filium,
accepit, qui iam annum octauum intrauit. Quem dum pater dare tardaret, patruus
Vualamir promittit, ut exinde pax ſtabilior inter Romanos & Gothos maneret. Igi-

Theodericus obſes uenit Cõſtantinopolim

tur Theodericus obſes ducitur ad urbem Conſtantinopolitanam: & quia paruulus
elegans fuit, imperialem gratiam promeruit. Poſtquàm ergo firma pax inter Roma
nos & Gothos facta eſt, uidentes Gothi ſibi non ſufficere quæ ab imperatore accepe
rant, ſimulq; ſolitam cupientes oſtentare uirtutem, cœperunt uicinas deprædari gen

Gothi contra Satagas.

tes, primumq; contra Satagas, quæ interiorem Pannoniam poſſederant, arma mo-

Alij legũt Dinzio filius Attilæ.

uerunt. Quod ubi rex Hunorum Duizich, filius Attilæ, cognouit, collectis quos ad-
huc habebat, quamuis paucos, Pannoniam deprædari cœpit. Quo comperto, Go-
thi ubi erant expeditionẽ ſoluentes, quam contra Satagas habebant, in Hunos cõ-
uertunt, ſicq; eos à finibus ſuis inglorios expellebant, ut ex illo tempore qui reman-
ſerant Huni, Gothorum arma pertimeſcant. Quieſcente iam tandem Hunorũ gen-

Hunimundus Sueuorum rex

te à Gothis, Hunimundus rex Sueuorum cum ſuis inuadens fines Dietmari, fratris
Vualamiri regis Gothorum, eos deprædatur, omniaq; abducens armenta, in terram
ſuam reuertitur. Dietmar uero non tantum iacturam armentorum dolens, quantũ
metuens, ne Sueui, ſi hoc impune lucrarentur, ad maiorem licentiam proſilirent: ſic
uigilauit in eorum tranſitu, ut intempeſtæ noctis ſilentio dormientes inuaderet, ad
lacum Pollois, conſertoq; inopinato prælio ita eos oppreſſit, ut etiam ipſum regem
Hunimundum captum, cum ſuperato exercitu Gothorum ſeruituti ſubdiderit. Sed
dum eſſet multum miſericors, facta ultione, ueniam eis condonauit: recõciliatusq;
cũ Sueuis, eundem quẽ ceperat, adoptans ſibi in filium, remiſit in Sueuiam cũ ſuis.
Ille aũt paternæ immemor gratię poſt aliquod tempus dolo concepto, Scyros, qui

Scyri populus Danubij.

tunc ſuper Danubium confidebant, incitauit, ut in unũ collecti, gentẽ Gothorũ inua
derent. Tunc Gothis nihil mali ſuſpicantibus, ab amicis uicinis bellũ inſurgit, & im-
prouiſa coacti neceſſitate, ad arma cõfugiunt, arreptoq; certamine, ſe ſuaq; ulciſcun-
tur iniuriá: In eo ſiquidẽ prælio rex Gothorũ Vualamir dũ ad hortandos ſuos equũ
aſcenderet, & ante aciem procurreret, proturbatus equus corruit, ſeſſoremq; ſuũ de-

Vualamir interimitur.

iecit. Qui mox inimicorum lanceis uulneratus, interemptus eſt. Gothi uero tam re
gis ſui mortem, q̃ ſuorum uindicantes iniuriam, ſic omnes extinxerũt, ut penè de gen
te Scyrorum nullus remaneret, niſi qui iſtud nomen cum dedecore ferrent. Iterum
Hunimundus cũ Sueuis fretus auxilio Sarmatarũ, & reliquijs Scyrorum, ſimulq; ex
Gepidis Rugiſq; nõ paruis ſolatijs collectis, bellũ intulit Gothis. Gothi uero defun
cto Vualamiro, ad fratrẽ eius Dietmarũ cõfugiũt, eumq; regẽ cõſtituunt. Qui q̃uis
dudũ cũ fratre regnaſſet, auctioris tñ poteſtatis inſignia ſumit, belliq; parte coactus
cum fra-

cum fratre Vuitimaro ad arma proſilijt,confertoq́ prælio ſuperior facta eſt pars Go-
thorum,adeo ut campus corruentium inimicorũ cruore madefactus, ut rubrum pe-
lagus appareret,armaq́ & cadauera plus quàm decem millium in modum colliũ cu-
mulata,campum implerent. Inde uictor ad proprias ſedes reuertens, Dietmarus cum
Gothis, Theodericum filium ſuum,quem obſidem dederat,à Leone imperatore re-
miſſum,cum magnis muneribus gratanter ſuſcepit. Qui cum iam decem & octo an-
norum eſſet,ex ſatellitibus,& ex populo patris elegit ſibi penè vi.millia uirorum, cũ *Dietmarus in Sarmatas.*
quibus patre inſcio,permenſo Danubio,Sarmatorum regem incurrit, eumq́ intere-
mit,familiamq́ ac cenſum deprædans,ad genitorem ſuum cum uictoria redijt. Sin-
gidunum dehinc ciuitatem,quam ijdem Sarmatæ poſſidebant,inuadens,non Ro-
manis,ſed ſuæ ſubdidit ditioni.

Deficientibus dehinc uicinarum gentium ſpolijs,cœpit & Gothis uictus ueſtitusq́
deficere,& hominibus,qui dudum bello uiuebant,pax cœpit eſſe cõtraria, omnesq́ *Hominibus bello uiuentibus, pax contraria*
cum magna clamore ad Dietmarum accedentes,orant,ut in quamcunq́ partem uel-
let,exercitum duceret,quia diutius ibi manere non poſſet. Qui accito Germano, ſor-
tem miſit,& Vuitimaro Italia,Dietmaro Illyricum populandum obuenit. Relicta igi-
tur Pannonia,alter Italiam,alter Illyricum ſuſcepit,ſed Vuitimar mox,ut Italiam in-
trauit,rebus humanis exceſſit,regnumq́ filio ſuo ſibi æquiuoco reliquit. Quem Lice-
rius,qui tunc forte imperauit,muneribus datis ad Galliam tranſtulit,ut per Vuiſigo-
thas parentes ſuos regnaret. Vuitimar acceptis muneribus à Licerio Galliam tendit,
ſeſeq́ parentibus Vuiſigothis iungens,unum corpus cum eis efficitur, & ſic Galliam
Hiſpaniamq́ tenens,ſuo iure defendit,ut nullus ſibi alius præualeret. Vuiſigothis ue-
ro poſt Theodericum,qui in bello,quod Romani & Vuiſigothę cum Attila Huno-
rum rege fecerunt,occubuit,filius eius Thuriſmundus præfuit. Quo defuncto,Theo-
dericus frater eius in regnum ſucceſſit,ipſoq́ xi.uero regni ſui anno decedente , item
frater eorum Euricus regnũ aſſumens,xix.anno,uita,regnoq́ priuatus eſt,relinquens
filium regni ſucceſſorem,nomine Alaricũ,qui nonus ab illo magno Alarico,regnum
adeptus eſt Vuiſigotharum.

Dietmar uero tranſiens Saum amnem,Sarmatis bellum intentauit,ſi quis ſibi ob- *Sauus uaſtiſsimum flumen Pannoniæ. Pli.lib.3.*
ſtaret,illisq́ quieſcentibus,nec ad tantam multitudinem præualentibus,tranſit in Il-
lyricum,& ubiq; proſpere agens,multasq́ ciuitates ſibi ſubijciens, Theſſalonicam pe-
tijt,in qua Helarianus patritius à principe directus,cum exercitu morabatur. Qui dũ
uideret Theſſalonicam uallo muniri,nec ſe poſſe conatibus eorum reſiſtere, miſſa le-
gatione ad Dietmarum regem cum muneribus rogauit,ut ab excidio urbis detorque-
ret,initoq́ fœdere, Romanus ductor cum Gothis,loca quæ incoluerant,iam ſponte
tradidit eis,ibiq́ Gothi cum rege ſuo,depoſitis armis,in pace quieuerunt. Nec diu po-
ſtea rex Dietmarus ægritudine occupatus,conuocatis ad ſe Gothis, Theodericum fi-
lium ſuum regni hæredem fecit,& ipſe mox rebus humanis exceſſit. Eo tempore re-
gnum Orientale Zeno imperator habebat. Qui audiens Theodericum gentis ſuę re- *Zeno Imperator Orientis.*
gem eſſe,grate ſuſcepit,eumq́ ad ſe Conſtantinopolim uenire præcepit,digneq́ ſu-
ſceptum inter proceres palatij collocauit, & poſt aliquod tempus,in filium ſibi ad- *Theodericus Conſul.*
optans,conſularibus faſcibus,quæ dignitas poſt imperiale faſtigium prima eſt,eum
ſublimauit,nec ſolum hoc,ſed etiam equeſtrem ſtatuam,ad famã tanti uiri ante pa-
latium ſuum ei conſtituit. At uero,dum eiuſcemodi delitijs Theodericus apud Con-
ſtantinopolim fluitaret,gens illius,id eſt Oſtrogothę,dum eis propter fidei ſanctio-
nem prædas agere, more ſolito non liceret,nec tamen ab imperatore oblata ſtipen-
dia ſibi ſufficerent,non minima coacti penuria,compoſitum fœdus execrantur,inu-
tilem factionem uituperant,mittuntq́ continuo ad Theodericum,qui dicerent,quas
inopiæ miſerias ipſi ſuſtinerent,dum ille Græcorum epulis ſuperflueret, hortanturq́
ut ſi ſuis,ſibiq́ conſulere uelit,citius redeat,quatenus ne cuncta gens pereat,& ubi no-
uas ad habitandum terras exquitant,prouideat. Ante non plures autem annos Odo- *Odoacer Italiam & Romam occupat.*
acer quidam exiens ab extremis finibus Pannoniæ , fortiſſima Herulorum multitu-
dine fretus,inſuper Turcilingorum,ſiue Scytorum auxilijs Italiam uenit, nulloq́ re-
ſiſtente,totam Italiam,Romamq́ occupauit,& per xiiij.annos ibi regnauit. Theode-
ricus uero cognitis ſuorum querimonijs,ad Auguſtum Zenonem accedit, penuriam

quæſtusq́; ſuorum exponit,abſolutionem efflagitat,Italiam ſibi dari expoſtulat, adijciens quaſi ſuperare poſſet Odoacrem,Italiamq́; obtinere ad eius gloriam redundaret,à quo directus fuiſſet,ſin bello ſuperatus foret, nihilominus lucris eius accreſceret,quandoquidem quotidianorum ſtipendiorum exactoribus careret. Talia Zenō audiens licet ægre ferret eius diſceſſum,deliberato tamen conſilio reipublicæ utilitati proſpiciens,eius petitionibus annuit,Italiamq́; illi tribuēs, ſenatumq́; ac populum Romanum ei committens,magnis ditatum muneribus,abire permiſit.Egreſſus igitur à Conſtantinopoli,Theodericus ad Oſtrogothas reuertitur, hortaturq́; eos continuo,ut quàm primum parati ſint,& quaſi poſſeſſuri,Italiā proficiſcantur. Qui cum omnes lęti obedirent,profectus cum omni multitudine Oſtrogotharum, & cum omni ſuppellectili,priuſq́; ad Italiam perueniret,Trapeſtilam,Gepidarum regem,inſidias ſibi molientem bello ſuperans,extinxit: Buſan quoq;,Bulgarorum regem cum ſuis agminibus proſternit. Deinde ueniens Italiam, primumq́; iuxta Sonuum fluuium,qui non longe ab Aquileia labitur,caſtra componens,cum ad reficienda corpora hominum & iumētorum,pro longitudine itineris feſſa reſideret, cum magno exercitu,totiſq́; Italiæ uiribus Odoacer ei occurrit. Quem Theodericus alacriter excipiens,magno ſuperatum prælio,in fugam conuertit.Exinde mouit exercitum,cū Veronam ueniſſet,iterum aduerſus eum Odoacer,non minori ſeſe belli apparatu opponit.Contra quem Theodericus haud procul à Verona confligens,ſumma eius exercitum clade contriuit.Qui dum fugę metu,in Atheſim fluuiū,ſe pręcipites mergūt, ex magna parte rapidiſſimis gurgitibus eius implicati ſuffocantur. Theodericus uero dum ipſo impetu ſubſequitur,fugientes,Veronam ilico ciuibus pauore conſternatis inuadit.Odoacer autem cum his qui euaſerant,fugiens,Romam contendit, ſed obſeratis continuo portis,excluſus eſt.Qui cernens introitum ſibi denegari,omnia quæ attingere potuit,gladio flammaq́; conſumpſit,Rauennamq́; ingreſſus,munitionem ſibi præparauit.Theodericus autem à Verona digrediens,Mediolanum peruenit, & dum ibi conſiſteret,magna ad eum multitudo militum,pluresq́; Italiæ populi conuenerunt,ſed paucis ieteriectis diebus,rurſus deditiꝰ exercitus,Tusfra quodam nomine inſtigante,Odoacris partibus ſe reddidit.Quæ res Theodericum in tantū perterruit,ut ſe ſuumq́; exercitum apud Ticinenſem urbem,quæ nūc Papia dicitur, com muniret. Talium rerum uarietates Gundebaudus,Burgundionum rex aſpiciens,Liguriam cum ingenti exercitu intrauit,cunctaq́; quæ reperire poterat, pro diripientiū uoluntate depredans,infinitam captiuorum multitudinem ſecum ad Gallias duxit. Theodericus itaq; aliquandiu intra munitiones exercitum retinens, demum relictis ibi ſororibus & matre,uniuerſaq́; uulgi multitudine,nihil plane dubius de fide Epiphani uiri ſanctiſſimi,eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, cum expeditis armatorum cuneis ad obſidendum Odoacrem,Rauennam perrexit. Cumq; in eo loco qui Pinetum dicitur,non procul ab urbe caſtra poſuiſſet, per continuum penè triennium Odoacrem obſedit.Qui cum frequenter nocturno tempore cum ſuis ex urbe egrediens, exercitū Theoderici inquietaret,nouiſſime noctu irruens in caſtra,exercitum Theoderici magna ſtrage proſtrauit, ſed Gothis fortiter reſiſtentibus,ad extremum uictus,in urbem confugit. Nec multa poſt miſſa legatione,ueniam ſupplicans à Theoderico,quaſi in fide ſuſceptus eſt,ſed poſt ab eo truculenter peremptus eſt.Egreſſis inde à Ticino poſt triennium Gothis,eandem mox urbem inuaſere Rugi,cuncta per circuitum loca,ſimulq́; ciuitatem per continuum biennium deuaſtantes, cum adhuc beatiſſimus Epiphanius ſupereſſet,cuius ſanctitate in tantis periculis ciues ſuſtētabantur afflicti. Hic à Theoderico Gallias ad Gundebaudum pro captiuis redimendis directus, excepta innumera multitudine illorum, pro quibus precium dedit. vi. millia captiuorum, ob ſolam ſanctitatis ſuę reuerentiam ſibi cōceſſa,ſecum reduxit. Igitur Theodericus extincto apud Rauennam Odoacre,totius Italiæ potitus eſt ditione,nec multo poſt Romam profectus,à Romanis cum gaudio magno eſt ſuſceptus. Quibus ille ſingulis ad ſubſidium uictus cxxvi. millia modiorum tritici conceſſit. Poſt hæc Theodericus,ut ſui regni uires conſtabiliret,miſſa legatione ad Clodoueum, Francorum regem,filiam eius Audofledam in matrimonium petijt,quam ille libenter conceſſit. Amalfredam autem germanam ſuam Vuandalorum regi Hunerico Geiſerici filio

coniunxit,

Trapeſtila Gepidarum rex.

Traſilla legis in Paulo diacono.

Sonuus fluuius Aquileiæ.

Theodericus inuadit Veronam.

Odoacer Romæ excluſus omnia uaſtat.

Gundebaudus Burgundionū rex Liguriam inuadit.

Odoacer à Theoderico perimitur.

Theodericus filiam Clodouei in uxorem petit.

coniunxit,eiuſdemq; Amalfredæ filiam Amalbergam Thuringorum regi Ermenfrido tradidit,filias uero ſuas,quas in Mœſia genuerat,Thuidegotham & Oſtrogothã uicinis regibus copulauit,unam Sigiſmundo regi Burgundionum,alteram Alarico regi Vuiſigotharum. De quo Alarico natus eſt Amalricus.Quem auus ſuus Theodericus in annis puerilibus utroq; parente orbatum dum nutriret, comperiens Beterici filium Eutharicum,Herimundi nepotem,& Thuriſmundi abnepotem, de Amalorum ſtirpe deſcendentem,in iuuenili ætate,prudentia & uirtute,corporiſq; integritate pollentem in Hiſpania,ad ſe illum uenire præcepit,eiq; filiam ſuam Amalſuindam in matrimonium dedit,quæ Atalaricum ex eo genuit.Nec fuit aliqua uicina gens Italiæ,quæ Theoderico,aut coniunctionis affinitate,aut pactionis fœdere non fuiſſet ſociata.Zenone itaq; Auguſto,poſt x. & vij.annos regni ſui defuncto , Anaſtaſius ſucceſſit imperio,regnans per annos xxvij. Theodericus uero per idem tempus pacifice regnans in Italia,Romæ miranda fecit ædificia,& per ſingula quæq; loca celebriora, regia ſibi conſtruxit habitacula. Mortuo autem Anaſtaſio & ipſo hæretico,Iuſtinus imperium adeptus eſt.Qui dum eſſet orthodoxus,cernens in partibus Orientis , illo adhuc tempore Arrianam hęreſim per ſingula loca uigere,pro ardore catholicę fidei decertabat hæreticos diſſipare,ſextoq; imperij ſui anno,præcepit ut ubiq; Hereticorũ Eccleſias catholici conſecrarent Epiſcopi.Hoc audiens Theodericus,Arriana lue pollutus,Iohannem papam,ſimulq; cum eo Theodorum atq; Agapitum,conſulares uiros,aliumq; Agapitum patritium Conſtantinopolim ad Iuſtinum imperatorem direxit,mandans illi minando,quia niſi hæreticis Eccleſias ſuas quantotius redderet, eosq; in pace degere ſineret, uniuerſos Italiæ populos ipſe gladio extingueret. Qui peruenientes ad Auguſtum,cum ab eo digne(ut competebat)ſuſcepti eſſent,magnis cum fletibus poſtulabant,ut ſuæ legationis ſeriem,quamuis eſſet iniuſta,libenter exciperet,& Italiæ perituræ conſuleret. Quorum fletibus Iuſtinus permotus, eis quod petebant,conceſſit: Arrianosq; ſuæ poteſtati dimiſit. Cumq; hi in itinere demorarentur,Theodericus rabie iniquitatis ſuæ ſtimulatus,Symmachum patricium & Boetium ſenatorem & conſulem,gladio trucidauit. His quoq; diebus extincto à Francis, Alarico Vuiſigotharum rege , Theodericus per Hibbam comitem ſuum plus quàm xxx.mill. Francorum cædens , poſt mortem Alarici generi ſui,Thiodem armigerũ eius, tutorem Amalrici nepotis ſui conſtituit.Iohannes uero Papa rediens à Conſtantinopoli cum ſocijs itineris ſui uenit ad Theodericum Rauennam . Ille uero per malitiam impietatis & crudelitatis ſuæ,pro eo q; à Iuſtino catholicæ fidei defenſore honorifice ſuſcepti eſſent,carceri eos mancipauit,& famis afflictione interfecit. Sed hanc immaniſſimam eius crudelitaté diuina mox animaduerſio ſecuta eſt,nam xcix poſt hoc facinus die,ſubita morte defunctus eſt. Cuius animam, ut ſanctus Gregorius in dialago ſcribit,ſolitarius quidam uir magnæ uirtutis apud Lipparam inſulam uidit inter Iohannem papam & Symmachum patricium diſcinctum & diſcalciatum deduci,& in ollam Vulcani demergi. Antea tamen,cum adhuc ualeret,ſed iam ſenior conuocans Gothos & gentis ſuæ primates,Athalaricum Amalſuindæ filium , uix decem annorum regem conſtituit,exhortans ſuos, ut regem colerent , ſenatum populumq; Romanum amarent,principem Orientis placatum ſemper & propitium habere curarent.Quo defuncto,Gothi , ut præcepit Theodericus, Athalaricum cum matre ſua præficiunt regno,hoc quod præceptum erat cuſtodientes,quàm diu Athalaricus & mater eius uiuebant,qui penè per viij.annos regnabant.Iuſtino autem Auguſto poſt viij.imperij ſui annos defuncto,Iuſtinianus ſororis eius filius ſucceſſit imperio. Cui Athalaricus tam ſuam adoleſcentiam,quàm matris uiduitatem commendauit,ſed breui poſt tempore humanis rebus exceſſit. Tum mater ne ſexus fragilitaté Gothi dum ſpernerent,ſecum deliberans,ipſa Theodatum conſobrinum ſuum germanitatis gratia accerſitũ à Tuſcia,ubi priuatus in proprijs laribus uiuebat , in regno locauit. Qui poſt aliquantum tempus immemor conſanguinitatis & beneficij,à pala io eam abſtractam,in inſulam laci Vulſini relegauit,ubi pauciſſimos dies in triſtitia degens,ab eius ſatellitibus in balneo ſtrangulata eſt. Quod audiens Imperator, magna ira contra Theodatum accenſus eſt.Sentiens autem hoc Theodatus,beatum Agapitum papam direxit ad Conſtantinopolim, ut per eum gratiã Imperatoris acquireret

Theoderici mirãda ædificia Romæ.

Iuſtinus Imperator Chriſtianus.

Theodericus Arrianus.

Symmachus et Boetius necantur.

Theoderici ſæuitia & crudelitas.

Gregorij dialogi.

Euticetis dogma.
Libera uox Agapiti papæ
Gothi integro anno Romam obſident.
Badulla Totila dictus.
Benedictus claret in monte Caßino.

quireret. Veniens autem Pontifex ad Imperatorem, cœpit habere colloquium cum eo de fide,& inuenit eum doctrinam Euticetis habere. Quem cum Pontifex pro errore increparet, ille minis eum aggreſſus eſt, ſed in fide catholica Papa immobilis ſtabat, & ad Imperatorem dicebat. Ego deſideraui uenire ad Iuſtinianũ Imperatorem Chriſtianiſſimũ, ſed ut uideo, inueni Diocletianum. Videns autem Imperator conſtantiam eius, ex uoluntate Dei acquieuit monitis illius, ſed non multo poſt idem Pontifex ibi defunctus eſt. Iuſtinianus uero Beliſarium patritium iam de Vuandalis in Aphrica triumphantem, contra Theodatum miſit, ut & Italiam à ſeruitio Gothorũ liberaret. Veniente autem Beliſario in Siciliam, omnes qui ibi erant Gothi cum duce ſuo Sinderit, ultro ſe Beliſario tradiderunt. Theodatus uero generũ ſuum Euermundum cum exercitu miſit ad cuſtodiendum fretum, ubi eſt exitus de Sicilia. Sed ille audiens euentum rerum in Sicilia, ultro ſe ad pedes aduenientis Beliſarij miſit, Romanis optans ſeruire principibus. Quod Gothorum ſentiens exercitus, ſuſpectũ Theodatum à regno pellendum clamitat, & Vuitigem, qui eius armiger erat, ad rebellandum in regnum eleuat. Qui leuatus in regnum, Romam ingreditur, præmiſſisq; Rauennam fideliſſimis ſibi uiris, Theodatum occidi præcepit, ipſeq; poſt paucos dies Rauennam ueniens, Matheſuindam Amalſuindæ filiam ſibi in matrimonio copulauit. Beliſarius uero conceptas contra Theodatum belli uires, in Vuitigem conuertit egreſſusq; de Sicilia, uenit Romam. Gothi autem, qui ibi habitabant, nocte egredientes Romam, portasq; relinquentes apertas, fugerunt Rauennam. Vuitigis autem, ut talia cognouit, cum magno exercitu Romam uenit, ſed Beliſarius cernens non aptũ ſibi tempus ad pugnandum, quia fames magna eo anno oppreſſerat mundum, incluſit ſe infra Romam, poſitis cuſtodibus, qui ex omni parte cuſtodirent eam. Gothi uero omnia foris deuaſtantes, cum per annum integrum obſiderent Romam, immiſſo ſuper ſe terrore fugerunt Rauennam. Iterum Vuitigis collecto exercitu, uenit cõtra Beliſarium in pugnam, cõmiſſaq; pugna, multi ex parte Vuitigis mortui ſunt, ipſumq; fugientem, Iohannes militiæ magiſter inſecutus, uiuum apprehendit, Romamq; ad Beliſariũ duxit, quem ille ſecum Conſtantinopolim uexit. Quem uidens Iuſtinianus, gauiſus eſt, & non poſt multum tempus fecit eum patritiũ, illeq; ibi plus quàm biennium moratus, defunctus eſt. Cuius uxorem Matheſuindam imperator dedit fratri ſuo Hermano patritio, de quibus natus filius, nomine Germanus, in quo coniuncta ſtirpe Aniciorum & Amalorum ſpes utriuſq; generis & gentis poſita eſt. Poſtq; autem Vuitigis captus eſt, Gothi Tranſpadani Heldebadum ſibi regem conſtituunt, qui eodem anno interemptus eſt. Cui ſuccedit Erarius, & ipſe necdum expleto anno iugulatur. Dehinc Baduillam, qui & Totila dicebatur, ſibi præficiunt, moxq; collecto undiq; exercitu, totam Italiam inuaſerunt. Exinde cum percurrerent Campaniam, idem Totila ueniens ad cœnobium beati patris Benedicti, qui tunc in mõte Caſſino magnis uirtutibus claruit, ab eo talia audiuit: Multa mala facis, multa feciſti, iam ab iniquitate compeſcere, equidem mare es tranſiturus, Romam ingreſſurus, ix. annos regnabis, x. morieris. Inde digrediens per Lucaniam, inuadit Siciliã, indeq; reuertens, Romam petijt, eamq; obſidione concluſit. Romanis itaq; fame laborãtibus, nec mœnia diutius tueri ualentibus à porta Oſtienſi Totila ingreſſus eſt. Volens autem parcere Romanis, per totam noctem clangere buccina iuſſit, quo ſe à Gothorum gladijs aut in Eccleſijs tuerentur, aut quibuſcunq; modis occulerent. Habitauit uero cum Romanis aliquantum temporis, quaſi pater cum filijs, ſed hanc animi benignitatem ei, qui antea nimiæ crudelitatis erat, beati Benedicti admonitio, ut conijci datur, conferebat. Elapſi ſane ex urbe quidam è numero ſenatorum, Conſtantinopolim afflicti, properant: quibus calamitatibus Roma ſubijceretur, Principi narrant. Qui ſtatim Narſetem eunuchum, cubicularium ſuum Italiæ fecit exarchum, Romamq; cum manu ualida dirigit, ut afflictæ Romæ quantotius ſubueniret. Is ad Italiam ueniens, legatos ad Alboin regem Longobardorum miſit, qui tunc in Pannonia habitabant, & Romanis amici erant, mandans eis, quatenus ſibi pugnaturo cum Gothis, auxilium miniſtraret. Tunc Alboin electam è ſuis, magnam manum direxit. Qui per maris Hadriatici ſinum tranſuecti, Romanisq; ſociati, magnum cum Gothis certamen inieruut. Quibus ad interitum penè conſumptis, regem eorum Totilam

Totilam, qui iam per decem annos ſuper eos regnauerat, Narſes interfecit, & ueſtimenta eius cruentata cum corona lapidibus precioſis ornata, regiam urbem miſit, quæ iactata ſunt ad pedes Imperatoris coram ſenatu. Deinde urbes eorum duas munitas, id eſt, Veronā & Brixiam ſuſcipiens, uniuerſam, Italiam cum Romana ciuitate ad reipublicæ iura reduxit, & Longobardos honoratos cum magnis muneribus ad propria remiſit. Qui omni tempore quo Pannoniam poſſederunt, Romanis aduerſus æmulos adiutores fuerūt. Sic igitur famoſum regnum, fortiſſimamq́ gentem Gothorum diu regnantem, tandem poſt M. xl. annos uictor diuerſarum gentium Iuſtinianus Imperator, & prius per Beliſarium, & poſt per Narſetem uicit, omnemq́ Italiam ab eorum ſeruitute liberatam, priſtinæ libertati reſtituit. *Totila. Verona. Brixia. Iuſtinianus uincit Gothorum regem.*

Hęc Iordanis quidam Grammaticus, ex eorundem ſtirpe Gothorum progenitus, de Getarum origine & Amalorum nobilitate, non omnia quæ de eis ſcribuntur & referuntur, ut ipſe dicit complexus, exarauit: ſed breuius pro rerum notitia huic opuſculo inſeruimus. His perlectis, diligēterq́ perſpectis, perpendat qui diſcernere nouerit, quomodo illud ratum teneatur, quod non ſolum uulgari fabulatione & cantilenarum modulatione uſitatur, uerum etiam in quibuſdam chronicis annotatur, ſcilicet ꝙ Herméricus tempore Martiani principis, ſuper omnes Gothos regnauerit, & Theodericum, Dietmari filium, patruelem ſuum, ut dicūt, inſtimulante Odoacre, item, ut aiunt, patruele ſuo, de Verona pulſum, apud Attilam Hunorum regē exulare coegerit, cum hiſtoriographus narret, Hermenricum regem Gothorum multis regibus dominantem tempore Valentiniani & Valentis fratrum regnaſſe, & à duobus fratribus Saro & Ammio, quos cōijcimus eos fuiſſe, qui uulgariter Sarelo, & Hamidiecd dicuntur, uulneratum, in primordio egreſſionis Hunorum per Mæotidem paludem quibus rex fuit Valamber, tam uulneris quàm Hunorum irruptionis dolore defunctum fuiſſe. Attilam uero poſtea ultra lxx. annos ſub Martiano & Valentiniano cum Romanis & Vuiſigothis, Aetioq́ duce Romanorum pugnaſſe, & ſub eiſdem principibus regno uitaq́ deceſſiſſe. Ac dehinc imperante Gothis Vualamiro, Theodericū fratris ſui Dietmari filium, Leoni Auguſto iam ſeptennem à patruo fidei cauſa obſidem datum, & ab eodem Leone poſtea patri iam imperanti, Gothis fuiſſe redditum, patriq́ defuncto, in regnum ſucceſſiſſe, ſed mox à Zenone Auguſto Conſtantinopolim accitum, familiariterq́ tractatum, Italiæ regnum accepiſſe, quod tunc Odoacer cum Thurcilingis & Rugis, alijsq́ nationibus, inuito Zenone poſſedit, quem Theodericus poſt multa certamina dedititium interemit. Hinc rerum diligens inſpector perpendat, quomodo Hermenricus Theodericum Dietmari filium, apud Attilam exulare coegerit, cum iuxta hunc hiſtoriographum, contemporalis eius nō fuerit. Igitur aut hic falſa conſcripſit, aut uulgaris opinio fallitur & fallit, aut alius Hermenricus, & alius Theodericus dandi ſunt Attilæ contemporanei, in quibus huiuſmodi rerum conuenientia rata poſſit haberi. Hic enim Hermenricus longe ante Attilam legitur defunctus. Theodericus uero poſt mortem Attilæ, ſiue in ipſo mortis eius confinio ſcribitur natus, quinta generatione poſteritatis Vuitulfi fratris Hermenrici progenitus. Dietmarus autem pater eius alios fratres habuiſſe non legitur, quàm Vualamirum & Vuitimarum, quorum prior ſub Attila regnans, poſt mortem eius ſe Hunorum ditioni ſubduxit, & ſine filijs mortuus, Dietmaro fratri regnum reliquit: alter uero filium homonymum ſibi Vuitimarum habuit, qui poſt obitum patris, relicta Italia, Gallias ſeceſſit. Anno Domini ccclxxviij. Regnante Valente, poſt mortem fratris ſui Valentiniani, cum Gratiano & Valentiniano, filijs eiuſdem fratris ſui, Baſilius Cæſareæ Cappadociæ, uir ſapientiſſimus & continentiſſimus claruit, ſed ſuperbiæ, ut aiunt, uitio laborauit. Anno Domini cccl xxix. Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus lxvi. ſacerdotij ſui anno migrans, Petrum ſucceſſorem reliquit. Anno Domini ccclxxx. Gothi à Hunis expulſi, diffunduntur per Thraciam. Anno Domini ccclxxxi. Gothi fame cōpulſi, rebellant Valenti, quos ille bello petens, ſed exercitu occiſo fugiens, in caſa quadam uiuus crematur, anno xv. regni ſui, quorum xi. cum fratre iiij. poſt illum regnauit. *Iordanis hiſtoricus. Fratres duo, Sarus & Ammius. De Hermenrico & Theodericis, uariæ ſententiæ. Anno Domini 378. Baſilius. Athanaſius.*

ANNI GRATIANI.

Ambroſius cãtum Eccleſiaſticũ cõponit.

Theophilus.

Hieronymus.

Auguſtinus.

ANno Dominicæ incarnationis ccclxxxiij. urbis uero conditæ, milleſimo cxxxiij. Gratianus filius Valentiniani, xxxix. ab Auguſto, poſt mortem patrui ſui Valentis, electus eſt ad imperium, & regnauit cum fratre ſuo Valentiniano annos vi. cum prius regnaret annis iiii. cum patruo. Eo tempore apud Mediolanũ beatus Ambroſius hymnos canẽdos in Eccleſia primus cõpoſuit. Apud Turones beatus Martinus magnis uirtutibus, totoq; orbe doctrinis & ſciẽtia clarus, Gregorius Niſenus, Gregorius Nazanzenus, & apud Bethleem Hieronymus radiabãt. Theophilus Alexãdrinus Epiſcopus, cyclũ de obſeruatione Paſchę, per centũ annos digeſſit, quẽ laterculũ uocauit, totoq; orbe doctrinis & ſcientia clari, apud Bethleem beatus Hieronymus pbręſyter, Hypponem Africæ ciuitatem S. Auguſtinus Epiſcopus radiabant.

Argentuaria Galliæ oppidũ

Argentuaria Colmariæ proxima, nunc obſcurus uicus, Horburgũ dictus olim oppidum illuſtre, Vide Ger. B. Rhe.

Vt Nerua Traianum, ſic Gratianus Theodoſium elegit.

Miletius.

IGitur Gratianus admodum iuuenis, cum inęſtimabilem multitudinem hoſtiũ, Romanis infuſam finibus cerneret, fretus Chriſti potentia, longe impari militũ numero ſeſe in hoſtem dedit, & apud Argentuariã Galliæ oppidũ, plus ꝙ xxx. millia Alemannorũ interfecit, Deinde audiens Thraciã, Daciamq;, Pannoniã tanq; genitales terras à Gothis atq; omni pernicie atrocioribus Hunis & Alanis poſſideri, Pannoniã uenit. Ea tempeſtate Theodoſius, Theodoſij filius, tam propter parentum nobilitatem, quàm propriam fortitudinem habebatur nominatiſſimus, ſed inuidia diſſimilium fatigatus, in Hiſpania morabatur, ubi & ortus fuerat & nutritus. Cumq; Imperator fratrem ſuum ad huc puerum cerneret, & quid faceret, hæſitaret: quippe cum Barbari uictorijs elati, inexpugnabiles uiderentur: eadem prouiſione, qua Nerua quondam elegerat Hiſpanum, uirum Traianum, per quem reſpublica reparata eſt, accitum & ipſe nihilominus ab Hiſpania Theodoſium, magiſtrum militiæ fecit, eumq; contra Barbaros cum expeditione miſit. Qui uadens, fortiter cum illis maximis Scythiæ gentibus pugnauit, & fœliciter triumphauit. Mox dux optimus exercitu diſperſo per urbes, ipſe uelociter ad Principem remeauit, ipſeq; triumphorũ ſuorum nuncius extitit. Quod dum Imperator præ admiratione non crederet, inuidi dicebant eum fugiſſe, & exercitum perdidiſſe. At ille derogantes ſibi, rogat dirigi, qui uiderent multitudinem peremptorum. His uerbis Imperator flexus, direxit qui res actas ſibi nunciarent. Porrò dux optimus inter hæc uidit in uiſione, quòd S. Miletius, Antiochenæ ciuitatis Epiſcopus eum indueret imperiali chlamyde, & corona caput eius ornaret. Hæc cum ille retulerat mane cuidam amicorũ, ille clarum eſſe dixit ſomnium, & nihil ænigmaticum, nihil habere dubium. Poſt paucos autem dies qui miſſi fuerant, redierunt: peremptaq; multa hoſtiũ millia narrauerunt. Quamobrem lætatus princeps Gratianus, fauẽtibus cunctis, Theodoſium xxxiij. ætatis annum gerentem, apud Sirmium purpura induit, Orientiſq; & Thraciæ ſimul imperio præfecit. Igitur Theodoſius Conſtantinopolim triumphãs intrauit, & ne aſſidue pugnando populum Romanum fatigaret, cum Athalarico Vuiſigothorum rege pacem fecit, eundemq; Conſtantinopolim uenientem, benigne ſuſcepit, ibiq; defunctum, honorifice ſepeliri fecit, & hac benignitate omnes Gothos Romano imperio ſubiugauit. Veniens autem Theſſalonicam, ægritudinem incurrit, cupienſq; baptizari Anatholium, eiuſdem ciuitatis Epiſcopum, requiſiuit cuius eſſet fidei. Quo reſpondente ꝙ Arriana peſtis in Illyricum non ualuiſſet accedere, ſed fidem Niceni concilij inuiolatam ſeruarent, libenter eius uerba ſuſcipiens baptizatus, atq; ab ægritudine liberatus eſt. Inter hæc Archadium filium ſuum conſortem ſibi fecit in imperio, in Italia uero puero ſatis exiſtente Valentiniano, rerum curam Probus exconſul & præfectus habebat. Iuſtina uero mater Valentiniani, cum eſſet Arriana, uiuente quidem uiro, lędere Chriſtianos orthodoxos non præualuit: ſed eo mortuo, cum filus eſſet ualde iuuenculus, Mediolanum ueniens, Ambroſio Epiſcopo erat infeſta, ita ut iuberet eum exilio deſtinari. Cumq; iuberet eum exire de Eccleſia, Ambroſius ait: Ego ſponte hoc non ago, ne lupis ouium ſepta, aut blaſphemantibus Deum contradere uidear, hic ſi placet occide, hoc loco mortem prona ſuſcipiã uoluntate. Ea tempeſtate Maximus uir quidem ſtrenuus atq; imperio dignus, ſi contra Sacramẽti fidem per tyrannidem

Theodoſius init pacem cũ Athalarico.

Theodoſius à catholico Anatholio baptizatur.

Iuſtina Arriana, Ambroſio infeſta.

Vide li. Euſeb. 11. cap. 15. & 16. Et Ambroſij epiſtolas.

non

non emerſiſſet, inuitus ab exercitu in Britannia imperator factus, in Galliam tranſijt, exceptusq; à legionibus Gratiano infenſis, eundem ſubita incurſione perterritum, atq; in Italiam tranſire meditantem, dolo circũuenit, & occidit Lugduno, fratremq; eius Valentinianum cum matre Iuſtina expulit ab Italia. Qui tamen iuſtiſſimam cum matre ſua luit pœnam, quæ & ipſum Arriana hæreſi polluit, & eminentiſſimum catholicæ fidei doctorem Ambroſium Epiſcopum perfida obſidione uexauit. Valentinianus autẽ Conſtantinopolim ueniens, à Theodoſio paterna pietate eſt ſuſceptus, & imperio eſt reſtitutus: ſed ab Eugenio quodam prius Grammatico, tũc aũt militanti in palatio, & ab Arbogaſto quodam facinoroſo corruptis cubicularijs ab eiſdem dormiens ſtrangulatus eſt, atq; ut uoluntariam ſibi mortem conſciuiſſe putaretur, laqueo ſuſpenſus eſt. *Valentiniani mors.*

ANNI GRATIANI.

ANno dominicæ incarnationis ccclxxxiij. qui eſt Gratiani ſecundus, ſanctus Baſilius Cæſarienſis epiſcopus obijt. *Baſilius moritur.* Anno dominicæ incarnationis ccc. lxxxiiij. Synodus cl. epiſcoporum Conſtantinopolim aduerſus Macedonium congregatur ſub Damaſo papa, qui xviij. annis regebat Eccleſiam. Anno Domini ccclxxxv. Priamus quidam & Antenor principabantur Francis hoc tempore. Anno Domini ccclxxxvi. Archadium Theodoſius pater conſortem regni facit. Anno Domini ccclxxxvij. Maximus ex Britannia in Gallias ueniens, regnumq; ſibi uſurpans, Gratianum apud Lugdunum occidit, fratrem uero eius Valentinianũ Italia expulit.

HISTORIA.



ANno Dominicæ incarnationis, ccclxxxviij. urbis conditæ milleſimo cxxxix. THEODOSIVS *Theodoſius* genitus patre Theodoſio, matre Thermantia, xlv. ab Auguſto, interfecto per Maximum Gratiano, imperium Romanum ſolus obtinuit, manſitq; in eo annis xi. cum iam in orientis partibus ſex annis Gratiano uiuente regnaſſet: Valentinianum tamen fratrẽ Gratiani quàm diu uixit, regnare permiſit. Ipſe uero bellum aduerſus Maximum, qui tunc Aquileiæ inſidebat, ſuſcepit, illumq; à militibus proprijs, cum uim imperatoris ſuſtinere non poſſent, captum ac traditum peremit: Victorem quoq; filium eius, quẽ pater Gallis adhuc in ætate infantili pręfecerat, extinxit. Peracta uictoria, Theodoſius cum Valentiniano uenit Romam: eratq; cum eis pariter & Honorius ualde puer, quem pater poſt actam uictoriam à Conſtantinopoli euocauerat. Theodoſius igitur Romæ poſitus, multum profuit urbi, alia prębendo, alia auferendo. Poſt hęc relicto Valentiniano Romæ, ipſe cum Honorio Conſtantinopolim remeauit. Valentinianus uero cum tranſiret in Galliam cauſa ordinandæ Reipublicæ, fraude Arbogaſti comitis ſui, & Eugenij grammatici, dormiens, ab eunuchis cubicularijs pecunia corruptis, ſuffocatus eſt, moxq; Eugenio in principatum electo ab Arbogaſto, collecta multitudine Francorum atq; Gallorum, præparauerunt ſe in pugnam contra Theodoſium. *Valentinianus fraude Comitis Arbogaſti ſuffocatur.* Quod ille audiens, cõgregauit multitudinem militarem, filiumq; ſuum Honorium conſtituit imperatorem. Miſit autem Eutropium eunuchum ſibi fideliſſimum in Thebaidam, ad Iohannem monachum pręſcientia clarum, de quo legitur in uita patrum, ut aut eum uenire uolentem deduceret, aut nolentem de belli euentu requireret. *Iohannes monachus.* Qui uenire nolens, mandauit ei, quòd interfecto tyranno, uictoria ſit potiturus, ſed ipſe in Italia moriturus. Relictis igitur ambobus filijs in urbe Cõſtantinopolitana, Theodoſius contra Eugenium pergit, moxq; illi exercitus Vuiſigotharum

gotharum plus quam xx. millium occurrit. Eugenius itaque & Arbogaſtus cum tranſitus Alpium tenerent, Theodoſius in ſummis alpibus cõſtitutus, ieiunijs & orationibus intentus erat. Circa Gallorũ uero cantũ ſopore conſtrictus, uidit in ſomnis quaſi iace ret in campo, & aſtarent ei duo quidam uiri in ueſtibus albis, equis candidiſſimis re= ſidentes, iubentes eum habere fiduciam, primoque diluculo præparare milites ad uicto riam, ſeque dicebant ad ſolatium ſibi deſtinatos. Quorum alter dicebat ſe eſſe Iohan= nem Euangeliſtam, alter Philippum Apoſtolum. Quæ uiſio etiam alicui militi reue lata eſt. Qua uiſione cõperta, uberiores in oratione lachrymas fudit: & in craſtinum facta congreſſione, turbo uentorum maximus à parte Theodoſij in ora hoſtiũ furre= xit, qui tela quæ ipſi mittebant, in ipſos retorquebat: ea uero quæ ab eius parte miſſa ſunt, ultra menſuram humani iactus per magnum inane portata ualenter hoſtibus infigebat. Eugenius itaque corruens ad pedes imperatoris, ueniam rogabat, ſed à militi bus circa pedes eius capite truncatus eſt: Arbogaſtus uero propria ſe manu interfecit, conſulatus Archadij anno iij. & Honorij ij. Ad laudem uero Theodoſij ob inſignem uictoriam, poeta quidam nomine Claudianus, ſed Paganus, inter cætera huiuſmodi uerſibus deo & homini teſtimonium cecinit:

Viſio Theodoſij.

Arbogaſtus ſe ipſum necat.

Claudiani uerſus.

> O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
> Et coniurati ueniunt ad claſſica uenti.

Igitur Theodoſius Mediolanũ ueniens, poſt laborem publicũ corpore fatigatus, ægritudinem incurrit, & ſperans ſe moriturum, potius de Republica cogitauit, conſi derans, quæ ſolent hominibus euenire, imperatore moriẽte. Filium itaque Honorium de Conſtantinopoli uelociter euocauit, & imperatorem Romæ ordinauit. Cumque Honorius Mediolanum ueniſſet, pater ex ægritudine reuelatus, circum de uictoria ce lebrabat, & ante prandium quidem ſpectaculum, quaſi ſanus, exhibuit. Poſt prandi um uero repente prægrauatus, ad ſpectaculum uenire non potuit, filium tamen lu= dis adeſſe præcepit: ſuperueniente uero nocte defunctus eſt, xvi. kal. Febr. anno im= perij xvij. uitæ autem xl. Fuit autem propagator Reipublicæ & defenſor eximius, cle mens & miſericors, communis cunctis, ſolo habitu differens à cæteris, in omnes ho= norificus, in bonos uero profuſius. Quantæ autem manſuetudinis apud homines fu it, tantæ humilitatis corã domino extitit. Quod in illo obedientiæ exemplo ſatis pro batur, quam ſancto Ambroſio epiſcopo, imò per illũ Deo exhibuiſſe narratur. Quod quia eſt relatu ac memoria dignum, licet non ſuo loco, ſtatui tamen memorandum, & pro utilitate legentium, & opinione uirtutum.

Theodoſius moritur.

Dotes Theodoſij. Vide hiſt. Eccle. Trip. li. 9. cap. 30.

Theſſalonica eſt ciuitas grandis & populoſa, in qua dum eſſet Theodoſius, ibi ſe= ditio eſt orta, & quidam ex iudicibus tracti & lapidati ſunt, unuſque, ut aiunt, ex mili= tibus, quem ille diligebat, occiſus eſt. Hinc indignatus Theodoſius, ſicut ſe ha= bent humanæ paſſiones, non refrenauit iracundiæ infirmitatem, ſed iuſto furori im= menſam permiſcuit crudelitatem. Ad ludos igitur Circenſes iuſſit inuitari ciues, & repente ſuper omnes iniuſtos gladios præcepit euaginari, & una cum innocentibus nocentes perimi. Septem quidem millia hominum feruntur ibi occiſa, non præce= dente iudicio, ſed furibundo dictante animo. Huiuſmodi cladem gemitibus plenã audiens Ambroſius, cum princeps Mediolanum ueniſſet, & eccleſiam ſolenniter in= trare uoluiſſet, foris ad ianuas ei occurrit, hiſque illum ſermonibus à ſacri liminis in= greſſu prohibuit: Neſcis imperator perpetratæ à te necis quanta ſit magnitudo? neque poſt auſum tanti furoris, mens tua molem tantæ præſumptionis agnoſcit? Sed forte recognitionem peccati prohibet poteſtas imperij: decet tamen ut ratio uincat po= teſtatem. Scienda eſt quippe natura, eiuſque mortalitas, atque reſolutio & puluis proge= nitorum, ex quo facti ad quem redigendi ſumus, & non flore purpureo fidentem, in firmitatem operti corporis ignorare. Coæqualium hominum princeps es, ô Impera tor, & conſeruorum. Vnus eſt enim dominus omnium, rex & creator cunctorum. Quibus igitur oculis aſpicies communis Domini templum? quibus calcabis pedi= bus ſanctum illius pauimentum? Quomodo extendes manus, de quibus adhuc ſtil= lat ſanguis innoxius? Quomodo huiuſmodi manibus ſuſcipies ſanctum Domi= ni corpus? Qua præſumptione poculum precioſi ſanguinis percipies ore tuo, dum furore ſermonum tuorum tantus iniuſte ſanguis effuſus? Recede igitur, recede, nec

Septem hominum millia occiſa Theſſalonicæ.

Nota, olim Eucharistia dabatur laicis in manus.

Poculum precioſi ſanguinis laicis datum.

ſecundo

ſecundo peccato priorem nequitiam contendas augere. Suſcipe uinculum quo te *Excõmunicatur Theodo.*
omnium Dominus ligauit, eſt enim medicina maxima ſanitatis. His ſermonibus
imperator obediens, erat enim diuinis eruditionibus nutritus, & aperte ſciens quæ
eſſent propria ſacerdotum, quæ regũ, gemens & deflens ad regalia remeauit. Cum= *Pœnitentia 8. menſium.*
que octo menſium continua tranſiſſent tempora, propinquauit natiuitatis Saluato=
ris noſtri feſtiuitas. Imperator autem lamentationibus aſſiduis in palatio reſidens,
continuas lachrymas inceſſabiliter expendebat. Ingreſſus autem tunc magiſter mi= *μάγιςρον οἱ ῥωμαῖοι καλοῦσι τῶν βασιλείων ἡγούμενον.*
litiæ Rufinus, & ſingularem apud principem fiduciam habens, & uidens eum in la=
mentatione proſtratum, acceſſit, & lachrymarum cauſas inquirit. At ille amariſſime
ingemiſcens, & uehementius lachrymas fundens: Tu, inquit, Rufine ludis, & mea
mala non ſentis: ego autem lamentor & gemo calamitatem meam, quia ſeruis qui=
dem & mendicantibus aperta ſunt templa Dei, & proprium dominũ ingredientes li
center exorant: mihi uero ingreſſus ad eum non eſt, inſuper etiam cœli clauſi ſunt.
Hæc dicens, uerba ſingula ſingultibus interrumpebat. Rufinus: Curram, inquit, ſi ti=
bi placet, pontificiq́ precibus perſuadebo, ut ſoluatur uinculũ quod illigauit. Ait im=
perator: Non ſuadebis Ambroſio, noui ego decretum illius eſſe iuſtum: neq; reuere
bitur imperialem potẽtiam, ut legẽ poſſet præuaricare diuinam. Cumq́ Rufinus uer
bis plurimis uteretur, & promitteret Ambroſium eſſe flectendum, imperator eum
pergere cum feſtinatione præcepit: ipſe uero ſpe data poſt paululum eſt ſecutus, cre=
dens Rufini promiſſionibus. Porro uir mirandus Ambroſius, mox ut Rufinũ uidit, *Ambroſius ad Rufinum.*
ait: Impudentiam canum imitatus es ô Rufine, tantæ uidelicet necis autor exiſtens,
& pudorem ex fronte detergens, nec erubeſcis, nec metuis contra imaginem latrare
diuinam. Cumq́ Rufinus ſupplicaret, & imperatorem uenturum eſſe diceret, ſuper=
no zelo accenſus Ambroſius, ait: Ego tibi Rufine prædico, quoniam ingredi ſacra li=
mina eum prohibebo: ſi uero imperium in tyrannidem mutauerit, necem libenter
& ego ſuſcipiam.

Hæc & alia plurima Rufinus audiens, nunciauit imperatori uotum Antiſtitis, mo
nens ne de palatio forte procederet. At imperator hæc in media iam platea cogno= *ἀσπασικὸς οἶκος. Salutasotium*
ſcens: Pergã, inquit, & iuſtas ſuſcipiam contumelias. Cumq́ ad ſacra limina perue=
niſſet, in ſanctam quidem baſilicam non intrauit, ſed inueniens antiſtitem in Saluta
torio reſidentem, ſupplicabat, ut eius uincula reſolueret. At ille tyrannicam dicebat
eius eſſe præſentiam, eumq; contra deum inſanire, & leges eius calcare. Verum impe=
rator: Non, inquit, inſurgo aduerſus Eccleſiaſticas ſanctiones, nec inique ingredi li=
mina ſacra cõtendo, ſed te ſoluere uincula mea depoſco, & communis domini pro
me exorare clementiam: nec mihi ianuam claudi, quam cunctis pœnitentiam agen
tibus Dominus noſter aperuit. Tunc Antiſtes: Quam, inquit pœnitentiam oſtendiſti
poſt tantas iniquitates? quibus medicaminibus incurabilia uulnera plagasq́ curaſti?
Tuum eſt, inquit imperator, edocere, & medicamenta temperare: meum oblata ue=
ro ſuſcipere. Tunc ſanctus Ambroſius ait: Quõ furori iudicium tuum commiſiſti, &
non ratio protulit ſententiam, ſed iracundia. Scribe legem quæ decreta furoris euacu
et, & xxx. diebus ſententia necis atq; proſcriptionis tantumodo maneat in literis, & *Lex de ſententia necis & proſcriptiõis 30. diebus per pendenda.*
iudicium expectet rationis: quibus diebus tranſactis, ira iam ceſſante, ratio cauſam iu
dicans apud ſemetipſam, quæ cognouerit ſub ueritate diſponat. In his enim diebus
cognoſcetur, an iuſta ſit ſententia quam protuleris, an iniuſta: & ſiquidem ratio pro
bauerit iniuſta quæ ſunt prolata, diſrumpet: ſi uero iuſta, firmabit, dierum uera nume
rus ad hæc examinanda ſufficiet. Hanc admonitionem imperator animo libenti ſuſ
cipiens, & optimam eſſe cõfidens, legem conſcribit repente præcepit, & propriæ ma
nus literis confirmauit. Quo facto, uinculum eius Ambroſius abſoluit. Quæ lex hacte
nus obſeruatur Conſtantinopoli. Eſt autem huiuſmodi.

IMP. GRATIANVS VALENTINIANVS ET THEODOSIVS AVG. Flauiano præfecto prætorii Illyrici.

Si uindicari in aliquos ſeuerius contra noſtram conſuetudinem pro cauſæ intuitu
iuſſerimus, nolumus ſtatim eos aut ſubire pœnam, aut excipere ſententiam, ſed per di
es xxx. ſuper ſtatuta eorũ ſors & fortuna ſuſpenſa ſit. Reos ſanè accipiant uincula atq;
cuſtodia, & excubijs ſolertibus uigilanter obſeruentur.

Sic igitur ſacratiſſimus imperator ingredi limina ſacra præſumens, non ſtans, domino ſupplicauit, nec genua flexit, ſed pronus in pauimento iacens, Dauidicam proclamauit uocem: Adhæſit pauimento anima mea, uiuifica me ſecundum uerbum tuum. manibus autem capillos euellens, frontemq; percutiens, & pauimentum lachrymarum guttis aſpergens, ueniam poſcebat. Cumq; tempus accederet, quo munus ad altare ſolebat offerre, ſurgens cum lachrymis ingreſſus eſt. Cum uero obtuliſſet ſicut ſolitus erat, intra cancellos ſtetit. Rurſus autem Ambroſius non acquieuit, ſed differentiam locorum edocuit, & primo quidem requiſiuit, quid ibi expectaret. Imperatore dicente, ſuſtinere ſe ſacrorum perceptionem myſteriorum, remãdauit ei per ſuum Archidiaconum: O imperator, interiora loca tantum ſacerdotibus ſunt collata, quę cæteri nec ingredi, nec contingere permittuntur. Egredere igitur, & hanc expectationem cum cæteris habe communem. Purpura nanq; imperatores, non ſacerdotes facit. Tunc fideliſſimus imperator etiam hanc traditionem animo gratanti ſuſcipiens, remandauit: Non audaciæ cauſa intra cancellos manſi, ſed in Conſtantinopolitana urbe hanc conſuetudinem eſſe cognoui: unde gratias ago pro huiuſmodi medicina. Tali ergo tantaq; & præſul & imperator uirtute clarebant. Ego autem utriuſq; opus admiror: illius fiduciam, huius obedientiam: illius zeli feruorem, huius fidei puritatem. Porro regulas pietatis, quas à magno ſacerdote recepit, reuerſus etiam in Conſtantinopolitana urbe ſeruauit. Nam dum feſtiuitatis tempore ad Eccleſiam proceſſiſſet, oblatis in altari muneribus, mox egreſſus eſt. Cumq; Nectarius tunc pręſul Eccleſiæ illi mandaſſet, cur intus ſtare noluiſſet, remandauit ei princeps: Vix potui diſcere, quæ differentia ſit imperatoris & ſacerdotis: uix enim inueni ueritatis magiſtrum, Ambroſium nanq; ſolum noui digne uocari pontificem. Habebat igitur imperator & aliam utilitatis occaſionem, per quam de bonis operibus triumpharet. Coniunx enim eius de diuinis legibus eum ſæpius admonebat, ſeipſam tamen perfecte prius erudiens. Non enim regni faſtigijs eleuata eſt, ſed potius amore diuino ſuccenſa. Beneficij nanq; magnitudo maius ei deſiderium benefactoris excitabat. Repente nanq; ut uenit ad purpuram, claudorum atq; debilium maximam habuit curam, non ſeruis, non alijs miniſtris utens, ſed per ſemetipſam agens, & ad eorum habitacula ueniens, unicuiq; quod opus haberet, præbebat. Sic etiam per eccleſiarum xenodochia diſcurrens, ſuis manibus miniſtrabat infirmis: ollas eorum tergens, ius guſtans, coclearia offerens, panem frangens, ciboſq; miniſtrans, calices abluens, & alia cuncta faciens, quæ ſeruis & miniſtris mos eſt celebrare. His autem qui eam de rebus talibus nitebantur prohibere, dicebat: Aurum diſtribuere opus imperij eſt: ego autem pro ipſo imperio hoc opus offero bona mihi omnia conferenti. Viro autem ſuo ſæpe dicebat: Oportet te marite ſemper cogitare, quid pridem fueris, quid modo ſis. Hæc ſi ſemper cogitaueris, ingratus benefactori non eris, ſed imperium quod ſuſcepiſti, legaliter gubernabis, & harum rerum autorem placabis. His ſermonibus ſemper uſa, uelut optimam quandam utilitatem, uirtutiſq; abundantiam coniugi offerebat. Defuncto autem Theodoſio xvi. kal. Feb. corpus eius Conſtantinopolim delatum eſt vi. Idus Nouemb. & ab Archadio filio ſuo ſepulturæ traditum. Dimiſit autem regnum duobus filijs ſuis, Archadio in oriente, Honorio in occidente, curam uero adminiſtrationis uiris potentiſſimis mandauit habere: Rufino aulæ orientalis, Stiliconi occidentalis. Poſt paucos autem dies quando translatum eſt corpus Theodoſij, id eſt, xv. kalen. Decemb. etiam exercitus qui cum eo fuerat, cõtra Eugenium reuerſus eſt, & dum imperator Archadius ad portas occurriſſet exercitui, milites Rufinum præfectum peremerunt. Erat enim ſuſpectus, quaſi tyrannidem meditaretur aſſumere, & Hunos uel Gothos in Romanorum prouincias contra imperatorem euocare.

Pſalm. 118.

Theodoſius offert.

ἁλουργὶς γὰρ βασιλέας οὐκ ἱερέας ποιεῖ

Differẽtia imperatoris & ſacerdotis.

Hæc ſunt in hiſtoria Tripar. lib. 9. cap. 30.

Eccleſiarum xenodochia.

Rufinus interimitur.

Puer duobus capitibus.

Eiuſdem uero Theodoſij temporibus apud Paleſtinam prouinciam in caſtello Emaus natus eſt puer integer & perfectus, ſed umbilico ſurſum diuiſus, ita ut haberet duo pectora, & duo capita, & quoſcunq; ſenſus: & cũ unus edebat & bibebat, alter non edebat: unus dormiebat, alter uigilabat: nonnunq̃ inſimul dormiebant, inſimul ludebant ad alterutrum, & flebant, & utriq; percutiebant ſe inuicem. Vixerunt aũt annis ferè duobus, & unus quidem mortuus eſt, alter aũt ſuperuixit diebus iiij.

Hiſtoria

ANNI THEODOSII.

ANno domini ccclxxxix. qui eſt ſecundus Theodoſij. poſt mortem Gratiani idem Theodoſius uir uirtutibus plenus Valentinianum Italia expulſum à Maximo, in regnum reſtituit. Reliquiæ ſanctorum Geruaſij & Protaſij ab Ambroſio repertæ ſunt. Anno domini cccxc. Anno domini cccxci, Auguſtinus ad fidem conuerſus, ab Ambroſio baptizatur. Anno domini cccxcij. Anno domini cccxciij. Iohannes hæremita claruit. Anno domini cccxciiij. Syricius papa xl. ſedit annis viij. deceſſitq́ vi. kal. Decemb. Anno domini cccxcv. Hieronymus librũ quem de illuſtribus uiris ſcripſit, huc uſq́ perduxit. Anno domini cccxcvi. Didimus Alexandriæ obijt. Corpora Abacuc & Micheæ prophetarum reuelantur. Anno Domini cccxcvij. Valentinianus dolo Arbogaſtis occiditur, eiuſq́ locum Eugenius inuadit. Anno domini cccxcviij. Theodoſius Eugenium tyrannum ſuperauit. Arbogaſtes ſua manu ſe interfecit. Theodoſius uero Mediolani in pace quieuit. Auguſtinus doctor facundiſſimus Hypponi ordinatur Epiſcopus.

Auguſtinus baptizatur.

Huc uſq́ Eccleſiaſticam hiſtoriam Euſebius, item Rufinus, perduxit.

Euſebius in libro. 9. Ruffinus in duobus ſequentibus, decimo & undecimo.

HISTORIA.



ANno Dominicæ incarnationis, cccxcix. urbis conditæ milleſimo cl. ARCHADIVS & HONORIVS, filij Theodoſij, xlvi. loco ab Auguſto cõmune imperiũ, diuiſis tantũ ſedibus, tenuerunt: Archadius in oriente, Honorius in occidente. Tunc Rufinus patritius Archadio principi tendens inſidias, Alaricum regem Gothorum ut Græcias uaſtaret, miſſis clam pecunijs inuitauit. Sed deiectus Rufinus ante portas urbis Conſtantinopolitanæ, ut ſupradictum eſt, à militibus decollatus eſt, caputq́ eius cum dextera manu ad ludibrium per urbẽ circũductum eſt: uxoreq́ exulata, opes eius cunctas Eutropius Spado promeruit. Gildo autem Africæ comes à Theodoſio dudum ordinatus, cognita morte eius, arbitratus parum ſpei in pueris, cœpit Africam ſibi uendicare. Cuius frater Maſcezel, cum eſſet fidelis, Germani perfidiam detexit: ille autem duos filios fratris cũ pater abiret, interfecit. Contra quem iam ut hoſtem idem Meſcezel cum exercitu miſſus, cum eum ualde coartaret, in fugã uerſus, poſt paucos dies ſtrangulatus eſt.

Arcadius

Honorius

Heſperiam uero plagam in regno Honorij imperatoris primum Radagaiſus Scytha crudeliſſimus, cum cc. millibus Gothorum inundauit, qui omnem Romani populi ſanguinem propinare deuouit. Contra quem duo Pagani duces Honorũ Huldinus & Sarus, à Romanis conducti ſunt. Nolente deo cauſam potentiæ ſuæ per uirtutem hominum ſuperare, diuinitus territus eſt Radagaiſus, fugiensq́ in Peculanũ mõtem, ingenti undiq́ timore concluditur: & dum fame ſitiq́ laborat, uolens fugere, ſolus comprehenditur à Romanis, miſſusq́ in carcerem, ibi mortuus eſt. Tanta uero multitudo de Gothis comprehenſa eſt, ut ſicut uilia pecora uenderentur, nam ſinguli Gothi ſingulis aureis uendebantur. Poſt Radagaiſum Alaricus rex Gothorũ Italiã intrauit: & ut ſuperius in geſtis Gothorum ſcriptum eſt, multa mala Romanis, cæteriſq́ inferens, apud Conſentiam mortuus eſt. Cui ſuccedens Athaulfus conſanguineus eius, quicquid ille reliquit, abraſit, & Placidiam Honorij ſororem auferens, in matrimonium accepit.

Radagaſus alijs dicitur, Vide librum 13. rerum Romanarum in Eutropio.

Gothi ut uilia pecora uenum dati.

Alaricus rex Gothorũ moritur.

Stilico quoq́ comes, qui erat de perfida & doloſa gente Vuandalorũ natus, & erat ſocer Honorij, cuius duæ filiæ, Maria & Hermantia, altera poſt alteram principi Honorio deſponſatæ ſunt, ſed utræq́ uirgines defunctæ ſunt: oblitus beneficiorum, oblitus conſanguinitatis, regno eius inhiauit, & Alemanorũ Sueuorumq́ gentes elatis pecunijs ſuper eum congregauit, quia Eucherium filium ſuum Chriſtianis ſemper à

Archadius orientalis imperator moritur.

puero inſidias molientem, cæſarem facere cogitauit, ſed Honorius congregato exercitu cum eis pugnans, utroſq; occidit. Quo anno & Archadius orientalis imperator regnans poſt obitum patris annos xiij. defunctus eſt anno ætatis xxxi. relinquens filium nomine Theodoſium, annorum viij. quem ante mortem ſuam appellauit imperatorem: qui ſuccedens patri, regnauit annos xli. cũ patruo Honorio xv. poſtea xxvi. qui fiunt xli. Huius tẽpore Claudianus & Prudentius poetę inſignes habentur.

ANNI ARCHADII.

PRimo autem anno Archadij & Honorij, qui eſt annus dominicæ incarnationis cccxcix. Iohannes hæremita obijt. Anno domini cccc. Sanctus Martinus ad ſuperna migrauit. Anno Domini ccccj. Sanctus Ambroſius carne ſolutus eſt. Anno domini ccccij. Anaſtaſius papa xli. ordinatus eſt, ſedensq; annis iij. migrauit v. kal. Maij. Anno domini cccciij. Gothi Radagaiſo & Alarico regibus Italiam prędati ſunt. Anno dñi cccciiij. Synodus Alexandriæ fit propter doctrinã Origenis. Anno dñi ccccv. Innocentius papa xlij. ordinatus, ſedit annis xv. deceſſitq; iiij. Idus Martij. Hic inſtituit ad miſſas pacis oſculum dari. Anno domini ccccvi. Anno domini ccccvij. Seuerus uitã Sancti Martini deſcribit. Anno dñi ccccviij: Iohannes Chryſoſtomus in exilio obijt. Et mors Eudoxiæ Aug. ſubſecuta eſt. Anno domini ccccix. Anno domini ccccx. Anno domini ccccxi. Archadius imperator Conſtantinopoli moritur.

Synodus Alexandriæ propter doctrinã Origenis.

Chryſoſtomus moritur in exilio. Vide hiſt. Trip. lib. 10. cap. 18.

HISTORIA.

Honorius.



ANno Dñicæ incarnationis ccccxij. urbis conditę mill. clxij. HONORIVS poſt mortem fratris cũ Theodoſio filio fratris adhuc regnans annis xv. cũ uideret Rempublicam quotidie decreſcere, elegit uirum fortem & pugnatorem Conſtantiũ comitem, & tranſmiſit eũ ad Gallias. Conſtantinus enim quidam Gallijs occupatis inuaſit imperium: cuius hoſtes duo iuuenes locupletes, Didimus & Viridianus, aſſumptis proprijs ſeruis & uernaculis, ſeſe patriamq; defenſare moliti ſunt, capientesq; filium eius Conſtantẽ, monachũ fecerunt. Quem pater ex monacho cæſarem fecit, & contra illos miſit. Sed Conſtantius ab Honorio miſſus, mox ut Galliam ingreſſus eſt, Conſtantinum apud Arelatem incluſit, & occidit, filium uero eius Conſtantem in Vienna Gerontius comes Conſtantij peremit. Quorum exitij immemores, Iouianus & Sebaſtianus itẽ in Gallijs tyrannidem moliuntur, ſed & ipſi mox interficiuntur. Heraclianus quoq; comes Africæ cum tribus millibus armatis, & Dcc. nauibus ad deprędandã Romã uenit: contra quem Marinus comes egreſſus, ſic eũ perterruit, ut cũ una tantũ naui Carthaginẽ fugeret, ubi & mox occiſus eſt. In his ergo diebus, pręcipiẽte Honorio, & adiuuante Conſtantio, firma pax omnibus catholicis eccleſijs per uniuerſam Africã reddita eſt, q̃diu pręclariſſimus magiſter eccleſię apud Hypponem regiũ florebat Auguſtinus. Inter hæc Valia rex Gothorũ pacem fecit cũ Honorio, & reddidit ei Placidiã ſororẽ ſuam, quã ipſe Conſtantio patritio qui eam reuocauerat, in matrimoniũ dedit. Honorius uero poſtq̃ cum Theodoſio fratris filio regnauit annis xv. & Rempublicam pacificatam dimiſit, Romæ mortuus eſt.

Conſtans fit monachus, Ex monacho Cæſar.

Pax Eccleſiæ Africanæ ſub Auguſtino.

ANNI HONORII.

ANno Domini ccccxiij. Anno domini ccccxiiij. Anno domini ccccxv. Alaricus rex Gothorum Romam inuaſit. Anno domini ccccxvi. Anno domini ccccxvij. Anno domini ccccxviij. Corpora ſanctorum Stephani, Nicodemi, & aliorũ reuelata ſunt. Anno domini. ccccxix. Anno domini ccccxx.

Zoſimus

Zoſimus papa xliij.ordinatus,ſedit anno uno,deceſſitq; vij.kalen. Aprilis. Hic conſtituit ut diaconus læuam tegat. Anno Domini ccccxxi. Bonifacius papa xliiij. ſedit annis.iij. menſibus octo. Anno Domini ccccxxij. Anno Domini ccccxxiij. S. Hieronymus migrauit anno uitæ xci. Anno Domini ccccxxiiij. Honorius apud Rauennam Conſtantium conſortem regni fecit. Anno Domini ccccxxv. Celeſtinus papa xlv. ſedit annis ferè ix. deceſſitq; viij. Kalen. Aprilis. Hic conſtituit Sanctus, Sanctus, Sanctus cantari. Conſtituit etiam, ut Pſalmi Dauid canerentur. Anno Domini ccccxxvi. Honorius Romę moritur, anno imperij ſui xxxi. quorũ duobus regnauit ſub patre x.iiij, cum fratre.xv. cum filio fratris Theodoſio. Faramũdus filius Marcomedis regnauit in Francia.

Paulus Oroſius preſbyter, librum ſuum hiſtoricum à conditione mundi huc uſq; perduxit. Olympias cccc. *Oroſius.*

HISTORIA.





ANno Dñicæ incarnatiõis ccccxxvij. urbis cõditę, mill. clxxviij. THEODOSIVS iunior, Archadij filius, nepos Theodoſij magni xlvij. loco ab Auguſto ſolus tenuit imperiũ, cũ antea regnaret cũ patruo Honorio annis xv. Imperauit aũt poſtea annis xxvi. qui fũt anni xli. Honorio autẽ defuncto, Iohannes quidã regnũ Occidentale inuaſit, miſitq; legationẽ ad Theodoſium Imperatorẽ, ſuſcipi deprecans. Qui legatis in carcerem truſis, Ardaburium prætorem contra eum miſit, quem ille apud Rauennam aggreſſus, incluſit. Quo Theodoſius agnito, VALENTINIANVM amitę ſuę Placidiæ, ex Conſtantio filium, Cęſarem fecit, & cum matre ſua ad recipiẽdum Occidentale regnum direxit, & Aſparem, Ardubarij filium, ante eum contra Iohannem miſit. Angelus autem Domini in habitu paſtoris apparens, deduxit Aſparẽ & qui cum eo erant, per paludẽ quæ Rauennæ adiacuit, prius inuiam, quam tunc Deus fecit peruiam, uenienteſq; Rauennam, portas inuenerunt apertas, & ingrediẽtes, tyrannum Iohannem occiderũt, Ardubarium à uinculis abſoluerunt. Valẽtinianus igitur ueniẽns Italiam, conſenſu omnium factus eſt Imperator, ideoq; ex Decreto Theodoſij Auguſtus appellatur.

Videin Eutropio lib.14. rerum Romanarum.

Aſpar Ardaburij filius.

Valentinianus fit Auguſtus.

Eodem tempore erant Gothi & aliæ gẽtes multæ ac magnæ trans Danubium, Hyperboreis locis inhabitãtes, ex quibus rationabiliores erant iiij. Gothi, Hypogothi, qui & Vuiſigothæ, Gepidæ, & Vuandali, nomen tantũ, & nihil aliud mutantes, unaq; lingua utentes, omnes autem erant fidei Arrianæ. Iſti ſub Archadio & Honorio Danubium tranſeuntes, locati ſunt in prouincijs Romanorum, & Gepidæ quidem, ex quibus poſtmodum diuiſi ſunt Longobardi & Auares, uillas quę ſunt circa Sigedonem & Sirmium habitauerunt. Vuiſigothæ uero poſt Alaricum depopulantes Romam, in Gallias abierunt, & quæ ibi ſunt, obtinuerunt. Gothi autem, qui & Oſtrogothæ Pannoniam primum habitauerunt. Deinde xix. anno imperij Theodoſij iunioris, Thraciæ uillas habitauerũt, ibiq; per lviij. annos morantes, Occidentis quoq; obtinuerunt imperium. Porrò Vuandali ſociatis ſibi Alanis, & Germanis, qui tũc Franci uocabantur, tranſeuntes Rhenũ fluuium Modigiſclo duce, habitauerũt in Hiſpania.

Gothi. *Vuandali.* *Arriani.*

Germani Franci dicti.

Eo tempore fuerunt duo prætores, Aetius & Bonifacius quos Theodoſius poſtu-
lante Valentiniano, Romam direxit. Cumq; Bonifacius principatum Africæ perce-
piſſet, ibiq; glorioſe ageret, inuidia ductus, Aetius accuſauit eum apud Placidiam ma
trem Valentiniani, ꝙ rebellationem meditaretur, cęterum Bonifacio ſcripſit, ſi accer-
ſitus fueris, accedere noli, incuſatus enim es, & doloſe uocante Imperatores. Cui cre-
dens Bonifacius, accedere diſtulit accerſitus. Tunc Imperatores Aetium quaſi deuo-
tum acceperũt, & aduerſus Bonifacium duo duces, Mauortius & Galbio miſſi ſunt,
ſed ab eo interempti ſunt. Rurſus contra eum Sigiſuualdus comes dirigitur. Bonifa-
cius uero cernens ſe Africam tenere non poſſe, transfretauit in Hiſpaniam ad Vuan-
dalos & Alanos, & cum Modigiſclus iam mortuus eſſet, filios eius Guntharium &
Auguſtinus moritur. Geiſericum ſuaſit in Africam uenire, eamq; poſſidere. Qui uenientes, totam penè Afri
cam ferro & flamma, rapiniſq; diſſipauerunt. Sub hoc turbine beatiſſimus Auguſti-
nus Hipponẽſis Epiſcopus, ne ciuitatis ſuæ ruinam cerneret, tertio menſe obſidionis
eius migrauit ad Dominum lxx. & vi. uitę annis expletis, ex quibus xl. in clericatu uel
Epiſcopatu tranſegerat. Interea quidam ſenatorum amici Bonifacij, falſam accuſa-
tionem Aetij intimauerunt Placidiæ, oſtendentes ei epiſtolam ab eodem ad Bonifa
cium ſcriptam. At illa ſtupefacta, Aetium quidem non læſit, Bonifacio uerbum uero
exhortatorium, ut ſecutus ueniret, cum iuramentis miſit. Qui ueniens, ſuſpicionem
Genſericus diſſoluit, & magiſter militum effectus, non multo poſt morbo extinctus eſt. Deinde
Imperator, Romani dederunt Vuandalis partem Africæ ad hábitandũ, facta pace cum eis. Mor-
perſequutor tuo autem Gunthario, Genſericus Alanorum & Vuandalorũ Imperator factus eſt.
Chriſtianorũ. Qui quoniam Arrianus erat, infra limites habitationis ſuæ in Africa perſecutionem
conra Chriſtianos fecit, catholicam fidem cupiens ſubuertere, multoſq; Epiſcopos
catholicos in tantum perſecutus eſt, ut priuatos Eccleſiarum ſuarum iure de ciuitati-
bus expelleret. Deinde Carthaginem ſimulata pace inuadens, omnes diuitias & or-
namenta Eccleſiaſtica abſtulit. Valentinianus autem Auguſtus, Conſtantij & Gallæ
filius ad Theodoſium conſobrinum ſuum, Conſtantinopolim profectus, filiam eius
Terræ motus Eudoxiam, quam ſibi Eudoxia genuit, in matrimonium accepit, Romamq; redijt.
Triceſimo autem anno imperij Theodoſij, terræmotus magni facti ſunt Conſtanti-
nopoli, per quatuor menſes, ita ut timentes Bizantij, extra ciuitatem in loco qui dici
tur Campus, unà cum Epiſcopo Proculo perſeuerarent, in letanijs ad Deum uociſe-
Letaniæ. rantes. Quadam ergo die terra fluctuante, & omni populo attentius kyrieleiſon cla-
mante, circa horam tertiam omnibus uidentibus, quidam adoleſcentulus in aerem
ſubleuatur, audiuitq; uocem dicentem ſibi, ut nunciaret Epiſcopo, ac populo letani-
S. Pulcheria. as facere, & ſic dicere, Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere no-
bis, nihil aliud apponentes. Quod cum fieret, terręmotus ceſſauit. Porrò beata Pul-
Terræmotus cheria, ſoror Theodoſij, unà cum fratre ſuper hoc miraculo ualde mirata, ſanxit per
Romæ. uniuerſum orbem hunc hymnum taliter decantari. Sub his ferè diebus, Roma tanto
Theodoſius terręmotu concuſſa eſt, ut plurima ædificia corruerent. Per hæc tempora rex Huno-
tributum ſol- rum Attila, dum Thracias & Illyricum deuaſtaret, coactus Theodoſius, legatione ad
uit Attilæ. eum miſſa, vi. milia librarum ei pro receſſu præbuit, & unum mille librarum, tribu-
Dotes Theo- tum annuum promiſit. Poſt hæc Theodoſius morbo conſumptus, apud Conſtanti-
doſij. nopolim obijt, anno imperij xli. Fuit autem ſapiens multum, patientia & clementia
Hic legis in li. uniuerſos præcellens. Sic enim fuit clemens, ut ſi quando aliquid dignũ morte quiſ-
14. rerũ Ro- piam cõmitteret, nõ uſq; ad portas ciuitatis moriturus perueniebat, ſed eius clemen-
manarũ, q. ſa- tia mox ſubſequens, eum reuocabat. Quem cum quidam familiarium interrogaret,
cros Codices cur nullũ ſe ledentiũ morti ſubiugaret, Vtinam, inquit, mihi eſſet poſſibile, etiã mor
& eorũ inter tuos ad uitam reuocare. Nec tamen uir iſte uitijs caruit, erat enim mobilis, omni uen
pretes plus to circundatus, unde & in chartis non perlectis ſe ſubſcribebat. Hoc autem mortuo,
quã Ptolome- beata Pulcheria, ſoror eius, nondum morte eius diuulgata. Martianum in religione
us Philadelph & pudicitia conuerſantẽ, ſenem & idoneum uirum ad ſe accerſiuit, eiq; dixit. Quo-
us ſtuduerit niam Imperator mortuus eſt, & ego te eligo tanq; beneplacentem ex omni ſenatu,
aggregare. da mihi uerbum ꝙ uirginitatem meam cuſtodias, quam Deo deuoui, & pronuncia-
Martianus bo te Imperatorem. Quod illo cum ſacramento pollicente, accerſito patriarcha Ana
fit Imperator. tholio cum omni ſenatu, pronunciauit eum Romanorũ Imperatorem. Huius tem-
pore S. Seruatius floruit.

ANNI THEODOSII,

ANno Domini ccccxxviij. Anno Domini ccccxxix. Anno Dñi ccccxxx. Anno Domini ccccxxxi. Aetius multis Francis occiſis,partē Galliæ quā poſſe derāt,recepit. Clodius Pharamundi filius regnauit in Frācia annis xx. Iſte cū iuxta mare in æſtu diei cū uxore ſediſſet,beſtia marina,tauro ſimilis,ut fertur,uxorē ad lauandū pergētem,appetijt,ſtatimq́ ſiue à beſtia,ſiue à uiro concipiens, filium peperit,qui à mari & à maculoſa facie Merouous, id eſt Merefech dictus eſt. à quo etiam poſtea reges Francorum Meroſingi, id eſt Mereiangilingi ſunt appellati. Huius filius Hildericus genuit Ludeuuicum,qui etiam Clodoueus dictus eſt. Anno Domini ccccxxxij. Caſſianus collationes patrum ſcripſit. Anno Domini ccccxxxiij. Anno Domini ccccxxxiiij. Sixtus Papa xlvi. ſedit annos viij. obijtq́ v. kalen. Aprilis. Anno Domini ccccxxxv. Anno Dñi ccccxxxvi. S. Germanus Antiſiodori Epiſcopus claruit. Anno Domini ccccxxxvij. Synodus tertia uniuerſalis cc. Epiſcoporum, ſub Sixto papa congregatur in Epheſo contra Neſtorium. Anno Domini ccccxxxviij. Anno Domini ccccxxxix. Aetius Gundicharium Burgundiorum regem uicit, petentiq́ gratiam tribuit,quem Huni poſtea peremerunt. Anno Domini ccccxl. Valentinianus filiam Theodoſij accepit. Anno Domini ccccxli. Iulianus Pelagianiſta hæreticus à Sixto Papa damnatur. Terræmotus magni facti ſunt Conſtantinopoli. Anno Domini ccccxlij. Leo Papa xlvij. ordinatur, ſedensq́ annis xvi. migrauit iiij. kalen. Iulij. Anno domini ccccxliij. Anno Domini ccccxliiij. Theodoſius bellum contra Vuandalos inutiliter mouit. Anno domini ccccxlv. Alani terram Galliæ ulterioris ui poſſident. Anno domini ccccxlvi. S. Briccius Turonorum Epiſcopus migrauit. Anno domini ccccxlvij. Euſtochius Briccio ſucceſſit. Anno domini ccccxlviij. Anno Domini ccccxlix. Bleda Hunorum rex, Attilę fratris,fraude percutitur. Anno Dñi ccccl. Anno domini ccccli. Meroueus Clodij filius regnau it in Francia annis x. Anno Domini cccclij. Theodoſius iunior Orientis Imperator, obijt anni imperij ſui xli. quorū xv. regnauit cum patruo Honorio xxvi. cum Valentiniano conſobrino ſuo.

Merouenm B. Rhenan. lib. 2 Meruuichū Germanico uocabulo nominatū fuiſſe conijcit. Eſt autē Mer idem quod Mater. Synodus Ephe ſina in qua papa Rhomanus regnum ſuum auſpicatus eſt primum.

Theodoſius moritur.

HISTORIA.

ANno Dñicæ incarnationis cccclij. ab urbe cōdita, milleſimo cciiij. MARTIANVS xlviij. loco ab Auguſto, Orientali aulæ pręficitur Imperator, & regnauit cū Valētiniano annis vij. Ceterū Valentiniani tempora, huius, uel ſuperioris imperatoris, aſcribētur curriculo. Igitur Valētinianus Occidētalis, rector imperij, pacem firmauit cū Gēſerico, diuiſa inter utroſq́ Africa. Genſericus uero dum de rerū ſucceſſu, etiam apud ſuos ſuperbiret, ualida ſuorū cōſpiratio facta eſt aduerſus eum. Qua detecta, multos ex eis per diuerſa occidit ſupplicia. Martianus autem admodum religioſus, & egentibus multa beneficia præſtans regnum quod delicati d ceſſores & prędeceſſores eius per annos ferè lx. uiciſſim imperantes, minuerant, diuina prouiſione ſic reparauit, ut exultatio ingens cunctis accreſceret. Nam cum Parthis & Vuandalis omnino regnum infeſtantibus, pacem inſtituit, Attilæ minas compeſcuit, Nomades, Blemyeſq́, ex Aethiopia prolapſos, per Florum Alexandrinæ urbis procuratorem à finibus Romanorum expulit. Inter hæc beata Pulcheria dormiuit in Chriſto, quæ multa bona fecit, & omnia ſua pauperibus dereliquit, quæ Imperator Martianus cum multa eſſent, alacriter diſpertiuit. Per hæc tempora Hunorum rex Attila Gallias deuaſtans, & Italiam irrumpere cogitans, ab Aetio & Gothorum rege Theoderico, ut in hiſtoria Gothorum ſcriptum eſt, deuincitur. Sed quia ſemper uirtus inuidiam parit, Valentinianus Imperator timens proſperos Aetij ſucceſſus, occidit eum, ſimulq́ Boetium ſenatorem nobiliſſimum. Cum quibus pariter Occidentis Imperium, ſalusq́ publicæ rei corruit, nec ultra releuari potuit. Sed Valentiniano mors Aetij non impune ceſſit, nam ſequenti anno à Strantila Aetij milite per conſilium Maximi patritij, & ipſe confoſſus interijt, anno imperij ſui xxx. ex quibus cum Theodoſio ſocero ſuo regnauit xxv. cum Martiano v. Quo mortuo, Maximus inuaſit imperium, & Eudoxię, Valentiniani uxori, ui ſociatur. Quæ nullū fore auxilium à Conſtantinopoli exiſtimans, Theodoſio patre, & Pulcheria amita defunctis, miſſa

Martianus cū Valentiniano regnat.

Curriculo, id eſt ſtatim, ad uerbiū temporis. Verg. Curriculo expulerat ſomnum.

B. Pulcheria moritur.

Valentinianus Aetium necat & Boetium.

Maximus fugiens membratim diſcerptus

Leo Pontifex, Genſericũ arcet ab incendio urbis.

Vuandali omnia uaſtant.

Paulinus epiſcopus pro redimendo filio uiduæ ſe tradit. O imitabile exemplum.

Martianus interimitur. Caput Iohannis Baptiſtæ.

ctis,miſſa legatione Genſericum ex Africa inuitauit,qui ſubito per mare cum magna multitudine Italiam intrauit,cum adhuc beatus Leo Romanum regeret pontificatum.Perculſis itaq; Romanis pro aduentu Genſerici, plurimi ex urbe fugerunt, inter quos & magni & Maximus fugiẽs,membratim à Romanis diſcerptus eſt menſe tertio tyrannidis ſuæ.Genſericus autem inueniens urbem uacuam,inuaſit eam. Cui beatus Leo papa extra portam occurrit,& diuino nutu precibus eum in tantum deleniuit,ut cum omnia poteſtati eius eſſent tradita,ab incẽdio atq; occiſione & ſupplicijs abſtineret.Per xiiij. uero dies Romam omnibus diuitijs ſuis euacuabant, multosq́; captiuos exinde auferentes, Eudoxiam quoq; quæ Genſericum ad hoc malum inuitauerat,cum duabus filiabus ſuis Africam deportabant.Hoc modo capta eſt Roma ſecundo poſtq̃; eam Alaricus inuaſit, expletis ab eo tempore annis xliiij. à cõditione ſua milleſimo ccvij.Relicta itaq; urbe, Vuandali per Campaniã diffuſi ſunt,omniaq; ferro & igne conſumunt,Capuam ciuitatem nobiliſſimam deſtruxerũt: Nolam quoq; urbem ditiſſimam & alias multas ſubuerterunt, Neapolim uero, quia erat firmiſſima,capere non ualebant,omnia tamen à foris diſſipabant. Inter has anguſtias uir ſanctiſſimus Paulinus,Nolanæ urbis Epiſcopus, expenſis pro redemptione captiuorum omnibus quæ habuit,ſeipſum pro redimendo filio uiduæ tradidit,ſicut beatus Gregorius in libro dialogorum plenius ſcribit. At Genſericus, poſtq̃; ditatus Italiæ opibus, ad Africam redijt,filiam Valentiniani principis, Traſamundo filio ſuo uxorem dedit, ex qua Hildericus natus eſt,qui quartus poſt Gẽſericum ſuper Vuandalos regnauit.Tres quippe filios Genſericus habuit,quibus ante obitum ſuum ita regnum ordinauit,ut alius poſt alium iuxta ætatis ordinem regnaret. Regnauit igitur primus poſt eum Hunericus,ſecundus Gunthemandus, tertius Traſamundus, poſt quem filius eius Hildericus quartus regnauit,qui matris monita ſequens, catholicus fuit. Martianus uero Imperator,cum apud Conſtantinopolim vij. annis regnaret facta ſuorum conſpiratione peremptus eſt. Huius tempore Iohãnes baptiſta caput ſuum iuxta Herodis quondam regis habitaculum reconditum,reuelauit duobus monachis Orientalibus, qui Hieroſolymam cauſa orationis uenerunt, quod deinceps Ediſſam Fœnicis urbem perlatum, digno cultu eſt honoratum.

ANNI MARTIANI.

Sub hoc Venetiarum origo, populis exanimatis terribiliſsimo hoſte Attila & fugientibus in extremam penè Hadriatici ſinus oram. Vide Euſebij Chronicon. Synodus Calcedonenſis.

PRimo anno MARTIANI, qui eſt à dominica incarnatione cccclij. Aetius Attilã ſuperauit. Anno Domini cccclij. Anno Domini cccclіiij. Anno Dñi cccclv. Synodus quarta quingẽtorũ xxx. Epiſcoporũ in Calcedone cõgregatur ſub Leone papa cõtra Euticẽ. Anno Dñi cccclvi. Valẽtinianus Aetiũ patritiũ occidit. Anno Dñi cccclvij. Valẽtinianus ab amicis Aetij occiditur. Anno Dñi cccclviij. Hilarius papa xlviij. ordinatur, ſedit annis vij. deceſſitq; iij. Idus Sept. Per hunc ſcripſit Victorinus Paſchalem cyclum Dxxxij. annorum. Anno Domini cccclix. Martianus Orientis Imperator occiditur.

HISTORIA.

Leo Imperator Beſsicanus



ANno Dominicæ incarnationis cccclx. urbis cõditæ milleſimo ccxi. LEO Beſſica ortus progenie, ex tribuno militũ Imperator electus, & ab Anatholio patriarcha coronatus xlix. loco ab Auguſto regnũ Oriẽtale accepit & xvi. annis tenuit. Qui deinde ſequẽti tempore filium ſuum Leonem ſocium ſibi fecit in regno, Occidentale uero imperium Maiorianus quidam accepit apud Rauennam,ſed quarto anno haud procul à Dertona ciuitate occiſus eſt. Statimq́; SEVERVS ſine iuſſu Leonis apud Rauennam Imperator efficitur, & Auguſtus appellat̃, ſed & ipſe poſt quatuor annos Romæ defunctus eſt. Poſt cu-

ius

ius mortem cõſenſu totius militiæ, Leo Imperator Anthemium diuini Martiani generum ex patritio Cæſaré faciens, Romam miſit in imperium. Sequenti anno Seruandus, qui præfectus erat in Gallia, uolens inuadere imperium, ab Anthemio in exilium miſſus eſt. Rurſus poſt annum Romanus patritius tentans fraudulenter accipere imperium, iuſſu Anthemij occiſus eſt. His temporibus Leo Imperator Zenonem generum ſuum totius Orientis magiſtrum fecit, & Baſiliſcum, fratrem Verenæ uxoris ſuæ, magiſtrum Africæ conſtituit. Leo itaq; Imperator pacem faciens cum Oſtrogothis, quibus tunc Vualamir pręerat, filius eius Dietamari filium Theodericum iam octauum ætatis annum gerentem, obſidem accepit, quem tamen poſtea patri cum honore remiſit. Per hæc tempora inter Anthemium principem, eiuſq; generum Retimerem patritium, qui tunc Mediolani præpoſitus præerat Liguriæ, magnus diſcordiarum fomes exortus eſt, quibus ſe uir ſanctitate conſpicuus Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus interponens, eos ad concordiam reuocauit. Sed quia Retimer de perfida erat gente Gothorum, pacem diſrupit, & cum manu ualida ad urbem tendens, Anthemium iam iiij. anno regnanté occidit, ſed non diu de perfidia ſua lętatus eſt, nam poſt menſem tertium excruciatus, languore interijt. Inter hæc Olibrius à Leone Auguſto miſſus, ad urbem uenit, uiuo adhuc Anthemio, regiã adeptus eſt dignitatem, Placidiã Valentiniani principis natam duxit uxorem. Qui cum vij. menſes imperium tenuiſſet, morte propria Romę defunctus eſt. Poſt cuius mortem Licerius apud Rauennam Imperator factus eſt. Sed anno ſequenti ueniens cum exercitu Nepos patritius, Nepotiani filius, Licerium expulit, ipſeq; ſumens imperium, illum in Salona ciuitate Dalmatię ordinauit Epiſcopum. Eo tempore Euricus apud Tholoſam ſuper Vuiſigothas regnauit, filius Theoderici, qui cum Aetio contra Attilam pugnans, occubuit. Leo igitur Imperator, poſtq; Orientale imperium ſedecim rexerat annis, Leonem nepotem ſuum ex Ariagne filia, Zenonis filium ordinans Imperatorem, diem clauſit extremum. Leo itaq; iunior, cum paucis menſibus rexiſſet imperiũ, manu ſua coronans genitorem ſuum Zenonem, cõſtituensq; Imperatorem, rebus exceſſit humanis. Mox Baſiliſcus magiſter Africæ, Imperator acclamatus, Marcum filium ſuum Cæſarem fecit, & Zenobiam uxorem ſuam in Auguſtam coronauit. Interea Zeno totius Orientis magiſter, cum Ariagne uxore ſua ad regiam perueniens urbem, ſuſceptus eſt à populo & ſenatu. Baſiliſcus uero fugiens ad Eccleſiam, imperiali dignitate, hoc eſt corona in menſa diuina poſita, ipſe cum uxore ſua Zenobia fugit ad baptiſterium. Zeno aũt continuo imperialem nactus dignitatem, obtinuit imperium.

Pax inter Leonem & Oſtrogothos.

Epiphanius pacificus.

Olibrius.

Baſiliſcus magiſter Africæ, Imperator acclamatus. Vide Procopium lib.3.

ANNI LEONIS.

PRimo igitur anno Leonis, qui eſt Dominicæ incarnationis cccclix. corpus ſanctę Anaſtaſiæ delatũ eſt à Sirmio, & repoſitũ eſt in templo eius in porticibus Domini. Anno Dñi cccclxi. Hildericus Meroueci filius, regnauit in Frãcia annis xxiiij. Anno Dñi. cccclxij. Hildericum inſolẽter & luxurioſe ſe agẽtem, Frãci regno deturbãt. Anno Dñi cccclxiij. Anno Dñi cccclxiiij. Anno Dñi cccclxv. Simplicius papa xlix. ſedit annis xij. migrauitq; vi. Non. Mart. Anno Dñi cccclxvi Anno Domini cccclxvij, Pictor quidam, cum ſaluatorem pingere præſumpſiſſet, ſecundum ſimilitudinem Iouis, arefacta eſt manus eius, quem peccatum ſuum confeſſum, ſanauit Gennadius Epiſcopus Conſtantinopoli. Anno Dñi cccclxviij. Translatus eſt apud Alexandriam Heliſeus Propheta in monaſterium Pauli Leproſi, qui leproſum ſanauit, & leproſum fecit, & in ea quæ leproſi erant, translatus eſt. Anno Domini cccclxix. Mammerius Viennenſis Epiſcopus, qui letanias ante Aſcenſionem Domini inſtituit, claruit. Anno Domini cccclxx. Baſina regina Thuringorum repudiato Hilderico, quæ potentior & ditior fuit in coniugio ſe iunxit. Verum in prima nocte dixit ei: Mi domine ne concumbas mecum, donec in ſomnis aliquid tibi uideas pro futurum. Ille conſentiens, uidet in ſomnis leonem in palatio deambulare, quod interpretata eſt fortem ſe filium generare. Quod et factum eſt. Nam Clodoueum uirũ potentiſſimum genuit. Anno Domini cccclxxi. Anno Domini cccclxxij. Anno Domini cccclxxiij. Anno Domini cccclxxiiij. Anno Domini cccclxxv. Leo ſenior obijt, pro quo Leo iunior paucis menſibus regnauit.

Vindicta Dei in pictorem blaſphemum.

Clodoueus.

HISTO



ANno Dominicę incarnationis cccclxxvi ab urbe condita, milleſimo ccxxvij. ZENO genere Iſaurus, gener Leonis Imperatoris, quinquageſimo loco ab Auguſto adeptus imperium Oriẽtale, regnauit annis xvi. Occidentale uero imperiũ Romæ tenuit Nepos. Quem Oreſtes patritius de regno protur-

Auguſtulus fit Imperator.

bans, Auguſtulum filium ſuũ Imperatorem fecit, ſequentiq́ anno cum rege Vuandalorũ Genſerico fœdus ſtatuit. Dum hæc Romæ geruntur, Oedoacer genere Rugus, Thurcilingorum & Scyrorũ Herulorumq́ turbis fretus, ab extremis Pannoniæ finibus Italiã contendit.

Seuerinus.

Qui dũ adhuc per Noricorũ rura duceret exercitum, cognita fama ſerui Dei Seuerini, qui illis tunc degebat in locis, ad eum benedictionem petiturus acceſsit. Qui benedictione percepta, egrediensq́ à cellula, dum caput inclinaret ne impingeret, eò q̄ proceræ ſtaturæ eſſet, à Dei uiro futurorum pręſcio audiuit: Vade nunc ad Italiam Oedoacer, uade uiliſsimis interim animantium pellibus indutus, multis cito plura largiturus. Hæc uerba exitus uera probauit, nam poſtmodum per omnem Italiam regnauit. Ingreſſo igitur Italiam Oedoacere, ſtatim apud Ligurię terminos Oreſtes patritius occurrit. Sed uidens multitudini tantæ ſe non poſſe reſiſtere, intra Ticinum, quæ nunc

Oreſtes interimitur à Oedoacere.

Papia dicitur, ſe trepidus incluſit. Veniens autem Oedoacer, expugnatam urbem intrauit, omnia rapinis uaſtauit, comprẹhenſumq́ Oreſtem, gladio trucidauit, indeq́ diſperſit: Barbari omnem Italiam ſine tarditate ſuo ſubdiderunt iuri. Oedoacer itaq́ proſperos ſibi cernens ſucceſſus accreſcere, ſtatim regiam arripuit dignitatem. Auguſtulus uero cernens uniuerſam Italiam Oedoaceris uiribus ſubdi, inopinabili metu perterritus, cum uix xi. menſibus rem publicam obtinuiſſet, ſponte purpuram miſerabilis abiecit, & imperialem maieſtatem depoſuit. Ita Romanũ imperium toto orbe uenerandum, & Auguſtalis illa ſublimitas, quæ ab Auguſto quondam Octauiano, Dccix. à condita urbe anno cœpit, in hoc Auguſtulo periit, anno ab urbe cõdita, milleſimo ccxxvij. A Cæſare uero, qui primus ſingularem in ea principatum arripuit, anno Dxxiiij. ab incarnatione Domini anno cccclxxvij. Igitur deiecto Auguſtulo, Oedoacer urbem ingreſſus, totius Italiæ regnum adeptus eſt, quod per xiiij. annos nullo inquietante obtinuit, donec Theodericus rex Oſtrogotharum permittente Zenone Auguſto Italiam poſſeſſurus, intrauit. Quod qualiter fit actum, ſuperius legi poteſt in hiſtoria Gothorum. Zeno itaq́ Auguſtus, dum præfuiſſet Orientali regno an-

Anaſtaſius Silentiarius.

nis xvij. uitæ terminum accepit. Cuius frater Longinus imperium tentans inuadere, ab Ariagne repulſus eſt, & Anaſtaſius Silentiarius per eius ſuaſum ab omni ſenatu & populo eligitur, indutusq́ purpura, eandem Ariagnem in coniugio ſortitur.

ANNI ZENONIS.

Allobroges Burgundi.

ANno Domini cccclxxvij. Fœlix papa I. ſedit annis viij. Anno Dñi cccclxxviij. Oedoacer Italiam intrauit. Anno Dñi cccclxxix. Corpus Barnabæ Apoſtoli, & Euangelium Matthæi Apoſtoli, ſtylo ipſius ſcriptum, inuentum eſt. Clodoueus Rothildem filiã regis Allobrogum, qui nunc Burgundi appellantur, amans, cum propter inſidias inimicorum aperte non poſſet, occulte per Aurelianũ fidelem ſuum ſub habitu peregrini annulum mittens, eam deſponſauit. Sed cum finibus Burgundiæ appropinquaret, his qui eam ducebant perſuaſit, ut ex utraq́ parte xij. miliaria incenderent, depredarent, quatenus uel unam uindictam conſpiceret, de his qui ſibi patrem occiderant, matrem ſaxo ad collum ligato aqua ſubmerſerant, fratres exiliauerant, Sigiſmundum regem, patruelem ſuum, cum uxore & filijs in puteum proiecerant. Quod factum eſt. Hunc S. Remigius baptizauit. xxx. annis regnauit. Anno

Domini

domini cccclxxx. Anno domini cccclxxxi. Anno domini cccclxxxij. Anno domini ccccl xxxiij. Anno domini ccccl xxxiiij. Anno dñi ccccl xxxv. Gelaſius papa li. ſedit annis iiij. menſibus viij. obijt xiij. kalen. Decembr. Anno domini ccccl xxxvi. Hunericus rex Vuandalorum, filius Genſerici, plus quàm cccxxxiiij. epiſcopos catholicos exiliauit: quibuſdam linguas abſcidit, qui tamen loquebantur, quorum beatus Gregorius in libro Dialogorum meminit. Anno domini ccccl xxxvij. Anno domini ccccl xxxviij. Anno domini ccccl xxxix. Auitus Vienenſis epiſcopus Gallias conuertit. Anno domini ccccxc. Anaſtaſius papa lij. ſedit anno uno, menſibus decem. Anno domini ccccxci. Anno domini ccccxcij. Symmachus papa liij. ſedit annis xiiij.

Exilium 334 epiſcoporum ſub Hunerico

HISTORIA.

ANno Dominicæ incarnationis ccccxciij. urbis autem conditæ milleſimo ccxliij. ANASTASIVS imperium accepit, & xxvij. annis regnauit, li. loco ab Auguſto. Theodericus uero cum Gothis Romano præſedit imperio. Hic Arrianus, ille Eutitianus hæreticus. His temporibus magna diſcordia facta eſt Romæ, propter Symmachum & Laurentium: quibuſdam eligentibus Laurentium præter conſuetudinem Romanorũ, alijs uero ſanioris conſilij Symmachum diaconum. Pro qua cauſa facta ſunt multa homicidia Romę ciuium Romanorum, clericorum etiam & ſacerdotum, per tres circiter annos, uſq; quo Theodericus princeps Romam uenit: qui quamuis Arrianus eſſet, habita tamen Synodo, Symmachum epiſcopum Romæ firmauit: Laurentium uero in ciuitate Nucerina epiſcopum locari præcepit. Qui tamen nullo pacto quieſcens, ſed ſeditiones commouens, à Symmacho deponitur, & in exilium Dalmatiam mittitur. Eodem tempore Traſamundus Genſerici filius, qui iam ſuper Vuandalos regnauit, ſecutus patris & fratris perfidiam, eccleſias Dei clauſit, & ccxx. epiſcopos in Sardiniam exiliauit, quibus beatus Symmachus papa quotidiana ſubſidia miniſtrauit. Inter has tempeſtates beatus Fulgentius epiſcopus in confeſſione fidei & ſcientia claruit. His ipſis diebus apud Africam dum Arrianus quidam, Olympius nomine, in balneo lauaretur, & indigna quædam & blaſphema uerba de ſanctæ Trinitatis fide loqueretur, ſubito igneus gladius de cœlo uenit, eumq; percuſſit. Deuterius autem epiſcopus Arrianorum baptizans quendam Bizantij, nomine Barbam, dum contra regulam fidei minorem patre filium & ſpiritũ ſanctum aſſerens, diceret: Baptizo te Barbas in nomine patris per filium in ſpiritu ſancto, ſubito aqua in qua baptizare debuit, nusquam comparuit. Quod uidens qui baptizandus erat, confeſtim ad accleſiam catholicam properauit, & iuxta morem rectæ fidei baptiſmum accepit.

Diſcordia Romæ propter Symmachum & Laurentiũ

Traſamundus

Fulgentius.

Olympius blaſphemus.

Hiſdem temporibus Alamundaro principe Sarracenorum baptizato, uenerunt ad eum duo epiſcopi Arriani, ſuadentes ei, ut ſuæ ſectæ conſentiret. Qui ab orthodoxis baptizatus & inſtructus, memorabiliter eos redarguit, huiuſcemodi fabula. Ait enim: Literas accepi hodie, quia Michael Archangelus mortuus eſt. Illis uero dicentibus, hoc impoſſibile fore, ait princeps: Et quomodo Chriſtus ſecundum uos uiuus crucifixus eſt, niſi naturarum eſſet duarum, quandoquidem nec Angelus mortuus eſt? Et ita confuſione receſſerunt epiſcopi. Huius Anaſtaſij temporibus Clodoueus in Francia regnauit, qui & Alaricum regem Gothorum interfecit, & ab eodem Anaſtaſio epiſtolas pro conſulatus dignitate accepit.

Literæ de morte Michaelis Archangeli.

Hormiſda papa Fruſinoninus.

Anaſtaſius itaq; dum in hæreſi qua dilapſus fuerat, perſeueraret, Hormiſda papa Symmachi ſucceſſor miſit ad eum Eunodium Ticinenſem epiſcopum cum alijs catholicis, ut eum reducerent ad regulam fidei catholicæ. Sed ille non ſolum monita eorum ſalubria ſpreuit, uerum etiam à conſpectibus ſuis non ſine iniuria expulit, nauiq; ueteri fragiliq; impoſitos, ne uſpiam per totam Græciam ciuitatem ullam intrarent, præcepit. Quam eius impiam temeritatẽ diuina mox ultio ſubſecuta eſt. Nam cum xxvij. imperij ageret annum, mortuus eſt. Quidam uero aiunt, quod fulmine percuſſus ſit.

ANNI ANASTASII.

Anno domini ccccxciij. Anno domini ccccxciiij. Anno domini ccccxcv. Theodericus Odoacarem interemit, & ipſe occidentis regnum xxx. & uno annis tenuit. Anno Domini ccccxcvi. Anno domini ccccxcvij. Anno domini ccccxcviij. Traſemundus rex Vuandalorum, filius Genſerici, catholicas eccleſias clauſit, & ccxx. epiſcopos in exilium miſit. Anno domini ccccxcix. Anno domini quingenteſimo. Anno domini Di. Anno domini Dij. Anno domini Diij. Boetius conſul Romæ plurima ingenij ſui monimenta ſcribendo reliquit. Anno domini Diiij. Anno domini Dv. Theodericus Romam uenit, & multa miranda ædificia in ea conſtruxit. Anno domini Dvi. Hormiſda papa liiij. ſedit annis ix. deceſſitq; viij. Idus Auguſti. Anno domini Dvij. Anno domini Dviij. Anno domini Dix. Anno domini Dx. Anno domini Dxi. Genofeua uirgo Pariſienſis octogenaria migrat ad Deum. Anno domini Dxij. Anno domini Dxiij. Clodoueus rex obijt, relinquens quatuor filios, hæredes regni. Anno domini Dxiiij. Lotharius Clodouei filius regnauit annis li. Anno domini Dxv. Iohannes papa lv. ſedit annis duobus, menſibus ix. Anno domini Dxvi. Theodericus filiam ſuam Amalſuindam dedit Eutharico. Anno domini Dxvij. Anno dñi Dxviij. Felix papa lvi. ſedit annis iiij. tranſijtq; xi. kal. Ian.

HISTORIA.



Iuſtinus. Anno Dominicæ incarnationis, Dxix. urbis conditæ mill. cclxx. IVSTINVS genere Illyricus, uir catholicus & ſenior, multúq; peritus comes excubitorũ à militibus proficiens ad ſenatũ, lij. loco ab Auguſto ſenatus electione accepit imperiũ: regnauitq; annis viij. Ad hunc, ob cauſam redintegrandæ fidei directus à Romano præſule uir ſancti-
Germanus tate precipuus Germanus Capuanæ urbis epiſcopus, digne ab eo eſt ſuſceptus: multorũq; corda dubia in fide ſolidauit. Eo tẽpore mortuo apud Africam Traſemundo rege Vuandalorum, Hildericus filius eius ex Eudoxia captiua Valentiniani filia regnũ ſuſcepit: qui non patrem auumq; Arrianos, ſed matrẽ catholicam ſequutus, rectæ fidei cultor ex-
Hildericus epiſcopos reuocat de exilio. titit. Hic uniuerſos epiſcopos qui in exilio erant, regredi fecit, eiſq; eccleſias reformare præcepit, quæ à Genſerico uſq; ad Hildericum per lxx. annos fuerant deſtructæ. Iuſtinianus quoq; Auguſtus ſexto imperij ſui anno pro ardore catholicæ fidei decertabat hæreticos diſſipare, præcepitq; ut ubiq; illorum eccleſias catholici epiſcopi conſecra-
Iuſtinianus cõtra hæreticos. rent. Quod audiens Theodericus, qui & ipſe fuit Arrianus, miſit Iohannem tunc temporis papam, ad Iuſtinum, ut aut hæreticis eccleſias ſuas redderet, aut ipſe totius Italiæ populum gladio feriret. Quo abeunte, ipſe interim Symmachum patritium, &
Symmachus et Boetius interempti. Boetium ſenatorem, gladio peremit, redeuntemq; papam fame interfecit. Vnde diuinæ iudicio uindictę, xcix. dehinc die ſubitanea morte interijt. Iuſtinus uero Auguſtus cum iam octauo anno Auguſtalem dignitatem teneret, menſe Aprili indictione quarta ęgrotare incipiens, prouexit dum adhuc uiueret, in imperium Iuſtinianum ſororis ſuæ filiũ, qui & coimperauit menſibus quatuor: menſe uero Auguſto ipſe apud Conſtantinopolim rebus exceſſit humanis.

ANNI IVSTINI.

Hic anno regni ſui primo Amantium prępoſitum palatij, & alios, regno ſuo inhiantes, interfecit. Anno domini. Dxx. Anno domini Dxxi. Anno domini Dxxij. Bonifacius papa lvij. ſedit annis ij. Año domini Dxxiij. Anno domini Dxxiiij. Iohannes qui & Mercurius, papa lviij, ſedit annis ij. deceſ-
Iohannes, qui et Mercurius cæcum illuminat. ſitq; v. kal. Iun. Hic miſſus Conſtantinopolim ad Iuſtinum à Theoderico, cum ue-

niſſet

niſſet ad portam auream, cęcū illuminauit. Anno domini Dxxv. Theodericus rex Boetium & Symmachum gladio trucidauit, Iohannem papam fame in carcere necauit, ipſeq́ xcix. die interijt. Anno domini Dxxvi. Iuſtinus Iuſtinianum regni conſortem & ſucceſſorem faciens, obijt. Agapitus papa lix. ſedit annos decem, obijt x. kalen. Maij.

HISTORIA.



Anno ab incarnatione domini D. xxvij. ab urbe condita milleſimo cclxxviij. IVSTINIANVS, filius ſororis Iuſtini imperatoris, quinquageſimo quarto loco ab Auguſto imperium ſolus obtinuit, & xxviij. annos regnauit. Hic mox ut imperialia iura ſuſcepit, ad reparandū reipublicæ ſtatū animum intendit, ac primū Beliſarium patritiū ingētem uirum cōtra Perſas, qui Romanos fines inuaſerāt, direxit, qui de illis uiriliter triumphauit. Interea rex Herulorū, Gethes nomine, cum populo ſuo Conſtātinopolim uenit, petens ut baptizaretur. Quē in Epiphania baptizatum, imperator de fonte ſuſcepit, promittentem ei ſe in omnibus auxiliari. Eodem anno adhæſit Romanis mulier quædam ex Hunis, uidua, habens ſecum Hunorum centum millia. Tunc & rex Hunorum qui ſunt iuxta Boſphorum, nomine Gorda, acceſſit ad imperatorē, & factus Chriſtianus, ſuſceptus eſt ab eo: multisq́ ei præſtitis donis, miſit eum in regionem ipſius, ad Romanas res cuſtodiendas, & Boſphorum ciuitatem: quę pro eo Boſphorus eſt dicta, quòd Romanis per ſingulos annos boues pro pecunijs inferebat. Renouauit imperator leges, faciens codicem ſingularem, & uocans eum nouellas conſtitutiones. Eodem anno paſſa eſt Antiochia terræmotus magnos & tempeſtates, & faciebant letanias omnes diſcalciati, clamantes κύριε ἐλέησον. Apparuit autem in uiſu cuidā Dei cultori, ut diceret omnibus, quod ſcriberent in ſuperliminaribus ſuis: CHRISTVS NOBISCVM, STATE. Quo facto, ſtetit ira Dei. Interea Athalaricus nepos Theoderici, rex Gothorum, cum paucis annis regnaret, immatura morte præuentus eſt. Cuius mater Amalſuinda Theodatum conſobrinū ſuum ſibi aſciuit in regnū: Sed poſt dies aliquot iſdem immemor collati beneficij, eam in balneo ſtrangulari præcepit. Quia uero ipſa dum uiueret, ſe ſuumq́ filium principi cōmendauerat, audita eius morte imperator graui exarſit iracundia in Theodatum. Quod ille ſentiens, Agapitum papam interceſſorem miſit Conſtantinopolim. Qui cū ueniſſet, & colloquium cum imperatore habere cœpiſſet, repperit eum in Euticetis dogma corruiſſe. Quo ad fidei regulam reuocato, idem Agapitus papa Anthimum Conſtantinopolitanum epiſcopum, qui eandem hæreſim defendebat, publice conuicit, eumq́ communione priuauit, & ut eundem in exilium mitteret, imperatori perſuaſit. Hoc facto, non multo poſt idem pontifex Agapitus ibi defunctus eſt. Interea cum iam per multos annos Vuandali Africam tenerent, miſit imperator Beliſarium patritium cum exercitu contra eos. Qui ueniens, tribusq́ menſibus, id eſt, à kalendis Septembris, uſq; ad kalendas Decembris, eos impugnans, multis occiſis, tandem eos uicit. Carthangiem intrauit, regem Vuandalorum Geliſmerem uiuum cepit, omnemq́ Africam poſt xcvi. ānos à Vuandalico iure liberatam, Romano imperio ſubiecit. Deinde contra Theodatum miſſus, cum ueniret Siciliam, Theodato interfecto, Vuitigis regnum eius inuaſit, ſed eundem captum Beliſarius Conſtantinopolim perduxit. Alia quoq; prælia multa Beliſarius commiſit, multasq́ gentes bellando deuicit: unde & propter multas uictorias diuerſa agnomina meruit, ita ut uocaretur Alemannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Alanicus, Vuandalicus, Africanus. Magnam quoq; gloriam & honorem apud imperatorem & omnes opti-

Iuſtinianus ſolus imperat.

Beliſarius mittitur contra Perſas.

Gethes rex Herulorum baptizatur.

Gorda fit Chriſtianus.

Boſphorus à bobus dicta.

Nouellæ conſtitutiones Iuſtiniani.

Agapitus pontifex moritur.

Beliſarius pugnat contra Vuandalos.

Prælia Beliſarij & agnomina.

Beliſarius Theodoræ Auguſtæ gratia exiliat Siluerium.

mates obtinuit. Qui cum Romæ moraretur, Theodora Auguſta ei commendauit, ut Siluerium papam falſorum teſtium accuſatione conuictum truderet in exilium, eo quòd Antimum hæreticum Conſtantinopolitanum epiſcopum, quem Agapitus papa excommunicauit, abſoluere noluiſſet. Quod Beliſarius, licet nolens, effecit, eumꝗ ad Pontianam inſulam exiliauit, ubi & obijt. Similiter & Vigilius papa ſucceſſor eius cauſa eiuſdem indignationis per Anthimum Scribonem Conſtantinopolim ductus, inde in exilium eſt miſſus. Sub hoc papa Vigilio Arator ſubdiaconus Romæ floruit, actusꝗ Apoſtolorum uerſibus ſcripſit. His quoꝗ temporibus Caſſiodorus Romæ tam ſeculari, quàm diuina ſcientia claruit: qui inter alia bona quæ ſcripſit, Pſalmorum ſecreta optime interpretatus eſt. Iſte antea conſul fuit, deinde ſenator, ad ultimum monachus. Hoc etiam tempore Dionyſius abbas in Romana urbe poſitus cyclos paſchales ſapienter compoſuit: ſed & Priſcianus Cæſarienſis profundum grãmaticæ inquiſiuit. Felix quoꝗ Taruiſianæ eccleſiæ præſul, & Fortunatus, condiſcipulus eius, fuerunt. Hic Fortunatus fuit de loco qui dicitur Duplabilis, non longe à Taruiſio, Grammaticam uero & Rhetoricam didicit apud Rauennam. Qui cum dolorẽ pateretur oculorum, ſimulꝗ ſocius eius Fœlix, abierunt ambo ad Eccleſiam ſanctorũ Iohannis & Pauli, quæ in eadem ciuitate Rauenna, in qua eſt & altare ſancti Martini iuxta quod feneſtra eſt, in qua lucerna poni ſolebat, de cuius oleo ſuper oculos ſuos poſuerunt, & ſanitatem receperunt. Pro qua cauſa Fortunatus beatum Martinum in tantum dilexit, ut patriam dimittens, ad ſepulchrum eius Turonem ueniret, antequã Longobardi Italiam intrarent: indeꝗ Pictauium tendens, ibiꝗ manens, multas paſſiones ſanctorum, alias per uerſus, alias per proſas compoſuit, ibiꝗ primum præsbyter, poſtea epiſcopus factus eſt.

Arator. *Caſſiodorus* *Dionyſij abbatis Cycli.* *Fortunatus.*

S. Benedictus abbas. *Hiſtoria Longobardorum.*

Iiſdem temporibus ſanctus pater Benedictus poſt hæremiticam uitam quam duxit, in loco cui Sublatus uocabulum eſt, in monte Caſſino, doctrina & miraculis claruit. Quo cum primum tenderet, relicta priore habitatione, ex diuina iuſſione tres corui quos quotidie nutriebat, prope ipſum ſemper uolando ſecuti ſunt eum, ut in Longobardorum hiſtoria ſcribitur. Cumꝗ ueniret ad quoddam biuium, duo Angeli apparebant ei in ſpecie duorum iuuenum, oſtendentes ei, per quam uiam ire deberet. In loco autem ipſo quidam Dei ſeruus habitabat, cui uox de cœlo dicebat: His tu parce locis, alter amicus adeſt. Quod apertius dicitur: Amice, exi de loco iſto, quia alter amicus debet hic habitare. Veniens autem ſanctus Benedictus in ſummitatem montis, in magna ſe conſtrinxit abſtinentia: factoꝗ monaſterio, habitauit ibi, ſicut in dialogo legitur.

Audoin. *Alboin.*

Hoc eodem tempore gens Longobardorum, amica tunc Romano populo, in Pannonia habitabat, cui tunc in regni gubernaculo Audoin præerat, omniꝗ tempore quo Longobardi in Pannonia habitabant, Romanæ Reipublicæ aduerſus æmulos adiutores erant. Vnde & Alboin Audoin filius rogatus à Narſete, quem Iuſtinianus exarchum Italiæ fecit, & in defenſionem Romanorum contra Totilam Gothorum regem direxit, ualidam ei manum in auxilium miſit, qua fretus Narſes, Totilam uicit, omnemꝗ Italiam à poteſtate Gothorum liberam deinceps fecit. Beliſarius autem patritius accuſatus apud imperatorem, quòd aduerſus eum conſpiraſſet, ablatis omnibus, miſſus eſt in cuſtodiam: ſed poſt non multũ tempus dimiſſus, omnia recepit. Iuſtinianus uero imperator poſtquam xxxviij. annis regnauit, rebus humanis exceſſit.

Vide de geſtis Rom. li. 16. in Eutropio.

ANNI IVSTINIANI.

Biliſarius.

PRimo huius anno miſſus contra Perſas Biliſarius patritius magnis eos prælijs fudit, & ex uoluntate principis Conſtantinopolim triumphans intrauit. Anno domini Dxxviij. Terræmotus magnus Antiochiæ factus eſt. Anno domini Dxxix. Iuſtinianus ſententiam promulgauit, ne militarent Pagani uel Hæretici, dans illis menſes ad inducias conuerſionis. Anno domini Dxxx. Anno domini Dxxxi. Anno domini Dxxxij. Dionyſius abbas Romanus paſchales cyclos ab hoc inchoauit anno. Anno domini Dxxxiij. Anno domini Dxxxiiij.

in Pompeiopoli Myſiæ ciuitate,ſciſſa eſt terra à terræmotu, & obrutum eſt medium ciuitatis cum habitatoribus,& uoces eorum auditæ ſunt deſubtus terra clamantium, ut ſibi ſuccurreretur:& imperator ad educendos eos multa donauit,uiuentesq; liberaliter liberauit. Eodem anno tradidit Iuſtinianus ad pſallendũ Eccleſiæ illud quod canitur, Vnigenitus filius & uerbum Dei. Anno domini Dxxxv. Anno dñi Dxxxvi. Siluerius,papa lx.ſedit annos duos,obijt xij.kalen.Iulij. Anno domini Dxxxvij. Thedericus filius Clodouei,frater Lotharij,obijt anno regni ſui xxiij.relinquens filium Theodebertum. Anno domini Dxxxviij. Vigilius, papa lxi. ſedit annos xiiij. Anno domini Dxxxix. Mundus quidam ex genere Gepidarum,ſociatus eſt Romanis. Anno domini Dxl. Anno domini Dxli. Hypapante domini ſumpſit initium, ut celebraretur apud Bizantium,cum eſſet eo anno ibi magna mortalitas. Anno domini Dxlij. Anno domini Dxliij. Factus eſt terræmotus magnus in uniuerſo mundo. Eodemq; anno apparuit quidam ex regione Italorum,nomine Andreas, per uillas diſcurrens habens canem ruffum & cæcum, qui iuſſus ab eo fecit miranda. Cum enim ſtaret in foro,& turba in circuitu adeſſet, clam eodem cane deferebantur annuli aurei, & argentei,ac ferrei, & ponebantur in terra,quos ille cooperiebat: ipſoq; præcipiente, canis tollebat, & unicuiq; ſuum dabat. Similiter & diuerſorum imperatorum numiſmata mixta porrigebat per nomina. Turba enim aſtante, interrogatus oſtendebat, in utero habentes fornicarios & adulteros,auaros & magnanimos, & quicquid de ſingulis interrogabat,cum ueritate demonſtrabat. Vnde dicebant quidam,quod ſpiritum Phitonis haberet. Anno domini Dxliiij. Diffuſum eſt mare per Thracen milia iiij. Corpus ſancti Antonij repertum, Alexandriæ reconditur. Anno domini Dxlv Anno domini Dxlvi. Theodora Auguſta defuncta eſt. Arator ſubdiaconus librum ſuum publice coram Vigilio papa legit.

Terræmotus.

Hypapante 2. die Februarij. Sic dixerũt feſtum Purificationis à uoce Græca ἀπαντάω, id eſt, obuio: nam Simeon obuius puero Ieſu & parentibus. Luc. 2. De Febru̇is uide Blondũ lib. 2. Triumph. Rom.

Canis ruffus mirabilis.

His temporibus Caſſiodorus Romæ floruit,& apud Conſtantinopolim Priſcianus Cæſarienſis Iuliano conſuli librum ſuum de arte grammatica obtulit. Anno domini Dxlvij. Quinta Synodus uniuerſalis in Conſtnatinopoli congregata eſt ſub Vigilio papa,contra Theodorum & omnes hæreticos. Anno domini Dxlviij. Anno domini Dxlix. Facta ſunt Encœnia ſanctorum Apoſtolorum Conſtantinopoli, menſe Iunio,& recondita ſunt Lipſana Andreæ & Lucæ ac Timothei Apoſtolorum & tranſijt Menas epiſcopus cum ſanctis lipſanis,ſedens in carruca imperatoris aurea & gemmata,tenens tres thecas ſanctorum Apoſtolorum in genibus ſuis, & ita celebrauit Encœnia. Anno domini Dl. Anno domini Dli. Victor Capuanus epiſcopus librum de Paſcha ſcribens, Victorini redarguit errores. Theodebertus filius Theoderici filij Clodouei, obijt anno regni ſui xiiij.cuius filius Theodobaldus fuit. Anno domini Dlij. Pelagius papa lxij.ſedit annis xij. Anno domini Dliij. Terræmotus terribilis factus Conſtantinopoli,& in urbibus circunquaq; poſitis per dies quadraginta. Anno domini Dlv. Apparuit ignis in cœlo quaſi ſpecies lanceæ. Anno domini Dlvi. Sanctus Medardus obijt. Anno domini Dlvij. Radegundis regina uxor quondam Lotharij regis ſanctitate claruit. Anno domini Dlviij. Gregorius ex prætore urbano monachus Romæ floret. Anno domini Dlix. Theobaldus filius Theoderici obijt,anno regni ix. Anno dñi Dlx. Anno domini Dlxi. Anno domini Dlxij. Anno domini Dlxiij. Hilpericus Lotharij filius regnare cœpit. Anno domini Dlxiiij. Iohãnes papa lxiij.ſedit annis xiij, Iuſtinianus imperator obijt. Lotharius filius Clodouei rex Francorum obijt anno regni ſui quinquageſimo primo,relinquens quatuor filios.

V. Synodus uniuerſalis Conſtantinopoli.

Encœnia.

Lipſana.

Hucuſq; Iordanis epiſcopus Chronicam ſuam perduxit ab Adam.

Iornandis ſiue Iordanus monachus ſcripſit librum de ſumma temporum, quem habes apud Procopium.

HISTORIA.

ANno Dominicæ incarnationis Dlxv. urbis autem conditæ milleſimo cccxvi. IVSTINVS Minor, Iuſtiniani nepos, genere Thrax, liiij. loco ab Auguſto monarchiam accepit,& xij annis regnauit, habens uxorem nomine Sophiam, quam coronauit Auguſtam, coronatus & ipſe ab Euthichio patriarcha. Hic cum eſſet pius & orthodoxus, adornauit eccleſias quas

Iuſtinus.

Sophia Auguſta.

Photimus pacificator Eccleſiarum.



Iuſtinianus ædificauit, dans eis theſauros & omnem redditum, miſitq́ Photimum monachum priuignum Beliſarij patritij, dans ei poteſtatem cõtra omnem perſonam & cauſam, ut pacificaret uniuerſas Eccleſias Aegypti, & Alexandriæ. Fuit autem, ut dictum eſt, in initio bonus, poſtea uero in omnem auaritiam incidit, factus exemptor pauperum, ſpoliator ſenatorum, faciens arcas ferreas, in quibus quæcunq; rapiebat auri talenta, reconderet. Huius anno octauo rupta eſt pax inter Romanos & Perſas, eò quòd Homeritæ Indi legationem miſerint ad Romanos, & imperator miſerit Iulianum magiſtrum cum epiſtola ad Archetam regem Indorum. Qui ſuſceptus eſt cum gaudio multo ab Archeta rege, appetente nimirum amicitiam imperatoris Romanorum. Enarrabat autem idem Iulianus cum rediſſet, quòd idem Archeta rex, quando eum ſuſcepit, nudus eſſet, habens in lumbis cincturam, & linea ueſtimenta auro contexta: circa uentrem uero portabat indumenta ſciſſa, margaritis precioſis conferta: habens in brachijs quinos circulos, & aureas armillas in manibus ſuis: in capite autem pannum gemmatum, habentem ex utroq; ligamento plectas quatuor, & in collo torquem aureum: & ſtabat ſuper quatuor elephantes ſtantes & habentes iugum, & rotas quatuor, & ſuperius currum uelatum petalis aureis, ut ſunt principum currus: ſtansq́ ipſe deſuper, ferebat ſcutum paruiſſimum deauratum, & duas lanceolas aureas: & Senatus eius omnis erat cum armis, canentes modulationes muſicas. Introductus ergo legatus Romanorũ, cum adoraſſet, iuſſus eſt ab eo erigi, & adduci ad ſe. Cum autem accepiſſet imperatoris ſacram, oſculatus eſt ſignaculum quod habebat imperatoris pectuſculum: ſuſceptis autem & donis, gauiſus eſt ualde. Porro cum legiſſet epiſtolam, inuenit ut ſe armaret contra regem Perſarum, & eius regnum uaſtaret. Quod protinus fecit, tenensq́ caput Iuliani, dedit ei pacis oſculum, dimiſitq́ eum in magna beneuolentia, multisq́ muneribus.

Pax rũpitur inter Romanos & Perſas

Archetæ regis Aethyopũ cultus.

Senatus muſicus.

Lib. 16. rerum Romanarum cum legiſſet ſacram.

His temporibus Narſes cartularius quondam imperatoris Iuſtiniani, ſed pro bono ſeruitio factus patritius, Totilam regem Gothorum auxiliantibus Longobardis Romanorum tunc amicis, ſed adhuc in Pannonia poſitis, occidit, gentemq́ Gothorum de Italia exterminauit.

Narſes cartularius.

Idem etiam Narſes Bucellinum ducem Francorum à Theoderico rege miſſum ad deuaſtandam Italiam, occidit: & Sindoaldum regem Brendorum, qui remanſerat de generatione Herulorum, quos Odoacer duxit in Italiam, apprehendit, & in alta trabe ſuſpendit, totamq́ Italiam ab hoſtibus liberam reddidit. Erat enim uir ſapientiſſimus, in fide Chriſti catholicus, in pauperes largus, recuperator Eccleſiarum, in uigilijs & orationibus aſſiduus, in tantum, ut uictoriam magis obtineret oratione, quàm armis.

Narſes Bucellinum celſa de trabe ſuſpẽdit

Laus Narſetis

His temporibus facta eſt magna mortalitas in Italia, incipiens à Liguria, ita ut pene deſtitueretur habitatoribus terra illa. Inter hęc mortuus eſt Iuſtinianus, & ſucceſſit Iuſtinus.

Mortalitas in Italia.

Narſes autem patritius, cum ſuperata gente Gothorum Italiam ſecurus iam teneret, Romani per inuidiam accuſationem aduerſus eum direxerunt, Iuſtiniano Auguſto & Sophię uxori eius, dicentes: Melius eſſet nobis ſeruire Gothis, quàm Græcis, ubi Narſes caſtratus imperat, & nos ſeruitio præmit, & noſter ſanctiſſimus princeps hoc neſcit. Aut libera nos de manu eius, aut certe ciuitatem Romanam & noſmetipſos Gentibus trademus. Audiens hoc Narſes, ſcripſit ad Auguſtum dicens: Si male feci cum Romanis, male inueniam. Sed Auguſtus ita commotus aduerſus Narſetem, Longinum ſtatim præfectum miſit in Italiam, qui loco Narſetis teneret. Sophia quoque Auguſta inter alia uerba Romanis ſic ſcri-

pſit de

pſit de eo. Ponam illum caſtratum in gynæo, ut penſam filet lanam cum puellis. Ad hæc Narſes reſpondit. Talem eidem ordiar telam, ut quàm diu uixerit ipſa Sophia, non poſſit deponere eam. Et quia timuit redire Conſtantinopolim, contulit ſe Neapolim, & præſentialiter legatos ſuos ad Longobardos miſit, eosq́ in Italiam introduxit. Cuius gentis aduentum in Italiam, & habitationem eius in ea uſq; in præſens ut apertius deſcribamus, de origine eius, regumq́ illius ſucceſſione aliqua hic carptim inſeramus.

Sophia cõtemptim de Narſete, q. exectus eſſet.

Aduẽtus Longobardorum in Italiam.

HISTORIA LONGOBARDORVM.

De commigratione Longobardorum, ui de Paulũ Dia. Vide B. Rhenanum in Procopium, & in libris rerum Germanicarũ & inuenies quæ ad hanc Francorũ, Hunorum, Gothorum Hiſtoriã conducent.

SEptentrionalis plaga, quanto longius eſt ab ardore ſolis, & frigida de aſſiduis niuibus, tanto ſeniores homines ſemper habet, & eo aptior eſt ad multiplicandas gentes. Vnde fit, ut tanta multitudo populorum in ea parte naſcatur, quæ ibi uiuere non poſſit, ſed in partem meridianam alij precio uendantur, alij ſponte egrediantur. Qua de re, ut in hiſtoria Gothorum dictum eſt, multæ gentes ex eiſdem partibus exierunt, Gothi, Gepidæ, Rugi, Vuandali, Heruli, Turcilingi, Huni, qui & Auares, ſimiliter & Vuinuli, qui & Longobardi. Eſt itaq; inſula quædam in partibus Septentrionalis Oceani, dicta Scandanauia uel Scanzia, quæ ut quidam dicunt, non eſt in Oceano poſita, ſed propter planitiem eius, unde maris exęſtuationes circundãt eam. In hac ergo, dum multus populus excreuiſſet, ita ut in ea habitare non poſſet, conſilio inito, multitudo illa omnis in tres partes eſt diuiſa, quęſitumq́ eſt per ſortis diuinationem, quæ pars ex illis patriam relinquere, nouasq́ ſedes deberet exquirere. Igitur illa pars, quam ſors iubebat exire, ordinauit ſuper ſe duces fratres duos, Ibor & Agionem, ætate iuuenes, & corpore alijs maiores & ualentiores, quorum mater Gambara erat ſapientiſſima, & conſiliatrix optima, de cuius prudentia magnam confidentiam omnes habebant. Oſculantes igitur parentes & amicos, receſſerunt, uenientesq́ in regionem Scoringam, aliquantos annos ibi ſederunt. Illo itaq; tempore Ambri & Aſſi, duces Vuandalorum fortiter præmebant uicinas ſibi regiones, & cum iam gloriarentur de multis uictorijs, mandauerunt Vuinulis, qui & Longobardi, ut aut tributa illis darent, aut ad pugnam ſe præpararent. Tunc Ibor & Agio per conſilium matris ſuæ Gambaræ definierunt, melius ſibi eſſe, aut pugnando mori, aut per arma defendi, quàm tributis turpiter ſubdi, miſeruntq́ legatos Vuandalis ſe paratos eſſe ad pugnandum magis quàm ad ſeruiendum. Commiſſo uero prælio, Vuinuli pro libertatis gloria fortiter pugnantes, uictoriam habuerũt, ſed poſtea famem magnam paſſi in eadem prouincia Scoringa, ualde humiliati ſunt. De qua exeuntes, uenerunt in Maringam, indeq́ item in Godolandam prouinciam, & ibi aliquanto tempore ſteterunt. Mortuis interea Ibor & Agione ducibus, Longobardi iam nolentes habere duces ſuper ſe, Agelmundum regem ſibi primum conſtituerunt, ad ſimilitudinem aliarum gentium, qui regnauit ſuper eos annis xxxiij. Fuit autem Agelmundus filius Aionis, de gente Thuringorum, quæ gens apud eos melior & fortior eſſe dicebatur. His temporibus quædam meretrix in uno partu ſeptem filios generauit, ultraq; beſtiam crudelis, in piſcinam eos iactauit. Quam piſcinam, cum prædictus Agelmundus forte præteriret, uidens infantulos, doluit, haſtamq́ mittens, eos huc illucq; uoluit. Quorum unus cum appręhendiſſet haſtam regis, miſericordia motus rex, leuauit eum de aqua, dicens. Quia iſte magnus futurus eſt. Et cum omni ſtudio dedit eum ad nutriendum. Et quia eum de piſcina leuauit, eorumq́ lingua aqua lama dicitur, Lamiſſio ei nomen impoſuit. Qui cum creuiſſet, factus eſt fortiſſimus pugnator & ſapientiſſimus, & poſt Agelmundum ipſe regnauit. Defuncto poſt hæc Lamiſſione rege ſecundo, tertius regnauit Lethus. Qui cum regnaret annis quadraginta, filium ſuum Childeoc quartum regem reliquit. Et hoc defuncto, regnauit Godeoc. Quo mortuo, filius eius Calpho regnauit ſextus. Et iſto mortuo, regnauit ſeptimus Tato. Poſt hæc egreſſi Longobardi de Rugulanda, quæ latino eloquio Rugorum patria dicitur, habitauerunt in apertis campis, qui ſermone Barbarico appellabantur Felt.

Vuinuli á uiro primario eius gentis, cui nomen Vuinus erat.

Ibor & Agio

Ambri et Aſſi

Paulus Diaco. de geſtis Lon. cap. 7.

Vuinuli pugnant pro gloria libertatis.

Agelmundus rex Longob.

Meretrix in uno partu ſeptẽ filios ædit.

Aqua Longobardorum lingua, Lama dicitur. Paulus Dia. pro aqua legit piſcinã.

Lamiſſio regnat poſt Agelmundum.

Longobardi de Rugulanda egrediuntur: Felt campi Felden;

In quo loco dum per tres annos habitaſſent, pugna ſurrexit inter Tadonem & Rodolphum regem Herulorum,qui prius amici fuerũt: & hoc fuit malum, unde in eos diſcordia intrauit.Frater Rudolphi regis pro cauſa pacis ad Tadonẽ uenerat, & cum ad ſuam patriam reuerti uellet,ante domum Rumetrudæ filiæ regis tranſijt.Illa uero cum uideret multos uiros nobiles ire cum eo,interrogauit quis eſſet, dictumq; eſt illi ꝙ frater Rudolphi regis fuiſſet.Tunc illa miſit puellam,quæ eum inuitaret, ut dignaretur cum ea bibere.Qui ut hoc audiuit,cum ſimplici corde uenit. Sed quia modicã ſtaturam habebat, puella ſuperba & glorioſa, deſpiciebat eum,& deridebat.Ille aũt talem uerecundiam non ſuſtinens,amplius eam iniuriauit. Illa uero accenſa ira fœminea,malum quod in mente conceperat,compleuit.Finxit enim ſe per patientiam lętam eſſe,& inuitans eum ad ſedendũ,fecit eum in tali loco ſedere, ubi feneſtra erat poſt dorſum eius,& ne ille aliquam ſuſpicionem mali poſſet habere, pannum precioſiſſimum ante feneſtram iuſſit tendere, dixitq; pueris ſuis, ut in qua hora diceret miſce,illi eum à dorſo lanceis transforarent. Sicq; factum eſt.

Rudolphi frater miſere perit.

Quod cum Rudolpho regi nunciatum eſſet,nimis iratus de tam funeſta morte fratris ſui,diſrupit pacem,quã cum Tadone rege habuit,& ei pugnã indixit.Cumq; ueniſſent ambæ partes in campum apertum,Rudolph ſuos mandauit ad pugnam, ipſe uero in tentorio ſedens, iocabatur ad tabulam,non dubitans aliquid de ſua uictoria.

Heruli nudi pugnabant.

Gens enim Herulorũ multum docta erat pugnandi,& ut leues eſſent ad pugnandum,omnes nudi pugnabãt, ſolummodo uerenda corporis membra cooperientes. Rex uero indubitanter de uirtutibus eorum cõfidens,ſecurus,ut diximus,ad tabulam iocabatur, unum tamen de ſuis in arborem iuſſit aſcendere,qui ei uictoriam ſuorum nunciaret, promittens ei ſe caput eius abſcindere, ſi Herulos ſuos nunciaret fugere. Sed ille cum uideret eos fugere,& Longobardos fortiter inſtare,interrogatus à rege, quid Heruli facerent,reſpondit, optime pugnãt.Nec auſus fuit antea dicere malum quod uidebat, quàm omnes Heruli terga uertebãt.Tunc quamuis tarde uocem emiſit,dicens, Ve tibi miſera Herulia,Dei cœleſtis ira percuſſa. Rudolphus uero hoc audiens, cõmotus ait. Forſitan Heruli mei fugiũt.Ille dixit. Non ego,ſed tu rex dixiſti. Tunc, ut in talibus fieri ſolet, rex ipſe & omnes qui cum eo erant turbati,quid agerent,neſcierunt. Longobardi uero ſuperuenientes, regem & omnes qui cum eo erant, occiderunt.

Frutices uirides in campo uidere, & aquas putare.

Herulorum uero exercitus,dum huc & illuc fugeret,tanta ira de cœlo ſuper eos uenit,ut frutices uirides in campo uidentes,aquas eſſe putarent, & dum quaſi ad natandum brachia extenderent,crudeliter ab hoſtibus cedebantur.Longobardi itaq; uictores effecti,prædam magnam inter ſe diuiſerunt: Tado uero uexillum & galeam Rudolphi regis accepit,quam poſtea ſemper in bello portauit.Ex illo tempore Herulorũ uirtus ſic humiliata eſt,ut ſuper ſe regem amplius non haberent. Longobardi uero ex hoc diuites facti,ceperunt de propria uoluntate pugnas quærere, & gloriam, uirtutemq; ſuam ubiq; extendere.Poſt hæc Tado de ſua uictoria non multum lętatus eſt,nam irruit ſuper eum Vuacho filius fratris ſui Zuchilonis,& occidit eum.Tunc Hildegis,filius Tadonis pugnauit aduerſus Vuachonẽ,ſed uicit eum Vuacho. Qui fugit ad Gepidos, & ibi mortuus eſt.Pro qua cauſa Longobardi cum Gepidis ex eo tempore inimicitias habuerunt.Habuit autem Vuacho uxores tres: Primam Ranigundam, filiam regis Thuringorum: deinde tulit Auſtrigoſem filiam regis Gepidorũ,de qua fecit duas filias,nomen uni Vuiſelgarda,quam Theodebertus rex Francorum tulit uxorem,altera dicta eſt Vualderada,quam iterum tulit uxorem Chuſabaldus rex Francorum, quam odio habens dedit uni de ſuis,qui dicebatur Gariebald, in coniugium: Tertiã uxorem habuit Vuacho Salingam,filiam regis Herulorum,è qua natus eſt Vualthari, qui patre mortuo,ſuper Longobardos regnauit octauus. Iſti omnes Litingi fuerunt de quadam ſtirpe,quæ nobiliſſima dicebatur apud eos. Vualthari regnauit annis vij.& mortuus eſt.Poſt quem regnauit nonus Audoin,qui poſt non multũ tempus,Longobardos in Pannoniam introduxit. Hic habuit uxorem Rodelindã, quæ peperit ei filiũ Alboin,qui fuit fortis & aſtutus in omnibus.

Longobardi in Pannoniam ueniunt.

Gepidis igitur cum Longobardis rixam facientibus,pugnam ſibi ambæ partes præparant. Commiſſo itaq; prælio,dum ambæ partes fortiter pugnarent, & in nullam partem terga uerterent, contigit ut in ipſa pugna Alboin filius Audoin, & Thuriſmondus, filius Thuriſindi,

regis

regis Gepidorum ſibi inuicem obuiarent, ſed Alboin Thuriſmondum ſpata percutiens de equo deiecit, & ſic mortuus eſt. Gepidi uero uidentes filium regis mortuum, in quo magnam habebant fiduciam, ſtatim fugerunt. Longobardi autem ſequentes illos fortiter ſternunt, multisq; ex eis occiſis, ad ſpolia recurrunt. Finita uictoria, Longobardi ad ſua loca cum redirent, rogauerunt regem Audoin ut filium ſuum Alboin ſecum ad menſam permitteret ſedere & prandere, eò quòd per eum uictoriam haberent, ut ſicut patri ſuo ſocius fuit in periculo, ita eſſet & in conuiuio. Sed pater Alboin reſpondit eis. Hoc facere non poſſum, ut rumpam conſtitutam legem gentis noſtræ. Vos ſcitis talem conſuetudinem apud nos eſſe, ut filius regis cum patre ſuo ante non prandeat, quàm ab extraneo rege arma recipiat. Alboin ut hoc audiuit à patre, tulit ſecum xl. iuuenes, & pertexit ad Thuriſindum Regem, cum quo antea pugnauit, & pro qua cauſa ueniſſet, ei indicauit. Rex aũt bene ſuſcepit eum, & inuitauit ad prandium, fecitq; eum ſedere ad dextram ſuam, ubi filius eius Thuriſmundus ſedere conſueuit, quem Alboin interfecit. Poſtq̃ autem iam læti facti ſunt, Thuriſindus rex uidens interfectorem filij ſui ſedere in loco eius, alta traxit ſuſpiria, & dolorem quem habuit in corde, aperuit, dicens: Amabilis eſt mihi locus iſte, ſed perſona quæ ibi ſedet, multum mihi grauis eſt ad uidendum. Tunc alter filius regis audiens ſermones patris, ira ſuccẽſus eſt, & Longobardos nimis iniuriare cœpit, & quia faſciolas albas habebant in cruribus, deridebat eos, dicens: Tibias albas habetis uſq; ad pedes, & ſi miles eſtis iumentis uarijs, & fœtus facientibus. Tunc unus de Longobardis ſic illi reſpondit. Perge in campũ qui uocatur Affelt, & ibi ſine dubio cognoſcere poteris quales ſunt iſti quos tu iumẽtis ſimiles eſſe dixiſti, quomodo poſſint calcitrare, ibi enim inuenies oſſa fratris tui diſperſa, quaſi de uili iumento in medijs pratis. Gepidi hæc audientes, & turpitudinem tantam non ſuſtinentes, nimis irati ſunt, & de tam manifeſta iniuria ſe uindicare uoluerunt. Econtra Longobardi ad pugnam ſe preparantes, omnes apprehenderunt gladios. Rex uero ſurgens à menſa, in medium illorum ſe miſit, & ſuos abira compeſcuit, iurans ſe illum occidere, qui primus auderet pugnam committere. Dixit enim: Non eſt illa uictoria adeo placita, cũ quis in domo propria inimicum ſuum in pace ſuſceptum, occiderit. Et ſic pace inter eos facta, iterum læti cõuiuium ineunt. Completo conuiuio, Thuriſindus rex tollens arma filij ſui Thuriſmũdi, tradidit ea Alboin, & ſaluum illum in pace dimiſit. Alboin uero reuerſus ad patrem ſuum, conuiua eius factus eſt. Et dum ad menſam cum patre ſuo ſederet, dixit illi omnia quæ circa eum facta ſunt, & omnes qui aderant, admirantes laudabant Alboin pro audacia ſua, Thuriſindum pro tali fide maxima.

Affelt, Paulus Diacon. lib. 1. cap. 16.

His temporibus Iuſtinianus Imperator Romanum regebat imperium, qui per Beliſarium patritium multas uictorias perfecit, leges renouauit, Eccleſias reparauit, baſilicam quoq;, quam ad ἁγίαν σοφίαν, id eſt ſanctam ſapientiam nominant, fabricauit: cuius opus in tantum ſuper omnia ædificia extollentius eſtimatur, ut in tantis terrarum ſpacijs ei ſimile non inueniatur. Tunc etiam Caſſidorus, Dionyſius, Arator, Romæ claruerunt, Priſcianus Conſtantinopoli floruit, S. quoq; Benedictus uirtutibus effulſit. Igitur Audoin mortuus eſt, & Alboin filius eius regnum accepit. Qui cũ eſſet nominatiſſimus & fortis multum, Clotharius rex Francorum filiam ſuam nomine Glotſuindam dedit ei in coniugium, de qua fecit unam tantum filiam nomine Albſuindam. Interea mortuus eſt Thuriſindus rex Gepidorum, & accepit regnum Chunimũdus. Qui cum uellet uindicare iniurias Gepidorum, rupit pacem cum Longobardis, & plus amauit pugnam quàm pacem. Alboin uero fecit pacem firmam cum Auaribus, qui primum Huni uocabantur, ſed poſtea de nomine regis ſui Auares ſunt appellati, deinde iuit ad pugnandum cum Gepidis. Sed cum Gepidi contra Alboin pergerent, Auares ſtatim in terram eorum intrauerunt, ſicut cum Alboin conſtituerunt. Hac de cauſa, cum triſtis nuncius ueniret ad Chunimundum, ille nimis afflictus, cœpit orare ſuos, ut primum cum Longobardis pugnarent, & poſtea ad depellendos Auares repedarent. Inito autem prælio, Alboinus occidit Chunimundum, & de capite eius poſtea fecit ſcyphum, qui dicitur apud eos ſchala, apud latinos patera, & filiam eius Roſemundam cum magna multitudine uirorum ac mulierũ ſecũ abduxit captiuam. Gepidi enim ſic ſunt deleti, ut ab illo tempore iam de ſuis regem non

Iuſtinianus imperator Rom.

S. Benedictus.

Alboinus de capite Chunimundi.

Longobardos refert inter Sueuorũ gentes Tacitus. Argumentum quia ſchalã pateram uocant, & uiuariũ piſciumqualamã uide Rhe. li. 1 rerum Ger.

Iuſtinus ſuccedit Iuſtiniano.

Longobardi inuitantur in Italiam.

Prodigia.

Longobardi ad inſtantiam Narſetis cum Saxonibus è Pannonia, Italiam ingrediuntur.

non haberent. Vt autem mortua eſt Gloſuinda regina, filia Clotharij, Alboin ad interitum ſuum, ut in ſequentibus dicetur, duxit Roſemundam uxorem, filiam Chunimundi. Inter hæc Iuſtinianus princeps mortuus eſt, & Iuſtinus minor ſucceſſit ei ad regendam Conſtantinopolim. Apud quem, ut ſupra ſcriptum eſt, accuſatus Narſes patritius, quem loco Beliſarij, ad defenſionem Italiæ miſit imperator Iuſtinianus, in uindictam iniuriæ ſuæ miſit legatos ad Longobardos amicos ſuos, dicens: Dimittite paupertatem Pannoniæ, & uenite ad fertilem Italiam, omnibus diuitijs plenam. Et ut animos eorum amplius incitaret ad ueniendum, miſit eis de omnibus generibus pomorum, & quicquid delectabile poterat excogitare de diuitijs terræ. Longobardi hæc audientes, gratanter acceperunt, & qualiter irent, præparauerunt. Et continuo apud Italiam apparuerunt ſigna in cœlo, ſcilicet igneæ acies, ſanguinem humanum, qui poſtea effuſus eſt, ſignificantes. Alboin igitur petijt auxilium ab antiquis Saxonibus amicis ſuis, ut ſpacioſam Italiá intraret cum multis. Cui Saxones plus quàm cum xx. millibus iuncti ſunt, & ſecundum eius uoluntatem cum uxoribus & filijs Italiam cum eo intrauerunt. In ipſo tempore Alboin Pannoniam dimiſit Hunis amicis ſuis, ea conditione, ut ſi aliquando Longobardis reuerti neceſſe eſſet, unuſquiſque in ſua rediret, habitauerunt autem Longobardi in Pannonia per annos xlij. Exierunt uero de Pannonia cum mulieribus & filijs, & cum omnibus ſuis, anno Dominicæ incarnationis Dlxviij indictione prima, ſecundo die poſt Paſcha, quod ſanctum Paſcha celebratum eſt in ipſis kalédis Aprilis. His igitur diebus, quibus Longobardi inuaſerũt Italiam, Clotharius rex Francorũ mortuus eſt, relictis quatuor filijs, Heriberto, Guntrammo, Helberico, Sigiberto. In hoc tempore Romanam regebat Eccleſiam uir ſanctus, Papa Iohannes, poſt quem Benedictus. Ciuitatem autem Aquileiam, & populum eius regebat beatus patriarcha Paulus. Qui timens crudelitatem Longobardorum, ex Aquileia ad inſulam Gradus ſeceſſit, & omnem theſaurum Eccleſiæ ſuæ portauit. Narſes itaque de Campania Romam reuerſus, non poſt multum tempus mortuus eſt. Cuius corpus in cantra plumbea cum omnibus diuitijs ſuis collocauerunt, & Conſtantinopolim tranſmiſerunt. Igitur Alboin intrauit Liguriam indictione tertia iij. Nonas Septemb. & ſub tempore Honorati, Archiepiſcopi, Mediolanũ intrauit, deinde cæteras Liguriæ ciuitates apprehendit. Obſedit autem Ticinenſem ciuitatem quæ nunc Papia dicitur, per tres annos, quibus peractis, poſt aliquantos menſes tradita eſt in manus eius. Qui cum introiſſet per portam, quæ dicitur ſancti Iohannis à parte Orientis, equus ſuper quem ſedebat, fixit ſe in medio portæ. Quem cum ille truderet cum calcaribus, & omnes qui circũſtabant, cæderent uerberibus, omnino moueri non potuit equus. Tunc unus ex Longobardis ſic ait ad regem. Memento domine rex quid uouiſti, & frange tam durum uotum, & ingredieris ciuitatem, uere enim Chriſtianus populus eſt in ciuitate iſta. Vouerat enim Alboin antea, quod uniuerſum populum occideret gladio, qui ſibi ſe tradere nolebat. Quod uotũ ubi diſrupit, equus ſe continuo mouit, & ſic ciuitatem intrauit. Tunc data pace, omnis populus ad eum tandem cucurrit ad palatium quod aliquando rex Theodericus fecit. Alboin igitur poſtquam regnauit in Italia annos iij. & menſes vi. interfectus eſt conſilio coniugis ſuæ, pro hac cauſa. Cum ſederet Alboin apud Rauennã in conuiuio, & bibiſſet plus congruo, præcepit afferri uinum reginæ Roſemundæ in uaſculo, quod de capite patris eius fecit Chunimundi regis, dicens ei, ut læta biberet cum patre ſuo. Pro qua re illa maximum concipiens in corde dolorem, cogitauit qualiter maritum interficeret, & patrem uindicaret, conſiliumque habuit pro hac re cum Helmiche armigero regis, qui cum regina unius ætatis erat. Helmichis uero dedit ei conſiliũ, ut ad hanc perficiendam aſſumeret Peredeum, quendam fortem uirum, qui cum Veſtiaria eiuſdem reginæ ſolebat dormire. Cui cum illa ſuam uoluntatem indicaret, & ipſe in interfectionem regis ſui conſenſum ſuum denegaret, regina in tempore noctis collocauit ſe in lecto Veſtiariæ ſuæ, quam ille amauit, ueniensque Peredeus, reginam adulterauit. Qua re perfecta, cœpit illa dicere Peredeo. Quam me conſideras eſſe? Cumque ille nominaret nomen amicæ ſuæ, illa reſpondit. Non eſt ut tu ſperas, ego ſum Roſemunda, certe talem cauſam modo feciſti, ut ſi tu non interfeceris Alboin, ipſe te interficiet. Qui intelligens malum quod fecit, licet inuitus, in mortem regis conſenſit. Tunc Roſemunda

Clotharius rex Francorũ moritur.

Narſetis corpus in Cantra plumbea.

Alboini equus immobilis.

Votum contra Chriſtianos diſrumpere.

Roſemunda cogitat de interficiendo marito. Vide Paulum Diaco. de geſtis Longobardorũ lib. 2 cap. 14.

Peredeus reginam Roſemundam adulterat.

ſemunda crudelior omni beſtia cum Alboin in meridie ſe ſomno dediſſet, præcepit
magnum ſilentium in palatio fieri, & omnia arma inde ſubtrahi, & gladium illius
fortiter ligauit ad caput lecti, ne poſſet euaginari, aut tolli, ſicq; interfectores eius in
troduxit. Alboin uero excitatus à ſomno, & intelligens malum quod imminebat,
concite manum ad gladium, qui alligatus erat, tendebat, ſed non ualens eum extra-
here, ſcabellum apprehendebat, & aliquandiu ſe defendebat, ſed illi præualentes, *Alboinus*
eum occidebant. Helmichis autem accipiens Roſemundam in uxorem, decertauit, *occiditur.*
ut regnum Alboin apprehenderet, ſed non potuit, quia Longobardi multum dolen
tes de eius morte, quæſierunt Helmichin interficere. Inter hæc Roſemunda manda-
uit Longino, præfecto Rauennæ, ut concite nauim mitteret, quæ eos deportaret. Quá
cum ille miſiſſet, per ſilentium noctis Helmichis & Roſemunda nauim intrauerunt,
& Albſuindam, filiam regis Alboin, & omnem theſaurum ſecum deportauerunt.
Longinus autem præfectus, ſuaſit Roſemundam, ut Helmichin occideret, & ſe mari
tum acciperet. Quæ cum conſenſiſſet, quadam die dum Helmichis ad balneū iret,
perrexit cum eo, ut ei deſeruiret, portás ſecum uenenū, quo eum interficeret. Cumq; *Helmichis &*
ille de balneo exiret, porrexit ei uenenum in poculo dicés: Si hoc biberis, magnam *Roſemunda*
ſalutem inde habebis. Qui cum biberet, ac uenenum eſſe ſentiret, apprehéſo gladio *ueneno pereūt*
Roſemūdam per capillos tenuit, et uenenum quod remanſerat, illam bibere coegit,
ſicq; Dei iudicio, ambo perierūt ueneno. Longinus uero præfectus Albſuindam cum
omni theſauro miſit Conſtantinopolim Imperatori Iuſtino. Longobardi autem o-
mnes, habito inter ſe conſilio, fecerunt regem Cleph, uirum nobiliſſimū gentis Lon
gobardorum, in ciuitate Ticinenſium. Hic multos potentes uiros Romanorum ali-
os occidit, alios de Italia eiecit. Nec enim Romanis illo tempore uirtus fuit, ut reſiſte
re poſſent Longobardis, quia & mortalitas, quæ ſub Narſete fuit, & fames quæ po-
ſtea uenit, omnem Italiam diſſipauit. Cumq; per unum annum & menſes ſex Cleph
regnaret, à quodam puero, familiari ſuo, cum gladio, quem in menſa ad obſequium
ſuum habebat, occiſus eſt. Poſt cuius mortem Longobardi regem iam per annos de
cem non habuerunt, ſed duces, unaquæq; ciuitas ſuum ducem. Ex quibus ducibus ali
quanti cum multis pugnatoribus, Gallias ingreſſi, prædati ſunt, contra quos Ama-
tus patritius, qui erat ex parte Guntrammi regis, mouēs exercitum, ab eis occiſus eſt,
ipſiq; cum multa præda reuerſi ſunt. Quibus diſcedentibus, rex Eunium, qui & Num-
mulus dictus eſt, ad ſe uocauit, eumq; patritium fecit. Iterum Longobardi intrauerūt
Galliam, Nummulus aūt iūgens ſe Burgundionibus, iuit contra eos, & circundans
eos inſidijs, multos ex eis occidit, cæteros redire uacuos coegit. Poſt hæc Saxones, qui
cum Longobardis Italiam intrauerunt, cum uiderēt Longobardos regnare, nec ipſi
uellent ſub eis uiuere, cum omnibus ſuis per Galliam redierunt, & per adiutoriū Si
giberti regis in patriam ſuam tetenderunt. Quo cum perueniſſent, inuenerunt eam
tenere Sueuos & alias gentes. Inſurrexerunt ergo contra eos, & certabant inde expel
lere illos. At illi dederunt illis tertiam partem regionis, dicentes, quia poſſumus com
muniter uiuere. Saxonibus non conſentientibus, iterum dederunt eis aliam tertiam
ut ipſi tenerent unam, ſed Saxonibus nullo modo acquieſcentibus, commiſerunt pu
gnam, in qua de Saxonibus mille xx. mortui ſunt, de illis uero cccc. millia, & lxxx.
ſicq; Saxones terram ſuam obtinuerunt. Hoc tempore Sigibertus rex Francorum oc- *Sigibertus*
ciſus eſt, fraude Hilperici fratris ſui, & regnū eius ſuſcepit filius eius Hildibertus cum *Francorū rex*
Brunihilde matre ſua. Iuſtinus quoq; minor, cum xi. annis regnaſſet, eiſdem tempo- *occiditur.*
ribus obijt, & Tyberium Conſtantinū ſucceſſorem reliquit. Quo poſt annos ſeptem
defuncto, Mauritius ei ſucceſſit in imperio. Longobardi uero cum per decem annos
eſſent ſub ducibus, poſtea communi conſilio conſtituerūt ſibi regem Authari, filium
Calphurnis ſupradicti principis, qui ante Tadonem regnauit, & pro magno hono- *Flauij dicti re*
re uocauerunt eum Flauium, & iſtud prænomen poſtea in uſu habuerunt reges Lon- *ges Longo-*
gobardorum. Duces uero qui tunc erant, pro reſtauratione regni medietatem omni *bardorum.*
um ſuarum ſubſtantiarum in expendium reipublicæ dederunt, ut eſſet unde uiuere *Iuſtitia & ſe-*
potuiſſet ipſe rex, uel qui in ſeruitio eius erant, uel qui ad eum ueniebant. Hoc autem *curitas in re-*
erat mirabile in regno Longobardorum, ꝙ nullus alicui faciebat uiolentiam, nulla *gno Longo-*
fraus ibi erat, nemo aliquem iniuſte angariabat, non ibi latrones erāt, ſed unuſquiſq; *bardorum.*

ubi

ubi uolebat,ſecurus pergebat. Hoc tempore Mauritius imperator quinquaginta milia ſolidorum miſit Hildiberto regi Francorum,utLongobardos de Italia expelleret. Quo ueniente cum magno exercitu,Longobardi ciuitates ſuas intrauerunt, & xenia Hildiberto regi miſerunt,pacemq; cum eo fecerunt. Qui reuerſus eſt in Galliã. Quod audiens Mauritius,ſolidos quos ei pro diſſipatione Longobardorum dedit,repetere cœpit,ſed ille in uirtute ſua confidens,nullum ei reſponſum dedit. Interea Hildibertus pugnauit cum Hiſpanis,& uicit eos,& iſta fuit cauſa,unde inter ſe pugnare ceperunt. Hildibertus rex,ſororem ſuam nomine Ingundem dederat uxorem Ermengildo,filio Leouigildi regis Hiſpanorum. Qui Ermengildus per prædicationem Leandri Epiſcopi,& per monita uxoris ſuæ de Arriana hæreſi,quam pater ſuus colebat, ad fidem catholicam conuerſus fuerat,pro qua cauſa impius pater eius in ipſa feſtiuitate Paſchæ,cum ſecuri eum percuti iuſſit. Vxor uero illius fugiens de Hiſpania, uoluit reuerti in patriam ſuam,ſed milites Romani,qui in illis partibus erant,apprehenderunt illam cum filio ſuo paruulo, & adduxerunt illam in Siciliã,ibiq; mortua eſt, filium uero eius direxerunt in Conſtantinopolim Mauritio imperatori. Iterum Mauritius Imperator miſit ad Hildibertum,rogãs illum ut exercitum dirigeret in Italiam contra Longobardos. Qui ſperans ꝙ ſoror ſua adhuc uiueret,& in Conſtantinopoli eſſet,uolens eam recolligere,compleuit uoluntatem Imperatoris,& miſit exercitum Francorum in Italiam,ſed Longobardi frequenter pugnabant contra ipſos. Poſt hęc Franci & Alemanni rixam inter ſe habentes, egreſſi de Italia, redierunt ad propria. Hoc tempore inundatio aquarum facta eſt in Italia, de qua beatus Gregorius ſcribit in dialogo,& peſtilentia illa pro qua ipſe iam archidiaconus,ſeptiformem letaniam conſtituit,ipſeq; Romanum pontificatum inuitus accepit. Poſt hæc miſit Autharus legatos ſuos ad Caribaldum regem Bauuariorum,petens filiam ſuam uxorem. Qui bene legatos ſuſcepit,& filiam ſuam nomine Theodelindã ei promiſit. Quod dum miſſi renunciarent Autharo,ille cupiens uidere ſponſam ſuam, elegit ſecum paucos iuuenes fortiſſimos,& unum fideliſſimum,quaſi pro domino,& cum ſumma feſtinatione perrexit in Bauariam. Cumq; ſtarent in cõſpectu Caribaldi regis, & ille qui quaſi ſenior uidebatur,dicta ſua compleſſet,dixit Autharus ad regem: Dominus meus Autharus proprie pro iſta cauſa me miſit,ut uideam filiam ueſtram,dominam noſtram,ut qualis ſit forma eius,poſſim domino meo uerè nunciare. Qui ſtatim fecit eam uenire. Quæ cum placuiſſet Autharo,dixit ad regem:Si placet ueſtræ poteſtati, de ſua manu det nobis bibere, ſicut & poſt hæc debebit facere. Quod cum rex fieri iuſſiſſet,illa tollens calicem plenum mero,dedit primum illi, qui ſenior uidebatur, deinde porrigebat Autharo neſciens quis eſſet. Ipſe uero poſtq; bibit,& calicem reddidit,nemine uidente,digito eam tetigit,& manũ ſuam per faciem eius duxit. Quæ uerecundans cum hoc nutrici ſuæ indicaret, nutrix reſpondit: Si rex & ſponſus tuus non eſſet,te nullo modo tangere præſumpſiſſet: Sed taceamus,ne audiat hoc pater tuus. Iſte qui talem habet perſonam,dignus eſt & imperium habere,&te uxorem ducere. Erat enim Autharus iuuenis pulcherrimus,& boni ſtatus. Poſt hæc cõmeatum petentes à rege,perrexerunt ad patriam ſuam. Autharus uero cum perueniſſet prope fines Italiæ, comitantibus aliquantis Bauuarijs, appropinquauit arbori, quæ ſtabat iuxta uiam, & erexit ſe ſuper caballum,quantum potuit, & ſecurim quam portabat in manu,in ipſam arborem impegit,ibiq; dimiſit dicẽs: Taliter ferire ſolet Autharus. Quo dicto intellexerunt Bauuarij,ꝙ ipſe eſſet Autharus. Poſt aliquantũ tempus conturbatus eſt rex Garibaldus de aduentu Francorum , & Theodelinda filia eius cum fratre ſuo nomine Gundoaldo fugit ad Italiam,& mandauit ſponſo ſuo Autharo, ut ueniret obuiam ei. Qui gauiſus eſt,& faciens magnã præparationem perrexit in campum,qui dicitur Sardis ſuper Veronam,& ſuſcepit eam cum gaudio. Erat autem ibi tunc inter alios Longobardos Egilolfus,dux de ciuitate Taurinenſi. Tunc ſubito conturbatus eſt aer,& cepit tonare,& corruſcare fortiter,ſtatimq; fulmen percuſſit unum lignum,quod erat poſitum in cluſura regis. Egilolfus autem habuit puerum quendã qui(neſcio per quam artem)intelligens quid hoc ſignificaret,ait Egilolfo ſecrete: Iſta mulier,quam modo rex tulit uxorem,poſt non multum tua coniunx erit. Qui iratus ait,Si alia uice hoc dixeris,caput tuum abſcindam. Cui ille reſpõdit: Verum eſt, quià caput

Ermengildus Chriſtianus, occiditur à patre:

Rixa inter Francos & Alemannos.

Septiformis letania Gregorij Magni.

Legati Autharí ad Garibaldum regem Bauuariorum

caput meum abſcindere poteris: ſed & hoc uerũ eſt, quia iſta fœmina ad hoc uenit, in iſtam patriam, ut uxor tua ſit. Quod & poſtea factum eſt. Interea mandauit Authari rex uerba pacifica Guntrammo regi Francorum, patruo Hildiberti regis, ut faceret pacem cum eo. Ille uero cum gaudio ſuſcepit miſſos Authari, & direxit ad Hildibertum nepotem ſuum, ut propter uoluntatem ſuam & conſilium, faceret pacem cum Longobardis. Erat enim ipſe Guntrammus rex pacificus, & omni bonitate prȩditus. Cum autem legati tardarent in Francia, Authari apud Thicinum ueneno, ut dicunt, mortuus eſt, poſtquàm regnauit annis ſex. Statimq́ꝫ Longobardi miſerunt ad Hildibertum regem, qui ei mortem Authari nunciarent, & pacem ab eo poſtularent. Quos ille benigne ſuſcepit, pacemq́ꝫ petitam dedit. Regina uero Theodelinda quia placebat Longobardis, dimiſerunt eam regnare, dicentes ei, ut quencunqꝫ amaret uirum, tolleret maritum, talem tamen, qui dignus eſſet regere regnum. Quæ habito conſilio cum ſapientibus, elegit ſibi maritum ducem Egilolfum, qui erat uir ſapiens & bellator, & per omnia aptus ad regnandum. Cui ſtatim mandauit ut ueniret ad eam, ipſaq́ꝫ ad caſtellum quod Laomellum uocatur, perrexit ei obuiam. Qui cum inter ſe colloquium haberent, iuſſit regina afferri uinũ, bibensq́ꝫ ipſa prior, dedit Egilolfo. Qui cum acciperet, honorabiliter manum eius oſculatus eſt. Quæ ſubridens ait: Non debes manum meam oſculari, quia rex & maritus meus eris. Et ſic eum amplexata eſt, & manifeſtauit ei omnia quæ per conſilia ſapientum de gubernatione regni & nuptijs ſuis ordinata eſſent. Inter hæc fiunt nuptiæ cum lætitia magna, & Egilolfus qui erat cognatus regis Authari, cœpit regnare intrante menſe Nouembri: poſtea tamen congregatis Longobardis apud Mediolanum in menſe Maio, confirmatus eſt in regno. Igitur Egilolfus, qui & Agio dictus eſt, confirmata ſibi regia dignitate, mandauit Agnellum epiſcopum de Tridento in Franciam pro illis hominibus qui captiuati fuerant à Francis de caſtellis Tridentinis. Qui cum ueniret, Brunihildis regina multos ex eis precio ſuo redemit, eiq́ꝫ reducendos dedit.

Autharus Lõgobardorum rex 12. Flauius dictus ob dignitatem. Paul: dia. lib. 2. ca. 8

Regina Theodelinda nubit Egilolfo.

Dialogus Gregorij, Theodelindæ reginæ pro munere miſſus. Paulus dia. li. 4. ca. 2

His diebus beatus Gregorius papa Romanus, dialogum ſcripſit, eumq́ꝫ Theodelindȩ reginæ pro munere miſit, quia ſciebat eam eſſe Chriſtianiſſimam, & timentem Deũ, per ipſam quippe multa bona in eccleſia Dei facta ſunt. Nam Lõgobardi cum adhuc gentilitatis errore tenerentur, prope omnes ſubſtantias Eccleſiarũ abſtulerũt: ſed iſta ſupplicando & ipſum regem ad catholicam fidem adduxit, multas poſſeſſiones eccleſijs contulit: epiſcopos quoqꝫ qui antea nullum honorem habebant, ad propriam dignitatem reſtituit. Hoc tempore ordinatus eſt rex Taſſilo in Bauaria, ab Hildiberto rege Francorum, ſtatimq́ꝫ iuit cũm exercitu in prouinciam Sclauorum, & uictoriam habens, cũm magna præda ad terram ſuam reuerſus eſt. Igitur dominantibus per omnem Italiam Longobardis, dum ueniret Egilolfus in partes Romanas, beatus Gregorius de aduentu eius in tantum territus eſt, ut ab expoſitione Ezechielis ſicut ipſe teſtatur, ceſſaret. Cœpit autem frequenter per epiſtolas ſuas Theodelindam reginam monere, ut hortaretur Egilolfum maritum ſuum pacem cum Romanis habere. Quod & factum eſt. Vnde idem uenerabilis uir gratias agendo, epiſtolas ad eandem reginam, & ad ipſum Egilolfum regem tranſmiſit, quȩ in libro uitæ ipſius ſcriptæ reperiuntur. Hoc tempore Hildibertus rex per uenenum, ut dicunt, occiſus eſt cum uxore ſua: mortuus eſt & Guntrammus rex.

Rex Bauariæ Thaßilo.

Gregorius terretur aduentu Egilolfi, ut ab expoſitione Ezechielis ceſſaret.

Hic legis in Paulo dia. Epiſtolam Greg. papæ ad Theodelindam reginã Longobardorũ. Item ad Agilulfum regem Longob.

Circa hæc tempora deſtructum eſt à Longobardis monaſterium ſancti Benedicti in caſtro Caſſino. Nocte quippe illuc intrauerunt, & omnia inde abſtulerunt: ſed iuxta prophetiam uiri Dei nullum ex monachis apprehendere potuerunt. Fugerunt nanqꝫ, & uenerunt Romam, portantes ſecum codicem ſanctȩ regulæ, quam idem beatus pater compoſuit, & alias ſcripturas, nec nõ & pondus panis, & menſuram uini, & quicquid exinde tollere potuerunt. Poſt beatũ nanqꝫ Benedictum rexit ipſum monaſterium Conſtantinus: poſt quem Simplicius: poſt ipſum Vitalis: poſt hunc Bonitus, ſub quo iſta deſtructio facta eſt.

Caßini monaſterij deſtructio Paul dia. lib. 4. cap. 6.

His diebus fecit Theodelinda regina eccleſiam beati Iohannis Baptiſtæ in Modicia, qui locus xij. miliario eſt à Mediolano, & decorauit eandem eccleſiam multis ornatibus auri & argenti, & dedit ei multas poſſeſſiones.

Conſtantinus ſucceſſor Be.

In eodem loco fecit quondam palatium Theodericus rex Gothorum, eò ꝙ ȩſtatis

tempore locus ipſe temperatus eſt,& bonus,eſt enim uicinus Alpibus. Tũc quoq; natus eſt Egilolfus filius de Theodelinda regina,in palatio Modeciano, & baptizatus eſt ibi,uocatusq; eſt Adolandus,& ſuſcepit eum de ſacro fonte Secundus ſeruus Dei, de Tridento.

Patauium ciuitas rebellis Lõgobardis.

Vſq; ad hæc tẽpora rebellis fuit Longobardis Patauiũ ciuitas, eoq; milites qui ibi erant,fortiſſime reſiſtebãt: ſed poſtea iactantes ibi ignẽ incendebant eã, & iuſſiõe regis Egilolfi euerſa eſt uſq; ad terrã: milites tñ qui in ea erant,dimiſſi ſunt redire Rauẽnam. Huius Egilolfi tẽporibus beatus Columbanus uenit in Italiam, & fecit monaſteriũ quod uocatur Bobium in mõtibus Coccijs. Igitur Egilolfus qui & Agio dictus eſt,poſtq; regnauit annis xx. defunctus eſt,relinquens in regno filium ſuũ Adolandũ adhuc puerũ cũ matre ſua Theodelinda. Qui cũ regnaret x. annis, perdidit ſenſum, & iecerũt eum de regno, & in locũ eius conſtituerũt Arioaldum quẽdam, cuius generatio non eſt deſcripta. Qui poſtq; tenuit regnum per annos xij. mortuus eſt, & regnum ſuſcepit Ruotheri uir fortis & ſtrenuus,ſed Arriana perfidia maculatus.

Bobium monaſteriũ in montibus Coccijs.

In omnibus ciuitatibus epiſcopi catholici & Arriani. Paul. dia. li. 4 cap. 15.

Huius temporis pene per omnes ciuitates regni eius duo erant epiſcopi: unus catholicus,alter Arrianus. Hic Ruotheri rex legẽ Lõgobardorum compoſuit, & ipſum codicem Edictum appellauit. Erat aũt iam lxxvij. annus,ex quo Longobardi uenerant in Italiam. Poſtq; uero xvi. annos regnauit,& quatuor menſes,mortuus eſt, regnumq; filio ſuo Radoaldo dimiſit,ipſe autẽ ſepultus eſt iuxta Eccleſiam beati Iohannis Baptiſtæ. Poſt aliquod tempus quidam homo pro maligna cupiditate aperuit ſepulchrum eius nocte,& tulit omnia ornamenta corporis illius. Apparuit autem ei per uiſionẽ beatus Iohannes dicens: Quare auſus es tangere corpus hominis iſtius? quamuis non recte crediderit,tñ ſe mihi cõmendauit. Quia igitur hoc facere præſumpſiſti,nunq; amodo eam eccleſiã intrabis. Quod & factum eſt. Nã quotiens eandem eccleſiã intrare uoluit, ſubito quaſi aliquis cũ magno cultello uellet eum in guttur ferire,retro ceſſit. Radoaldus igitur poſt mortẽ patris accipiens regnum, tulit uxorem Guntbirgam,filiam Egilolfi & Theodelindæ. Iſta Guntbirg fecit eccleſiam ſancti Iohannis Baptiſtæ in Ticinenſi ciuitate,ſicut mater eius fecit in Modicia, & decorauit eam ornatibus,& ditauit opibus,in qua & ipſa ſepulta eſt. Hæc dum accuſata eſſet apud maritum ſuum, q̃ cõmiſiſſet adulterium, Carellus ſeruus eius petiuit à rege, ut ad ſingulare certamen pugnare ſibi liceret, cum illo qui dominam ſuam infamauit: pugnãſq; cum eo coram omni populo,eum proſtrauit,ſicq; regina priſtinum honorem recuperauit. Rex uero Radoaldus (ut dicunt) cũ adulteraſſet uxorem cuiuſdam Longobardi,ab eo occiſus eſt,cũ iam per quinq; annos & vij. dies regnaſſet. Cui ſucceſſit Aripertus,filius Gundoaldi,qui fuit frater Theodelindæ reginæ. Hic fecit eccleſiam in honore Domini Saluatoris in Ticino, & decorauit eam uarijs ornamentis, ditauitq; ſubſtantijs. Igitur Mauritius imperator poſtquam regnauit annis xxi. cum filijs ſuis Theodoſio,& Tyberio, & Conſtantino, occidit illos Phocas,qui fuit ſtrator Priſci patritij,& ipſe regnauit. Qui poſtquam regnauit annis viij. Heraclius qui regebat Africam rebellauit ei: & ueniens cum exercitu,occidit eum,& ſuſcepit imperium. Quo poſt xxvij. annos defuncto,filius eius Conſtantinus ſuſcepit imperium. Sed hoc poſt quatuor menſes per uenenum extincto, Heraclonas frater eius cũ Martino regnum inuaſerunt. Quibus mox deiectis, Conſtans,filius Conſtantini, regnauit annis xxviij. Aripertus rex poſtquam apud Ticinum Longobardos rexerat per annos nouem,mortuus eſt,& reliquit regnum ipſum duobus filijs ſuis, Perthari, & Goteberto, & Gotebertus ſedebat in Ticino, Perthari in mediolano. Deniq; facientibus malignis hominibus, ſurrexit odium & diſcordia inter ambos fratres,in tantum,ut alter ab altero regnum tollere decertaret. Pro hac cauſa Gotebertus direxit Garibaldum ducem Taurinenſium ad Grimoaldum ducem Beneuentanum,ut ueniret & adiuuaret eum contra fratrem ſuum,promittens ei dare ſororem ſuam uxorem,ſi eum adiuuaret. Garibaldus uero fecit fraudem contra dominum ſuum, deditq; Grimoaldo conſilium, ut ueniret, & regnum Longobardorum, quod ambo fratres qui erant adoleſcentes diſſipabant, apprehenderet, utpote qui habebat iam maturam ætatem, & erat conſilio bonus, & fortis uirtute. Audiens hæc Grimoaldus, ſtatim eleuauit animum ſuum ad accipiendum regnum Longobardorum, & ordi-

populo ut placerent

Rex Radoaldus occiditur.

Phocas ſtrator. Hic audis fortunæ luſum. Fuit primo patritij cuiuſdã ſtrator, poſt miles, ad ultimum imperator. Otto Friſin. lib. 5. ca. 8

Heraclonas cum Martina matre regnat. Hic fuit 25. imperator Conſtantinopolit.

& ordinans filium ſuum Romoaldum, ducem in Beneuento, ipſe cũ electa multitu
dine uirorum apprehendit uiam contra Ticinum, & per omnes ciuitates miſit, & fa
ciebat ſibi amicos, ut regnũ accipere poſſet: Traſemundum uero Capuanum comi-
tem miſit per Polentiã & Tuſciam, ut omnes Longobardos de partibus illis in eius
adiutoriũ inuitaret. Quod fecit: & cũ magno adiutorio apud Aemiliam ei occurrit.
Igitur Grimoaldus cũ ueniſſent Placẽtiam miſit Garibaldum ante ſe, ut Goteberto
nunciaret de eius aduentu. Audiens hoc Gotebertus, quæſiuit conſilium ab eodem
Garibaldo, in quo loco præparet hoſpitium Grimoaldo. At ille reſpõdit dignũ eſſe
ut Grimoaldus qui cauſa illius uenerat, & ſororẽ eius accipere debebat, hoſpitium
haberet intra palatium. Quod ita factum eſt. Prædictus ergo Garibaldus ſeminator
malitiæ dixit ad Gotebertũ: quando ueneris cum Grimoaldo ad colloquium, habe
to loricam ſubtus ueſtimentũ, quia ipſe te occidere quærit. Deinde dixit eadem uer-
ba ad Grimoaldum. Cumq; die altera ueniſſent ad colloquẽdum, uidens Grimoal-
dus ꝙ Goteberdus lorica eſſet indutus, euaginato gladio interfecit eũ, & inuaſit im-
perium eius. Habebat aũt Gotebertus filium paruulum nomine Ringibertũ quem
rapientes fideles eius nutrierunt occulte. Sed nec curauit Grimoaldus eum perſequi
quia puer adhuc erat. Audiens autem Perthari qui apud Mediolanum regnabat, ꝙ
frater eius mortuus fuiſſet, quanta uelocitate potuit fugit: & ad Cacanum regẽ Aua
rum abijt. Vxorem uero illius nomine Rodelindam, & paruulum filium nomine
Chunibertũ tranſmiſit Grimoaldus in Beneuẽtum. Poſt hęc malignus homo Gari
baldus, cuius conſilio hæc omnia facta ſunt, nõ diu ſuper his gaudebat. Erat enim in
ciuitate Taurinenſi paruus quidam homunculus, natus de propria gente Goteberti

Partharitus occiſo fratre fugit.

Iſte cum ſciret ꝙ Garibaldus ipſo ſacratiſſimo die paſchali uenturus eſſet ad oratio-
nem in eccleſiam beati Iohannis Baptiſte, abijt, & aſcendit ſuper fontem ſacrum ba
ptiſterij, & cũ ſiniſtra manu tenuit ſe ad unã columnellam, ubi Garibaldus tranſire
debuerat, cũ dextra uero euaginatũ gladium ſub ueſtimento tegebat. Cumq; prope
eum Garibaldus ueniſſet, ille homũcio euaginato gladio cũ tota uirtute qua potuit,
percuſſit eum in ceruicem, & amputauit caput eius. Homines aũt eiuſdẽ Garibaldi,
multas illi plagas facientes, ad ultimũ occiderũt eum. Qui ꝗuis ſic punitus mortuus
fuiſſet, tñ iniuriam & mortem domini ſui uindicauit. Grimoaldus aũt confirmatus
in regno apud Ticinum, occidit Chunibertum filium Gotheberti, & ſororem eiuſdẽ
Goteberti, filiam Ariperti, duxit uxorẽ. Beneuentanum uero exercitũ cũ quo regnũ
apprehendit, remiſit ad propria, ditatum magnis muneribus, ſed aliquantos ſecum
retinuit, quibus largiſſimas poſſeſſiones conceſſit. Audiens aũt ꝙ Perthari in Scythi
am fugiſſet, & apud Cacanum regem Hunorũ ſtetiſſet, mandauit eidem Cacano, ꝙ
ſi Perthari in regno ſuo manſiſſet, pacem cũ Longobardis ſicut hactenus habere nõ
poſſet. Quod Cacanus ut audiuit, Perthari dixit, In qualemcunq; partem uolueris,
uade, quia in meo regno non poteris ſtare, ne propter te inimicitiã Longobardorũ
incurram. Perthari hęc audiens, delegit reuerti ad Grimoaldum, quia audierat eum
eſſe miſericordiſſimũ. Cum uero ueniſſet ad Laudenſem ciuitatẽ, miſit Vnulfum fi-
deliſſimũ ſibi uirũ ad Grimoaldum, qui ſuũ ei nunciaret aduentũ. Hoc audiens Gri
moaldus, gauiſus eſt nimium, & mandauit ei promittendo, ꝙ nullum malum ha-
beret ſi ad eum ueniret. Igitur Perthari ad Grimoaldũ ingreſſus, uoluit ſe ad pedes
eius iactare: ſed Grimoaldus nõ permittens eum hoc facere, retinuit eum, & oſcula-
tus eſt eum. Tunc dixit Perthari ad Grimoaldum: Seruus tuus ſum. Potui quidẽ ui-
uere inter Paganos, ſed audiens te Chriſtianiſſimum & miſericordiſſimũ, pro tuo
nomine bono ueni ad te. Tunc rex promiſit ei iureiurando coram omnibus dicens:
Per eum qui me naſci fecit, quando quidem ad meam fidem ueniſti, nullum malũ
erit tibi. Et dedit ei optimã domũ, pręcipiens ſuis miniſtris, ut omnia quæ ſibi eſſent
necaſſaria, ex publico abundantius haberet. Tunc Ticinenſes omnes cœperunt ad
eum currere, & quaſi notum ſalutare: ſtatim maleloqui accedentes ad Grimoaldũ,
dixerunt ad eum, niſi Perthari citius occideris, regnum non habebis, omnes enim
ad eum concurrunt, & propter eum te forte occidere habebunt. His uerbis Grimoal
dus credulus, oblitus eſt illi quod illi iurauit: & qualiter illum occideret, cum ſuis tra
ctauit. Deniq; per conſilium miſit ei ad cœnam diuerſos cibos, & optimũ merum, ac

Beneuentanus exercitus re-mittitur.

diuerſas potiones,ut cum per noctem quaſi mortuus iaceret,leuius occidi poſſet. Sed cum ad cœnam ſediſſet, uenit ad eum ſuus quondam ſeruiens, afferens ei cibum, quem miſit ei rex: & cum poſuiſſet eum ſuper menſam,finxit ſe ſalutare Perthari, & mittens caput ſub menſam,clam nunciauit ei conſilium Grimoaldi. Qui ſtatim uocauit ad ſe pincernã ſuum, præcepitq́ ei,ut in phiala aurea ſibi miſceret,ſemper aquã ſolam in eam mitteret. Tunc miſſi regis rogabant eum ex mandato eius, ut lætus biberet,& in honore Grimoaldi totam phialam conſumeret. Ille autem dicebat ſe cũ gaudio bibere,totamq́ phialam in honore eius effundere. Nihil autem bibebat niſi aquam. Pergebant igitur miniſtri regis,nunciantes ei,quòd multum uinum biberet Perthari,etiam ebrioſus eſſet. Ille uero cum gaudio dixit: Bibat ille ebrioſus hodie, cras enim euomet eadem uina cum ſanguine. Interea clamauit Perthari ad ſe Vnulfum fideliſſimum ſuũ,& indicauit ei regis uoluntatem & conſilium. Quod audiens Vnulfus,uocauit puerum ſuum,& præcepit ei,ut lectum ſibi faceret iuxta Perthari lectum. Cœna uero peracta,cum miſiſſet rex homines ſuos, qui Perthari cuſtodirent, ne aufugere potuiſſet,intrauit Perthari in cubiculum,ubi dormire debuit cum Vnulfo & ueſtiario ſuo fideliſſimo,nunciauitq́ eidem ueſtiario,quod de morte ſua rex cogitaret,& ait: Si ego effugere potuero, tu finge loquendo ad homines regis, quòd ego dormiam in iſto cubiculo,& forſitan effugiens,de manibus eorum me liberabo. Quod cũ ille gratãter ſe facturum promitteret,tulit Vnulfus culcitram & pellem urſinam,& poſuit ſupra dorſum Perthari,& cœpit eũ quaſi ſeruũ ruſticanum cũ uecte cædere,& cũ pugno in collo pellendo,extra regiam iactare. Cumq́ milites regis interrogarent quid hoc eſſet, Vnulfus dixit: Seruus iſte ruſticanus fecit mihi lectum iuxta lectum Perthari,qui ſic ebrius eſt,ut dormiat quaſi ſit mortuus. Hoc illi audientes, & uerum eſſe credentes,læti facti ſunt,& Perthari quaſi ſeruũ ruſticanũ exire dimiſerũt. Veſtiarius aũt ille fideliſſimus in cubiculo manſit,illudq́ claudẽs,firmiter obſerauit. Quod uidentes ſerui regis reuerſi ſunt ad dominum ſuum. Vnulfus aũt per funem depoſuit aliquantos uiros ad Perthari dominũ ſuum,qui cum illo irent. Pergentes igitur ſimul fugere cœperunt: & cũ inueniſſent caballos in prato, apprehenderunt eos, & caballicauerunt,& in ea nocte peruenerunt ad ciuitatem Aſtenſem, ubi erant ueriſſimi amici Perthari,quia eadem ciuitas nec dum ſubdita erat Grimoaldo, indeq́ fugiens in ciuitatẽ Taurinenſem, peruenit in Franciam, ſicq́ Deus omnipotens Perthari innocentem à morte liberauit,& Grimoaldum ne homicidium faceret,cuſtodiuit. In craſtinum ergo Grimoaldus ſperans,quòd Perthari dormiret in hoſpitio ſuo, miſit ad eum homines qui eum adducerent, & ab eodem loco ſuo uſq́ ad palatium fecit aſtare homines hinc & illinc, ne per qualecũq́ ingeniũ poſſet effugere. Cumq́ ueniſſent miſſi à rege,cœperũt clamare ad regiam ubi ueſtiarius ille manebat,ut Perthari à ſomno excitarent. Veſtiarius autẽ ille dicebat, Miſericordiam cũ eo facite, & dormire illum permittite,quia de uia laſſus eſt,& adhuc nimium dormit. Qui cum hoc regi renunciarent,ait: Sero ſic ebrius fuit,ut adhuc euigilare non poſſit? Iterum miſit,ut feſtinantius adduceretur. Qui uenientes ad ianuam ubi eum dormire ſperabant,magnis uocibus ut eum excitarent,clamabant. Veſtiarius ille iterum eos rogabat,ut aliquantulum dormire permitterent. Qui irati dixerunt. Satis iam dormiuit ebrioſus ille. & calcibus rumpebant regias: & ingreſſi cubiculum, requirebant eum in lecto: & non inuenientes,interrogabant ueſtiarium quid factum ſit de illo. Qui eũ fugiſſe reſpondit. Quẽ illi apprehendentes per capillos,fuſtibus cædebant,eumq́ ligatis poſt tergũ manibus,ad regẽ ducebant,dicentes: Iſte ſapit quomodo Perthari fugit,& ideo dignus eſt morte. Rex aũt ſolui eum præcepit, & per ordinem qualiter Perthari fugiſſet,edicere iuſſit. Qui omnia ſicut facta fuerant enarrauit. Tunc rex interrogauit circunſtantes dicens: Quid homo iſte promeruit,qui tale malũ fecit? Qui omnes reſponderunt, mala morte illum mori debere. Rex aũt dixit: Per illum qui me naſci fecit,bene debet homo iſte habere,qui ſe pro domino ſuo morti uoluit tradere. Tunc præcepit eum inter ſuos ueſtiarios eſſe, multa ei promittens, ſi ſibi talem fidem ſeruaret, quam Perthari ſeruauit. Deinde requiſiuit rex, quid de Vnulfo factum ſit. Qui ait: In Eccleſiam ſancti Michaelis Archangeli fugit. Statim rex miſit ad eum,promittens nullum malum eum habiturũ, tantũ feſtinantius ueniret ad eum.

Perthariti fuga & exiliũ.

Vnulſus

Vnulfus hoc audiens, feſtinanter ad palatium uenit, & ad pedes regis ſe protinus miſit. Quem cum rex interrogaret, qualiter Perthari effugeret: Ille omnem rei ueritatem ei narrauit. Tunc rex coram omnibus collaudans prudentiam eius & fidem, dedit omnes diuitias ſuas in illius poteſtatem, ut eſſet honoratiſſimus in palatio ſuo. Poſt aliquantos dies interrogauit eum rex, utrum ſecum, an cum Perthari libentius eſſet. Ille autem cœpit iurando dicere, quod magis optaret cũ Perthari mori, quàm ubicunq; in maximis delitijs uiuere. Deinde uocauit ueſtiarium illum, & iuſſit eum, utrum melius ſibi uideretur in palatio eſſe, an cum Perthari in peregrinationem ire Ille autem eadem uerba dicebat, quæ & Vnulfus antea dixerat. Rex autem cum audiſſet, guiſus eſt ualde, & laudauit fidem illorum, dixitq; ad Vnulfum: Quodcunq; uolueris de domo mea tolle, homines, uel caballos, uel quęcũq; alia, & uade ad dominum tuum ſine aliqua læſione. Similiter dixit ad ueſtiarium illum. Illi autẽ tulerunt omnia ſibi neceſſaria, & cum licentia regis Grimoaldi, perrexerunt ad dilectiſſimum dominum ſuum Perthari in partes Francorum.

Fideles ſerui & prudentes

Hoc tempore Dagobertus regnum Francorum tenebat, cum quo Grimoaldus pacem firmam habebat. Romanum uero imperium Conſtantinus, Conſtantis filius accepit, & per xvij. annos tenuit. Poſt hæc Grimoaldus flebotomauit ſe in palatio, & cum poſt ix. dies uellet ſagittare columbam unam, diſrupta eſt uena de eius brachio, & mortuus eſt. Hic in edicto quod Rex Rutheri fecit, aliquanta capitula annexuit. Fuit autm corpore maximus & audaciſſimus, capite caluo, barba longa, conſilio & uirtute primus. Sepultus eſt in Eccleſia ſancti Ambroſij, quã ipſe fecit. Reliquit autem filium ſuũ Garibaldum, quem de filia regis Ariperti habuit, ſucceſſorem regni adhuc puerũ, Romoaldum uero filium ſuũ iam in Beneuento ducem conſtituit.

Dagobertus Francorũ rex

Vena poſt 9. dies rupta Grimoaldo.

Igitur Perthari cum eſſet in Francia propter timorem Grimoaldi, quia fœderatus erat cum rege Francorum, uoluit fugere in Britanniam. Cumq; nauigaſſet per pelagus, ſubito audiuit à littore dicentem. Si Perthari eſt in iſta naui, dicite illi, ut reuertatur in patriam ſuam, quia iam dies tres ſunt, ex quo rex Grimoaldus mortuus eſt. Quod cum audiſſet Perthari, ibat prope littus, ut uideret illum qui loquebatur: ſed cum neminem inueniret, conſiderauit quod angelus hæc diceret, ſtatimq; reuerſus, uenit Ticinum, & inuenit ibi multitudinem Longobardornm, qui eum cum gaudio ſuſceperunt. Expulit autem Garibaldum puerum Grimoaldi de regno, & poſt menſem tertium ordinauerunt eum Longobardi regem ſuper ſe: erat enim homo iuſtus & in fide Chriſti rectus, & nutritor pauperum. Miſit autem in Beneuentum, & fecit exinde uenire Rodelindam uxorem ſuam, & Chunibertum filium ſuum, quos Grimoaldus illuc direxit in exilium. Poſt hæc idem Perthari fecit monaſterium in eodem loco unde prius fugerat, & fecit illud dedicari in honorem Dei & ſanctæ uirginis Agathæ, in quo multas uirgines congregauit, multaq; ornamenta & ſubſtantias ibi dedit. Fecit autem & uxor eius Rodelinda eccleſiam in honorem ſanctæ Dei genitricis & uirginis Mariæ, foris muros Ticini, in loco qui dicitur ad Perticas, decorãs eam mirificis ornamentis. Igitur Perthari cum regnaret ſolus per annos vij. in octauo anno ordinauit Chunibertum filium ſuum in regno, ut pariter regnaret, & regnauerunt pariter per decem annos. Cumq; in omni tranquillitate regnarent, ſurrexit contra eos filius diaboli, Alachis nomine, de Tridento: ſed Chunibertus filius regis diligens Alachis, reuocauit eum in gratiam patris ſui. Sæpe quippe uoluit rex interficere Alachin, ſed Chunibertus ſemper rogauit pro eo, ſperans quod aliquando ei fidelis eſſet. Inſuper non ceſſauit rogare patrem, ut daret ei ducatum Brixiæ. Perthari uero dixit: Ad tuam perditionem hoc rogas, ut talis potentiæ uirtutem Alachi dem, ut poſſit regnare. Ciuitas nanq; Brixiana ſemper habuit multitudinem de nobilibus Longobardis, propter hoc timuit Perthari, quod Alachis ibi dominaretur. Poſtq; aũt idem Perthari regnauit per annos xviij defunctus eſt, & iuxta Eccleſiam quam Aripertus pater eius fecerat, ſepultns eſt. Poſt mortem uero eius Chunibertus filius eius tulit uxorem nomine Ermelindam, de genere Angliſaxonum. Alachis uero oblitus omnia bona quæ in eum fecit Chunibertus, iunxit ſe cum Aldone, & Grauſone de Brixia, & cum multis Longobardis: & cum non eſſet Chunibertus in Papia, introiuit ille in palatium eius, & rebellauit ei. Quod audiens Chunibertus,

Perthari reditus.

Monaſterium uirginum extruit Pertharitus.

Alachis diaboli filius.

fugit intra lacum Larium iuxta Comum. Facta eſt autem magna tribulatio omnibus qui eum amabant, maxime clericis & præsbyteris, quos Alachis odio habebat.

Damianus epiſcopus Ticinenſis.

Erat autem illo tempore in Ticinenſi Eccleſia epiſcopus, nomine Damianus, ſanctiſſimus homo atq; ſapientiſſimus. Hic uidens quod Alachis haberet palatium, ne eccleſia ſua uel ipſe aliquod malum pateretur, miſit ad eum cum benedictione eccleſię ſuę diaconum ſuum nomine Thomam, ſapienté hominem & religioſum. Cumq; nunciatum eſſet ei, quod ueniret ad eum Thomas diaconus, cum benedictione epiſcopi ſui,

Alachis oſor cleri.

Alachis pro eo quòd omnes clericos odio habebat, mandauit ei dicens: Si femoralia, id eſt, bracas mundas habet, intret ad me: ſin autem, foris ſtet. Thomas autem reſpōdit: Nunciate ei, quia munda femoralia habeo, nam hodie lotas indui ueſtes.

Facetia de femoralibus, et de eo quod intra femorale eſt.

Ille autem remandauit ei: Non dico de femoralibus, ſed de eo quod intra femoralia habet. Ad hæc Thomas diaconus reſpondit: Deus ſolus poteſt de his cauſis reprehenſionem in me inuenire, ille autem non poteſt. Cumq; illum intrare feciſſet, cum magna ira locutus eſt ei. Quod audientes omnes clerici, timuerunt, nimium ſperantes quod in illa ciuitate propter crudelitatem eius uiuere non poſſent, cœperuntq; tantum deſiderare & amare Chunibertum regem ſuum, quantū audierunt Alachin crudelem & ſuperbum. Vnde crudelitas eius & ſuperbia non durauit per tempora multa. Deniq; cum quadam die ſolidos ſuper menſam numeraret, unus tremiſſis decidit, quē filius Aldonis adhuc puerulus de terra collegit, eiq; reddidit. Qui ſperans quod ipſe puer adhuc nihil intelligeret, dixit: Pater tuus multos habet de iſtis: ſi Deus uoluerit, in proximo tempore mihi daturus eſt eos. Cum autem puerulus ad ueſperum rediret domum, interrogauit eum pater ſuus, ſi rex aliquid dixiſſet ad eum. Qui cum ei nunciaſſet omnia facta & dicta, timuit Aldo fortiter, & uadens ad fratrem ſuum Grauſonem, nunciauit ei regis uerba, ſtatimq; cœperunt ambo conſiliari cum amicis ſuis de interitu regis. Mane autem perrexerunt ad palatium, & ſic ad Alachim locuti ſunt: Quid dignaris ſemper ſtare in ciuitate? Ecce tota ciuitas & uniuerſus populus tibi fidelis eſt: ebrioſus ille Chunibertus in tantū humiliatus eſt, ut iā amplius uirtutē aliquam contra te habere non poſſit. Exi ergo de ciuitate, & uade in uenationem cū iuuenibus tuis, nos autem cum alijs fidelibus tuis defendimus tibi hanc ciuitatem, ſed & hoc promittimus tibi, ut in proximo tempore caput inimici tui Chuniberti ad ducamus tibi. Alachis autem iuxta ſuaſionem eorum exiuit de ciuitate in ſyluam, ad uenandum cum hominibus ſuis. Aldo uero & Grauſo ierunt ad lacum Cumacinum & ingreſſi nauim, perrexerunt ad regem Chunibertum, & iactantes ſe ad pedes eius, ueniam petebant, de hoc quod contra eum fecerunt, & indicauerunt ei, quale malum eis facere uoluerit Alachis, & quale conſilium dederint ei. Quod audiens rex Chunibertus, gauiſus eſt ualde, & ſacramentum inter ſe dederunt, & ſtatuerunt diē, quando Chunibertus Ticinum ueniret, ipſiq; eum in ciuitatem intromitterent. Conſtituto autem die uenit Chunibertus, & illi ſicut promiſerant, gratanter eum ſuſcepe runt. Tunc omnes ſimul epiſcopus & præsbyteri & clerici, iuuenes & ſenes, cum gaudio cucurrerunt ad eū, gratias agentes Deo pro reditu eius, & alij amplexabantur genua eius, & alij pedes: ſed & ille quos potuit, familiariter oſculatus eſt. Subito aūt nūcius exinde ueniens ad Alachiſum, dixit ei, ꝙ Aldo & Grauſo nō tantū caput Chuniberti, ſicut promiſerant, ſed & totū corpus adduxiſſent, & in palatiū miſiſſent. Quod ille audiens, cōtriſtatus eſt ualde, & cū magno furore diſcedens, iuit per Placentiā & multas ciuitates, alias per blanditias, alias ui apprehendens, cōgregauit oēs quos potuit, ut cū Chuniberto pugnaret. Cūq; Chunibertus econtra ſuos colligeret, conuenerunt in campo qui coronatus dicitur, ibiq; ſteterunt.

Campus qui dicitur Coronatus.

Miſit aūt Chunibertus ad Alachiſū dicens: Vt quid perit tanta hominū multitudo? Pugnemus ego & tu, & qui uicerit, regnū teneat. Alachis aūt noluit. Cui dixit unus de populo ſuo, nomine Tuſcus: Quare non pugnas cum eo? Tu fortiſſimus & audaciſſimus es, & cur non exis cū audacia, ut pugnes cū eo? Alachis reſpōdit: Chunibertus ꝗuis ebrioſus ſit tamē ſatis eſt fortis. Nam tempore patris ſui qñ eramus pueri, erant in palatio uerueces maiores, & Chunibertus apprehendit quemuis illorum per lanam de dorſo, & portauit una manu, quod ego facere non poteram. Quod audiens Tuſcus ille, dixit: Si tu cum illo pugnare non poteris, nec me amplius in adiutorium habebis; & ſtatim

relicto

relicto eo,iuit ad Chunibertum,& indicauit ei omnia hæc. Cum autem iam prope eſſet,ut iungere ſe deberent ad pugnam,diaconus quidam nomine Sceno, multum amans Chunibertum,& timens ꝙ in eadem pugna moreretur,dixit ad eum: Domine mi rex,omnis ſpes noſtra in te eſt, ſi tu mortuus fueris in pugna, omnes nos ille crudeliſſimus Alachis per diuerſa occidet tormenta. Placeat itaq; tibi conſilium meum,& da mihi omnia arma tua,& ego uadam & pugnabo cum iſto aduerſario. Si ego mortuus fuero,tu recuperabis cauſam tuã,ſi uicero,maiorem inde habebis gloriam,quia per ſeruum tuum habebis uictoriam. Cumq; Chunibertus hoc omnino recuſaret,rogauerunt eum fideliſſimi ſui,qui aderant,ut ei conſentiret. Tunc ille conſenſit,indutumq; diaconum omnibus armis ſuis pro ſe ad pugnam miſit. Cumq; pugnarent ambæ partes, Alachis ſemper intendebat, ubi Sceno diaconus ſtabat, putansq; ꝙ Chunibertus eſſet,impugnauit eum & occidit, & cũ gaudio caput eius abſcidi præcepit,leuansq; illud in haſta, gratias egit Deo,ꝙ Chunibertũ occiderit. Sed cum caſſidem de capite eius tuliſſent, apparuit ꝙ clericus eſſet. Tunc Alachis cum ira magna exclamauit. Heu me, nihil fecimus quãdo hanc pugnam cõmiſimus, in qua clericum occidimus: & ſtatim tale uotum uouit,ꝙ ſi uictoriam de Chuniberto haberet, puteum unum de clericorum teſticulis impleret. Igitur Chunibertus uidens ſuos deficere, putantes ipſum mortuum eſſe,oſtendit ſe eis,confortans eos,& dicens. Nolite timere,modo enim debemus inimicos noſtros uincere. Iterum præparauerunt ſe ambæ partes ad pugnam,& cum iam prope eſſet,ut ſe coniungerent, rurſum mandauit Chunibertus ad Alachiſum dicens. Cur perit populus? Pugnemus nos duo, qui uicerit, dominetur omni huic populo. Cumq; Alachiſo ſui homines dicerent, quare non pugnas cum eo,ille reſpondit. Non poſſum hoc facere, quia uideo imaginem S. Michaelis Archangeli inter haſtas ſuas,ubi ei iuraui. Tũc unus ex illis dixit ei. Propter timorem uidebitur tibi quod non eſt,& iam tibi tardũ eſt hoc dicere. Congredientibus autem utriſq; partibus, multi utrinq; ceciderunt, Alachis quoq; cecidit, & Chunibertus, adiuuante domino,uictoriam habuit. Caput autem Alachis & crura abſciſa ſunt,& ſolum corpus truncũ remanſit. Rex uero cum gaudio & uictoria reuerſus eſt Ticinum. Cum iſta fierẽt,apud Longobardos trans Padum, Romoaldus filius Grimoaldi, dux Beneuentorum,congregato exercitu, cœpit expugnare Tarentum & Brunduſium,& totam illam regionem ſibi ſubiugauit. Diederada uero uxor eius fecit monaſterium in honore S. Petri Apoſtoli,foris muros ciuitatis Beneuentanæ,in quo puellarum Chriſti fecit conuentum. Poſtq; regnauit Romoaldus per annos xvi. mortuus eſt, & filius eius Grimoaldus rexit Beneuentum per triennium, duxitq; uxorem Vuigilindã,filiam Perthari, ſororem Chuniberti. Poſt mortẽ Grimoaldi, Giſolphus frater eius dux factus eſt, & tenuit ducatum per annos xvij. hic uxorem habuit Vuinibirgam,filiam Radoaldi ducis. Circa hæc tempora, cum iam per multos annos monaſterium S. Benedicti,in Caſſino monte eſſet derelictum, uenerunt Franci de Celmania,& de Aurelia in eundum locum, & dum ſe fingerent iacere in eodem loco, ubi iacebãt corpora S. Benedicti,& ſanctæ Scholaſticæ, tulerũt oſſa eorum, & portauerunt in patriam ſuam, ubi facta ſunt duo monaſteria, unum in honore S. Benedicti,aliud in honore ſanctæ Scholaſticæ. Sed nos certum credimus illud uenerabile os diuina ſemper ruminans uerba,& oculos ſemper cœleſtia uidentes,& alia membra illius,quamuis diſſoluta,in eodem loco remanſiſſe. Solum enim corpus domini non uidit corruptionem,aliorũ uero corpora ſanctorũ quamuis in æterna gloria reparanda ſint,tamen in hoc ſęculo diſſoluta ſunt. Dum hæc in Italia geruntur,orta eſt hęreſis apud Conſtantinopolim,quam excitauerunt Georgius patriarcha Conſtantinopolitanus,& Macharius,& Pyrrhus, & Petrus,& Paulus, ſeparantes in Chriſto Deitatem & humanitatem. Propter quam cauſam Conſtantinus Imperator fecit congregari centum quinquaginta Epiſcopos,inter quos fuerunt duo legati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ miſſi à papa Agathone, Iohannes diaconus, & Iohannes Portuenſis Epiſcopus,factoq; conſilio, damnauerunt hæreſim prædictam. Eadem uero hora tantæ telæ aranearum in medio populi ceciderunt,ut omnes exin demirarentur. Hoc autem uiſæ ſunt ſignificare,ut hęreſis illa eſſet exinanienda. Prædictus autem Georgius patriarcha ab Epiſcopis admonitus & correctus eſt, alij uero in ſua

Diaconus pugnat pro Chuniberto.

Votũ Alachis implendi puteum de clericorum teſticulis

De tranſlatione S. Benedicti & Scholaſticæ, opinio.

Hæreſis ſeparantiũ in Chriſto deitatẽ & humanitatem.

Telæ aranearum.

Sexta Synodus.

in ſua perfidia permanentes, ab omnibus Epiſcopis anathematizati ſunt. Hæc eſt ſexta ſynodus uniuerſalis, id eſt, quam mundus uniuerſus tenet. His quoque temporibus per octauam indictionem eclipſis lunæ apparuit, & ſecundo die intrantis Maij, eclipſis ſolis facta eſt, hora diei decima, ac deinde menſe Iulio, Auguſto & Septembri, mortalitas magna facta eſt. Tunc uiſibiliter multis hominibus apparuerunt duo angeli, unus bonus, & alter malus, ambulantes per urbem tempore nocturno, & ille malus tenebat uenabulũ in manu, & per iuſſionem boni angeli de quacunque domo ianuam percuciebat, alia die omnes homines de eadem domo moriebantur.

Peſtes.

S. Sebaſtiianus contra peſtem

Paulus Dicco. lib. 6. cap. 2.

δοκιμάζετε τὰ πνεύματα εἰ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστιν

Diabolus in ſpecie muſcæ

Poſt hæc cuidam homini bono per uiſionem dictum eſt, quod ipſa mortalitas nõ ceſſaret, niſi in Eccleſia S. Petri, quæ dicitur ad uincula, dedicaretur altare in Honore S. Sebaſtiani martyris, Quo facto, mortalitas ceſſauit. Interea rex Chunibertus cum quodam fideliſſimo ſuo conſiliatus eſt, quomodo Aldonem & Grauſonem occideret. Cumque de hac re inter ſe loquerentur, ſtantes prope feneſtram quandam, ſubito in feneſtra illa muſca cõſedit. Quã Chunibertus occidere uolens, cum cultello quod in manu tenebat, pedem illius tantum abſcidebat. Cumque Aldo & Grauſo ad palatiũ regis tenderent, & iam adpropinquarent, obuiauit eis unus homo pede truncato, & dixit eis, quod Chunibertus rex uellet eos occidere. Hoc illi audientes, fugerunt in Eccleſiam S. Romani martyris, & abſconderunt ſe poſt altare ipſius Eccleſiæ. Cumque hoc regi nunciatum fuiſſet, ſtatim uocauit ad ſe illum fideliſſimum ſuum cui hoc ſoli crediderat, & dixit ei. Quare conſilium meum credidiſti cuique homini. Ille cũ tremore reſpondit. Domine mi rex, tu ſcis quia poſtquam mihi locutus es, nunquam de tuo conſpectu foras exiui, quomodo hoc alicui homini dicere potui? Tunc rex mandauit ad Aldonem & Grauſonem, ut quid in Eccleſiam fugiſſent. Qui reſponderunt. Quia audiuimus quod rex nos occidere uellet. Iterum mandauit ad eos rex, interrogans quis eis hoc nunciaret, & dixit quod gratiam ſuam non haberent, niſi hoc ſibi manifeſtarent. Tunc illi omnia quæ facta fuerant, manifeſtauerunt dicentes, quia obuiauit nobis unus homo pede truncato uſque ad geniculum, & ipſe hoc nobis nunciauit. Tunc rex Chunibertus intellexit quod muſca illa diabolus fuiſſet, & ipſe hoc eis nunciaſſet, ſtatimque uocauit eos ad ſe, & reddidit eis gratiam ſuam, & uſque ad mortem habuit eos honoratos.

Conſtantinus moritur.

Leo Iuſtinianum naſo truncat.

Inter hæc Cõſtantinus Imperator mortuus eſt, & Iuſtinianus filius eius minor tenuit regnum per annos decem. Contra hunc Leo quidam uenit, apprehenſumque naſo detruncauit, eijciensque de regno, ipſe per annos tres regnauit, & illum in inſulam quandam exiliauit. Iterum Tyberius hũc Leonem de regno expulit, ipſeque regnum tenuit, & illum in cuſtodiam poſuit. Poſt hæc Iuſtinianus regnum ſuum per adiutorium Tebelli regis Bulgarum, recepit, & Leonem atque Tyberium coram populo in medio circulo decollari fecit.

Cedoaldus rex Angliæ, ad fidem conuertitur.

His diebus rex Angliſaxonum, nomine Cedoaldus, qui multas pugnas in ſua patria commiſit, ad Chriſtum conuerſus eſt, & tendens Romam, uenit ad Chunibertũ regem, à quo cum magno honore ſuſceptus, iuit Romam, & à beato Sergio papa baptizatus, Petrus nominatus eſt, & cum adhuc in albis eſſet, mortuus eſt, & in Eccleſia S. Petri ſepultus. Hoc etiam tempore fuit in regno Francorum uir nomine Arnoldus Deo amabilis, qui relicto ſeculo, poſtea Epiſcopus factus eſt. Chunibertus uero poſtquam regnauit annis xij, ſolus poſt mortem patris mortuus eſt, regnũque filio ſuo Lieperto adhuc paruulo, dimiſit: cui Aſprandum uirum ſapientẽ nutritorem conſtituit. Poſt octo menſes Reginbertus dux Taurinẽſium, uenit cum exercitu cõtra Aſprandum & Rothariũ, duces Pergamenſium, & pugnans cum eis, uicit eos & apprehendit regnum, ſed eodem anno mortuus eſt. Cuius filius Aripertus iterũ pugnauit aduerſus Liepertum regem apud Ticinum, & Liepertum in pugna uiuum apprehẽdit, Aſprandus uero nutritor eius in inſulam Cumacinam fugit. Dux autem Rotharius, cum rediſſet Pergamum, Haripertus cum magno exercitu obſedit & expugnauit ciuitatem, apprehenſoque Rothario, fecit radi caput eius & barbã, & exiliauit eum, ubi poſt aliquantum tempus mortuus eſt. Liepertum uero puerum miſit in balneum, & clauſit ianuam ſuper ipſum, ſicque nimio calore mortuus eſt. Aripertus autem cum ſecurus iam regnaret, apprehendit Sigebrandum filium Aſprandi, & excæcauit eum, & omnes parentes eius per diuerſa tormenta afflixit, Luiprandum autem filiũ eius

minorem

minorem tenuit in carcere. Et quia adhuc erat puerulus, perſonã eius deſpexit, & noluit ei facere aliquod malum, inſuper dimiſit eum ire ad patrem ſuũ. Igitur Luiprandus uenit ad patrem ſuum in Bauariam, quo ipſe iam dudum fugerat eundẽ Aripertum, ad ducem Theodebertum, ſtetitq́ cum eo per annos nouem. Quo cum ueniſſet Luiprandus, cum gaudio magno eſt ſuſceptus.

Hoc tempore apud Gallias in regno Francorum, ſub nomine maioris domus principabatur Anſgis, filius Arnoldi ſupradicti, qui nomen trahere uidetur ab Anchiſa Troiano. Igitur poſtq̃ Aſprandus per annos nouem manſit in Bauaria, mouit exinde Theodebertum, Bauuariorum ducem, & cum exercitu uenit in Italiam, pugnauitq́ cum Ariperto, & mortui ſunt multi de partibus utriſq́. Sed quamuis in ipſa pugna nox finem feciſſet, certum eſt tamen ꝙ Bauarij fugerunt, & Aripertus cum uictoria rediјt ad caſtra. Qui cum noluiſſet manere in caſtris, ſed iret in Ticinum, fecit deſperationẽ populo ſuo, & aduerſatijs dedit audaciam. Poſtq̃ uero ciuitatẽ intrauit, & ſenſit iratum ſibi eſſe populum pro tali facto habuit conſilium, ut fugeret in Franciam, & tulit de palatio aurum quantum uoluit, & exiuit. Cumq́ Ticinum fluuium oneratus auro tranſnatare uoluiſſet, ſuffocatus ab aqua mortuus eſt. Alio die inuentum eſt corpus illius, & ſepultum eſt in Eccleſia Domini ſaluatoris. Poſt cuius mortem Aſprandus Longobardorum regnum tenuit, & ſolummodo tres menſes regnauit, uir per omnia bonus, & cuius ſapientiæ pauci homines aſſimilari poſſunt. Videntes autem Lõgobardi ꝙ Aſprandus moreretur, fecerunt ſibi regem filium eius Luitprandum, patre adhuc uiuente. Philippicus autem Iuſtinianum imperatorem occidit, regnumq́ eius per annum & ſex menſes tenuit. Surrexit enim contra eum Anaſtaſius, qui & Arthemicus dictus eſt, & eiecit eum de regno, oculosq́ eius erumpere fecit. Anaſtaſius autẽ, cum mitteret naues iu Alexandriam contra Sarracenos, diuertentes milites Conſtantinopolim, exquiſierunt Theodoſium, orthodoxum uirum, & inuitum per uiolentiam poſuerunt in regnum. Exiens autem idem Theodoſius de Conſtantinopoli in Niceam, pugnauit contra Anaſtaſium, & uicit eum, & tulit ab eo ſacramentum, & eũ clericum fieri iuſſit, & poſtea præsbyterũ ordinari fecit. Mortuo aũt Theodoſio, poſt annum unum Leo factus eſt imperator. Apud regnum Francorum, in illo tempore Pippinus regnauit, qui fuit nimium audax, ſemperq́ ab hoſtibus uictoriam habuit. Hic habuit filios, ſed ex eis Carolus optimus extitit, qui poſt eum regnum accepit.

Anſgis Paul. Diac. li. 6. ca. 5. Arnulfum dicit maiorem domus fuiſſe. Deinde cap. 8 de Anchiſe maiore domus loquitur.

Philippicus occidit Iuſtinianum.

Pipinus regnat apud Francos.

Circa hæc tempora compunctus diuino amore Petronax de Brixia, uenit Romã, & ad exhortationem beati Gregorij, tunc temporis papæ, uenit in Caſſinum caſtrũ, cœpitq́ ibi habitare cum hominibus, qui tunc ibi reſidebant. Qui deinde eundẽ uenerabilem uirum Petronacem fecerunt ſibi ſeniorem. Cœperunt autẽ ſtatim ad eum concurrere multi uiri nobiles, & adiuuante diuina gratia, pro meritis beati patris Benedicti, reparauit priora habitacula, uiuensq́ cum omnibus ſub iugo ſanctæ regulæ, ſecundum ordinem beati Benedicti, ſanctum illud monaſteriũ ad bonum perduxerat ſtatum. Huic uenarabili uiro multa fecit adiutoria dilectus Deo Zacharias papa, dans ei libros ſanctæ ſcripturæ, & alia quæ ad utilitatem monaſterij pertinent, inſuper & regulam, quam beatus pater Benedictus manibus ſuis ſcripſit. Ab illo aũt tempore ex quo locus ille deſtructus eſt uſq́ ad iam dictum Abbatem Petronacem, completi fuerunt centum & decem anni. In Francia, mortuo Pipino, filius eius Carolus, quamuis per multas pugnas tulit principatũ de poteſtate Reginfridi. Inter hæc Luitprandus rex audiens, ꝙ Sarraceni deprędarentur Sardiniam, dedit magnum preciũ, & miſit Sardiniam, fecitq́ inde adduci oſſa S. Auguſtini Epiſcopi, & poſuit illa honorifice in Ticino. Poſt hæc Carolus rex Francorum, miſit Pipinum filium ſuum ad Luitprandum regem, ut tonderet capillos eius, & faceret eum ſibi exinde cõpatrem quod ille fecit, puerumq́ cum donis multis ad patrem remiſit. Igitur Luitprãdus rex multas Eccleſias per loca diuerſa conſtruxit. Fecit enim monaſteriũ beati Petri Apoſtoli, foris muros Ticinenſis ciuitatis, quod dicitur ad cœlum aureũ, & ſurſum in alpibus, in propria ſua uilla fecit monaſterium, quod dicitur Barcetum. Itemq́ in Lonna uilla propria, monaſterium fecit in honore S. Anaſtaſij martyris. Similiter fecit Eccleſiam Domini ſaluatoris in palatio ſuo, & ordinauit ibi ſacerdotes & clericos, qui quotidie diuina officia celebrarent ibi, quod nunq̃ alij reges ante ipſum habuerunt.

Petronax de Brixia.

Zacharias Papa.

Carolus Pipini filius.

Monaſterium ad cœlum aureum.

Barcetum

Lonna.

Poſtq̃

Dotes Caroli filij Pipini.

Poſtq́ uero regnauit per annos xxxi. & menſes vij. mortuus eſt, ſepultusq́ eſt in Ecclesia S. Hadriani martyris, ubi & pater eius ſepultus eſt. Fuit autem ſapiens & fortis, amator pacis, culpantibus miſericors, caſtus, orationibus & uigilijs deditus, in eleemoſynis largus, literas non nouit, ſed tamen ſic ſapiens fuit, ut Philoſophis aſſimulandus ſit.

Hucuſq́ de Longobardorũ gentis origine, eiusq́ in Italiam ingreſſione, regumq́ eius ſucceſſione ſtrictim deſcripſiſſe, Imperatorum quoq́ Romanorum interim regnantium nomina & tempora breuiter tetigiſſe ſufficiat, nunc ad cœptæ ſeriei digeſtionem, unde paululum digreſſi ſumus, deſcriptio redeat.

Iuſtinus Tyberium Cæſarẽ appellat.

IVſtinus Imperator Tyberium comitem excubitorũ ſibi filium faciens, Cæſarẽ appellauit, & ſucceſſorẽ ſuũ cõſtituit. Erat Imperator pedibus æger, & per hoc magis in lectulo iacuit. Poſt hæc infirmatus, ſed poſt paululũ à languore dimiſſus, cõuocauit tam Euticiũ Põtificẽ & ſenatũ, quàm omnes ſacerdotes & ciues, & adducto Cæſare Tyberio, palàm omnibus appellauit eum Imperatorem, his ſermonibus uſus. Ecce Deus benefecit tibi, hunc habitum Deus tibi dedit, non ego. Honora illum, ut tu quoq́ honoreris ab illo, honora matrem tuam, quæ aliquando tibi domina fuit, noſti ꝙ primũ fueris eius ſeruus, nunc autem filius. Ne gratuleris in ſanguinibus, nec communices homicidio, ne malum pro malo reddas, ne in malo inimicitiæ mihi ſimilis efficiaris, non eleuet te habitus hic, quemadmodum me, ſic attende omnibus ſicut tibi, ſcito quis fueris, ne ſuperbias, & non peccabis. Omnes iſti filij tui ſunt & ſerui, hos cum uideas, omnes qui ſunt reipublicę uides. Hęc cum dixiſſet, & facta oratione à patriarcha, cum dixiſſent omnes Amen, cecidit Cęſar ad pedes Imperatoris, & dixit ei. Si uis ſum, ſi uis non ſum. Et Imperator ait. Deus qui fecit cœlum & terram, ipſe omnia quæ dicere oblitus ſum, in cor tuum mittat. Hec cum loqueretur Imperator, replebat lachrimis totũ collegium. Poſt hæc Iuſtinus anno xi. regni ſui mortuus eſt, relicto Tyberio ſucceſſore.

Præcepta Chriſtiana digna Cæſare

ANNI IVSTINI.

Armenij fidẽ ſuſcipiunt. Sophía Auguſta remittit debita.

PRimo autem anno IVSTINI, qui eſt annus Dñicæ incarnationis Dlxv. Armenij ſuſcipiunt fidem. Anno Domini Dlxvi. Anno Dñi Dlxvij. Sophia Auguſta accerſitis notarijs, deferri iuſſit cautiones debitorũ & breues, & dimiſit eis omnia. Eodem anno Narſes patritius Totilã regẽ occidit, Gothosq́ diſperſit. Anno Domini Dlxviij. Lõgobardi Italiã petentes, de Pãnonia egreſſi ſunt. Anno Domini Dlxix. Anno domini Dlxx. Longobardi Mediolannm intrauerunt. S. Vedactus obijt. Anno domini Dlxxi. Gregorius Turonenſis Epiſcopus claruit. Anno Domini Dlxxij. Anno domini Dlxxiij. Anno Domini Dlxxiiij. Anno Dñi Dlxxv, Iuſtinus Imperator obijt. Quidam ſcribunt, ꝙ in hæreſim Pelagianam inciderit, & ideo iuſto Dei iudicio ſenſu perdito cum amentia uitam finiuerit.

Iuſtinus Pelagianus.

HISTORIA.

Tyberius coronatur & Anaſtaſia.

ANno Dñicæ incarnationis Dlxxvi. urbis uero cõditę milleſimo cccxxvij. TYBERIVS Cõſtantinus genere Thrax lv. loco ab Auguſto imperiũ accipiẽs, coronatus eſt ab Euticio Patriarcha, regnauitq́ annis vij. Qui mittens adduxit uxorẽ ſuam Anaſtaſiã, & coronauit eã. Quæ cũ coronaretur, clamabãt partes. Anaſtaſia tu uincas. Salua Domine quos iuſſiſti imperare. Hoc audiens Sophia uxor Iuſtini, animo perculſa eſt, neſciebat enim ꝙ haberet uxorẽ, uolebatq́ ipſa nubere Tyberio, & permanere Auguſta. Quidã uero dicebãt, ꝙ uiuente Iuſtino, adamicata fuerit Tyberio, & ipſa perſuaſerit Iuſtino, ut eum Cæſarem faceret. Qui cum adhuc uiuente Iuſtino præeſſet palatio, & cum, ut uere Chriſtianus, theſaurum multum, quem Iuſtinus male congregauit, peiusq́ in ferreis arcis repoſuit, pauperibus diſtrubueret, Sophia Auguſta frequentius eum increpauit dicens. Quod ego per multos annos congregaui, tu in modico temporis expẽdis. Cui ille ait., Confido in Domino, quia pecunia non deerit fiſco regali, tantum pauperes elemoſynas acci-

piant,

piant,& captiui redimantur,Hic cum imperialem coronam accepturus eſſet, eumq́ iuxta conſuetudinem in ſpectaculo circi,ubi reges coronari ſolebant, populus expectaret,quidam aduerſarij inſidias ei parauerunt, & Iuſtinianum, nepotem Iuſtini in imperiū ſublimare uoluerunt. Ille autem prius loca ſancta perambulauit, poſtea uocans ad ſe Pontificem urbis Euticium,cum conſulibus & præfectis,ceterisq́ honoratis,palatium intrauit,& induens ſe purpura,coronamq́ ſibi imponens, ſedit ſuper ſedem imperialem,& cum magnis laudibus in gloria regni eſt confirmatus. Quod uidentes eius aduerſarij,magna confuſione ſunt cooperti. Iuſtinianus uero poſt paucos dies ueniens,proiecit ſe ad pedes eius,& ut gratiam eius haberet, quindecim centenaria dedit ei. Ille autem,ut ſemper fuit patiens, ſuſcepit eum bene, iuſſitq́ eum in palatio ſemper manere. Sophia quoq; immemor promiſſionis, quam aliquando fecerat Tyberio,tentauit ei fraudem ingerere,exeunte enim illo ad uillam,ut iuxta conſuetudinem imperialem per xxx. dies iocundaretur cum ſuis ad uindemiam, Sophia Iuſtinianū clam uocauit,eumq́ in regnum ſublimare quæſiuit. Hoc audiens Tyberius,feſtinanter Conſtantinopolim redijt, apprehenſamq́ Sophiam omnibus ſuis rebus eam ſpoliauit,dimittens ei tantum unde uiueret,& tollens omnes pueros eius, de ſuis fidelibus poſuit,qui ei ſeruirent, pręcipiens ut nullus ex his qui ei antea ſeruiebant,ad eam accederet. Iuſtinianum uero ſolis uerbis corripiens,in tantum eum poſtea dilexit,ut filiam ſuam filio eius promitteret, rurſumq́ filio ſuo filiam eius expeteret,ſed neſcio qua de re hoc ad effectum non peruenit. Hic itaq;, quia multas eleemoſynas quotidie fecit,multum ei Deus aurū demonſtrauit. Quadam itaq; die ambulans per palatium,uidit in pauimento petram,in qua ſculptum erat ſanctæ crucis ſignum. Et ait: Cruce Domini frontes & pectora noſtra ſignare debemus, & ecce ſub pedibus noſtris eam calcamus,& iuſſit eam auferri. Quæ cum leuaretur, inuenerunt aliam ſimili modo ſignatam . Cumq; & hanc ſubleuari iuſſiſſet, apparuit tertia, hanc quoq; cum leuaſſent, inuenerunt plus quàm mille centenaria auri. Quo ſublato,multum pauperibus largitus eſt ex eo. Narſes quoq; patritius magnam domum habuit,in qua ciſternam faciens,multum aurum & argentū in ea recondit, occidens huius rei conſcios,præter ſenem unum,à quo iuramento exigens omnia ei cōmendauit. Mortuo aūt Narſete,prędictus ſenex ad Tyberium uenit,& de eadem pecunia ei indicauit. Qui gauiſus,miſit pueros ſuos cum eo,qui aperientes ciſternam, tantam pecuniam inuenerunt,ut per multos dies uix potuiſſet deportari. Quam more ſuo penè omnem pauperibus erogauit. Hic,cum temporibus Benedicti papę uaſtātibus omnia Longobardis,Roma fame laboraret,multa millia modiorū frumēti nauibus ab Aegypto dirigens,eam miſericordiæ ſtudio releuauit. Tertio huius anno rex Perſarum congregauit exercitum copioſum contra eum,ſed miſſus ab eo exercitus duce Mauritio,Perſas uicit,reuerſusq́ Mauritius cum uictoria, honorifice à Tyberio eſt ſuſceptus,dataq́ ſibi filia Imperatoris Conſtantia, gener eius eſt effectus . Similiter & Germano prætori iunxit filiam ſuam Charito, utrumq; Cęſarem creans. Ad hunc Tyberium Helpericus rex Francorum miſſos ſuos direxit,& multa dona accepit,& Aureos tales,quorum unus ſolidus libram penſauit, & habebant ex una parte figuram Imperatoris, & per gyrum ſcriptum: Tyberij Conſtantini perpetui Auguſti,ex altera parte currum & hominem ſuper eum, qui minabat illum, & ibi erat circūſcriptum: Gloria Romanorum.

His temporibus beatus Gregorius tūc Archidiaconus, cum fuiſſet à Pelagio Papa Conſtantinopolim miſſus,rogātibus fratribus ſecum cōmorantibus, maximeq́ Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo,qui etiam tunc temporis illuc miſſus fuerat,moralia Iob ſcripſit,& Euticium eiuſdem urbis Epiſcopum, præſente Tyberio Auguſto,in fide reſurectionis erraſſe conuicit. Tyberius autem,cum regnaret annis vij. & infirmatus, mortem ſibi propinquam ſentiret,cum conſilio Sophiæ Auguſtæ,Mauritium generum ſuum,genere Cappadocium ad imperium elegit, eiq́ principatū dedit, dicens, In mente habe, ut rectitudinem & iuſtitiam ſemper ames, hoc poſtq́ dixit,de hac luce migrauit. Quem omnes populi multum planxerūt pro bonitate eius. Fuit enim ſummę bonitatis,ad eleemoſynas promptus,in iudicijs iuſtus,in diſcretione cautiſſimus, nullum deſpiciebat, ſed omnes cum bonitate ſuſcipiebat, & quia dilexerat omnes,

Iuſtinianū quidam,nepotem Iuſtini uolunt in imperium ſublimare.

Sophia fraudē intentat Tyberio.

Petra cum ſigno crucis theſaurum occultans,uide Egnat lib. 18.

Mille centenaria auri inuenta.

Tyberij miſericordia in pauperes.

Tyberius uincit Perſas.

Gloria Romanorum.

Moralia Gregorij.

Mauritij dotes.

omnes,ab omnibus dilectus eſt. Cuius anno primo theſaurus magnus ſub pauimento palatij, & in domo Narſetis patritij inuentus eſt, ut ſupra dictum eſt.

ANNI TYBERII CONSTANTINI.

ANno Domini Dlxxvij. Benedictus Papa lxiiij. ſedit annis iiij. Ab hoc Gregorius ad prædicandum Anglis miſſus eſt. Anno Domini Dlxxviij. Sigibertus filius Lotharij interfectus eſt anno regni ſui xiiij. Anno Domini Dlxxix. Anno Domini Dlxxx. Anno Domini Dlxxxi. Pelagius papa lxv. ſedit annis x. menſes ij. Anno Domini Dlxxxij. Tyberius Conſtantinus obijt.

HISTORIA.

Mauritius Cappadocius: ſub hoc Sclauinorũ gens primum innotuit.



ANno Dñicæ incarnationis Dlxxxiij. ab urbe cõdita, milleſimo cccxxxiiij. MAVRITIVS genere Cappadocius, lvi. loco ab Auguſto, primus ex genere Grecorũ adeptus eſt imperium, regnauit annis xxi. Hic ſecundo imperij ſui anno conſul appellatus eſt, & multos theſauros urbi donauit. Prouexit autem Philippicũ quẽdam prętorem orientis, cui & filiam ſuã Gordiam uxorem dedit, quem tamẽ poſtea quaſi regni uſurpatorem ſuſpicioſum habuit. Huius temporibus ipſo annitente, beatus Gregorius ad gradũ Romani Pontificatus prouectus eſt, cuius filiũ idem Gregorius antea de baptiſmate ſuſcepit, poſtea tamen idem Mauritius Gregorio Papæ infeſtiſſimus erat. Magnæ quippe auaritiæ & rapacitati deditus erat, pro qua re Gregorius, quantũ potuit eum corripiebat. Et quia Imperatorem uon uerebatur, ad exercendam in eum tyrannidem prodire nitebatur. Sed eodem anno, qui fuit imperij ſui xix. uir quidam monachico indutus habitu, ſpatam dextera tenens, à foro uſq; ad æneam gladiatoris ſtatuam diſcurrit, & Imperatorem gladio moriturum, omnibus pronunciauit. Quod Mauritius ut audiuit, à tyrannide Gregorio inferẽda, ſemet cõtinuit, & reuerſus in ſe, cogitauit ꝙ dominus reddit hominibus ſecundum opera eornm, recognoſcens etiam exceſſum, quem in captiuatione multorum fecerat. Multa enim bella in diuerſis mundi partibus per diuerſos duces ſuos exercuerat, expedire ſibi iudicauit in hac uita recipere pro peccato, & non in futura, compoſitaſq; ſcripto preces eidem Gregorio, & ad omnes Patriarchales ſedes, & ad omnes ciuitates & monaſteria ciuitatum, ſiue ſolitudinum cum cæreis & thymiamatibus & pecunijs tranſmiſit, & ut pro peccatis ſuis intercederent, ſupplicauit, hoc potiſſimum deprecans, ut hic, & non in futuro, quæ meruit, reciperet. Cumq; hoc & ipſe uehementius per tempora multa lachrymis poſtularet, quadã nocte dormiens, uidit in uiſu apud æneam palatij portam, ſe coram populo multo imagini Domini ſaluatoris aſſiſtere, & uocem terribilem ex eadem imagine ſe audire, dicentem. Date Mauritium. Et tenentes eum iudiciorum miniſtri, poſuerunt eum apud purpureum umbilicum qui illic erat. Cui eadem uox characteris ait. Vbi uis reddam tibi mala quæ feciſti? Hic an in futuro ſeculo? At ille reſpondit. Amator hominum, domine & iudex iuſte, hic mihi potius quàm in futuro retribue. Et iuſſit diuina uox tradi Mauritium & Conſtantiam uxorem eius, & filios, & omnem cognationem ipſius, Focæ militi. Euigilans ergo Mauritius, uocauit eum qui ante ſe dormiebat miſitq; & uocauit ad ſe Philippicũ generum ſuum, quem dudum ſuſpicabatur uelle ſibi regnum ſubripere. At ille pro ſuſpitione prædicta ſe perdendum conijciens, aduocatæ ad ſe Gordiæ uxori ſuæ, tanq; ultra ſe non uiſuræ, ualedixit: Sacramẽtoq; cõmunionis accepto, ad palatium uenit, & cubiculũ Imperatoris ingrediẽs, ad pedes eius procidit. Cui aſſurgens Imperator, ad pedes eius nihilominus corruit, dicens: Ignoſce mihi deprecor propter Deum, quia peccaui in te, nunç enim certiſſime noui ꝙ nihil peccaueris in me. Si quem uero

Mauritius infeſtiſſimus Gregorio.

Auaritia Mauritij, & ſomnium eius.

Interceſſio pro peccatis.

ſcias in

ſcias in agminibus noſtris, qui ſoleat Phocas nominari, dicito mihi. Et Philippicus diu ſecum recogitans, dixit: Vnum ſic uocatum ſcio, qui nuper ab exercitu procurator poſitus, tuo contradicebat imperio. Cum autē imperator quæreret de eius qualitate, Philippicus ait: Eſt quidem iuuenis, & temerarius, attamen timidus. Tunc Mauritius ait: Si eſt timidus, profecto & homicida. Et narrauit Philippico ſomniū quod uidit. Porro nocte illa uiſa eſt ſtella, quæ dicitur Cometa. In craſtinum uero uenit Magiſtrianus, quem miſit ad hæremitas, ferens ab eis huiuſmodi reſponſum: Deus recepta pœnitentia tua, ſaluabit animam tuam, & cū tota domo tua in numero ſanctorum te conſtituet: ab imperio uero cum ignominia & diſcrimine diſcedes. His auditis, Mauritius glorificauit Deum magnifice, & pœnitentiam quidē tenuit, ſed auaritiæ malum adeò non reliquit, ut exercitum in periculoſis locis hyemare, & uictum ab extraneis iuberet cum periculo quærere, ne uidelicet alimenta publica debe ret eis miniſtrare. Quod audiens exercitus, in ſeditionem conuertitur, exaltatumq́ ſuper clipeum Phocam, Centurionem adclamauit exarchum. Commoto aūt graui tumultu Conſtantinopoli, Mauritius mutata ueſte, cū uxore & filijs noctu Dromonem conſcendit, & fugiens apud ſanctum Antonium uenit. At Phocas cum exercitu in ſeptimum ueniēs, imperator efficitur: à quo Mauritius cum uxore ac filijs penes Calcedonem miſſus, decollatur. Verum Mauritius patienter infœlicitatē ſuſtinuit, Deum in omnibus inuocans, & crebro pronuncians: Iuſtus es Domine, & rectū iudicium tuum. Aiunt autem quidam, quod eo occiſo, lac cum ſanguine fluxerit, ita ut omnes inſpiciētes, dire lamentarentur. Sic ergo imperator etiam naturæ legibus celſior factus, uitam commutauit. Porro ex illo tempore non defuerunt Romano imperio uariæ ac ingentes ærumnę.

Lac cum ſanguine fluit ex Mauritio occiſo.

ANNI MAVRITII.

Anno Domini Dlxxxiiij. Anno domini Dlxxxv. Anno do mini Dlxxxvi. Leuigildus rex Vuiſigotharum Arrianus, Herminigildum filium ſuum ob fidem catholicam, quam ab Alexandro epiſcopo percepit, in ſancta domi nica paſchæ ſecuri fecit occidi. Hilpericus filius Lotharij, unus ex quatuor, obijt, anno xxiiij. regni ſui. Anno domini Dlxxxvij. Anno dñi Dlxxxviij. Lotharius Hilperici filius regnare cœpit. Anno domini Dlxxxix. Anno domini Dxc. Anno domini Dxci. Gregorius primus papa lxvi. ordinatur, ſedensq́ annis xiij. menſes vi. die bus x. migrauit iiij. Idus Mar. anno ij. Phocæ imperatoris. Anno domini Dxcij. Anno domini Dxciij. Anno domini Dxciiij. Anno domini Dxcv. Gregorius Pontifex ſynodum epiſcoporum xxiiij. congregans apud ſanctum Petrum, de neceſſarijs eccle ſię decernit. Anno domini Dxcvi. Gregorius miſit Auguſtinum prædicare Anglis. Anno domini Dxcvij. Guntrammus rex filius Lotharij obijt, anno regni xxxiij. habens filios duos, Theodebertum, & Theodericum. Anno domini Dxcviij. Anno do mini. Dxcix. Hildibertus filius Sigiberti, cum regnaret annis xx. obijt. Anno domini Dc. Sanctus Goar ueniens ex Aquitania, claret in Gallia. Anno domini Dci. Anno do mini Dcij. Anno domini Dciij. Gregorius miſſis doctoribus, Auguſtino mellito, Io hanne, alijsq́ pluribus, Anglos ad Chriſtum conuertit. Tunica Domini ſuper quam milites miſerunt ſortem, in Zaphath procul ab Hieruſalem in arca marmorea reperitur, quam Gregorius Antiochenus epiſcopus, & Thomas Hieroſolymitanus, & Io hannes Conſtantinopolitanus, cum alijs multis epiſcopis, facto triduano ieiunio, or dine pedeſtri Hieroſolymam in ipſa arca perducentes, in eccleſia ubi crux Domini adoratur, poſuerūt. Mauritius pœnas ſcelerum ſuorum, ut ipſe orauit, in hac uita per ſoluens, à Phoca turpiter decollatur.

Angli ad fidē cōuertuntur.

HISTORIA.

Anno Dominicæ incarnationis Dciiij. urbis autem conditæ mill. ccclv. PHOCAS quidam Priſci, ut aiunt, patritij quondam ſtrator, poſt ad militiam prouectus, deinde à populo procurator factus, ad ultimum ue ro uiuēte adhuc Mauritio imperatore, ab exercitu ad imperium electus, lvij. loco ab Auguſto imperium inuaſit, & octo annis regnauit habens uxorē Leon-

Phocas ſtrator Priſci patritij.

O tiam



tiam nomine. Huius anno ſecundo beatus papa Gregorius migrauit ad dominum, & Sabinianus pro eo eligitur ad pontificatum, poſt quem Bonifacius. Cuius rogatu Phocas conſtituit ſedem Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſię caput eſſe omniū eccleſiarū: nam antea Conſtantinopolitana eccleſia ſe ſcribebat primam omniū. Poſt quem alius Bonifacius, qui fuit à beato Gregorio quartus. Cuius itē rogatu idē Phocas iuſſit in ueteri Fano quod Pantheon uocabatur, ablatis idolatriæ ſordibus, eccleſiā beatæ ſemper uirginis Mariæ, & omniū martyrum fieri: ut ubi quondā omnium non deorum, ſed dęmonum cultus agebatur, ibi deinceps omnium ſanctorum memoria coleretur. Huius tempore Coſdre rex Perſarum aduerſus publicā rem bella grauiſſima gerens, multas Romanorum prouincias, & ipſam Hieroſolymā abſtulit, etiā uexillum dñicæ crucis abduxit. Phocas aūt cum homicidia, cæteraq́ mala multa feciſſet in populo, Priſcus patritius gener ipſius dolens pro his, ſcripſit Heraclio patritio & prætori Africæ ut filium ſuum Heracliū mitteret, quatenus contra Phocam tyrannū ueniret. Qui ueniens cum exercitu, pugnauit cum eo, & uicit eum: uulgus aūt appręhenſum interfecit, & in igne apud Taurū cremauit.

πανθεῖον, templum omnium deorum Romæ, poſthac Maria rotunda dictum.

Coſdre Perſarum rex.

ANNI PHOCAE.

ANno domini Dcv. Sanctus Gregorius papa migrauit ad dominum. Anno domini Dcvi. Sabinianus Papa lxvij. ſedit annum unum, menſes v. Anno domini Dcvij. Bonifacius papa lxviij. ſedit annum unum, menſes viij. Quo regnante, Phocas fecit Romam matrem eccleſiarum. Anno dñi Dcviij. Anno dñi Dcix. Bonifacius papa lxix. ſedit annis vi. mēſes viij. Cuius rogatu Phocas Pantheon dedit eccleſiæ. Anno dñi Dcx. Anno dñi Dcxi. Phocas occiditur.

HISTORIA.

Heraclius.



ANno Dominicæ incarnationis, Dcxij. urbis autem conditæ milleſimo ccclxiij. HERACLIVS lviij loco ab Auguſto accepit imperium occiſo Phoca, regnauitq́ annis xxvij. Hic coronatus eſt à Sergio patriarcha in oratorio ſancti Stephani, quod eſt in palatio, cum deſponſata ſibi Eudoxia, ſimulq́ acceperunt nuptiarū coronas, & una eademq́ die Heraclius, imperator & ſponſus oſtenditur. Sequenti anno naſcitur imperatori filius de Eudoxia, Heraclius minor, qui & Conſtantinus nouus dictus eſt: & mortua eſt Auguſta eodē anno. Deinde anno ſequenti duxit Heraclius inceſte Martinam neptem ſuam, ſororis ſuæ filiam, quæ coronata eſt in Auguſtam à Sergio patriarcha hæretico. De qua ſuſcepit filiam Heroclonam. Anno imperij ſui octauo, Heraclius miſit in Perſidem legatos ad Coſdroen, poſtulans pacem. Qui ſpreuit eos, dicens: Non parcam uobis donec crucifixum deum, quem eſſe fatemini, abnegetis, & Solem adoretis. Sequenti anno Chaianus rex Auarum direxit aciem contra Thracen: ſed miſſis ab Heraclio legatis, fecit cū eo pacē. Duodecimo aūt imperij ſui anno, contracta omni militia ſua, mouit exercitū in Perſidem: multaq́ prælia cū diuerſis ducibus cōmittens, per ſex annos Perſidem deuaſtauit & uicit, occiſoq́ Coſdroe, ſeptimo anno Conſtantinopolim, ablato à Perſide uiuifico crucis ligno, redijt, moxq́ ſequenti uernali tēpore Hieroſolymam

Heraclius minor.

Inceſtus, neptē ex ſorore ducere in uxorem.

Coſdroe blaſphemia.

toſolymā tetendit, precioſum illuc lignū reportās, ad gratiarū deo actiões referēdas.

Anaſtaſius martyr.

Huius temporibus Anaſtaſius Perſa monachus, nobile pro Chriſto martyriū paſſus eſt. Hic natus in Perſide, magicas à patre puer didicit artes. Sed ubi à captiuis Chriſtianis Chriſti nomen acceperat, in eū mox animo toto cōuerſus, relicta Perſide, Calcedoniam Hierapolimq́ Chriſtū quærens, ac deinde Hieroſolymā petijt. Vbi accepta baptiſmatis gratia, quarto ab eadē urbe miliario monaſterium abbatis Anaſtaſij intrauit. Ibi ſeptē annis regulariter uiuens, dum Cæſareā Paleſtinæ orationis gratia ueniſſet, captus à Perſis, & multa diu uerbera paſſus, inter carceres & uincula, iudice Mazobana, tandem mittitur ad regem Coſdroe, à quo tertio per interualla tēporis uerberatus, ad extremum una manu per tres horas ſuſpēſus, ſicq́ decollatus, nobile martyrium cum alijs lxx. peregit. Mox tunica eius indutus quidam dæmoniacus, curatus eſt. Interea ſuperueniens cum exercitu Heraclius princeps, ſuperatis Perſis, Chriſtianos qui erant captiuati, reduxit gaudentes. Reliquiæ autem beati Anaſtaſij martyris primum monaſterio ſuo, deinde Romam aduectæ uenerantur in monaſterio beati Pauli Apoſtoli, quod dicitur ad aquas Saluias.

Supplicij genus una manu per tres horas ſuſpendi.

Monaſterium ad aquas ſaluias.

Anno imperij Heraclij xv. Arabum, qui & Sarraceni dicuntur, Muhammad princeps habebatur. Hic erat Pſeudopropheta, ſed apud illos magnus ęſtimabatur, ita ut etiam in principio aduentus eius æſtimarent hunc eſſe illum, qui ab eis expectatur Chriſtus. Erat aūt oriundus ex ſtirpe Iſmaelis filij Abrahæ. Cum autem inops & orphanus eſſet idem Muhammad, uiſum eſt ſibi ad quandā mulierem locupletem & cognatā ſuam, nomine Cadigam, introire mercenarius ad negociandū cum camelis eius apud Aegyptum & Paleſtinā, ſicut in illis locis mos erat. Paulatim aūt fiducia penes ipſam mulierem percepta, quæ uidua erat, accepit eam uxorem, & habuit camelos illius, omnemq́ ſubſtantiam. Cumq́ ueniret in Paleſtinam, conuerſabatur cū Iudæis & Chriſtianis, capiebatq́ quaſdam ſcripturas ab eis. Porro habebat paſſionē epilepſiæ, id eſt, morbum caducum. Quo comperto, uxor eius ualde contriſtabatur, utpote nobilis, quod ſe huiuſmodi uiro copularet, egeno ſcilicet, & epileptico. Procurabat uero ille placare ipſam, taliter dicens: Viſionem quandam Angeli Gabrielis contemplor, & haud ferens huius aſpectum, mente deficio & cado. Ipſa uero cum haberet alterum quendam talem amicū ſuum, propter infidelitatem ſuam ibi exulantem, indicauit ei omnia uerba uiri ſui, & nomen Angeli. At ille uolens eam reddere certam, dixit ei: Veritatem locutus eſt iſte, etenim Angelus mittitur ad omnes Prophetas. Ipſa ergo prima ſuſceptis uerbis eius, credidit ei, & prædicauit alijs mulieribus contribulibus ſuis Prophetam eum eſſe: & taliter ex fœminis fama uenit ad uiros. Primo ad Hebuber, quem & ſucceſſorem dimiſit, & tenuit partem hæreſis eius & hæredis. Docuit autem auditores ſuos, quod qui occidit inimicum, uel occiditur ab inimico, paradiſum ingreditur: paradiſum uero carnalis cibi ac potus & comixtionis mulierum perhibebat. Capacem fluuium quoq́ uini & mellis & lactis ibi eſſe, & affluentem uoluptatem, multaq́ alia luxuria & ſtultitia plena, quæ ſtultis uidebātur delectabilia, ideoq́ credibilia.

Muhammad pſeudopropheta, aliàs Mahomet Antichriſtus, quod malum orbi prodijt ex Arabia.

ἐπιληψία. Vide Pōp. Læti. Ro. hiſt. cōpendium.

Hebuber.

Doctrinæ Muhammad falſi prophetæ.

Heraclius à Sergio patriarcha, & ab Anaſtaſio quodā, alijsq́ hæreticis circumuentus, in Euthicianam incidit hæreſim, & Mathematicus factus & Aſtrologus, uidit imperium ſuum à circunciſis gentibus eſſe uaſtandum: mittensq́ ad Dagobertum regem Francorum, omnes regni eius Iudæos baptizari petijt, & impetrauit, ipſeq́ per omnes imperij ſui fines & prouincias idem fieri decreuit. Poſt hæc Agareni & Sarraceni gens circunciſa prouincias Heraclij uaſtant. Contra quos dum Heraclius dimicat, cl. mill. militum eius Sarraceni interficiunt, & ſpolia eorum Heraclio remittunt. Quæ ille percipere nolens, ſed uindictam ab eis quærens, portas Caſpias quas Alexāder Magnus Macedo ſuper mare Caſpium fecit, & propter multitudinem ſęuiſſimarum gentium ſerari iuſſit, aperuit, indeq́ cl. millia auro armata, cum omnibus uniuerſarum prouinciarum militibus, contra Sarracenos in prælium miſit. Cumq́ in craſtinum eſſent præliaturi, ipſa nocte lij. millia de exercitu Heraclij in caſtris percuſſit Angelus dei: reliqui cum regredientes appropinquaſſent Hieroſolymam, uidens Heraclius ſe nequaquam reſiſtere poſſe, mœrore correptus eſt, factusq́ hydropicus, mortuus eſt.

Petitur à Dagoberto, ut Iudæos regni ſui curet baptizari.

Caſpiæ portæ Vide Plin. li. 5. cap. 27.

ANNI HERACLII.

ANno domini dcxiĳ. Anno domini dcxiiĳ. Sanctus Columbanus à Theoderico rege, iſtinctu Chrunihildis auię exppellitur. Anno dñi dcxv. Anaſtaſius Perſa monachus factus eſt. Anno domini dcxvi. Deuſdedit papa lxx. ſedit annis vĳ. Anno domini dcxvĳ. Anno domini dcxviĳ. Eduinus rex efficitur Anglorum. Anno domini dcxix. Anno domini dcxx. Anno domini dcxxi. Anno domini dcxxĳ. Anaſtaſius paſſus eſt. Anno domini dcxxiĳ. Bonifacius papa lxxi. ſedit annis v. Anno domini dcxxiiĳ. Anno domini dcxxv. Anno dñi dcxxvi. Anno domini dcxxvĳ. Iſidorus Hiſpalẽſis doctrina claret. Anno domini dcxxviĳ. Honorius papa lxxĳ. ſedit annis x. menſes xi. dies xiiĳ. Eduinus rex Anglorum baptizatur à Paulino epiſcopo, anno regni ſui xi. aduentus autem Anglorum in Britanniam clxxx. Anno domini dcxxix. Heraclius interfecto Choſdre rege Perſarum, crucem dominicam, quam ille abſtulit, Conſtantinopolim reuexit, annoq́ſequenti Hieroſolymam cum debita ueneratione reduxit. Anno domini dcxxx. Sanctus Gallus cellam ſuam cõſtruxit. Anno domini dcxxxi. Lotharius Hilperici filius anno regni ſui xliiĳ. moritur, relinquens ſucceſſorem filium ſuum Dagobertum. Anno domini dcxxxĳ. Anno domini dcxxxiĳ, Anno domini dcxxxiiĳ. Anno domini dcxxxv. Anno dñi dcxxxvi. Anno domini dcxxxvĳ. Anno domini dcxxxviĳ. Heraclius hydropicus factus moritur. Seuerinus papa lxxiĳ. ſedit annum unum, menſes duos.

Iſidorus Hiſpalenſis.

S. Gallus.

Heraclius Hydropicus moritur.

HISTORIA CONSTANTINI.



ANno Dominicæ incarnationis, dcxxxix. ab urbe autem condita millesimo cccxc, CONSTANTINVS filius Heraclĳ & Eudoxiæ, lix. loco ab Auguſto ſuſcepit imperium. Qui cum regnaret menſibus iiĳ. à nouerca ſua Martina, & Pyrrho patriarcha, ueneno potionatur: illoq́ extincto, ipſa cum filio ſuo Heraclona dominatur. Vnde omnis ſenatus Conſtantinopolitanus cũ omni populo indignatiõe iuſta cõmotus, Heraclonã repulit: linguaq́ Martinæ, & naſo Heraclonę abſciſo, eiſq́ in exilium deſtinatis, Conſtantem filium Conſtantini, nepotem Heraclĳ prouehunt. Cyrus Alexandrinus epiſcopus, & Pyrrhus Conſtantinopolitanus, & alĳ multi, hæreſim inſtaurant: ſed ſenatus & tota ciuitas Pyrrhum ut impium cũ Heraclona ac matre ſua expulerunt: & regnante Conſtante, Paulus conſecratur epiſcopus, & ipſe hęreticus. Iohannes autem præſul Romanus, collecto epiſcoporum conſilio, omnes huius hęreſis fautores anathematizauit. Quo defuncto, Theodorus pro eo papa conſecratur Pyrrhus uero tendens in Africam, Maximi religioſiſſimi illo tempore abbatis, ſanctorumq́ pontificũ illic conſiſtentium præſentatur aſpectibus. Qui hunc redargutum ac perſuaſum ad papam Theodorum Romam miſerunt. Sed ille ficta, ut poſt apparuit, pœnitentia, orthodoxię libello papæ tradito, ab eo receptus eſt. Mox autem, ut à Roma deſcendit, Rauennamq́ peruenit, quaſi canis ad uomitum ſuum redĳt. Quo comperto, papa conuocatis cunctis ſacerdotibus & clero, in eccleſia principis Apoſtolorum condemnauit eum ſub uinculo anathematis. Iohannes papa lxxiĳ. ſedit annos ĳ. menſes ix. dies xviĳ.

Heraclonas, imp. Conſtan. cũ matre Martina in exiliũ mittuntur.

Maximus abbas.

ANNI HERACLONAE.

ANno domini dcxl. Heraclonas filius Heraclĳ, occiſo per uenenum fratre ſuo Conſtantino, regnum inuaſit & cum matre ſua Martina regnauit annos ĳ. Anno domini dcxli. Heraclonas turpiter deĳcitur cum matre

Hiſtoris

HISTORIA.

ANno Dominicę incarnationis Dcxlij. ab urbe cõdita milleſimo cccxciij. CONSTANS, filius Conſtantini, nepos Heraclij. lx. loco ab Auguſto in regnum eligitur, deiecto Heraclona cũ matre ſua, & regnauit annis xxviij. Hoc regnante, ut ſupra dictũ eſt, in loco Pyrrhi hęretici conſecratur Paulus epiſcopus & ipſe hæreticus, qui non tantũ doctrina uęſana, ſicut deceſſores ſui, ſed etiã aperta perſecutione catholicos cruciat: apocriſarios ſanctę eccleſię Romanę, qui ad eius correctionẽ miſſi fuerant, partim carceribus, partim exilijs, partim uerberibus afficiens. Altare quoq; eorũ in domo Placidiæ conſecratum in uenerabili oraculo, deſtruxit, prohibens eos ibidẽ miſſas celebrare. Vnde Martinus papa, qui Theodoro ſucceſſit, incẽſus à Maximo abbate ſupradicto, ab Africa Romam ueniente, collecta ſynodo c. & x. epiſcoporum, Sergium & Pyrrhum, ac Paulum, & Cyrum, anathemate damnauit. Quibus agnitis, Conſtans qui ſeductus erat à Paulo, ſicut & auus eius Heraclius à Sergio, eiuſdẽ regię ciuitatis epiſcopo, miſſo Theodoro exarcho, Martinum papam & Maximũ Conſtantinopolim fecit adduci, iniurijsq; affectos Cherſonam fecit exiliari: ubi beatus Martinus papa defunctus, multis uirtutũ ſignis refulget. Conſtans uero permotus zelo dei, ſynodo ſacra & ipſe cõuocata ſub Vitaliano papa nuper ordinato, hęreſim abdicauit: miſitq; beato Petro apoſtolo Euangelia aurata, gemmis albis mirę magnitudinis in circuitu ornata. Ipſe poſt aliquot annos Romam ueniens, obtulit ſuper altare ſancti Petri pallium auro textile, toto exercitu cum cęreis eccleſiam intrante. Voluit autem & regnũ transferre Romam, quia odioſus factus eſt Bizantijs, eò quòd Martinũ papam ignominioſe tractans exiliauit, & Maximi ſapientiſſimi uiri manũ linguamq; truncauit, duosq; Anaſtaſios diſcipulos eius tormentis & exilijs tradidit, & multos orthodoxorũ uerberibus, & proſcriptionibus, & exilijs damnauit. Propter talia cunctis odioſus effectus, ſex annos fecit in Sicilia. Ibi cum quadam die balneum fuiſſet ingreſſus, introiuit cum eo quidam Andreas obſecundans illi. Et cũ cœpiſſet ſapone Gallico deliniri, ſumens Andreas ſitulam, dedit eam in uerticẽ imperatoris, & ſtatim fugit. Imperator uero cum tardaret in balneo, inſiliunt hi qui foris erant, & reperiunt eum occiſum. Quo ſepulto, Mitium quendam Armenium fecerunt imperatorem, ui cogentes eum. Erat autem ualde decorus & ſpecioſus. Filius autem eius Conſtantinus audiens de patris obitu, cum multo nauigio Siciliam intrauit, & aggreſſus Mitium, interfecit eum cum occiſoribus patris ſui, ordinatisq; Heſperijs, Conſtantinopolim redijt, & Romanis cum Tyberio & Heraclio fratribus imperauit. Theodorus papa lxxiiij. ſedit annis vij.

Conſtans.

Paulus hæreticus.

Apocriſarij.

Vitalianus papa.

Conſtantis liberalitas in S. Petrum.

Odiũ Conſtantis unde.

Conſtans à ſuis necatur in thermis Siciliæ.

Mitius hic ab alijs Mezẽtius uel Miſſeſius dictus.

ANNI CONSTANTIS.

ANno domini Dcxliij. Oſuualdus rex interficitur. Anno domini Dcxliiij. Anno domini Dcxlv. Dagobertus rex filium ſuum Sigibertum regnaturũ in Auſtraſia miſit Pipino & ſancto Chuniberto. Anno domini Dcxlvi. Anno domini Dcxlvij. Pipinus moritur. Grimoaldus filius eius pro eo maior domus efficitur. Anno domini Dcxlviij. Sanctus Furſeus in Hibernia claruit. Anno domini Dcxlix. Martinus papa lxxv. ſedit annis x. Hic collectis c. & x. epiſcopis, condemnauit Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum. Pro qua re Conſtante imperatore ab eis ſeducto, exiliatus eſt in Cherſonam. Anno domini Dcl. Hitta, Pipini relicta, inſtinctu S. Amandi, monaſterium Niualis fundauit. Anno domini Dcli. Anno domini Dclij. Cinis de cœlo deſcendit, & timor magnus factus eſt in populo. Anno domini Dcliij. Anno domini Dcliiij. Anno domini Dclv. Anno domini Dclvi. Anno domini Dclvij. Anno domini Dclviij. Martinus papa apud Cherſonam migrauit iiij. Idus Nouemb. Anno domini Dclix. Eugenius papa lxxvi. ſedit annos ij. menſes ix. Anno domini Dclx. Anno domini Dclxi. Anno domini Dclxij. Vitalianus papa lxxvij. ſedit annis ix. menſes vi. Anno domini Dclxiij. Anno dñi Dclxiiij. Anno domini Dclxv. Dagobertus, filius Lotharij, cum regnaſſet annis xxxiiij. ſancta Gertrudis obijt. Anno domini Dclxvi. Sigibertus regnauit in Auſtraſia. Anno dñi Dclxvij. Anno dñi Dclxviij. Anno dñi Dclxix. Conſtans in balneo occiſus eſt.

HISTORIA.

Conſtantinus hic 4. cognomento Pogonatus, quod imberbis in Siciliam profectus, barbatus rediſſet.



ANno Dñicæ incarnationis, DcI. xx. urbis conditæ milleſimo cccc xxi. CONSTANTINVS filius Conſtantis, lxi. loco ab Auguſto regnauit cum fratribus ſuis Heraclio & Tyberio: ſed cum uenirent aliqui orientaliũ partium, & dicerent: Si in trinitatem credimus, tres etiam coronemus. turbatus eſt Cõſtantinus, qui ſolus erat coronatus, & per Theodorum patritium cõuocans maiores natu ex eis quaſi in colloquium & conſilium ut fieret uoluntas eorũ, in patibulũ eos ſuſpẽdit: Quod uidentes cęteri, fugerunt, ipſe uero regnauit cum filio ſuo Tyberio annis xvij.

Agatho ſiculus.

Obſerua contra præſentes eccleſiæ paroxiſmos, Conſtantinus præcipit Epiſcopis, ut diſputationibus in ſynodo abſtineãt, et pacifice de uera fide perquirant.

Huius temporibus Agatho pontifex Romanæ eccleſiæ, legatos ſuos pro admonitione ſanctarum Dei eccleſiarum in urbem regiam miſit: in quibus erat Iohannes Romanæ Eccleſiæ tunc archidiaconus, ſed nõ longe poſt epiſcopus. Qui benigne ſuſcepti à reuerendiſſimo catholicæ fidei defenſore Conſtantino, iuſſi ſunt, remiſſis diſputationibus Philoſophicis, pacifico colloquio de fide uera perquirere, datis eis de bibliotheca Conſtantinopolitana cunctis antiquorũ patrum libris quos petebant, collecta uniuerſali ſynodo cl. epiſcoporũ, ſiue ut quidam libri habent, cclxxxix. præſidente Georgio patriarcha Conſtantinopolitano, & Machario Antiocheno, qui renouabant hæreſim eorum, qui unam uoluntatem, & unam operationem aſtruebant in Chriſto: conuictiq́ ſunt falſaſſe ſanctorũ patrum dicta perplurima. Finito aũt conflictu, Georgius patriarcha correctus eſt: Macharius uero cum ſuis ſequacibus ſimul & prędeceſſoribus, Sergio, Cyro, Honorio, Pyrrho, Paulo, Petro, anathematizatus eſt, & in locum eius Theophanius abbas de Sicilia factus eſt epiſcopus Antiochiæ, tantaq́ gratia legatos catholicæ pacis comitata eſt, ut Iohannęs Portuenſis epiſcopus, qui erat unus ex ipſis, in dominica octauarum paſchæ miſſas publicas in Eccleſia ſanctæ Sophiæ coram principe ac patriarcha latine celebraret. Hæc eſt ſexta ſynodus uniuerſalis, Cõſtantinopoli celebrata, & græco ſermone conſcripta, temporibus Agathonis papæ, exequente ac præſidente pijſſimo principe Conſtantino, intra palatium ſuum, ſimulq́ legatis Apoſtolicę ſedis, & epiſcopis cl. ſiue cclxxxix. reſidentibus. Prima enim uniuerſalis ſynodus in Nicea congregata eſt contra Arriũ, cccxviij. patrũ, ſub Cõſtantino principe, tẽporibus Syluestri papę. Secunda in Cõſtantinopoli, cl. patrũ, contra Macedoniũ & Eudoxiũ, tẽporibus Damaſi papæ, & Gratiani principis, qñ Nectarius eidẽ urbi ordinatus eſt epiſcopus. Tertia in Epheſo, cc. patrum, contra Neſtoriũ, Auguſtę urbis epiſcopũ, ſub Theodoſio Magno principe, & Sixto Papa. Quarta in Calcedone, patrũ Dcxxx. ſub Leone papa, tẽporibus Martiani principis, contra Euthicen nefandiſſimũ pręſulem Manichęorũ. Quinta item in Conſtantinopoli, tẽporibus Vigilij papæ, ſub Iuſtiniano principe, contra Theodorũ & omnes hęreticos. Sexta hęc de qua in pręſenti diximus.

Synodus ſexta generalis contra Monothelitas. In hac Græcis ſacerdotibus uxores permiſſæ, noſtris nequaquam.

Sex Synodi.
1. Nicena.
2. Canſtantinopolitana.
3. Epheſina.
4. Calcedon.
5. Conſtantinopolitana.
6. ibidem.

Hoc tempore regnum Longobardorum tenuit Chunibertus, Francorũ uero Clodoueus. His etiam temporibus fuit in Gallia homo prępotens & deo dilectus, nomine Arnoldus, qui renuncians ſeculo, poſtea factus eſt Metenſium epiſcopus: cuius filius Angiſus, qui de nomine Anchiſę Troiani creditur appellatus, ſub nomine maioris domus principatum in regno Francorum poſtea tenuit.

Arnoldus epiſcopus Metenſium.

His tẽporibus ſanctus Lampertus in Traiectenſi epiſcopatu ſucceſſit ſancto Theodardo, ſub Hilderico rege Auſtraſię. Eiſdem temporibus ſancta Perpetua uirgo Chriſti, Edildrudis filia, Annę regis Anglorum primũ alteri uiro permagnifico, poſtea Ekfrido regi coniunx data, poſtq́ xij. annis thorum uirilem incorrupta ſeruauit, ſumpto uelamine ſacro, ſanctimonialis ex regina efficitur: nec mora, etiam uirginum mater, & nutrix piarum exiſtit. Cuius merita teſtatur etiam caro mortua, quę poſt xvi. annos ſepulturę cum ueſte qua inuoluta eſt, incorrupta reperta eſt.

Perpetua.
Edeltrudis.

ANNI CONSTANTINI.

Anno domini Dclxxi. Anno domini Dclxxij. Adeodatus papa lxxviij. ſedit annis iiij. Anno domini Dclxxiij. Anno domini Dclxxiiij. Anno dñi Dclxxv. Anno dñi dclxxvi. Doninus Papa lxxix. ſedit annum unum, menſes v. Anno Domini dclxxvij. Anno domini dclxxviij. Agatho Papa lxxx ſedit annos v. menſes vi. Anno domini dclxxix. Anno domini dclxxx. Anno domini dclxxxi. Sexta ſynodus uniuerſalis Conſtantinopoli cõgregatur ſub Agathone papa, qui Donino ſucceſſit, in qua damnatis hæreticis, tantæ aranearũ telæ in medio populi ceciderunt, ut ſordes hæreſium expulſas omnes intelligerent & mirarentur. Clodoueus filius Dagoberti obijt. Cui Lotharius filius ſucceſſit. Anno domini dclxxxij. Anno domini dclxxxiij. Leo Papa lxxxi. ſedit annum unum, menſes decem. Anno dñi dclxxxiiij. Anno domini dclxxxv. Benedictus Papa lxxxij. ſedit menſes x. deceſſitq́ Non. Mai. Anno domini dclxxxvi. Conſtantinus Imperator obijt. Iohannes Papa lxxxij. ſedit annũ unum. Cui ſucceſſit Conon Papa lxxxiij. ſeditq́ annos ij. menſes xi. à quo S. Kilianus Pontificalem poteſtatem accepit. Cononi Sergius ſucceſſit. Apud Gallias in Francia ſub nõmine maioris domus principatum gerebat Angiſus.

Araneatũ telæ in medio populi.

S. Kilianus Epiſcopus.

HISTORIA.



Anno dominicę incarnationis dclxxxvij. urbis conditæ milleſimo ccccxxxviij. IVSTINIANVS filius Conſtantini lxij. loco ab Auguſto regnum accepit, & x. annis regnauit. Hic pacem firmam decennio fecit cũ Sarracenis, terra, mariq́, ſed prouĩcia Aphrica ſubiugata eſt Romano imperio, quæ à Sarracenis fuerat tẽta. Hic beatę memorię põtificẽ Romanæ Eccleſiæ Sergiũ, quia erraticæ ſuæ ſynodo, quã Cõſtantinopoli fecerat, fauere & ſubſcribere noluit, miſſo Zacharia protoſpatario ſuo, iuſſit Cõſtantinopolim deportari, ſed militia Rauennatę urbis uicinarumq́ partium nefanda principis iuſſa præuenit, & eundem Zachariã contumelijs & iniurijs ab urbe Roma pepulit. Idem Iuſtinianus à Gallinico Patriarcha exegit, ut orationem faceret ad deſtruendam Eccleſiam ſanctæ Dei genitricis iuxta palatium ſitam, quæ Metrapolite dicebatur, uolens ibi ædificia facere, ubi à populo ſuſciperetur. Patriarcha uero dicebat: Orationem quidem ad ſtatuendam Eccleſiam habemus, in deſtructionem uero Eccleſiæ orationem non ſuſcipimus. Cogente autẽ Imperatore, & omnimodis exigente orationem, dixit Patriarcha: Gloria Deo qui iugiter ſuſtinens patitur, nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorũ. Quo audito, deſtruxerũt Eccleſiam. Alia quoq́ multa improuide faciẽs, odium populi in ſe excitauit. Vnde Leontius Patritius, quẽ ipſe quondam prætorem & magiſtrum militum Orientaliũ fecerat, ſed iam per tres annos in cuſtodia tenuerat, cum exinde protractus in exilium mitteretur, cõtra eum ſenſit, iunctisq́ ſibi multis, Iuſtinianum comprehendit, naſoq́ præciſo, in inſulam quandam relegauit, ipſeq́ regnauit.

Iuſtinianus pacem facit cum Sarracenis decennio.

Zacharias protoſpatarius Iuſtiniani. Spatha inter inſtrumẽta armorum. Inde Spatharius et Prothoſpatharius, uide in uita Carol. Mag Hermannum Nouæ aqlæ comitẽ: & cæteraq; (?) enſis eſt.

Iuſtinianus qui & Iuſtinus, abſciſis naribus in põtũ relegatur.

ANNI IVSTINIANI.

Anno domini dcxxxviij. S. Kilianus cum ſocijs ſuis paſſus eſt. Annno domini dclxxxix. Pipinus filius Angiſi maior domus efficitur in Gallia, regnumq́ Francorum adminiſtrauit annis xxvij: cuius etiã anni, ſuorumq́ ſucceſſorũ deinceps annotantur in cathalogo regum. Anno domini Dcxc. Sergius Papa lxxxiiij. ſedit annis xvi. menſes viij. deceſſitq́ v. Idus Septemb. Hic conſtituit ut Agnus Dei cantetur inter ſacrificium. Hic magnam portionem ſanctæ crucis inuenit. Anno Domini Dcxci. Anno domini Dcxcij. Clodoueus filius Theoderici, fratris Dagoberti, cum

Kilianus martyr.

Sergius papa inſtituit Agnus Dei.

fratre Hildiberto regnare cœpit. Anno Domini Dcxciij. Anno Domini Dcxciiij. Sanctus Remaclus Traiectenſis Epiſcopus migrauit. Duo Euualdi presbyteri Angli, Niger & Albus ſunt paſſi, & à Pipino Coloniæ ſepulti. Anno Domini Dcxcv. Vuillibrordus, qui & Clemens, à Sergio Papa ordinatur Epiſcopus, ad prædicandum gentibus. Anno Domini Dcxcvi. Iuſtinianus ob culpam perfidiæ ſuæ, regno priuatur & exiliatur.

HISTORIA.

Leo ſiue Leontius.

Capſa argentea habens crucem.

ANno Dñicæ incarnationis Dcxcvij. urbis ue o conditæ, milleſimo ccccxlviij. LEO, qui & Leontius, lxiij. loco ab Auguſto, depulſo Iuſtiniano, regnum inuaſit, tribuſq; annis regnauit. Cuius anno primo Sergius Papa in ſacrario beati Petri Apoſtoli capſam argenteam, quæ in angulo obſcuro diutiſſime iacuit, domino reuelante inuenit, & in ea crucem diuerſis ac precioſis lapidibus adornatam repperit. De qua tractis quatuor petalis quibus gemmæ incluſæ erant, miræ magnitudinis, portionem dominicæ crucis interius repoſitam cõſpexit, quę omnib. annis in Baſilica ſaluatoris, quę dicitur Conſtantiniana die exaltationis eius ab omni populo ſalutatur.

ANNI LEONIS.

Leontius truncatus naribus, in carcerẽ conijcitur, habent alij.

ANno Domini Dcxcviij. Anno Domini Dcxcix. S. Guntpertus Epiſcopus ex Anachoreta obijt, cuius corpus poſt xi. annos ſepulturæ eius, integrum inuentum eſt. Leontio itaq; apud Conſtantinopolim poſito, uenit Tyberius, qui & Apſimarus, ex aduerſo ciuitatis cum multis, & prodita ſibi ciuitate, Leontium cœpit, pręciſoq; naſo eius in monaſterio Dalmati, ſub cuſtodia conſtituit, ipſeq; regnauit.

HISTORIA.

Tyberius Apſimarus.



ANno Dominicę incarnationis Dcc. urbis autẽ conditæ milleſimo ccccli. TYBERIVS, qui & Apſimarus dictus eſt lxiiij. loco ab Auguſto imperium inuaſit, deiecto Leone, & regnauit annis vij. Cuius tempore Synodus in Aquileia facta, quam tamen uniuerſale cõcilium ſuſcipere diffidit, ob imperitiam fidei, donec ſalutaribus beati Papæ Sergij monitis inſtructa, & ipſa cum cæteris Chriſti Eccleſijs huic annuere conſentit. Huius tempore occiſus eſt S. Lampertus Epiſcopus, ſub Hildiberto rege. Anno Domini Dcci. Anno Domini Dccij. Anno Domini Dcciij. Synodus Aquileiæ congregatur ſub Sergio Papa. Anno Domini Dcciiij. Anno Domini Dccv. Anno Domini Dccvi. Iohannes papa lxxxv. ſedit annis iij.

Beda uenerabilis presbyter, Anglorum Chronicam minoris libri ſui hucuſq; perduxit.

HISTORIA.

Iuſtinianus

Tyberius Apſimarus capitur.

ANno Dominicæ incarnationis Dccvij. urbis conditæ milleſimo cccclviij. IVSTINIANVS filius Conſtantini, quem ſuperius à Leone de regno expulſum diximus, per adiutorium Terbellis regis Bulgarum expugnata, Conſtantinopoli regnum recepit, & poſtea ſex annis regnauit. Recepto autem regno, multa dona & regalia uaſa Terbelli tribuit, eumq; in pace dimiſit. Apſimarus autem, qui & Tyberius, ex urbe profugit, ſed inſecutione captus, & ad Iuſtinianum eſt adductus. Adducto quoq; Leontio, qui eum deiecit, fecit ambos cathenis cõſtrictos, dum ludi equeſtres agerentur, per plateas trahi, tractoſq; publice ante pedes ſuos, dum in ſolio reſideret, proijci, calcauitq; colla eorum fortiter, uniuerſa plæbe clamante: Super aſpidem & baſiliſcum

baſiliſcum ambulaſti, & leonem, draconemq́ conculcaſti, ſicq́ eos præcepit decollari, innumerabilem quoq́ multitudinem eorum, qui contra eum conſenſerunt, diuerſa morte fecit necari. Quia enim ſe naſo detruncauerant, quoties defluentem guttam reumatis manu deterſit, toties penè aliquem ex illis iugulare præcepit. Callinicum uero patriarcham, erutis oculis, Romam exiliauit, & pro eo Cyrum in Epiſcopatū prouexit, qui fuit Abbas in Ponto, quiq́ illum exulem alebat, & eum in imperium reſtituendum prædicebat. Natus eſt autem ei filius eodem anno, quo recepit imperium, ex Theodora filia Chaiani, quam accepit dum eſſet in exilio, quem uocauit Tyberiū, coronauitq́ eum cum matre ſua, & regnauerunt cum eo. Hic Conſtantinum Papam accerſiens, honorifice ſuſcepit, proſtratusq́ in terram, pro ſuis peccatis intercedere rogauit, cunctaq́ Eccleſiæ priuilegia renouans, eum cum honore remiſit. Qui cum mitteret exercitum in Pontum ad comprehendendum Philippicum, quem illic relegauerat inultum, Conſtantinus Papa eum prohibuit, ſed animum eius reuocare non potuit. Exercitus autem quem miſerat, conuerſus ad partem Philippici, fecit eum ibidem Imperatorem, reuerſusq́ cum eo Conſtantinopolim, pugnauit contra Iuſtinianum miliario ab urbe xij. uictoq́ illo & occiſo, accepit regnum Philippicus. Filius quoq́ Iuſtiniani adhuc puer, ab his qui ab Philippico præmiſſi ſunt, occiſus eſt.

Callinicus patriarcha exiliatur.

ANNI IVSTINIANI.

ANno Domini Dccviij. Anno Domini Dccix. Iohannes Papa lxxxvi. ſedit annos ij. menſes vij. Anno Domini Dccx. Dagobertus iunior regnare cœpit. Anno Domini Dccxi. Siſinnius Papa lxxxvij. ſedit dies xx. Cui ſuccedens Conſtantinus Papa lxxxviij. ſedit annis vi. Anno Domini Dccxij. Iuſtinianus à Philippico interficitur.

Dagobertus iunior.

HISTORIA.



ANno Dominicæ incarnationis Dccxiij. ab urbe uero condita, milleſimo ccccclxiiij. PHILIPPICVS lxvi. loco ab Auguſto inuaſit imperium, occiſo Iuſtiniano, regnauitq́ anno uno & menſibus vi. Hic priuſq́ imperaret, habuit quendam amicum, monachum incluſum, qui erat hęreticus, & tamen prouiſor, qui dixit ei: Imperium tuū eſt. At ille turbatus eſt. Cui ait incluſus: Si Deus iubet, tu quare contradicis. Hoc autem dico tibi, quia ſexta Synodus maleacta eſt. Si ergo regnaueris, hanc abijce, & efficietur imperiū tuum forte atq́ longæuum. Qui cum iuramento ſpopondit ſe hoc eſſe facturum. Cum uero regnaret, fecit ſynodū pſeudoepiſcoporum, iuxta illius pſeudomonachi, & incluſi ſermonem, & abiecit ſanctam & uniuerſalem ſextam Synodum. Eodemq́ anno uanus ille incluſus, oculorum cęcitatem incurrit. Reperiens autem Philippicus quendam ſui ſenſus Iohannem, fecit eum Cōſtantinopolitanum præſulem, Cyrum uero deponens, ad monaſterium ſuum redire præcepit. Idem Philippicus in diſputationibus quidem ſuis rationabilis uidebatur & prudens, in actibus autem inhoneſtæ ac indignæ uitæ conſummatis, improbabilis ubiq́ demonſtrabatur. Erat enim hæreticus & adulter. Hic Conſtantino Papę miſit literas praui dogmatis, quas ille cum Apoſtolicæ ſedis concilio reſpuit. Hac de cauſa fecit Conſtantinus picturas in porticu S. Petri, quæ ſex ſanctarum Synodorum acta continerent. Nam & huiuſmodi picturæ habebantur Conſtantinopoli, quas Philippicus iuſſit auferri. Statuit aūt populus Romanus, ne hęretici Imperatoris nomen aut chartas, aut figuram ſolidi ſuſciperent. Vnde nec eius effigies in Eccleſiam introducta eſt, nec nomen ad miſſarum ſolennia prolatum. Sabbato aūt Pentecoſtes, cum lauaret in balneo publico, ingreſſus cum equitatu & organis, habitoq́ prandio cum ciuibus antiquæ proſapię requieſceret meridie,

Monachi calumnia in ſextam ſynodum.

Philippicus Bardanes hæreticus & adulter dictus, ſunt qui putēt ideo ſic traduci, quia Papæ Romano reſtitit, unde ultimo luminibus cum imperio priuatur.

Picturæ acta ſex ſynodorū continentes.

Rufinus primus Stratorũ

ret meridie, repente per auream portam introiuit Rufinus primus ſtratorum, cum Theodoro patritio, feſtinansq́; in palatium, & inueniens eum quieſcentem, apprehendit eum, & eruit oculos eius, in craſtinum uero, id eſt die Pentecoſtes, congregato in magna Eccleſia populo, coronatus eſt Artemius, mutato nomine Anaſtaſius.

HISTORIA.


Anaſtaſius cognomento Anthonius Imperator Catholicus, poſthac monachus factus.

Hic Scholaſticus exarchus Italiæ.

Theodoſius uincit Anaſtaſium.

Pipinus ſenior obijt.

ANno Dñicæ incarnationis Dccxiiij. ab urbe condita, milleſimo cccclxv, ANASTASIVS lxvij. loco ab Auguſto, imperiũ adeptus eſt, regnauitq́; annis iij. Quidã uero libri habent, ꝗ Philippicus regnauerit annis ij. & mẽſibus ix. Anaſtaſius autẽ annũ unum, & menſes tres. Anaſtaſius igitur, ubi regnũ accepit, Conſtantino Papæ per Scholaſticum patritiũ literas Romã miſit, quibus ſe fautorem & defenſorem catholicæ fidei, & ſancti ſexti cõcilij prædicatorẽ eſſe docuit. Quo regnante, quidam aduerſus eum coniurauerunt, & contra regiam urbem cum exercitu aſcenderunt. Cum autem Adramium adiſſent, & eſſent ſine capite, inuenerũt illic hominem indigenam, THEODOSIVM nomine, inertem ac idiotam, qui publicorũ tributorum erat exceptor, & hortati ſunt eum imperare. At ille fugiens, latebat in monte. Quem inuẽtum, ut Imperatorem laudibus extulerunt, ui cogentes eum. Quibus Anaſtaſius cognitis, Niceam abijt, ibi deniq; ſe muniuit. Theodoſius autem ſecutus, magno prælio uicit eum, datoq́; ſibi ſacramento, clericũ eum fieri, & poſtea presbyterum fecit ordinari. Anno domini Dccxv. Pipinus ſenior maior domus obijt, pro quo filius eius Carolus ſucceſſit. Dagobertus rex Francorum obijt.



Anni Caroli ſenioris primi.

S. Egidius

Carolus Marcellus quã fortunã ſuſtinuerit: hic dux Brabantiæ & comes Namurcenſis fuit Palatij comes, ſiue maior domus regiæ Francorum.

Anno domini Dccxvi. Carolus Pipini ſenioris filius, in adminiſtratione regni patri ſucceſſit. S. Aegidius claruit, adhuc quidẽ regibus in Francia manentibus, ſed parua dignitate regnantibus. In Romano quoq; imperio apud Conſtantinopolim adhuc Imperatores erant, ſed & ipſi inteſtinis pariter & extrinſecis bellis penè adnullati, parum ualebant. Carolus uero regnum Francorum adminiſtrauit annis xxvij. Cui cum Reginfridus quidam aduerſaretur, regnumq́; tenere conaretur, quamuis per multas pugnas & certamina, tulit principatum de manu eius. Nam cum teneretur in cuſtodia, diuina miſericordia protegente, fugit inde, & primũ contra eundem Reginfridum per tres uices pugnauit, poſtea cum magno certamine illum uicit. Andegauenſem tamen ciuitatem illi ad habitandum permiſit, ipſe uero ſuper cunctam Francorum gentem principatum tenuit, multaq́; prælia contra Satracenos & in Vuaſconia, & in Saxonia, & in Freſia fecit. Eggebertus uir ſanctus, de gente Anglorum, Scotos Paſcha legitime celebrare docuit. Gregorius Papa lxxxix. ſedit annos x. migrauitq́; Id. Febr. Hic ſanctum Bonifacium ordinauit Epiſcopum.

ANNI THEODOSII. I.

Hic Atramytenus dictus, fitq́; etiam monachus.

Theodoſius fit clericus.

ANno Dñicæ incarnationis Dccxvij. urbis uero cõditę, milleſimo cccclxviij. THEODOSIVS à militibus electus lxviij. loco ab Auguſto imperiũ Romanũ accepit, & anno uno regnauit. Leo quippe, qui erat pretor Oriẽtaliũ quoniã auxiliabatur Anaſtaſio, nõ eſt ſubiectus Theodoſio. Vnde ueniens Nicomediã, apprehẽdit filiũ Theodoſij cũ omni apparatu regio, & primis uiris palatij, & uenit Chryſopolim. Quod audiens Theodoſius, conſilio à Germano patriarcha, & ſenatu percepto, per eundem patriarchã accepit à Leone indemnitatis uerbum, & Eccleſię ſine perturbarione ſeruandæ, & ſic ei cõmittunt imperium, ipſe uero Theodoſius unà cum filio ſuo clericus factus, reſiduum uitæ ſuæ tempus tranſegit in pace.

pace. Hoc anno Tyberis alueum ſuum egreſſus, multa Romæ ſubuertit ædificia, ita ut in uia lata ad unam & ſemi ſtaturam excreſceret: Manſit autem diebus vij. donec agentibus letanias crebras ciuibus, octauo demum die regreditur.

HISTORIA.



ANno Dominicæ incarnatiõis Dccxviij. urbis autem conditæ, milleſimo ccccclxix. LEO prætor Orientalium, genere Syrus, lxix. loco ab Auguſto, Romanorum prouehitur in imperium, regnauitq; annis xxiiij. Hic à Iuſtiniano cũ prius regnaret, exiliatus eſt in Meſembriã Thraciæ regionis. Poſteriore uero tẽpore, cũ ſecũdo regnaret, ueniẽs ei obuiã, unà cũ Bulgarib. obtulit ei munera, oues ſcilicet quingẽtas, placatusq; Iuſtinianus, fecit illũ ſpatariũ, & habuit hũc ſicut Germanũ amicũ. Vndequidã inuidia ducti, detraxerũt ei tanq̃ imperium appetenti, ſed habita queſtione, inuẽti ſunt falſi. Iuſtinianus tamen poſtea illum ſuſpectum habens, ſed manifeſte hũc lædere nolens, miſit eum cum pecunijs in Alaniam, ad cõmouendos Alanos contra Abaſgiam. Vbi cum multa ei fœliciter prouenirent, Iuſtiniano interempto, & Philippico uiſu oculorum orbato, cum imperaſſet Anaſtaſius, prouexit eum Imperatorem Orientalium. Depulſo autem Anaſtaſio à Theodoſio, ipſoq; regnante, Leo & hunc expulit, ipſeq; regnauit: ſed in Chriſtianos & Eccleſias Dei, ac religionem ſanctam impius fuit. Primum quidem præcepit in Conſtantinopoli, ut quicunq; haberent imagines Domini ſaluatoris, ſeu ſanctæ genitricis eius, uel ſanctorum aliorum ſibi eas afferrent, quas ille in medio ciuitatis incendere fecit. Et quia multi de populo huic impietati non conſenſerunt, decollati ſunt. Germanus quoq; patriarcha de ſede ſua eſt deiectus, & Anaſtaſius preſbyter in loco eius conſtitutus. Miſit & ad Papam Romanum Gregorium, ut ſimiliter faceret, ille uero noluit, ſed omnia tributa Romanæ urbis, & Italiæ ſibi dari prohibuit. Cui anno imperij ſui tertio natus eſt filius de Maria uxore ſua, quem Conſtantinum uocauit, qui magis illo impius, & Antichriſti præcurſor extitit, cui poſtea filiam Chaiani, Scytharum regis ſociauit, eandem Chriſtianam faciens, Herenen nominauit. Quæ cum ſacras literas didiciſſet, pietati operam dedit, & hos ſæpe impietatis redarguit.

Leo Iſaurus, cui cognomen εἰκονομάχου

Leo Spatharius fit, de quo ſupra.

ὥστε κρινεῖ τὸ ῥῆμα τοῦ θεοῦ.

Filius Leonis Conſtantinus.

Herene.

ANNI LEONIS III.

ANno domini Dccxix. Anno dñi Dccxx. S. Othmarus Abbas efficitur. Anno domini Dccxxi. Sarraceni Conſtantinopolim obſident, & per triẽniũ ibi morantes, multasq; prouincias deuaſtãtes tandem populo ad Deum clamante, fame, peſteq; depulſi ſunt, multiq; frigore & ferro naufragioq; perierũt. Theodericus regnauit in Frãcia annis xvi. Anno dñi Dccxxij. Anno domini Dccxxiij. Luitprãdus rex Lõgobardorũ audiẽs q Sarraceni depopulata Sardinia etiã illa loca fœdaſſent, ubi aliquãdo propter deuaſtationẽ Barbarorum, oſſa beati Auguſtini tranſlata fuerant, miſit, & per precium adduxit ea Ticinum, ibiq;, ut decuit, honorifice recondidit. Leo Imperator coegit Iudęos & Montanos baptizari, ſed Iudæi abluebant unctionem chriſmatis, & poſt cibum participabant ſacramentis, & cõtaminabant fidem: Montani uero definientes ſibi diem, introierũt domos errori ſuo deputatas, & incenderunt ſemetipſos. Anno domini Dccxxiiij. Anno dñi Dccxxv. Sanctus Priminius Epiſcopus Augiam intrauit, eamq; à ſerpentibus emundauit. Hucuſq; Beda Chronicã ſuam in maiori libello perduxit Anno dñi Dccxxvi. Anno domini Dccxxvij. Gregorius Papa xc. ſedit annos viij. deceſſitq; iiij kal. Dec.

Sarraceni Cõſtantinopolim obſident.

Leo cogit Iudæos & Montanos ad baptiſma.

Hic

Priminius ex Augia uenit in Alſatiam.

Hic augmẽtauit in canone: Nec nõ illorum omniũ ſanctorũ quorum ſolennia &c. Anno Domini Dccxxviij. Anno Domini Dccxxix. Anno Domini Dccxxx. Priminius ex Augia uenit in Alſatiam. Anno Domini Dccxxxi. Germanus ſanctiſſimus patriarcha, uidens impietatem Leonis, abrenunciauit ſummo ſacerdotio tradens palliũ, & in domo ſua quieti operã dedit, functus ſacerdotio annis xiij. menſes v. In cuius locum Anaſtaſium eius quondam diſcipulum, ſed tunc impietati cõſentiẽtem, Leo conſtituit. Sane Gregorius ſanctus præſul Romanus hunc anathematizauit, & Leonem tanq̃ impie agentem per Epiſtolas redarguens, Romã cum tota Italia ab eius imperio recedere fecit. Beda uenerabilis Anglorum preſbyter obijt. Anno Domini Dccxxxij. Carolus filium ſuum Pipinum, ad Luitprandum regem Longobardorũ pro tontẽda ceſarie miſit, quod ille fecit, eum multiſq; muneribus ad patrem miſit. Anno Dñi Dccxxxiij. Carolus maior domus Freſiam uaſtat. Anno Dñi Dccxxxiiij. Carolus Vaſconiam inuaſit. Eto Augenſis Abbas, Argentinæ Epiſcopus factus, cœnobium nominis ſui Ettenheim, conſtruxit. Anno Domini Dccxxxv. Zacharias Papa xci. ſedit annis xviij. Hic quatuor libros dialogorum beati Gregorij tranſtulit in Græcum. Anno Domini Dccxxxvi. Anno Domini Dccxxxvij. Theodericus rex Francorum obijt. Anno Domini Dccxxxviij. Anno Domini Dccxxxix. Sarraceni Gallias iterum inuadentes, ceperũt ciuitatem Arelatem. Tunc Carolus miſit ad Luitprandum, qui uenit ad eum cum omni exercitu Longobardorum. Quod audientes Sarraceni, fugerunt de terra illa. Anno Domini Dccxl. Carolus Saxoniam intrat. Anno Domini Dccxli. Leo Imperator impius obijt.

Bedamoritur

Etho Augen. Abbas, & Argentinen. Epiſcopus. Ettenheim monaſterium. Dialogi Gregorij uerſi in Græcum.

HISTORIA.

Conſtantinus dictus Copronymos, quod infans baptiſmi lauacro admotus, medijs ſacris alimoniæ excremento aquam polluerat B. Egn.



ANno Dñicæ incarnatiõis Dccxlij. urbis cõditæ milleſimo ccccxciij. CONSTANTINVS filius Leonis lxx. loco ab Auguſto Romanũ ſuſcepit imperiũ, regnauitq; annis xxxiiij. mẽſes ij. diebus xxvi. Hic erat pernicioſiſſimus, ferus & agreſtis, perſecutor legũ à patribus traditarũ, tyrãnice, nõ legitime uſus imperio, primo quidem à Deo & intemerata eius genitrice, & omnibus ſanctis abſcedens, magicis maleficijs & luxurijs, ac cruẽtis ſacrificijs, & inuocationibus dæmonũ delectatus, molliciebus quoq;, ac omnibus, animas corrumpentibus, à tenera ætate cõuiuens, perſecutionibus etiã ſanctarũ Eccleſiarũ, ac peremptionibus monachorum, ac uiolationibus monaſteriorum, maliſq; uarijs ſupercreſcens, non minus quàm Diocletianus, cæterìq; antiqui tyranni. Huius anno primo, qui eſt dominicæ incarnationis Dccxlij. Carolus Pipini filius, maior domus in regno Francorum obijt, relinquens filios tres, Pipinum, Carlomannum, & Griphonem. Quorum Gripho, qui cæteris minor natu erat, matrem nomine Suanahildem habebat, neptem Vdilonis Bauuariorũ ducis: hæc illũ maligno conſilio ad ſpem regni totius incitauit, in tantum, ut ſine dilatione Laudunum ciuitatem occuparet, ac bellum fratribus indiceret. Qui celeriter exercitu collecto, Laudunum obſidentes fratrem in deditionem accipiunt, atq; inde ad ordinandum regnum ac prouincias, quæ poſt mortem patris à Francorum ſocietate deſciuerant recuperandas, animos intendunt, & ut in externa profecti, domi omnia tuta dimitterent, Carlomannus Griphonem in nouo caſtello, quod iuxta Aruernũ ſitum eſt, cuſtodiri fecit, in qua cuſtodia uſq; ad id tempus, quo idem Carlomannus Romã profectus eſt, dicitur permanſiſſe.

Carolus Marcellus moritur, tres filios reliquit.

Laudunum.

Auaricimemi nit Cæſar li. 7 belli Gallici.

ANNI PIPINI ET CARLOMANNI.

ANno Dñi Dccxliij. Pipinus & Carlomannus principatu potiti, primo Aquitaniam ingrediuntur, & capto quodam caſtello, quod dicitur Lucas, priuſq; ex ea prouincia

Vide Pli. li. 4. cap. 19. is Pictones legit;

ea prouincia ſecederent, regnum quod communiter habuerunt, inter ſe diuiſerunt, in loco qui uocatus uetus Pictauis. Carlomannus Auſtriam & Alemanniam atq; Thuringiam ſortitur. Pipinus uero Burgūdiam, Neuſtriam atq; prouinciam, ſicq; Carlomannus uſq; in annum vi. Pipinus uſq; in xi. principabantur.

Neuſtria, forte Vueſtria, Beatus Rhe. Vueſtricham appellat

Neuſtria uero pars eſt Galliæ Celticæ, illa ſcilicet, quę Sequanę Ligeriq; interiacet. Omnis nanq; Gallia in tres partes diſtincta eſt: in Belgicam, Celticā, Aquitanicam. Quarū Belgica à Rheno, qui Germaniam ab oceano determinat, quæ multarum gentium ferax à germinando nomen accepit, exporrigitur uſq; in fluuium Matronam: ab utroq; uero latere hinc quidem alpibus Apenninis, inde uero mari uallatur, cuius circumfuſione inſula Britannica efficitur. Celtica autē à Matrona per longum in Garunnam diſtenditur, cuius latera oceani Britannici & inſulæ Britannicæ limites efficiunt. Quicquid uero à Garunna protenditur in Pyreneum, Aquitanica appellatur. Hinc Rhodano & Arari, atq; inde Mediterraneo mari collimitans. Conſtat itaq; totius Galliæ ſpatium, ab oriēte quidem Rheno, ab occidente Pyreneo, à ſeptentrione mari Britānico, ab Auſtro uero Mari Mediterraneo cingi.

Galliæ diuiſio in Belgicam, Celticam, & Aquitanicam.

Mores Gallorum.

Omnes ergo Galliarum populi innata audacia plurimum efferuntur, calumniatum impatientes. Si incitantur cædibus exultant, efferatiq; inclementius adoriuntur, ſemel perſuaſum, ac rationibus approbatū, uix refellere conſueuerunt. Belgæ rebus diſponendis ſunt inſigniores, robore atq; audacia non impares, maxima quæq; magis ingenio, quàm uiribus appetunt: & ſi ingenio in appetendis caſſantur, uiribus audacter utuntur. Cibi etiam atq; potus adeo ſunt parci. Celtæ uero atq; Aquitani conſilio ſimul & audacia plurimi, rebus ſeditioſis accommodi, Celtæ tamē magis prouidi, Aquitani uero præcipites aguntur, plurimumq; in ciborum appetitum rapiuntur, quod ſic eis eſt innatum, ut præter naturam non appetant. Hinc Sulpitius Seuerus: Edacitas, inquit, in Græcis eſt, gula in Gallijs natura.

Belgæ.

Celtæ.

Sulpitius Seuerus de Græcis & Gallis.

Hos omnes Galliarum populos, etiam in paganiſmo ferè per omnia proſpere egiſſe tradunt hiſtoriæ, poſt uero à ſancto Remigio baptizati, cōtra omnes gentium exterarum impetus, clara ſemper atq; illuſtri uictoria emicuiſſe referuntur. Quorum rex Chriſtianus primus fuiſſe traditur Clodoueus, uir audax & ſtrenuus, & quo nullus poſt eum pietate belliſq; unquam magis enituit. Hic tempore quodam bellaturus contra Alaricum regem Gothorum, cum ueniſſet Turonum, multa munera obtulit eccleſiæ ſancti Martini, cum equo ſuo uelociſſimo, quem multum amabat: & expetito auxilio eiuſdem ſancti contra gentem incredulam, promittebat adhuc plura, ſi per eius interceſſionem uictor rediret. Cumq; interfecto Alarico reuerteretur cū uictoria, ueniens ad eandem eccleſiam pro ſoluendo uoto, dona obtulit plurima: pro equo uero quem ibi dimiſerat, dedit matricularijs eccleſiæ centum ſolidos ut eum reciperet. Quibus datis, equus ille ſe nullatenus mouit. At ille ait: Dentur alij centum. Quibus inde datis, ſtatim equus ſolutus abijt. Tunc rex cū lætitia ait: Vere beatus Martinus bonus eſt in auxilio, & carus in negotio. Ab hoc ergo Clodoueo per ſuccedentia tempora imperatoribus egregijs Reſpublica Francorum gubernata fuiſſe dignoſcitur uſq; ad hæc tempora Pipinorū & Carolorum: in quibus temporibus plenitate regum aliquantum dilapſa, per hos egregios uiros de quibus nunc ſermo eſt, ad priſtinam dignitatem magnificentius eſt reducta.

Clodoueus primus Chriſtianus rex Gallorum.

Matricularij eccleſiæ.

De equo Clodouei. Scomma in diuum Martinū.

Deniq; ut de Pipino & Carlomanno fratribus ſcribere cœpimus, mox ut de Aquitania domū ſunt regreſſi, Carlomannus Alemanniam, quæ & ipſa à Francorum ſocietate defecerat, cum exercitu ingreſſus, ferro deuaſtauit & igni. Hildericus rex Francorum regnare cœpit. Anno domini Dccxliiij. Carlomannus & Pipinus iunctis copijs contra Vdilonem ducem Bauuariorum profecti ſunt, prælioq; commiſſo, exercitum eius fuderūt. Sed poſtquàm à cæde reuerſi ſunt, Carlomannus cum ſuis in Saxoniam profectus eſt. Eodem anno cœpit caſtrū quod dicitur Hochſeoburg, & Theodericum Saxonem, illius loci primarium, in deditionem accepit. Sanctus Bonifacius ex ſua parochia Magontiacenſi, duos epiſcopatus, Vuirziburgēſem, & Eichſtetenſem ſtatuit. Anno domini Dccxlv. Iterum

Carlomannus uaſtat Alemanniam.

P Carlo-

Carlomannus & Pipinus iuxta Menum Saxoniam ingreſſi ſunt, prædictumq; Theodericum Saxonem ceperunt. Initium Fuldenſis monaſterij. Anno domini Dccxlvi. Carlomannus patefecit fratri ſuo, quod iam diu præmeditatus eſt, ſe ſcilicet uelle ſeculum dimittere, & in habitu monachico Deo ſeruire.

Carlomannus fit monachus.

Propter hoc nullam expeditionem eo anno habuerunt, ſed præparauit ſe uterq; : Carlomannus ut iret & uotum ſuum perficeret: Pipinus qualiter illum honorifice dimitteret. Anno domini Dccxlvij. Carlomannus diuino ſuccenſus amore, Romam tendens, Zachariæ papæ ſe obtulit, & ab eo clericus factus, habituq; mutato, monachicum capiens indumentum in monte Soracte, conſtructo monaſterio apud eccleſiam beati Silueſtri, cum fratribus ſecum ad hoc uenientibus, per aliquot annos optata quiete fruebatur.

Monaſterium in monte Soracte.

Sed cum ex Francia multi nobilium ob uota ſoluenda Romam commearent, & eum uelut dominum quondam ſuum præterire nollent, ocium quo maxime delectabatur crebra ſalutatione interrumpentes, locum mutare compellunt. Nam cum huiuſmodi frequentiam propoſito ſuo uidiſſet officere, relicto monte, in Samnium prouinciam, ad monaſterium ſancti Benedicti, ſitum in caſtro Caſſino, ſe contulit, & ibi quod reliquum fuit, uitæ tempus compleuit. Anno domini Dccxlviij. Gripho fatri ſuo Pipino ſubiectus eſſe nolens, quamuis ſub eo honorifice uiueret, in Saxoniã profugit: relictoq; Saxonum exercitu, ſuper fluuium Ouacra, in loco qui dicitur Orheym conſedit. Pipinus uero cum exercitu Francorum in Thuringiam profectus, contra dolos fratris Saxoniam ingreſſus eſt, conſeditq; ſuper fluuium Miſſaha, in loco qui dicitur Scahaningi: prælium tamen inter eos non eſt commiſſum, ſed ex placito diſceſſerunt.

Ouacra.
Orheym.
Miſſaha.
Scahaningi.

Anno domini Dccxlix. Gripho Saxonũ fidei diffidens, cum copijs quæ ad eum de Francia confluxerant, Bauuariam petijt, ipſumq; ducatum in ſuam poteſtatem redegit: Taſſilonem cum Hiltrude in deditionẽ accepit. Suigerium in auxilium ſibi uenientem ſuſcepit. Hæc audiens Pipinus, cũ exercitu maximo uenit in Bauuariam, fratremq; ſuum Griphonem cum omnibus ſuis cepit, Taſſilonem in ducatũ reſtituit: domumq; reuerſus, Griphoni more ducum xij. comitatus dedit: ſed ille tali beneficio non contentus, eodem anno ad Vualfarium Aquitaniæ ducem profugit. Anno domini Dccl. Anno domini Dccli. Sanctus Burchardus accepit pontificatum Vuirziburgẽſem, in quo ſedit annis xl.

Burchardus epiſcopus Vuirziburgenſis

Hic itaq; ſanctus Burchardus, & Folradus archicapellanus, quem quidam abbatem, quidam præſbyterum ſcribunt, ad Zachariam Romanũ pontificem miſſi ſunt, ut conſulerent eum, ſub regibus qui tempore illo fuerunt in Francia, nomen tantum regis, ſed nullam poteſtatem regiam habentes.

Folradus hic fuit abbas S. Dionyſij, & archicapeallnus Pipini regis. Autor mon: Leboracen.

Alb.K. uocat Furadum.

Merouingi, de quibus ſupra,

Maiores domus & eorum pompa,

Solebãt enim Franci ex antiqua regum ſtirpe, reges habere, qui ã Meroueo, Clodij ſecũdi regis eorũ filio, Merouingi dicebãtur: quorũ genealogia uſq; ad Hildericũ tunc temporis regẽ permanebat, in quo etiam deficiebat. Sed licet in illo finita poſſet uideri, iam dudum tamen nullius uigoris erant, nec quicquam clarum in ſe, prę ter inane regis uocabulum præferebant. Nam & opes & potentia regni penes palatij præfectos, qui maiores domus dicebantur, & ad quos ſumma imperij pertinebat, tenebantur: nec aliud quicquam regi permittebatur, quàm ut regio tantum nomine contentus, crine profuſo, barba ſummiſſa, ſolio reſideret, ac ſpeciem dominandi effingeret, legatos undecũq; uenientes audiret, eiſq; abeuntibus, reſponſa quę doctus erat, aut iuſſus, ex ſua uelut poteſtate redderet, cum præter inutile regis nomen & precarium uitæ ſtipendium, quod ei præfectus aulæ, prout uidebatur, exhibebat, nihil aliud poſſideret: quanquam unam & eam perparuam redditus uillam, in qua domum, & ex qua famulos neceſſaria ſibi miniſtrantes, atq; obſequium exhibẽtes, paucæ numeroſitatis haberet. Quocunq; eundum erat, carpento ibat, quod iunctis bubus & bubulco more ruſtico agente trahebatur. Sic ad palatiũ, ſic ad publicum conuentũ, qui Kalendas Maij. ob regni utilitatem annuatim celebrabatur, ire ſolebat, & coram tota gente præſidens, omneſq; ſalutans, & ab eis ſalutatus, debitiſq; obſequijs honoratus, ſic domum redibat, ſicq; ſecum uſq; ad alium Maium domi reſidebat. At regni adminiſtrationem, & omnia quæ uel domi, uel foris agenda erant, ac diſponenda,

Vide Alber. Krantz lib. 1. Saxo. cap. 33. Et Tritemiũ in compendio hiſtoriarum, de origine gẽtis Frãcorũ. Item Sigibertũ

præfectus

præfectus aulæ procurabat. Quo officio tunc cum prædicti legati Romam mittebantur, Pipinus Caroli filius, itemq́ꝫ Caroli Magni pater, iam uelut hæreditario iure fungebatur. Zacharias uero papa ſuper huiuſmodi negotio conſultus, remádauit, melius eſſe illum uocari regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret: dataq́ꝫ autoritate ſua, Pipinum regem conſtitui iuſſit. Anno domini Dcclij. Pipinus per autoritatem Zachariæ papæ, more Francorum, electus ad regnum per manus ſancti Bonifacij archiepiſcopi Mogonciacenſis eleuatus eſt in regni ſolium in Sueſſionum ciuitate. Translatio ſancti Kiliani facta eſt. Beatus papa Zacharias in uenerahili patriarchio repperit caput beati Georgij martyris in capſa reconditum, quod in Romanam urbem tranſtulit.

Præfectus aulæ.

Pipinus à Zacharia rex conſtituitur. Hic Parlamentum primus inſtituit.

Patriarchium.

Caput S. Georgij.

ANNI REGNI PIPINI.

ANno domini Dccliij. Stephanus papa xcij. ordinatur, seditq́ꝫ annis v. dies xxviij. Anno dominicæ incarnationis Dccliiij. Pipinus rex cum exercitu magno Saxoniam ingreſſus eſt: & quamuis Saxones ei obſtinatiſſime reſiſterent, pulſi tamen ceſſerunr, & ipſe uſq́ꝫ ad locum qui dicitur Rinne, iuxta fluuium Vuiſaram acceſſit. In qua expeditione Hilugarius epiſcopus occiſus eſt in monte qui dicitur Viburg. Reuertenti uero regi de Saxonia, nuncius uenit de morte fratris ſui Griphonis, à quo, uel qualiter interfectus eſſet. Eodem anno Stephanus papa multa mala paſſus ab Hauſtulfo Longobardorum rege, uenit ad Pipinum regem in uilla quæ dicitur Pariſius, ſuggerens ei, ut ſe & Romanam eccleſiam ab infeſtatione Longobardorum defenderet. Venit & Carlomannus frater regis, iam monachus factus, iuſſu abbatis ſui, ut apud fratrem ſuum precibus Romani Pontificis obſiſteret. Inuitus tamen hoc feciſſe putatur, quia nec ille abbatis ſui iuſſa contemnere, nec abbas ille p̄ceptis regis Longobardorũ, qui ei hoc imperauit, audebat reſiſtere. Stephanus autem papa apud Pariſium aliquandiu infirmatus, rurſumq́ꝫ per ſanctum Dionyſium conualeſcens, poſtq́ꝫ à rege Pipino pro ſanctæ Romanæ eccleſię defenſione firmitatem accepit, ipſum ſacra unctione in regię dignitatis honore confirmauit, & cum eo duos filios eius, Carolum, & Carlomannum cum matre eorum Berthrada conſecrauit: Francorumq́ꝫ proceres, unà cum populo, benedictione Apoſtolica ſanctificans, autoritate beati Petri Apoſtoli obligauit: & proteſtatus eſt eos, ut nũquam ipſi, uel qui ex eorum progenie, per ſuccedentium curricula temporum progeniti, de alia ſtirpe regem ſibi pręponerent, niſi ex eorum propagine, quos diuina prouidentia tunc in defenſionem eccleſiæ eſt dignata ſublimare. Sic ergo Pipinus ex pręfecto palatij, autoritate Apoſtolica ſublimatus & unctus in ſedem regni, poſtea regnauit annis xv. abſolutus per eundem papam Stephanum à iuramento, quod regi Hilderico cum cęteris regni primoribus fecerat. Hildericus uero qui falſo regis nomine fungebatur, tonſo capite, in monaſterium miſſus eſt. Anno domini Dcclv. Pipinus rex inuitante ac rogante pręդicto papa Stephano, propter iuſtitiam beati Petri Apoſtoli exigendam à rege Longobardorum Hauſtulfo, Italiam cum manu ualida intrauit: reſiſtentibuſq́ꝫ Longobardis, & clauſtra Italię tuentibus, ad ipſas montium clauſas acerrime pugnatum eſt: cedentibuſq́ꝫ Longobardis, omnes copię Francorum intrauerunt. Hauſtulfus uero rex in Papia ciuitate ſe incluſit, quem Pipinus rex tam diu obſedit, donec firmata cauſa pro facienda ſanctę Romanę eccleſię iuſtitia, obſides xl. recepit. Quibus datis, promiſſiſq́ꝫ iureiurando firmatis, Pipinus quidem domum redijt, Stephanum uero Papam, cum Folrado capellano, & non minima Francorum manu, Romam remiſit. Carlomannus autem frater regis, qui cum Berthrada regina in Vienna ciuitate remanſit, correptus febre priuſquàm reuerteretur obijt, cuius corpus iuſſu regis ad monaſterium ſancti Benedicti, ubi monachus erat, relatum eſt. Sanctus Bonifacius paſſus eſt. Anno domini Dcclvi. Hauſtulfus rex Longobardorum, cum nihil eorum quę datis obſidibus, & facto iuramento promiſit, compleſſet, Pipinus rex

Rinne.

Vuiſara.

Viburg.

Stephanus papa implorat auxilium Pipini contra regem Longobardorum.

Pipinus cum uxore & duobus filijs conſecratur à Papa.

Papa abſoluit Pipinũ à iuramẽto Hilderici.

Hildericus in Monaſterium miſſus.

Carlomannus frater Pipini moritur.

iterum cum exercitu Italiam ueniens, eum in Papia obſedit, & ad implenda quæ promiſit obſidione coegit: redditamq́ʒ ſibi Rauennã & Pentapolim, omnemq́ʒ exarchatum ad Rauennam pertinentem, ſancto Petro dedit, hiſq́ʒ pactis in Galliam rediјt.

Quæ Pipinus eccleſiæ Romanæ adiecerit.

Poſt cuius abſceſſum, Hauſtulfus cum ea quæ promiſit denuo commutare meditaretur, in uenatione de equo ſuo prolapſus, & ex hoc infirmatus, intra paucos dies uiuendi finem fecit. Cui Deſiderius ſucceſſit.

Conſtantinus Pipino regi munera mittit.

Anno domini Dcclvij. Conſtantinus Imperator miſit Pipino regi munera, inter quæ & ornatum, quæ ad eum in Compendio uilla peruenerunt, ubi tunc populi ſui generalem conuentum habuerunt.

Thaßilo Bauarus iurat Pipino.

Illuc & Thaſſilo dux Bauuariorum cum primoribus gentis ſuæ uenit, fidelitatemq́ʒ tam ipſi regi Pipino, quàm filijs eius Carolo & Carolomanno iureiurando ſupra corpus ſancti Dionyſij promiſit: nec ſolum ibi, ſed etiam ſupra corpus ſancti Martini, itemq́ʒ ſancti Germani idipſum ſacramentum cum omnibus primoribus ſuis firmauit.

Pipinus Saxoniam oppugnat.

Anno domini Dcclviij. Pipinus rex cum exercitu Saxoniam aggreſſus eſt: & quamuis Saxonibus ualidiſſime reſiſtentibus & ſe munitionibus tuentibus, pulſis propugnatoribus prælio, per ipſum, quo patriam defendere conabantur, uallum intrauit. Commiſſoq́ʒ paſſim prælio, plurimam ex ipſis multitudinem occidit, & eos ad hoc coegit, ut

CCC. Equos uelut tributum pendebant.

promitterent ſe omne quod iuberet facturos, & annis ſingulis ccc. equos cauſa honoris daturos. His ita compoſitis, & more Saxonico, ut rata eſſent, confirmatis, in Galliam repedauit. Paulus papa. xciij. ſedit annis x. Anno domini Dcclix. Natus eſt Pipino regi filius, quem ſuo nomine Pipinum uocari uoluit: ſed puer immatura morte præuentus, tertio poſt natiuitatem ſuam anno deceſſit.

Vualfarius Aquitaniæ dux.

Anno domini Dcclx. Vualfarius dux Aquitaniæ, cum res eccleſiarum quæ in ſua poteſtate erant, & ad eccleſias ſub manu Pipini regis conſtitutas pertinebant, reddere noluiſſet, ipſumq́ʒ regem pro his per legatos ſuos ſe cõmonentem, audire contempſiſſet contumacia ſua, eundem regem ad ſuſcipiendum contra ſe bellum concitauit. Contractis ergo rex undiqʒ copijs, Aquitaniam intrauit, ſeq́ʒ res ac iuſticias eccleſiarum exacturum pronunciauit.

Redoad.

Cumqʒ in loco, qui dicitur Redoad, poſitis caſtris conſediſſet, Vualfarius bello concertare non auſus, miſſa legatione ad regem, ſpopondit ſe imperata facturum, eccleſiarum iuſtitias redditurum: dedit etiam duos obſides de primoribus gentis, Adalgarium, & Tyberium.

Adalgarius.

Quibus acceptis, rex à bello abſtinuit, domumq́ʒ rediјt. Sanctus Othmarus in inſulam quæ dicitur Stein, relegatus, migrauit ad dominum. Anno domini Dcclxi. Vualfarius, licet obſides dediſſet, & ſacramenta iuraſſet, ſatius tamen ratus, ſi de illato ſibi bello ſuperiori anno, ultionem exigeret, exercitũ qui Francorũ poſſeſſiones popularetur, uſqʒ ad Cabillonem ciuitatem fecit accedere.

Duria.

Quod cum Pipino regi, generalem conuentum agenti in uilla Duria nunciatũ fuiſſet, coactis undiqʒ conſilijs, cum magno belli apparatu in Aquitaniam ingreſſus, omnia ferro & igni uaſtauit, & quædam oppida & caſtella manu cepit, quędam uictori ſe ultro dederũt.

Lemonica.

Cumqʒ omnia uaſtando Lemonicas ueniſſet, regreſſus eſt iterum in Pariſiaco hybernis habitis, natalem Domini, & paſcha ibi peregit. In hac expeditione fuit cum eo filius eius primogenitus Carolus, ad quem poſt patris obitũ omnis imperij ſumma peruenit.

Carolus Pipini filius.

Biturica.

Toarcis.

Anno domini Dcclxij. Pipinus rex ſuſcepto à ſe bello, finem imponere cupiens, tertio Aquitaniam intrauit: captiſq́ʒ Biturica ciuitate, & caſtello Toarcis, reuertitur, hyemauitqʒ in uilla Gentiliaco. Anno dñi Dcclxiij. Pipinus habito cõuentu in Niuernis, quarto Aquitaniã intrauit, cũctiſq́ʒ extra munitiões uaſtatis, uſqʒ ad oppidũ Cadurciã, cũ integro exercitu in Franciã ſe recepturus, per Lemonicũ regreditur. Taſſilo dux Bauuarię poſtponens ſacraméta quę iurauerat, & oblitus oĩa bona quę ſibi auũculus ſuus Pipinus rex fecerat ſimulata infirmitate, ab hac expeditione per dolum ſe ſubduxit, & in Bauuariã rediјt: firmatoqʒ ad defectioné aĩo, ad cõſpectũ regis ſe ulterius uenturũ abiurauit.

Longlare.

Rex aũt dimiſſo exercitu, in uilla Longlare hyemauit. Año dñi Dcclxiiij. rex Pipinus diſtracto in diuerſa aĩo ꝓpter duo bella, Aquitanicũ ſcilicet, iã oli ſuſceptũ, & Bauuaricũ propter Taſſilõis ducis defectioné ſuſcipiendũ, cõuentũ populi ſui habuit in Vuormacia, dilataq́ʒ in futurũ expeditione, illo anno ſe domi cõtinuit.

Cõuẽtus Vuormaciæ.

Anno

Conuentus in Atiniaco.

Anno domini Dcclxv. Pipinus generalem conuentum in Atiniaco uilla habuit, ſed & hoc anno nuſquam mouens expeditionem, Aquis hyemauit. Corpora ſanctorum Gorgonij, Naboris, & Nazarij de Roma tranſlata ſunt in Franciam.

Turci cum Auaribus.

Anno domini Dcclxvi. Turci egreſſi ſunt è Caſpijs portis, cum Auaribus bellum inierunt, multiq́ ex utriſq́ perierunt. Pipinus propter conficiendum Aquitanicum bellum cōuentu in Aurelianis habito, in Aquitaniam quinto profectus eſt, & deſtructum a Vualfario, Argentomagum caſtrum reædificauit, diſpoſitoq́ ibi & in Biturica ciuitate præſidio regreditur.

Argentomagum.

Anno domini Dcclxvij. Orta quæſtione de ſancta Trinitate, & de ſanctorum imaginibus, inter orientalem & occidentalem eccleſiam, id eſt, inter Græcos & Romanos, Pipinus rex in uilla Salmonciaco ſynodum habuit, uentilataq́ quæſtione, ad bellum prædictum conficiendum poſt natale domini ſeptimo in Aquitaniam proficiſcitur. Multis caſtellis & pagis captis, Viennam reuertitur, ibiq́ paſcha celebrato, & exercitu recreato, menſe Auguſto ad reliquias belli profectus eſt, & Bituricam ueniens, conuentum in campo habuit: indeq́ ad Garunnam fluuium accedens, multa caſtella & petras atq́ ſpeluncas, in quibus ſe hoſtium multitudo plurima defendebat, cepit, reuerſusq́ Bituricam, exercitum in hyberna dimiſit.

Quæſtio de Trinitate & ſanctorum imaginibus.

Garunna fluuius.

Anno domini Dcclxviij. Pipinus in Biturica natalem domini celebrauit. Et cum primum ad gerendum bellum tempus aptum uideret, euocato undiq́ exercitu, ad Santonicam ciuitatem contendit: captoq́ in itinere Runiſtenio cum ad urbem prædictam ueniſſet, mater & ſoror & neptes Vualfarij ducis ad eum adductæ ſunt. Quas cum pie ſuſceptas ſeruari iuſſiſſet, ad Garūnam fluuium proficiſcitur. Vbi ei Hereuuigis cum alia præfati ducis ſorore occurrit, ſeq́ & illam regi tradidit. Rebus igitur aliquot proſpere geſtis, rex reuertitur, & in caſtello quod dicitur Sels, paſcha celebrauit. Aſſumptaq́ ſecum uxore ſua atq́ familia, iterum ad urbem Santonicam uenit: dimiſſaq́ ibi uxore ac familia, cum omnibus copijs ad perſequendum Vualfarium ducem animum intendit: nec prius deſiſtere inſtituit, quàm aut uiuum caperet, aut rebellantem interficeret. Quo interfecto in territorio Petragorico, confectoq́ bello Aquitanico, Sanctonas reuerſus eſt, ibiq́ demorans aliquandiu, ægritudine decubuit, delatus tamen Turonos apud ſancti Martini memoriam orauit, indeq́ Pariſium ueniens, viij. kal. Octobr. obijt, corpusq́ eius in baſilica ſancti Dioniſij humatum eſt.

Santonica ciuitas.

Selza, Germani uocant aliâs Saleſtio, uel Saleſia, oppidum ſex miliarijs infra Argentoratum.

Pipinus moritur.

Filij uero eius Carolus & Carlomannus omnium Francorum conſenſu ambo reges creati ſunt. ea conditione præmiſſa, ut totum regni corpus ex æquo partirentur: & Carolus eam partem quam pater eius Pipinus tenuerat, Carlomannus uero eam quam patruus eorum Carlomannus poſſedit, ſuſceperat: & Carolus vij. Idus Octobris in Nouiomo ciuitate, Carlomannus uero in Sueſſiona, regni ſuſceperūt inſignia. Carolusq́ qui maior erat natu, Aquaſgrani profectus, natalem domini celebrauit, paſcha uero in Rotomago ciuitate. Suſceptę ſunt itaq́ conditiones utrinq́, & pars regni diuiſi iuxta modum ſibi propoſitum, ab utroq́ recepta eſt: manſitq́ iſta quàmuis cum magna difficultate concordia, multis ex parte Carlomanni ſocietatem ſeparare uolentibus, adeo ut quidam eorum etiam bello committere ſint meditati. Sed in hoc plus ſuſpecti quàm periculi fuiſſe, ipſe rerum exitus approbauit, cum defuncto Carlomanno uxor eius & filij cū quibuſdam ex primoribus eius Italiam fuga petijt, et nullis exiſtentibus cauſis ſpreto mariti fratre, ſub Deſiderij Longobardorum regis patrocinium cum liberis ſuis ſe contulit. Et Carlomannus quidem poſt amminiſtratum cōmuniter biennio regnum, morbo deceſſit: Carolus autem defuncto fratre, conſenſu omnium Francorum rex conſtituitur: De cuius natiuitate atq́ infantia uel pueritia dicit actuum eius ſcriptor Eginhardus, ab eodem principe educatus, quod neq́ ſcriptis unquàm aliquid declaratum ſit, neq́ quiſquam ſuo tempore inuentus ſit, qui horum notitiam ſe habere dixerit: de actibus uero & moribus, cæteriſq́ uitæ illius partibus ita explicuit.

Carolus & Carolomannus, ambo reges.

Carlomanno defuncto ſolus rex Carolus omniū conſenſu conſtituitur.

Eginhardus alumnus Caroli atq́ ſcriba ad iuratus uitam Caroli Magni deſcribit: uel ut alij uolunt, Tacuinus.

AD LECTOREM.

A Carolo Magno initium eſt Imperij Germanorum, qui Romæ ſub Leone tertio coronatus fuit in Auguſtum, die Natalis, Anno mundi 4843. Anno Imperij Romani 551. Anno Chriſti 801. Italia uero & Occidens hac translatione Imperij à Græcis ad Germanos, rurſus potentiſſimum caput, & firmiſſimam tutelam aſſequutæ ſunt. Quamuis enim Imperatores Germanorum non omnes æque potentes fuerint, uti in nullo regno Reges ac præſides pari poteſtate & fortuna præditos fuiſſe conſtat, tamen ſemper Imperatorum quidam admodum potentes fuerunt. Italiam uindicarunt præclara facta deſignantes, unde pacem, regimen, & religionem in Occidente conſeruarunt. Quòd ſi quis magnifica facta noſtrorum Imperatorum expendat, facile iudicabit eos ſublimes, ac prudentia præſtantiſſimos fuiſſe principes, & nihil minus quàm Barbaros, & planè tales, qui laudatiſſimis Romanorum Imperatoribus Auguſto, Traiano, Adriano, Conſtantino, & ſimilibus, conferri poſſint. Huc accedit, quòd in his noſtris plus honeſtatis inuenias, quàm in illis. Præterea quòd Primarij noſtri Imperatores non priuato commodo, aut inanis gloriæ cupiditate compulſi bellare cœperint, quin magis ex ſumma neceſſitate religionis, patriæ & ſubditorum defendendorum ergò adacti. Fuerunt autem hij Germanorum Principes & Auguſti, in quibus prudens Lector, quicquid uirtutis nomine cõmendatur, cognoſcat & amet.

i. Carolus Magnus.
ij. Ludouicus Pius.
iij. Lotharius primus.
iiij. Ludouicus ſecundus.
v. Carolus Craſſus.
vi. Arnolffus.
vij. Ludouicus tertius.
viij. Conradus primus.
ix. Henricus primus, dictus Auceps.
x. Otto primus.
xi. Otto ſecundus
xij. Otto tertius.
xiij. Henricus ſecundus.
xiiij Conradus ſecundus.
xv. Henricus tertius.
xvi. Henricus quartus.
xvij. Henricus quintus.
xviij. Lotharius Saxo.
xix. Conradus Sueuus.
xx. Fridericus primus.
xxi. Henricus ſextus.
xxij. Philippus Barbaroſſę filius
xxiij. Otto quartus.
xxiiij. Fridericus ſecundus.
xxv. Conradus quartus.
xxvi Vuilhelmus comes Hollandię.
xxvij. Rudolphus comes Habſpurgi, Lantgrauius Alſatię.
xxviij. Adolphus de Naſſauu.
xxix. Albertus primus.
xxx. Henricus ſeptimus.
xxxi. Lodouicus Bauarus.
xxxij. Carolus quartus.
xxxiij. Vuenceslaus.
xxxiiij. Rupertus Palatinus Rheni.
xxxv. Sigiſmundus.
xxxvi. Albertus ſecundus.
xxxvij. Fridericus tertius.
xxxviij. Maximilianus.
xxxix. Carolus quintus.
xl. Ferdinandus.

Inter hos ſunt, qui Romanis ſapientia, prudentia, & honeſtate longe anteferri poſſunt, ut ſunt Carolus Magnus, Ludouicus Pius. Sex Saxones, Henricus primus, Otto Magnus, Otto ſecundus, Otto tertius, Henricus ſecundus, Lotharius Saxo. Item Franci, Conradus, Henricus, Conradi filius, Rudolphus, Sigiſmundus, Maximilianus.

Deſcriptio

DESCRIPTIO CAROLI MAGNI, & actuum eius.

OMNIVM Bellorum quæ geſſit primo Aquitanicum à patre inchoatum, ſed nondum finitum, quia cito peragi poſſe uidebatur, fratre adhuc uiuo, etiam & auxiliū ferre rogato, ſuſcepit. Et licet eum frater malis quibuſdam machinantibus, auxilio fruſtraſſet promiſſo, ſuſceptam expeditionem ſtrenuiſſime executurus, non prius deſtitit, quàm hoc quod efficere moliebatur, perfecit. Nam & Hunoldum quendam, qui poſt mortem Vualfarij Aquitaniam occupauit, bellumq́; iam penè peractū, reparare tentauit, Aquitaniam relinquere, & in Vuaſconiam fugere coegit. Quem tamen ibi conſiſtere non ſuſtinens, tranſmiſſo amne Garunna, Lupo Vuaſconum duci mandat, ut perfugam reddat, quod ni feſtinato faciat, bello ſe illum expoſtulaturum. Sed Lupus ſaniori uſus conſilio, non ſolum Hunoldū reddidit, ſed etiam ſeipſum cum prouincia cui præerat, eius poteſtati permiſit. Quo bello finito, rogatu & precibus Hadriani pontificis Romani, inſolentiam Deſiderij Longobardorum regis ferre non ualentis, bellum cōtra Longobardos ſuſcepit, copiasq́; quas adduxerat, diuidens, unam partem cum Bernhardo patruo ſuo, per montem Iouis ire præcepit, alteram ipſe ducens per montem Ciniſium, Italiam intrauit, nec prius deſtitit, quàm Deſiderium regem longa obſidione in Papia fatigatum, in deditionem ſuſciperet, & perpetuo exilio deportaret, filium uero eius Adalgiſum, in quo omnium ſpes ſtare uidebatur, non ſolum regno, ſed etiam Italia excedere compelleret, omnia Romanis ablata reſtitueret, Rotgiſum ForoIuliani ducatus ꝑfectū noua molientem opprimeret, totamq́; Italiam ſuæ ditioni ſubiugaret, ſubactæq́; filium ſuum Pipinum regem præponeret. Poſt cuius belli finem, Saxonicum, quod quaſi intermiſſum uidebatur repetitum eſt, quo nullum neq; prolixius, neq; atrocius, Francorumq́; populo laborioſius ſuſceptum eſt, quia Saxones ſicut omnes ferè Germaniæ nationes, & natura feroces, & idolorum cultui dediti, neq; diuina, neq; humana iura polluere, uel tranſgredi arbitrabantur inhoneſtum haberi. Suſceptum eſt igitur aduerſus eos bellum, quod magna utrinq; animoſitate, maiore tamen Saxonum damno, per continuos xxx. annos gerebatur. Poterat ſiquidem citius finiri, ſi Saxonum perfidia hoc pateretur. Dictu difficile eſt, quoties ſuperati ac ſupplices regi, ſe dediderunt, imperata facturos polliciti ſunt, obſides qui imperabantur abſq; dilatione dederunt, legatos qui mittebantur, ſuſceperunt. Aliquoties ita edomiti & emolliti, ut etiā cultum dęmonum dimittere, & Chriſtianæ religioni ſe ſubdere uelle promitterent. Sed ſicut ad hæc facienda aliquoties proni, ſic ad eadem peruertenda ſemper fuere præcipites. Regis uero magnanimitas, aut per ſe, aut per comites ſuos, miſſo exercitu, perfidiam illorum ſemper ulciſcebatur, donec omnibus qui reſiſtere ſolebant, profligatis, decem millia hominum ex his qui utraſq; ripas Albis fluminis incolebant, cū uxoribus & paruulis ſublatos tranſtulit, & per Galliam & Germaniā multimoda diuiſione diſtribuit, eaq́; conditione bellum per tot annos tractum conſtat eſſe finitum, ut abiecto dęmonum cultu, Chriſtianæ religionis Sacramenta ſuſciperent. Hoc autem bellum licet tam diu pertraheretur, ipſe tamen non amplius quàm bis conflixit cum hoſte, ſemel iuxta montem qui Aſneggi in loco Thietmelle nominato, & iterum iuxta Haſā fluuium, & hoc uno menſe paucis diebus interpoſitis. Sed his duobus prælijs ita deuicti ſunt, ut ulterius regem neq; prouocare, neq; ueniēti reſiſtere, niſi aliqua loci munitione defenſi, auderent, plures tamen eo bello tam ex nobilibus Francorū, quàm Saxonum & functi ſummis honoribus uiri conſumpti ſunt. Tandem anno triceſimo tertio finitum eſt. Nec minus interea Hiſpaniam quoq; debellauit, nam Aquitaniā & Vuaſconiam primum ſubiecit. Britones quoq; domuit, miſſaq; expeditione imperata facere coegit. Ipſe poſtea cum exercitu Italiam ingreſſus, ac per Romam iter agens, Capuam urbem Campaniæ acceſſit, ibiq́; poſitis caſtris, Beneuentanis ni dederentur, comminatus eſt. Præuenit hoc dux gentis Aragiſus, filiosq́; ſuos Rimoldum & Grimoldum cum magna pecunia regi ob-

Carolus contra Longobardos bellum ſuſcipit.

Adalgiſus.

Rodogiſis.

Bellum Saxonicū, omnium difficillimum. 30. annis durat.

Saxones fiunt Chriſtiani.

Laici uocant montem S. Adiutorij. Alb. Krantz.

Carolus Hiſpaniā, Vuaſconiam, Aquitaniam, ſubijcit.

i. minoris Brittaniæ incolas, in Gallia.

Beneuentani ſe dedunt.

uiam mittens, rogat ut filios ſuos obſides ſuſcipiat, ſeq; cum gente imperata facturum, præter hoc ſolum, ſi ipſe ad conſpectum uenire cogeretur. Rex utilitate gentis magis quàm eius obſtinatione conſiderata, oblatos ſibi obſides ſuſcepit, eiq; ut ad conſpectum uenire non cogeretur pro magno munere conceſſit, & minore filio gratia obſidatus retento, maiorem patri remiſit, legatiſq; ob ſacramenta fidelitatis à Beneuentanis exigenda, cum Aragiſo dimiſſis Romam rediјt, conſumptiſq; ibi in ſanctorum ueneratione aliquot diebus Galliam reuertitur.

Baioaricum bellũ

Baioaricum deinde bellum & repente ortum, & celeri fine completum eſt, quod ſuperbia ſimul & ſecordia Taſſilonis ducis excitauit, qui hortatu uxoris, quæ filia Deſiderij regis erat, ac patris exilium per maritum ulciſci poſſe putabat, iuncto

Huni Baioarijs ab oriente contermini.

fœdere cum Hunis, qui Baioarijs ſunt ab Oriente contermini, non ſolum imperata non facere, ſed regem bello prouocare tentabat. Cuius contumaciam, quia nimia uidebatur, animoſitas regis ferre nequiuerat, ac proinde contractis undiq; copijs, Baioariam petiturus ad Licum amenm uenit, qui Baioarios ab Alemannijs diuidit. Cuius in ripa caſtris collocatis, priuſq; prouinciã intraret, animum

Licus: Krantz habet lecca.

ducis per legatos ſtatuit experiri. Sed ille pertinaciter agere, nec ſibi uel genti utile ratus, regi ſe ſupplex permiſit: obſides qui imperabantur, dedit: inter quos & filium ſuum Theodonem, data inſuper fide cum iuramento, ꝙ ab illius poteſtate

Taßilo.

ad defectionem nemini ſuadenti conſentiret, ſicq; bello, quod quaſi maximum uidebatur futurum, celerrimus eſt finis impoſitus. Taſſilo tamẽ poſtea euocatus ad regem, neq; redire permiſſus eſt, neq; prouincia quam tenebat ulterius Duci, ſed comitibus eſt commiſſa. Nam cum Taſſilo dux reus maieſtatis iudicatus, capite damnaretur, clementia regis uita ſibi conceſſa, mutato habitu in monaſterium miſſus eſt, filius quoq; eius Theodotonſus, monaſticę conuerſationi deputatus eſt.

Sclaui Vuilci, uel Vuilſi, & Vueletabi dicti.

His motibus ita compoſitis, Sclauis qui noſtra conſuetudine Vuilci, propria uero lingua Vualetabi dicuntur, bellum illatum eſt, in quo & Saxones, uelut auxiliares inter cæteras nationes, quanq; ficta, & minus deuota obedientia militabant, unaq; hac expeditione ijdem Sclaui ita ſunt domiti, ut ulterius iuſſis non contrairent.

Bellũ Caroli contra Auares ſiue Hunos.

Maximum omnium quæ à Carolo geſta ſunt bellorum, præter Saxonicum, huic bello ſucceſſit, illud uidelicet, quod contra Auares ſiue Hunos ſuſceptũ eſt, quod ille & animoſius quàm cætera, & longe maiori apparatu adminiſtrauit.

Expeditio Caroli in Pannoniam.

Vnam tamen per ſe in Pannoniam (nam hanc prouinciam ea gens incolebat) expeditionem fecit, cætera filio ſuo Pipino, ac præfectis prouinciarũ, comitibus etiam ac legatis perficienda commiſit. Quæ cum ab his ſtrenuiſſime fuiſſent impleta, octauo tandem anno idem bellum conſummatũ eſt. Quot prælia in eo geſta ſint, quantumq; ſanguinis effuſum, teſtatur Pannonia omni penè

Franci bello ditati

habitatore uacua, & locus, in quo regia Caiani erat, ita deſertus, ut ne ueſtigium quidem humanæ habitationis in eo appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas, prout tota gloria decidit, omnis pecunia, & congeſti ex longo tempore theſauri direpti ſunt: neq; ullum bellum cõtra Francos exortum, humana poteſt memoria recordari, quo illi magis ditati, & opibus aucti ſint, quippe cum uſq; in id temporis penè pauperes uiderentur. Tantum auri & argenti in regia repertũ, tot ſpolia precioſa in prę lijs ſublata, ut merito credi poſſit, hoc Francos iure abſtuliſſe, quod Huni prius alijs gentibus iniuſte eripuerunt.

DESCRIPTIO TERRAE HVNORVM.

Huni, qui & Auares Octennali bello per Carolum edomiti.

TERRA quippe Hunorum, ut antiquorum temporum relatores teſtantur, nouem circulis, quos teutonici Haga dicũt, cingebatur, quorum ſinguli ita ſtipitibus, quernis, ſiue faginis, uel abiegnis erãt extructi, ut de margine ad marginem xx. pedum ſpatium tenderetur in latum, & totidem ſubrigeretur in altum, ciuitas aũt uniuerſa, aut

Nouem circuli, teutonice Hag.

duriſſimis lapidibus, aut creta tenaciſſima repleretur, porrò ſuperficies uallorum eorundem, integerrimis ceſpitibus tegerentur: Inter quorum confinia Plantabantur arbuſculæ, quæ, ut cernere ſolemus, abſciſæ atq; proiectæ, comas cauliũ

foliorumq;

foliorumq́ proferunt. De primo autem circulo uſq; ad ſecūdū, xx. milliaria teutonica protendebātur, & inde ſimiliter ad tertium, & ita uſq; ad nonum, quàmuis ipſi circuli, alius alio multo contractiores fuiſſent. Inter hos igitur aggeres ita uici, uillæq́ erant locatæ, ut de alijs ad alias uox humana poſſet audiri. Contra eadem uero ædificia inter inexpugnabiles muros portæ non ſatis latæ erant conſtitutæ, per quas latrocinandi gratia non ſolum exteriores, ſed etiā interiores ſolebant exire. De circulo quoq; ad circulū ſic erant poſſeſſiones & habitacula undiq; uerſum ordinata, ut clangor tubarū inter ſingula cuiuſq; rei poſſet ſignificantius aduerti. Ad has ergo munitiones per cc. & eo amplius annos, qualeſcunq; omnium Occidentalium diuitias congregantes, cum & Gothi & Vuandali quietem hominū perturbarent, orbem occiduum pene uacuū dimiſerunt. Quos cum inuictiſſimus Carolus in annis octo ita perdomuit, ut de eis ne minimas quidem reliquias remanere permiſerit. A uulgaribus uero ideo manum retraxit, quia uidelicet Hunis extinctis, regno Francorum nihil nocituri uiderentur. Porrò prædam in Pannonia repertā per Epiſcopia uel monaſteria liberaliſſima diuiſione diſtribuit. Duo tm̄ ex proceribus Francorū eo bello perierunt: Henricus dux Foroiulianus in Liburnia, iuxta Tarſicam maritimā ciuitatē, inſidijs oppidanorū interceptus: Et Geroldus Baioariæ præfectus in Pannonia, cum contra Hunos præliaturus, aciem ſtrueret, incertū à quo cū duobus tm̄, qui eum obequitantem, ac ſingulos cohortantē comitabanť, interfectus eſt. Cęterū incruentū pene Francis bellū hoc fuit, & proſperrimū exitū habuit, tametſi diutius ſui magnitudine traheretť. Poſt quod & Saxonicū ſua prolixitate cōgruentē finē accepit. Boemicum quoq; & Lilonicū, quæ poſtea exorta ſunt, durare non potuerunt, quorū utrunq; ductu Caroli iunioris celeri fine cōpletū eſt. Vltimū contra Nortmannos, qui Dani uocantur, primo piraticā exercentes, deinde maiori claſſe littora Galliæ atq; Germaniæ uaſtantes, bellū ſuſceptū eſt, quorū rex Gotfridus adeo uana ſpe inflatus erat, ut ſibi totius Germaniæ promitteret poteſtatem: Freſiā quoq; atq; Saxoniā, haud aliter atq; ſuas prouincias æſtimabat, iam Obodritos uicinos ſuos in ſuā ditionē redegerat, iam eos ſibi uectigales fecerat, iactabat etiā ſe breui Aquiſgrani, ubi regis comitatus erat cum maximis copijs aduenturū. Nec dictis eius, quamuis uaniſſimis omnino, fides abnuebatur, quin potius aliquid tale inchoaturus, niſi feſtinata fuiſſet morte pręuentus, putabatur. Nam à proprio ſatellite, ſiue ut quidā uerius æſtimant, à proprio filio, cuius matrem abiecerat, & aliam duxerat, interfectus, & ſuæ uitæ & belli à ſe inchoati finem fecit. Hæc ſunt bella, quæ rex potentiſſimus per annos xlvi. (tot enim annis regnauit) in diuerſis terrarum partibus, ſumma prudētia atq; fœlicitate geſſit, quibus Francorū regnū quod poſt patrem Pipinū magnum quidē & forte ſuſceperat, ita nobiliter ampliauit, ut pene duplū reddiderit. Nam cum prius non amplius q̃ ea pars Galliæ, quę inter Rhenum & Ligerem fluuium, Oceanumq́ ac mare Balearicū iacet, & pars Germanię, quę inter Saxoniam & Danubium, ac Salem fluuium, qui Thuringos & Sorabos diuidit, poſtea incolitur à Francis, qui Orientales dicuntur, & præter hæc Alemanni atq; Baioarij, ad regni Francorum poteſtatem pertinerent, ipſe per bella memorata primo Aquitaniam & Vuaſconiam, totumq́ Pyrenei montis iugum, & uſq; ad Hiberum amnem, qui apud Nouarros ortus, & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecans, ſub Tercoſæ ciuitatis mœnia Balearico mari miſcetur, deinde Italiam totam ab Auguſta prætoria uſq; in Calabriam minorem, in qua Græcorum ac Beneuentorum conſtat eſſe confinia, tum Saxoniam, quæ Germaniæ quidem magna pars eſt, & eius quæ à Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum ei longitudine poſſit eſſe ſimilis, deinde utranq; Pannoniam, & appoſitam in altera Danubij ripa Daciam, Hiſtoriam quoq; & Liburniam atq; Dalmatiam, exceptis maritimis ciuitatibus, quas ob amicitiam & iunctum cum eo fœdus Conſtantinopolitanum imperatorem habere permiſit, deinde omnes Barbaras & feras nationes, quæ inter Rhenum ac Viſtulam fluuios, Oceanumq́ ac Danubiū poſite, lingua quidē pene ſimiles, moribus uero atq; habitu ualde diſſimiles, Germaniā incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret. Auxit etiā gloriā regni ſui

De primo circulo ad ſecundum, 20. milliaria Germanica.

Prædam Pannoniæ in Monaſteria & Epiſcopia diuiſit Carolus.

Hæc erat ex Theſauris Caiani principis, quos ea gens id temporis in Pānonia habitans, ex toto orbe ſpoliato conuexerat, nec unquàm opimiorem prædam nactos Francos legimus. Hinc illæ diuitiæ templi Mogōtiacenſis. ui de B. Rhe. lib. 2. Rerum Germanica. & Chronicon uetus rerum Mogontiac. per Conradum Epiſcopum conſcriptum.

Gotfridus à filio interemptus.

Carolus regnauit annis. 46. quibus continuo bellauit.

Quas nationes Tributarias fecerit Carolus.

Fœdus Imp. Conſtantinopolitani cum Carolo.

Societas Caroli cum Adefonſo rege Galiciæ.
Scotorum reges ſubditos habuit.
Amicitia Caroli cum Aaron rege Perſarum quæ munera miſit, uide libr.2. Alb. Krantz, cap.19. & infra in annis imperij Caroli.

ſui quibuſdam regibus ac gentibus per amicitiam ſibi coniunctis. Adeo namq; Adefonſum Galiciæ atq; Aſturiæ regem ſibi ſocietate deuinxit, ut is cum ad eum literas, uel legatos mitteret, non aliter ſe apud illum quàm propriũ ſuum appellari iuberet. Scotorum quoq; reges ſic habuit ad ſuam uoluntatem per munificentiam inclinatos, ut eum nunq; niſi dominũ, ſeq; ſubditos & ſeruos eius pronunciarent. Cum Aaron rege Perſarum, qui excepta India, totum penètenebat Orientem, talem habebat in amicitia concordiam, ut is gratiam eius, omnium qui in toto erant orbe regum, ac principum amicitiæ præponeret, ſolumq; honore ac munificentia ſibi colendum iudicaret. Imperatores etiã Conſtantinopolitani, Nicephorus, Michael & Leo ultro amicitiam & ſocietatem eius expetentes, complures ad eum miſere legatos. Cum quibus tamen propter ſuſceptũ à ſe Imperatoris nomen, & ob hoc quaſi qui imperium eis præripere uellet, ualde ſuſpectum, fœdus firmiſſimum ſtatuit, ut nulla inter partes cuiuslibet ſcandali remaneret occaſio. Erat enim ſemper Romanis & Græcis Francorum ſuſpecta potentia.

Prouerb. Græcum.

Vnde & aliud Græcum extat prouerbiũ, τὸν φράγκον φίλον ἔχοις, γείτονα οὐκ ἔχοις Id eſt, FRANCVM AMICVM HABEAS, VICINVM NE HABEAS.

Opera Caro. Magni.
Baſilica Aquiſgrani.
Pons Mogontiæ.

Qui cum tantus in ampliando regno, & ſubigendis exteris nationibus exiſteret, & in eiuſmodi occupationibus aſſidue uerſaretur, opera tamen plurima ad regni decorem & cõmoditatem pertinentia, diuerſis in locis inchoauit, quędam etiam conſummauit, inter quæ præcipua non immerito uideri poſſunt, baſilica ſanctæ Dei genitricis Aquiſgrani opere mirabili conſtructa, & pons apud Mogontiam in Rheno, quingentorum paſſuum longitudinis, nam tanta eſt ibi fluminis latitudo. Qui tamen uno anno anteq; decederet, in cendio conflagrauit, nec refici potuit, propter feſtinatum illius deceſſum, quanq; in ea meditatione eſſet, ut pro ligneo lapideum reſtitueret.

Ingelheimum prope palatium Moguntiacum. Nunc Vualam uocant.

Inchoauit & palatia operis egregij: unum haud longe à Mogonciaca ciuitate, iuxta uillam, cui uocabulum eſt Ingelheim: alterum Nouiomagi ſuper Vahalem fluuium. Pręcipue tamen ædes ſacras ubicunq; in toto regno ſuo uetuſtate collapſas comperit, Pontificibus & Abbatibus, ad quorũ curam pertinebant, ut reſtaurarentur, imperauit, adhibens curam per legatos, ut imperata perficerent. Talem enim in ampliando & tuendo, ſimulq; ordinando regno fuiſſe conſtat, cæterum qualis in domeſtica cura fuiſſet dicatur.

Domeſtica cura Caroli.

Poſt mortem patris cum fratre regnum partitus, tanta patientia ſimultates & inuidiã eius tulit, ut omnibus mirum uideretur, q ne ad iracundiam quidem ab eo prouocari potuiſſet.

Carolus repudiat uxorẽ, ducit alterã.

Deinde cum matris hortatu, filiam Deſyderij regis Longobardorum duxiſſet uxorem, poſt annum repudiauit eam, & Hildigardam de gente Suauorum, præcipuę nobilitatis fœminam in matrimonium accepit, de qua filios tres, Carolum uidelicet, ac Pipinum & Ludouicum, totidemq; filias, Ruothrudem & Bertham & Giſlam genuit. Habuit & alias tres filias, Theoderatam & Hiltrudam, & Ruotheidem: duas de Faſtrada uxore, quæ de Orientalium Francorum, ſcilicet Germanorum gente erat, tertiã de concubina quadã. Defuncta Faſtrada, Luitgardam Alemanniam duxit, de qua liberos non habuit. Poſt cuius mortem tres habuit concubinas, Gerſundam Saxonici generis, de qua ei filia nomine Adeltrud nata eſt: Regenam quæ ei Druogonem & Hugonem genuit: Adelindam quoq;, quæ Theodericũ procreauit.

Carolus matrem pie tractat,

Mater quoq; eius Berthrada in magno apud eum honore conſenuit: colebat enim eam cum magna reuerentia, ita ut nulla unq; inuicem ſit exorta diſcordia, niſi in diuortio filiæ regis Deſyderij, quam illa ſuadente acceperat. Deceſſit tandem poſt mortem Hiltigardæ, cum iam tres nepotes ſuos, totidemq; neptes in filij domo uidiſſet. Quam ille in eadem baſilica, qua pater ſitus eſt, apud ſanctum Dionyſium magno cum honore fecit humari. Erat ei unica ſoror nomine Giſla, à puellaribus annis religioſę cõuerſationi mancipata, quam ſimiliter ut matrem magna coluit pietate, quæ etiam paucis ante obitum illius annis, in eo quo cõuerſata eſt monaſterio, deceſſit.

Inſtitutio liberorum Caroli.

Liberos ſuos ita cenſuit inſtituendos, ut tam filij, quàm filiæ primo liberalibus ſtudijs (quibus & ipſe operam dabat) erudirentur: tum filios cum primum ætas patiebatur, more Francorũ equitare, armis ac uenatib. exerceri fecit. Filias uero lanificio aſſueſcere,

coloq; ac fuſo, ne per ocium torperent, operã impendere, atq; ad omnem honeſtatem erudiri iuſſit. Ex his omnibus duos tantũ filios & unam filiam, priuſq; moreretur, amiſit. Carolum, qui maior natu erat, & Pipinũ, quem regem Italiæ præfecerat, & Ruothrudẽ, quę filiarũ eius primogenita, & à Conſtantino Grecorum Imperatore, filio Leonis & Hirene fuerat diſponſata. Quorum Pipinus unum filium Bernhardũ, filias aũt quinq; ſuperſtites reliquit, in quibus rex pietatis ſuæ precipuum documentum oſtendit, cum nepotem patri ſuccedere, & neptes inter filias ſuas educari fecit. Filiorum ac filiarum tantam in educando curam habuit, ut nunq̃ domi poſitus, ſine ipſis cœnaret, nnnq̃ iter ſine illis faceret. Adequitabant ei filij, filiæ uero penè ſequebantur, quarum agmen extremum ex ſatellitũ numero ad hoc ordinati, tuebantur. Quæ cum pulcherrimæ eſſent, & ab eo plurimum diligerentur, mirum dictu, ꝙ nullam earum cuiq̃, aut ſuorum, aut exterorum nuptum dare uoluit, ſed omnes ſecum uſq; ad obitum ſuum in domo ſua retinuit, dicens ſe earum contubernio carere non poſſe. Ac propter hoc licet aliàs fœlix aduerſæ fortunæ indignitatẽ expertus eſt, quod tamen ita diſſimulauit, ac ſi de eis nulla unq̃ alicuius peccati ſuſpicio exorta, uel fama diſperſa fuiſſet. Erat ei filius nomine Pipinus, ex concubina editus, cuius inter ceteros mentionẽ facere diſtulit, facie quidem pulcher, ſed gibbo deformis. Is cum pater bello cum Hunis ſuſcepto in Baioaria hiemaret, cum quibuſdam è primoribus Francorũ, qui eum uana regni promiſſione illexerant, aduerſus patrem coniurauit. Quem poſt fraudem detectam, & coniuratorum damnationem detonſum, in cœnobio Pruinia religioſe uitæ iam uolentem uacare permiſit. Facta eſt & alia prius cõtra eum in Germania ualida coniuratio, cuius autores partim luminibus orbati, partim incolumes, omnes tamen exilio deportati ſunt, neq; ullus ex eis interfectus eſt, niſi tres tantum, qui cum ſe ne comprehenderentur, ſtrictis gladijs defenderent, aliquos etiam occidiſſent, quia aliter coerceri non poterant, interempti ſunt. Harum tamen coniurationũ Faſtradę reginæ crudelitas cauſa & origo dicitur extitiſſe & idcirco in ambabus cõtra regem conſpiratum eſt, quia uxoris crudelitati conſentiens, à ſuę naturæ benignitate, ac ſolita manſuetudine uidebatur exorbitaſſe. Cęterũ per omne uitæ ſuæ tempus ita cum ſummo omniũ amore atq; fauore domi & foris cõuerſatus eſt, ut nunq̃ ei uel minima iniuſtę crudelitatis nota à quoq̃ fuiſſet obiecta. Amabat peregrinos & in eis ſuſcipiendis magnã habebat curam, adeo ut eorum multitudo non ſolum palatio, uerumetiam regno nõ immerito uideretur oneroſa. Ipſe tamen præ magnitudine animi huiuſcemodi pondere minime grauabatur, cum etiã ingentia incõmoda laude liberalitatis, ac bonę famæ mercede compenſaret. Corpore fuit amplo atq; robuſto, ſtatura eminenti, quæ tamen non excederet, nam ſeptem ſuorum pedum proceritatẽ eius conſtat habuiſſe menſuram, apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac uegetis, naſo paululum in mediocritatem excedenti, canicie pulchra, facie lęta ac hilari, unde formę autoritas, dignitas tam ſtanti quàm ſedenti plurima acquirebatur. Quanq̃ enim ceruix obeſa & breuior, uenterq; uideretur proiectior, tamen hęc cęterorum membrorum celabat ęqualitas. Inceſſu erat firmo, totaq; corporis habitudine uirili, uoce clara quidẽ, ſed quæ minus coporis formę conueniret, ualitudine proſpera, pręter ꝙ anteq̃ decederet, per quatuor annos crebro febribus corripiebatũ, ad extremnm etiam uno pede claudicabat. Erat eloquentia copioſus & exuberans, poteratq; quicquid uellet apertiſſime exprimere, nec patrio ſermone contentus, etiam peregrinis linguis ediſcendis operam dabat, in quibus latinam linguam ita didicit, ut ea ac patria lingua orare ſit ſolitus, Grecam uero melius intelligere q̃ pronunciare poterat. Artes liberales ſtudioſiſſime coluit, earumq; doctores plurimum ueneratus, magnis extulit honoribus. In diſcenda grammatica Petrum Piſanum diaconum ſenem audiuit, in cæteris diſciplinis Albinum cognomento Alcuuinum, item diaconum de Britannia, uirum undecũq; doctiſſimum pręceptorẽ habuit, apud quem & rhetoricę & dialecticæ, præcipue tamen aſtronomicæ ediſcendæ plurimum, & temporis & laboris impertiuit. Diſcebat & artem computandi, & intentione ſagaci ſyderum curſum curioſiſſime rimabatur.

Carolus domi cum liberis cœnat.

Carolus indignitatẽ fortunæ expertus in liberis.

Pipinus cõtra patrẽ, ideo monachus factus Tonderi tum probro dabatur.

Carolus minime crudelis.

Deſcriptio corporis Caroli Magni.

Facundia linguæ. Græce intellexit. Artes liberales. Hinc & Carolus ſciẽns eruditionem eſſe inſtrumentum maximarum rerum, tres Scholas, Pariſijs, Bononiæ, Patauiæ inſtituit, & multa monaſteria in Germania, quæ tum etiam Scholæ fuerũt. Atq; utinã hodie eſſent conuentus honeſtorũ, Seminia uocat Euſebius.

Tentabat

Tentabat & ſcribere tabulas,& codicillos ad hoc in lecto ſub ceruicalibus circumferre ſolebat, ut cum uacuum tempus eſſet, manum literis effigiandis aſſueſceret: ſed parũ ſucceſſit, labor præpoſterus ac ſero inchoatus. Aſſidue exercebatur equitando ac uenando, quod illi gentilitium erat, quia uix ulla in terris natio inuenitur, quæ in hac arte Francis poſſit coęquari, Delectabatur etiam uaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens, cuius adeo peritus fuit, ut nullus ei iuſtè ualeat anteferri. Ob hoc etiam Aquiſgrani regiam extruxit, ibiq; extremos uitæ annos uſq; ad obitum perpetim duxit.

Ter bibere in menſa, Carolinum.

In cibo & potu erat temperans, ſed in potu temperantior, ita ut ſuper cœnam raro plus quàm ter biberet, cibo non adeo abſtinere poterat, ut ſæpe quæreretur noxia ſuo corpori eſſe ieiunia. Conuiuabatur rariſſime,& hoc præcipuis tantum feſtiuitatibus, tunc tamen cum magno hominum numero.

ἀκρόαμα argute et ſubtiliter dictum.

Lectio menſæ, Hiſtoriæ, & Auguſtinus de ciuitate Dei.

Dilectio Caroli, ut ſe extendit.

Liberalis in Eccleſiã S. Petri Romæ.

Cœna quotidiana quaternis tantum ferculis prębebatur, pręter carnem aſſam, quam uenatores uerubus inferre ſolebant, qua ille libentius quàm ullo alio cibo ueſcebatur. Inter cœnandum aut aliquod ἀκρόαμα, aut lectorem audiebat. Legebantur ei hiſtoriæ, & antiquorum res geſtæ, delectabatur etiam libris S. Auguſtini præcipueq; his, qui de ciuitate Dei prętitulati ſunt. Circa pauperes ſuſtentandos, & gratuitam liberalitatem, quam Græci ἐλεημοσύνην uocant, deuotiſſimus erat, ut qui non in patria ſolum, & in ſuo regno id facere curauerit, uerum trans maria, in Syriam & Aegyptum, atq; Aphricam, Hieroſolymis, Alexandriæ, Carthagini, ubi Chriſtianos in paupertate uiuere compererat, penuriæ illorum compatiens, pecuniam mittere ſolebat. Ob hoc maxime tranſmarinorũ regum amicitias expetens, ut Chriſtianis ſub eorum dominatu degentibus, refrigerium aliquod ac releuatio proueniret. Colebat pręcæteris ſacris locis apud Romam beati Petri Apoſtoli Eccleſiam, in cuius donaria magnam uim pecuniæ congeſſit. Neq; ille toto regni ſui tempore quicq; duxit antiquius, quàm ut urbs Roma ſua opera, ſuoq; labore uetere polleret autoritate. Et Eccleſia S. Petri per illum non ſolum tuta ac defenſa, ſed etiam ſuis operibus præ omnibus Eccleſijs eſſet ornata atq; ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intra xlvi. annorum quibus regnauerat ſpatium, quater tantum illo uotorum ſoluendorũ, ac ſupplicandi cauſa profectus eſt. Vltimi aduentus ſui non ſolum hæ fuerunt cauſæ, uerum etiam q Romani Leonem Pontificem multis affectum iniurijs, erutis ſcilicet, ut quidam dicunt, oculis, linguaq; amputata, fidem regis implorare compulerunt. Idcirco Romam ueniens, propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, Eccleſię ſtatum, ibi totũ hyemis tempus extraxit. Quo tempore Imperatoris & Auguſti nomen accepit, quod primo in tantum aduerſatus eſt, ut affirmaret ſe eo die, quàmuis pręcipua feſtiuitas eſſet, Eccleſiam non intraturum, ſi pręſcire potuiſſet Pontificis conſilium. Inuidiam tamen ſuſcepti nominis, Romanis Imperatoribus ſuper hoc indignantibus, magna tulit patientia, uicitq; eorum contumaciam magnanimitate, qua eis proculdubio longe præſtantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in epiſtolis fratres eos appellando. Poſt ſuſceptum imperiale nomen, cum aduerteret multa, legibus populi ſui deeſſe (nam Franci ſuas habent leges, in plurimis locis ualde diuerſas) cogitanti quæ deerant, addere, & diſcrepantia unire, praua quoq; ac perperam prolata corrigere. Sed de his nihil aliud ab eo factũ eſt, niſi q pauca capitula, & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum, quæ ſub eius dominatu erant, iura quę ſcripta non erant, ſcribi, ac literis mandari fecit. Item barbara & antiquiſſima carmina, quibus ueterũ regum actus & bella canebantur, ſcripſit, & memorię mandauit. Inchoauit & grammaticam patrij ſermonis, menſibus etiam iuxta propriam linguam uocabula impoſuit, qui ante id temporis apud Francos, partim latinis, partim barbaris nominibus pronunciabãtur: & Ianuarium appellauit Vuintermonath, Februariũ hornung, Martium lencin monath, Aprilem oſtermonath, Maium vuunemonath, Iunium brachmonath, Iulium heumonath, Auguſtum ernmonath, Septembrem vuitemonath, Octobrem vuindemonath, Nouembrem herbſtmonath, Decembrem hilicmonath. Item uentos xij. proprijs appellationibus inſigniuit,

Leo Pontifex, male à Romanis tractatus.

Auguſti nomen grauatim accepit.

Reformator legum Francicarum.

Grammatica Germanica.

Nomina menſium.

Et hinc colligitur Francos, Germanica lingua uſos fuiſſe, uide 2. lib. rerum Ger. Beat. Rhen.

cum

cum prius non amplius quàm iiij. uẽtorum uocabula poſſent inueniri. Et Subſolanum uocauit oſteruuint, Eurum oſtſundroni, Euroauſtrum ſundoſtroni, Auſtrum ſundroni, Zephyrum uueſtroni, Corum uueſtnordroni, Circium nordueſtroni, Septentrionem nordroni, Aquilonem nordoſtroni, Vulturnum oſtnordroni.

Nomina uentorum.

Religionem Chriſtianam qua ab infantia fuerat imbutus, ſanctiſſime & cum ſumma pietate excoluit, ac propter hoc plurimæ pulchritudinis baſilicã Aquiſgrani extruxit: auroq́ & argento, & luminaribus, atq; ex ære ſolido cancellis & ianuis adornauit. Ad cuius ſtructuram cum columnas & marmora aliunde habere non poſſet, Roma atq; Rauenna deuehenda curauit. Eccleſiam mane & ueſpere, item nocturnis horis, & ſacrificij tempore, quoad ualetudo eum permiſerat, impigre frequẽtabat, curabatq́ magnopere, ut omnia quæ in ea gerebãtur, cum maxima fierent honeſtate, æditųos creberrime commonens, ne quid indecens aut ſordidum, uel inferri, uel in ea remanere permitterent. Sacrorũ uaſorum ex auro & argento, ueſtimentorumq́ ſacerdotalium tantã in ea copiam procurauit, ut in ſacrificijs celebrandis ne ianitoribus quidem, qui ultimi ordinis ſunt, priuato habitu miniſtrare neceſſe fuiſſet. Legendi atq; pſallendi diſciplinam diligentiſſime emendauit: erat enim utriusq; admodum eruditus, quanq̃ ipſe nec publice legeret, nec niſi ſummiſſe & in commune cantaret.

Religio Caroli.

Fuit autem conſuetudo, ut in baſilica eius magiſter ſcholę deſignaret pridie ſingulis, quod reſponſoriũ quis cantare deberet in nocte, lectiones uero nullus cuiquã recitandas iniunxit, nullus ad terminum uel cæram impoſuit, uel unguibus ſaltem quantulumcunq; ſignum impreſſit: ſed cuncti omnia quæ legenda erant, ita ſibi nota facere curarunt, ut quando inopinate legere iuberentur, irreprehenſibiles apud eum inuenirentur. Digito autem uel baculo porrecto, uel ex latere ſuo ad procul ſedentes aliquo directo, demonſtrauit quæ legere uoluiſſet. Finem uero lectionis ſono gutturis deſignauit. Ad quem uniuerſi ita intente ſuſpenſi ſunt, ut ſiue finita ſententia, ſiue in media diſtinctione, ſiue ſubdiſtinctione ſignificaret, nullus ſequens ſuperius aut inferius incipere pręſumeret, quantumcunq; incongrua finis, aut initium uiderentur: & hoc modo factũ eſt, ut etiã ſi non intelligerent, oẽs in eius palatio lectores optimi fuiſſent. Nullus alienus, nullus etiam nouus, niſi legere ſciens & canere, chorum eius auſus eſt intrare.

Magiſter ſcholæ.

Extremo uero tempore cum iam & morbo & ſenectute præmeretur, euocatum ad ſe Ludeuicum filium ſuũ Aquitaniæ regem, qui ſolus filiorum Hildigardæ reginę ſupererat, congregatis ſolenniter de toto Francorum regno primoribus, cunctorũ conſilio conſortem ſibi totius regni & imperialis nominis hęredẽ conſtituit: impoſitoq́ capiti eius diademate, Imperatorem & Auguſtum iuſſit appellari. Suſceptum eſt hoc eius conſilium ab omnibus qui aderant, cũ magno fauore: nam diuinitus ei propter regni utilitatẽ uidebatur inſpiratũ: auxitq́ maieſtatem eius hoc factũ, & exteris nationibus non minimũ terroris incuſſit.

Ludouicus Aquitaniæ rex, filius Caroli, fit Auguſtus.

Dimiſſo deinde in Aquitaniam filio, ipſe more ſolito, q̃uis ſenectute confectus, non à regia longę Aquę, niſi uenatum proficiſcitur, exactoq́ in huiuſcemodi negocio quod reliquũ erat autumni, circa kalen. Nouemb. Aquaſgrani reuertitur. Cumq; ibi hyemaret, mẽſe Ianuarij febre ualida correptus, decubuit, ſtatimq́, ut in febribus ſolebat, cibi abſtinentiam ſibi indixit, arbitratus hac cõtinentia morbum poſſe depelli, uel certe mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci πλευρίτιδα dicunt: illoq́ ad huc inediam retinentẽ, neq; corpus aliter q̃ rariſſimo potu ſuſtentante, ſeptimo poſtq̃ decubuit die, ſacra communione percepta, deceſſit, annis ætatis ſuæ lxxij. & ex quo regnare cœperat xlvi. v. kal. Feb. Indict. vij. hora diei iij.

Febri & pleuriſi laborat.

Moritur anno ætatis 72.

Cuius corpus more ſolenni lotum & curatum, maximo totius populi luctu eccleſię illatũ atq; humatũ eſt. Dubitatũ eſt primo, ubi reponi deberet, eõq; ipſe uiuus de hoc nihil pręcepiſſet. Tandem omniũ animis ſedit, nusq̃ honeſtius eum tumulari poſſe, q̃ in ea baſilica, quã ipſe propter amorẽ Dei & dñi noſtri Ieſu Chriſti, & ob amorẽ ſanctę & ęternę uirginis genitricis eius, proprio ſumptu in eodẽ uico cõſtruxit. In hac ſepultus eſt, eadẽ die qua defunctus eſt: arcusq́ ſupra tumulũ deauratus, cũ imagine et titulo extructus eſt: qui titulus hoc modo deſcriptus eſt:

SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS CAROLI MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVI. FOELICITER TENVIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS, ANNO DOMINI DCCCXIIII. INDICTIONE VII. V. KALEND. FEBR.

Stephanus papa xciiij. ſedit annis iij. menſes v. dies xxviij.

ANNI CAROLI MAGNI .I.

CAROLVS M. I. German. Imperator.



ANno dominicę incarnationis Dcclxix. CAROLVS Magnus, Pipini filius, diuiſo poſt patrem regno, cum fratre Carlomanno regnare cœpit, & xlvi. regnauit annis: tribus cũ fratre, xliij. ſolus poſtea. Cuius anno primo Hunoldus quidã Aquitaniã, quæ in ſortẽ Caroli ceſſerat, inuaſit, & prouincialiũ animos ad cõcitanda noua excitãs, bellum, quod pater eius Pipinus occiſo Vualfario cõſumaſſe uiſus eſt, renouauit. Contra quem Carolus profectus, fratris auxilium poſtulauit: ſed impediẽtibus malis hominibus habere non potuit: colloquio tamen cũ eo habito, ad perſequendum Hunoldum profectus eſt, eumq́ꝫ, ad Lupum Vuaſconium ducem fugitiuum miſſa legatione, recepit cum uxore ſua, ipſoq́ꝫ Lupo cum tota Vuaſconia ſibi obediente regreſſus eſt.

Conuentus Vuormatiæ.

Anno domini Dcclxx. Carolus rex habuit generalem conuentum in Vormacia ciuitate. Berthrada uero, mater regum cum Carlomanno minore filio, apud Saluſſam locata pacis cauſa, in Italiam proficiſcitur: peractoq́ꝫ negotio pro quo ibat, adorans etiam Romæ ſanctorum Apoſtolorum liminibus, ad filios regreditur. Corpus ſancti Othmari in inſula qua defunctus eſt per decem annos, incorruptũ inuenitur, ablatumq́ꝫ in baſilica ſancti Galli ſepelitur.

Carlomannus in uilla Salmontiaco moritur.

Anno domini Dcclxxi. Carlomannus in uilla quæ dicitur Salmontiacus, defunctus eſt ij. Non. Decemb. & Carolus rex ad capiendum ex integro regnum animum intendens, Carbonacum uillam uenit, ibiq́ꝫ Vuiliharius epiſcopus Sedunẽſis, & Folradus pręſbyter, aliiq́ꝫ plures ſacerdotes, comites etiam atq́ꝫ primates fratris ſui ad eum uenerunt, uxor uero Carlomanni cum filijs & parte optimatum ad Italiam profecta eſt. Hadrianus papa xcv. ordinatur, ſedit annis xxiiij.

Saxoniam uaſtat Carolus.

Eresburg ab hera Iunone, ſed obtinuit Martis honor, ut Merſburg uocetur:

Anno domini Dcclxxij. Rex Carolus congregato Vuormaciæ generali conuentu, Saxoniam bello aggredi ſtatuit, eamq́ꝫ ſine mora ingreſſus, cunctaq́ꝫ ferro & igni depopulatus, Eresburg caſtrum cepit, idolum quod à Saxonibus Irminſul uocabatur, euertit.

Irminſul, quaſi Iderman; uel, hoc eſt, commune profugium, & aſylum omnium. Habuerunt autem Saxones idolorum nomina & ritus à Romanis. Druſus, Nero, et Germanicus eam pronũciã gubernarũt. Al. K

In cuius deſtructione cum in eodem loco per triduum moraretur, contigit, ut propter continuam cœli ſerenitatem, exiccatis omnibus illius loci riuis & fontibus, aqua ad bibendum inueniri non poſſet. Sed ſubito diuinitus, ut creditur, in cuiuſdam torrentis concauo tanta uis aquæ eruperat, quieſcentibus cunctis tempore meridiano, ut omni exercitui ſufficeret. Tunc rex idolo deſtructo, Vuiſaram fluuium acceſſit, ibiq́ꝫ acceptis à Saxonibus duodecim obſidibus, receſſit. Anno domini Dcclxxiij. Hadrianus papa, cum inſolentiam Deſiderij regis, & oppreſſionem Longobardorum ferre non poſſet, legationem ad Carolũ mittens, opem eius implorauit. Qui collecto exercitu ueniens, Deſiderium intra Ticinum obſedit, totumq́ꝫ hybernum tempus multa moliendo in hac obſidione conſumpſit. Dum hæc in Italia geruntur, Saxones nacta occaſione pro abſentia regis conti-

guos ſib

tiguos ſibi Haſſorum terminos populantur: uenientesq́; in locum qui Friteslar nominatur, eccleſiam à beato Bonifacio dedicatam, incendere moliti ſunt, quã ipſe ſanctus martyr per ſpiritum prophetię nunquam incendio uiolari prędixit. Cumq; multa ui incendere eam conarentur, apparuerũt quibuſdam & ex Chriſtianis atq; Paganis duo iuuenes in albis, qui eam protexerunt ab igne: nutuq́; diuino immiſſo terrore, omnes in fugam conuerſi ſunt, nemine extrinſecus perſequente. Inuentus eſt aũt poſtea unus ex eiſdem Saxonibus mortuus iuxta eccleſiam ipſam genibus accliuis, ligna & ignẽ habens in manibus, & quaſi ore flans ad incendendam eandem baſilicam. At rex dimiſſo ad obſidionem & expugnationem Ticini exercitu, orandi gratia Romam proficiſcitur: peractisq́; uotis, ad exercitum reuerſus, fatigatam longa obſidione ciuitatem, ad deditionem compulit: quam cæteræ ciuitates ſecutæ, regis ſe poteſtati ſubdiderũt. Et rex ſubacta ac pro tempore ordinata Italia, in Franciam reuertitur, captiuum ducens Deſiderium regem. Adalgis uero filius eius in Græciam ad Conſtantinum imperatorem, diffidens rebus patriæ, ſe contulit, ibiq́; in patritiatus honore uitam finiuit.

Friſlar.

Ticinum.

Eo anno Hirene pijſſima unà cum Conſtantino glorioſe diuinitus imperium accepit. Primo huius imperij anno, cum Conſtantinus decem eſſet annorum, homo quidam in longis Thracę muris fodiens, inuenit arcam lapideam. Quam cum expurgaſſet, & reuelaſſet, repperit uirum in ea iacentem, & literas arte conglutinatas, cõtinentes hęc: Chriſtus naſcetur ex Maria uirgine, & credo in eum. Sub Conſtantino uero & Hirene imperatoribus, ô ſol iterum me uidebis. Anno dñi Dcclxxiiij. Carolus domũ regreſſus, priusq̃ Saxones eum ueniſſe ſentirẽt, tripertitũ in eorũ regiões miſit exercitũ, qui direptionibus & incẽdijs cuncta uaſtãtes, cõpluribus, qui reſiſtere conati ſunt interfectis, cũ ingẽti pręda regreſſi ſunt. Anno dñi Dcclxxv. Carolus rex conſilio habito decreuit Saxoniã ingredi, & in ea tamdiu perſeuerare dum aut Chriſtianę religioni ſubderẽtur, aut omnino tollerẽtur. Totis ergo regni uiribus Saxoniã petẽs, primo impetu Sigiburgũ caſtrũ, in quo Saxonum præſidium erat, cepit. Eresburgum caſtrũ à Saxonibus deſtructum, muniuit, in eo Francorum præſidiũ poſuit, multaq́; ſtrage facta obſides ab eis & Vueſtfalijs accipiens, regreſſus eſt. Corpora ſanctorũ Gordiani & Epimachi de Roma in Alemanniam tranſlata ſunt. Conſtantinus imperator, filius Leonis perſecutor Chriſtianorũ & eccleſiarum, legisq́; deſtructor, obijt.

Hirene accipit imperium.

Arca lapidea reperta.

Bap. dicit, laminam inuentam ſuper cadauer.

Sigisburgum caſtrum capitur.

Eresburgum deſtruitur.

HISTORIA.

ANno dominicæ incarnationis Dcclxxvi. ab urbe condita milleſimo Dxxvij. LEO filius Cõſtantini perſecutoris, lxxi. loco ab Auguſto Romanũ ſuſcepit imperiũ, regnauit annis v. Hic ad breue tempus uiſus eſt pius eſſe ſanctæq́; Dei genitricis ac monachorum amicus: unde & metropolitanos ex monachis in primis ſedibus collocauit, multosq́; ordines in urbe bene ampliauit. Quapropter principes omnes cum multitudine populi copioſa ingredientes, petierunt filium eius Conſtantinum imperatorem. Qui cum diceret illum ſibi unicum eſſe & paruulum, ſeq; uereri pro hoc, ſi forte ſibi contingeret, quod humanum eſt, illum ab eis interfici, & alium promoueri, iurauerunt ei omnes, ſe non admiſſuros alios imperatores, præter Leonem, & Conſtantinum, & ex ſemine ipſorum, & hoc ſcripto confirmauerunt, & ſic in ſancto die paſchæ coronatus eſt Imperator. Leo autẽ cum regnaret annos v. mortuus eſt, & regnauit filius eius Conſtantinus pro eo, cum Hirene matre ſua.

Leo Conſtantini filius.

ANNI LEONIS.

PRimo autem anno LEONIS, qui eſt viij. Caroli, nunciatur eidem Carolo Ruotgaudum Longobardum, quem ipſe Foroiulienſibus ducem dederat, nouas res in Italia meditari, & complures ciuitates ad eũ defeciſſe. Qui ſtatim tendens, Ruotgaudum interfecit: ciuitates quæ à ſe defecerant, recepit, impoſitisq́; Francorum præſidijs redijt, & ſtatim audiens Saxones rebellaſſe, illuc tetendit: ſed inueniens eos denuo ſupplices, ueniam dedit baptizatis, qui uolebãt: & obſidibus acceptis, iterũ in Franciã regreſſus eſt.

Ruotgaudus Longobardus.

Comitia in Paderbrun.

Vuitikindus.

Multitudo Saxonum baptizata.

Anno dñi Dcclxxvij. Carolus rex habito conſilio in loco qui Paderbrunno uocãtur, iterũ Saxoniam intrauit, omnesq́ fallaciter deuotos inuenit. Cũcti quippe ad eum uenerunt, propter Vuitikindum ex primoribus Vu eſtfalorum, qui multorum ſibi conſcius facinorum, regem timuit, & ad Sigefridum Danorũ regẽ cũ paucis profugit. Cęteri qui uenerant, in tantũ ſe regis poteſtati permiſerant, ut ea cõditione ueniã tũc mererentur, quatenus ſi ulterius ſua ſtatuta uiolarent, patria & libertate priuarentur. Baptizata eſt autẽ & multitudo magna, quæ ſe, licet falſò, Chriſtianam promiſerat. Anno dñi Dcclxxviij. Carolus rex partes Hiſpaniæ petens, quaſdam urbes ſubegit, obſides à Sarracenis accepit: ſed inde regreſſus, fraude Vuaſconũ pleriq́ aulicorũ per inſidias interfecti ſũt. Interea Saxones comperto ꝙ tam longe receſſiſſet, ſumptis armis, Rhenũ uſq́ profecti ſunt: ſed cum Amnem trãſire nõ poſſent, quicquid à Tucio ciuitate uſq́ ad fluuiũ Salam, uicorum uillarumq́ fuit, ferro & igni populati ſunt, nullũ diſcrimen ſexus aut ætatis ita hoſtis fecerat, ut liquido appareret eos non prędandi, ſed ulciſcendi ſe gratiã terminos Francorũ introiſſe. Quod cũ rex Antiſiodoro poſitus audiſſet, orientales Francos & Alemannos ad propulſandos eos, continuo miſit. Quorũ aduentum Saxones audientes, receſſerunt: ſed illi eos ẽ ueſtigio ſecuti, inuenerunt eos in partibus Haſſorũ ſuper fluuiũ Adernam: ſtatimq́ in ipſo fluminis uado illos adorti, tanta cęde ſtrauerũt, ut ex ingenti multitudine uix pauci redierint. Anno dñi Dcclxxix. Venit ad Carolũ Hiltibrandus dux Spolitanus cũ magnis muneribus in uilla Vuirciniaco, quem ille benigne ſuſcepit, donatumq́ in ſuum ducatũ remiſit: ipſe uero animo in Saxoniam tendens, Rhenum in loco qui Lippia uocatur, cum exercitu traiecit. Cui cũ Saxones in eo loco qui Buochholtz dicitur, reſiſtere tentarent, uicti fugatiq́ ſunt: & rex Vueſtfalorũ regionem ingreſſus, eos oẽs in deditionẽ accepit: indeq́ ad Vuiſaram ueniens, caſtra poſuit: ibi Angrarij & Oſtfalai obſides dederunt, & ſacramẽta iurauerũt. Quib us peractis, rex Vuormaciam in hyberna ſe recepit. Anno dñi Dcclxxx. Carolo Saxoniã uenienti, oẽs orientalium partium Saxones occurrerũt, multiq́ de populo baptizati ſunt: ueniensq́ in locum ubi Hora & Albia confluunt, ordinauit res tam Saxonũ, ꝙ Danorũ: reuerſusq́ in Franciam, habito conſilio, Romã cauſa orationis cũ uxore ſua Hiltigarde et liberis perrexit, et natale dñi Papię celebrauit. Leo imperator obijt.

Tuitium cœnobiũ eſt Druitenſe contra Agrippinam, uulgus Tuitium uocat corrupte. Locum hunc Beatus Rhenanus lib. 1. rerũ Germanicarum pulchre reſtituit, in quo habes totum tractũ m quem è Chaucis progreſſi Franci, priuſquàm trans Rhenum in Galliam migrarẽt non paucis annis tenuerunt.

Buochholtz.

Angrarij.

Oſtfalai.

ANNI CONSTANTINI.

ANno dominicæ incarnationis Dcclxxxi. urbis autem conditæ milleſimo Dxxxij. CONSTANTINVS filius Leonis, lxxij. loco ab Auguſto, cũ matre ſua Hirene regnum ſuſcepit, & annos xvij. regnauit. Huic filia Caroli & Hildigardis reginæ Ruothrudis deſponſata fuerat, ſed mater eius aliam ei inuito coniungebat. Cuius anno primo Carolus Romam ueniens, ab Hadriano papa honorifice ſuſcipitur. Et cum ibi ſanctum paſcha celebraret, baptizauit idem pontifex filium eius Pipinũ, eumq́ de ſacro fonte ſuſcepit & unguens eum in regẽ Italię, impoſuit ei coronã: fratrẽ uero eius Ludouicũ in regẽ Aquitanię unxit, ipſiq́ coronã impoſuit. Rex uero Romã digrediens, Mediolanũ uenit, ibiq́ baptizata eſt filia eius Giſela ab archiepiſcopo Thoma, & ab eodem eſt de ſacro fonte leuata. Miſit aũt Hadrianus papa Formoſum & Damaſum epiſcopos, cum legatis regis, Richolfo diacono, & Eberhardo pincernarum magiſtro, ad Thaſſilonem ducem, ut commonerent eum de iuramẽto, quod Pipino & filijs eius olim iurauerat. Qui uenientes, cor eius emollierunt, ut cum eis Vuormaciam ueniret, datisq́ xij. obſidibus, regi fidelitatem iuraret: ſed ubi domum redijt, non diu in fide permanſit. Anno domini Dcclxxxij. Carolus in Saxoniam eundũ, & ibi ut in Francia quotannis generalem conuentũ cenſuit habendum: traiectoq́ apud Coloniam Rheno, ad fontẽ Lippię uenit, ibiq́ poſitis caſtris, inter cętera negocia legatos Sigifridi regis Danorum, & quos Caianus & Vigurrus principes Hunorum quaſi pacis cauſa miſerunt ad ſe, audiuit & abſoluit. Cumq́ ſoluto conuentu in Franciam rediſſet, Vuitikindus in patriam reuerſus, Saxones rebellare perſuaſit. Nunciatũ eſt aũt regi, ꝙ Sorabi Sclaui, qui campos inter Albiam & Salam iacẽtes incolunt, in fines Thuringorũ & Saxonũ ſibi confines

Baptizatur Pipinus, & à põtifice de ſacro fonte ſuſcipitur.

confines deprædandi cauſa fuiſſent ingreſſi. Contra quos cũ tres miniſtros ſuos cum orientalibus Francis direxiſſet, illi Saxonum audientes motum ad illos diuerterunt: ſed incautè agentes, à Saxonibus circumuenti, & penè omnes occiſi ſunt. Ad quam rem examinandam cum rex ueniſſet, omnes Vuitikindum huius ſceleris autorem proclamauerunt: ſed illum quia aufugit tradere non ualentes, ex alijs qui ei conſenſerunt, uſqꝫ ad iiij. millia et quingentos tradiderũt, qui omnes una die iuſſu regis decollati ſunt. Anno Domini dcclxxxiij. Cum ad expeditionem Saxonicam rex ſe præparaſſet, antequàm moueret exercitum, Hiltigardis uxor eius regina obijt ij. kalen. Mai. in quibus tunc erant uigiliæ Aſcenſionis. Cuius funeri cũ ſolenni more iuſta perſolueret, Saxoniam tetendit: pugnãſqꝫ cũ eis in loco qui Thietmelle uocaẽ, uicit eos: indeqꝫ ad Paderbrunnen ueniẽs audiuit eos in finibus Vueſtfalorũ iterũ paratos ad pugnam, ad quos tendens, eadem qua prius fœlicitate, cũ eis dimicauit. Inde reuerſus in Franciã, duxit uxorem filiã Ratolfi comitis, de oriẽtali Francia, nomine Faſtradã, de qua habuit filias duas. Eodem anno defuncta eſt bonę memorię Berthrada regina mater regis iiij. Idus Iulij. Anno dñi Dcclxxxiiij. Carolus trãſiecto Rheno in loco qui Lippeheim uocatur, pagos Vueſtfalorũ uaſtauit: ueniensqꝫ ad Vuiſarã, cum inundatio aquarũ tranſitũ negaret, dimiſit filiũ ſuum Carolum in finibus Vueſtfalorum: ipſeqꝫ per Thuringiam diuertens, depopulatus eſt partes quę ſunt circa Albiam: reuerſuſqꝫ eſt in Franciam, Saxones uero congregati pugnabant cum filio eius Carolo: ſed ille magna cęde facta, cum uictoria redijt ad patrem Vuormatiam. Anno domini Dcclxxxv. Vuitikint & Abdio ex tranſalbiana regione, uenerunt ad Carolum regem apud Atiniacum adducente Amaluuino aulicorum uno, ibiqꝫ in gratiam recepti baptizati ſunt: quieuitqꝫ Saxonicę perfidię peruicacitas per aliquot ãnos. Anno dñi Dcclxxxvi. Audiẽs rex Anglos & Saxones Britanniam inuaſiſſe, miſit illuc cũ exercitu Audolfum præpoſitũ menſæ regię. Qui ueniens, perfidæ gentis contumaciam cito repreſſit: acceptoſqꝫ obſides cũ plurimis populi primoribus Vuormaciam ad regem adduxit. Rex aũt pace undiqꝫ parta ſtatuit Romam ire, & partem Italiæ quę eſt circa Beneuentũ ſuæ poteſtati ſubijcere: cuius maiorem partem, capto Deſiderio, iam ſibi ſubdiderat. Veniens igitur in Italiam natale domini celebrauit apud Tuſciæ ciuitatem Florẽtiam. Anno domini Dcclxxxvij. Carolus rex Romam ueniens, honorifice ſuſceptus eſt ab Apoſtolico Hadriano: moratuſqꝫ ibi per aliquot dies, cum eodem pontifice Beneuentum contendit. Quod audiens Aragiſus dux Beneuentorum, miſit ad regem filium ſuũ Rumoldum, cũ magnis muneribus rogãs, ne terram illam intraret. Quod ille abnuens, & Rumoldum ſecum detinens, Capuam uenit: indeqꝫ bellum geſturus, caſtra ibi poſuit. Aragiſus uero relicto Beneuento, quæ caput eſt illius terræ, Salernum ſe quaſi munitionem contulit: miſſaqꝫ legatione utroſqꝫ filios ſuos regi obtulit: promittens ſe per omnia obediturum, tantum ne ad conſpectum eius uenire cogeretur. Cuius precibus rex annuens, minorem filium nomine Grimoldum ſecum retinuit: maiorem patri remiſit. Accepit inſuper à populo obſides xi. miſitqꝫ legatos qui & ipſum ducem, & omnem populum Beneuentanum ſacramento confirmarent. Ipſe poſt hæc cum legatis Hirene & Conſtantini filij eius, qui propter petendam filiam ſuam miſſi fuerant, locutus eſt, illiſqꝫ dimiſſis, Romam reuerſus, ſanctum paſcha ibi cum magna hilaritate celebrauit. Tunc uenerũt ad papam legati Taſſilonis ducis Archiepiſcopus, et Hunericus abbas, rogantes ut inter ſe & regem mediator pacis fieri dignaretur. Quod cum ille obnixe faceret, & rex id uelle diceret, interrogati miſſi quo pacto pacem firmare uellent: reſponderunt ſibi ſuper hac re nihil imperatum fuiſſe. Vnde papa commotus, quaſi fallaces ac fraudulentos anathemate ſtatuit feriẽdos, ſi à fide olim regi promiſſa diſcederent: hocqꝫ duci remandans, hos infecta pace remiſit. Apoſtolicus autem & rex inuicem ſibi ualedicentes diſceſſerunt: accepta qꝫ benedictione rex in Franciam redijt, & filios ac filias cum uxore ſua Faſtrada Vuormaciæ inuenit. Ibi ergo habito generali cõuentu coram optimatibus ſuis, omnia quę facta ſunt in itinere ſuo, narrauit; eorumqꝫ conſilio legatos miſit ad Taſſilonem, qui expe-

Hiltigardis moritur.

Faſtrada Ratolfi comitis filia.

Lippeheim

Carolus honorifice ſuſcipitur ab Hadriano apoſtolico.

Beneuentum

Salernum.

Legati Taſſilonis ad Carolum.

Conuentus Vormaciæ.

ritétur, ſi apoſtolici iuſſis obedire, ſibiq; fidem ſeruare diſponeret. Quo iuſſa cōtemnente, ſtatuit rex tripertito exercitu Baioariam petere & filio ſuo Pipino cum Italicis copijs in Tridentinam uallem confluente, Saxonum uero atq; orientalium Francorum exercitu, ſuper Danubium in loco qui Pheringa dicitur conueniente, ipſe cum exercitu quem adduxerat, ſuper Licum fluuium in ciuitatis Auguſtæ ſuburbio conſidebat.

Pheringe locus ſuper Danubium.

Clementia Caroli in Taſſilonem Bauarum.

Videns autem Taſſilo ſe undiq; circumfuſum, ad regem ſupplex uenit, ueniamq; de ante geſtis ſibi dare rogauit. Rex autem ut ſemper erat mitis, deprecanti pepercit, acceptoq; ab eo filio eius Theodote cum alijs xij. obſidibus in Franciam redijt. Anno domini Dcclxxxviij. Carolo apud Ingilinheim paſcha celebrante, generale concilium habente, Taſſilo dux ſicut & cæteri regni primates aduenit, ſed à Bauuarijs accuſatus, quòd poſt datos proxime obſides fidem non ſeruauerit, ſed ſuadente uxore ſua Lintburga, Deſiderij Longobardorum regis filia, Auares in diſſipationem regni uocauerit, multaq; alia hoſtiliter & dixiſſe & feciſſe, cum hæc negare nequit, maieſtatis reus iudicatus eſt.

Taſſilo maieſtatis reus iudicatur.

Et dum omnium ore capitali damnaretur ſententia, rex ob amorem dei, & quia conſanguineus eius erat, liberare eum cupiens, interrogauit quid iam agere uellet: Ille autem rogans licentiam ſibi dari pro peccatis pœnitendi, tonſurat̄, & in monaſteriū miſſus eſt, ſimiliter & filius eius Theodotus. Cæteri uero huius perfidiæ conſortes per diuerſa exilia damnati ſunt.

Tonſuratur

Carolus contra Sclauenos.

Anno domini Dcclxxxix. Carolus contra gentem Sclauenorum qui Vuilci dicuntur exercitum ducens, amnem Albiæ duobus pontibus cōiunxit, quorum unum ex utroq; capite uallo muniuit, impoſita turri ex lignis & terra, ingreſſusq; terram Vuilzorum, ferro & igni cuncta uaſtauit, donec eos ſubiugauit. Hoc anno Hirene imperatrix ſoluta pace nuptialis fœderis cum Francis, miſit & adduxit puellam de Armeniacis nomine Mariam, & iunxit eam filio ſuo Conſtantino imperatori, multum contriſtato propter affectum quo erga filiam Caroli flagrabat quam antea deſponſauerat.

Diſſenſio inter conſtantinum & Hirenen.

Anno domini Dccxc. Carolus nullam expeditionem fecerat, ſed reſidens in Vuormacia, legatos Hunorum audiuit, ſuoſq; ad eorum principes miſit. Agebatur autem inter eos de confinijs regnorum ſuorum, quæ res futuri belli fuit ſeminarium. Anno domini Dccxci. Sanctus Burchardus Vuirziburgenſis epiſcopus obijt iiij. Nonas Februa. Eodem anno diſſenſio facta eſt inter Conſtantinum & matrem eius Hirenen, malorum hominum inſtigatione, in tantum ut ipſa uellet eum regno priuare, Carolus autem de Vuormacia mouens exercitum, Baioariam tetendit, ea intentione ut Hunis bellum inferret: diuiſoq; exercitu, Theodericum comitem & Meginfridum camerarium ſuum, cum una parte, per aquilonare Danubij latus ire iuſſit, ipſe cum altera per auſtrale deſcendit, uenienteſq; ad Anaſum fluuium, qui eſt limes Pannoniæ atq; Bauariæ, caſtra poſuerunt, & per triduum letanias ibi fecerunt.

Anaſus fluuius limes pannoniæ, atq; Bauariæ. Die Enns.

Huni autem uidentes exercitus, utraſq; ripas tenentes, diuinitus immiſſo terrore munitiones ſuas dimittentes fugerunt, & uterq; exercitus liberè ingreſſus, magnam partem Pannoniæ uſq; ad fluuium qui dicitur Raba deuaſtauit, ſicq; rex per Sabariam reuerti ſtatuit, altera pars exercitus per uiam qua uenerat redijt.

Raba alias Rabinza Rabon, Ptolemeus Narabonem appellat.

Anno domini Dccxcij. Carolo à natali domini per totam æſtatem Ratiſponę commorante, quibuſdam Francis agentibus, conſpirauit contra eum filius eius Pipinus ex concubina, itemq; alij propter Faſtradam reginam: cuius crudelitatem ſe ferre non poſſe Franci dicebant. Quæ conſpiratio cum per Faldulſum Longobardum detecta fuiſſet, ipſe ob meritum fidei obſeruatæ, monaſterio ſancti Dionyſij donatus eſt. Autores uero coniurationis partim gladio cæſi, partim patibulo ſuſpenſi ſunt.

Donatur monaſterio Fādulſus q inſidias in Carolum detexit.

Rege autem propter bellum cum Hunis ſuſceptum, Regeneſpurg ſedente, perſuaſum eſt ei à quibuſdam poſſe percommode à Danubio in Rhenum nauigari, ſi inter Radantiam & Altmonam fluuios eiuſmodi foſſa duceretur, quæ eſſet nauium capax, quia horū fluuiorū alter Danubio, alter Rheno miſceretur. Confeſtim rex cū omni comitatu ſuo ad locum huic operi aptum, uenit, ac magna hominum multitudine congregata, totum autumni tempus in

Nauigatio à Rheno in Danubium

Altmona, alij Altimula, alij Alemannū, fluuius piſculētus, Danubiū intrās. Radiantia, Regneſum hodie uocant, 10. millibus paſſuum diſtans ab Alemanno fluuio: hic Rheno infunditur.

hoc con

hoc conſumpſit, Ducta eſt itaq; foſſa inter prædictos fluuios duum millium paſ-
ſuum longitudine, trecentorum pedum latitudine, ſed fruſtra, nam propter iu-
ges pluuias & terram quę paluſtris eſt naturaliter, opus quod fiebat ſtare nõ po-
tuit, ſed quantum terræ à foſſoribus interdiu egeſtum fuerat, tantum noctibus
humo iterum relabente ſubſidebat. In hoc opere occupato nunciata eſt Saxonũ
omnimoda defectio, & Francorum plurima à Sarracenis interfectio. Qui rebus
commotus, in Franciam reuertens, natale domini celebrauit apud ſanctum Ki-
lianum Vuirciburg, ſcilicet iuxta Mœnum fluuium, paſcha uero ſuper eundem
in uilla Franconouurt, ubi & hyemauerat. Anno dñi Dccxciij. Carolo in Fráco-
nouurt paſcha celebráte, ſynodus epiſcoporum magna collecta eſt ex omnibus
regni prouincijs, legati quoq; Hadriani papæ in eius uicé affuerunt. In hac ſyno-
do hæreſis cuiuſdam epiſcopi Fœlicis nomine, damnata eſt, qui Chriſtũ ſecun-
dum hoc quòd homo eſt, adoptiuum dei filium dicebat, & liber contra eũ com-
muni epiſcoporum autoritate compoſitus eſt, in quo omnes ſubſcripſerunt. Sy-
nodus etiam quę ante paucos annos in Conſtantinopoli congregata ſub Hire-
ne & Conſtantino filio eius, ſeptima & uniuerſalis ab ipſis appellata eſt, ut nec
ſeptima nec aliquid diceretur, quaſi ſuperuacua ab omnibus abdicata eſt. Mor-
tua eſt autem ibi & Faſtrada regina, & Mogontiæ apud ſanctum Albanum ſe-
pulta eſt. Annno domini dccxciiij. Rex diuiſo inter ſe & filium eius Carolum ex-
ercitu, Saxoniam cum magno intrauit apparatu: ſed ipſi faciem eius ſolitò reue
riti, datis obſidibus, ſe per omnia obſecuturos iurauerunt. Anno domini dccxcv.
Rex perfidiæ Saxonum non immemor, conuentum generalem habuit, in uilla
quæ dicitur Cusfeſtein ultra Rhenum contra Mogontiam, iuxta Mœnum flu-
uium, atq; inde cum exercitu Saxoniam ingreſſus, penè totam populando per-
agrauit, itemq; acceptis obſidibus in Galliam rêmeauit. Anno domini Dccxcvi.
Leo papa xcvi. ordinatur, ſedit annis xx. alij dicunt xxv. Hic Carolum fecit im-
peratorem. Qui mox ut ordinatus eſt, claues confeſſionis ſancti Petri, & uexillũ
Romanæ urbis ad regem Carolum cum alijs muneribus miſit: & ut aliquem ſi-
bi de optimatibus ſuis ad confirmandum ſacraméto populum Romanum mit-
teret, rogauit. Miſſus eſt ad hanc rem Angilbertus abbas monaſterij ſancti Richa-
rij, per quem etiam magnam partem theſauri quem Heinricus dux Foroiulien-
ſis ſpoliata Hunorum regia, quæ Ringus uocabatur, eodem anno regi de Pan-
nonia detulerat, miſit: reliqua inter optimates & aulicos & palatio deſeruiétes,
liberaliter diſtribuit. Rex autem poſt hæc Saxoniam petens, filium ſuum Pipinũ
Italiæ regem in Pannoniam miſit: ipſeq; depopulata Saxonia, Aquaſgrani re-
uertitur: Pipinus uero fugatis ultra fluuium Tizaha Hunis, cum reſiduo Hunorũ
theſauro ad patrem regreditur. Anno domini Dccxcvij. Expeditio facta eſt in
Saxoniam, & uſq; ad oceanum, ultra omnes paludes & inuia loca tranſitum eſt,
et rex de Hadoloha regreſſus (nam id nomen eſt loco ubi oceanus Saxoniam al-
luit) totam Saxonum gentem in deditionem per obſides accepit & ad palatium
Aquaſgrani regreſſus, Abdellam Sarracenum filium ibi Maugę regis à fratre de-
pulſum, ſibiq; ſe cõmendantem ſuſcepit. Illuc & legatus Nicetæ qui tunc Siciliã
regebat uenit, portans epiſtolam imperatoris Conſtantini. Quem magnifice ſu-
ſcipiens, poſt paucos dies abſoluit. Mediante autem menſe Nouembre, ad hy-
bernandum cum exercitu Saxoniá intrauit, poſitisq; caſtris apud Vuiſaram, lo-
cum caſtrorum Heriſtal uocari iuſſit. Illuc legati Hunorum cum magnis mune-
ribus uenerũt, indeq; Abdellam Sarracenum cum filio ſuo Ludeuuico in Hiſpa-
nias reuerti fecit, Pipinum in Italiam remiſit, ipſe uero ad diſponédam Saxoniã
totum hyemis tempus impẽdens, natale domini & paſcha ſequétis anni ibi ce-
lebrauit. Anno domini Dccxcviij. Saxones tranſalbiani ſeditione cõmota, lega-
tos regis qui tunc ad faciendas iuſticias miſſi ſunt comprehendẽtes, alios truci-
dant, alios ad redimendũ conſeruant. Vnde rex collecto exercitu, ad locum qui
Munda dicitur perrexit, habitoq; con ſilio, Saxoniá inter Albiá & Vuiſará popu-
ládo peragrauit. Tráſalbiani uero ſuperbia elati cõtra Abodritos regi ſẽper fideles
arma corripiunt. Sed dux eorũ Thraſico commiſſo cũ eis prelio iiij. millia ex eis

Huius ueſtigia cernũtur prope Vueiſſenburgũ Nordgauiæ, ubi Graben foſſa & uiculus teſtãtur opus

Francofordia iã clara Emporio ciuitas nõ ſolum Germaniæ ſed totius Europæ.

Hereſis Fœlicis.

Forte Kinigſtein.

Leo Papa Carolum facit impera. orem.

Tizaha.

Hadaloha.

Vuiſara.

Heriſtal.

Saxones legatos regis male excipiunt.

 occidit

occidit, reliquos turpiter fugatos ut regi ſe dederent coegit. At rex in Franciam reuerſus, ubi ad Aquaſgrani uenit, miſſos Hyrene imperatricis de pace agentes audiuit.

Conſtantinus Hirenæ filius excæcatus.

Cuius filius Conſtantinus ob inſolentiam morum à ſuis captus, excęcatus eſt: uel, ut quidam uerius fatentur, ipſius matris ſuæ conſilio hoc factum eſt, ipſaq; regnum ſola tenere contendit. Hos ergo legatos ubi rex abſoluit, uenerunt de Hiſpania legati Hadefonſi regis Galitiæ & Aſturiæ, Baſiliſcus & Froia, deferentes munera: quæ ille de manubijs quas uictor apud Oliſiponiam ultimam Hiſpaniæ ciuitatem à ſe expugnatam cęperat, mittere regi curauit: Mauros uidelicet ſeptem cum totidem mulis atq; loricis. Quos & benigne ſuſcepit, & honorifice remuneratos dimiſit.

Alij Vlyſſobonam.

Conſtantinus imperator filius Leonis & Hirene, poſtquàm cęcatus eſt conſilio matris ſuæ, poſt breue tempus obijt, ſicq; mater de cætero per quinq; annos imperauit.

Obſcuratus ſol propter imperatoris obcæcationem.

Obſcuratus eſt autem ſol eo tempore per dies xviij. ita ut oberrarent naues in mari, & omnes dicerent, quòd propter imperatoris obcæcationem ſol obſcuratus ſit. Anno domini Dccxcix. Leo papa à Romanis excæcatus eſt. Romanis enim in ſua ſecuritate gloriantibus, leuatum eſt cor eorum ſecundum conſuetudinem illorum, uoluerúntq; ea quæ imperialis erant poteſtatis ſibi uendicare. Reſiſtéte autem Leone papa, quidam ex cognatis beatæ memoriæ Hadriani papæ ſeditionem mouentes in populo, concitauerunt eum aduerſus papam. Vnde factum, ut in letania maiore cum proceſſurus de Lateranis, ad eccleſiam ſancti Laurentij quæ ad Craticulam uocatur,

Leo papa miſere tractatur à Romanis.

equo ſedens pergeret, inſidias à Romanis diſpoſitas, iuxta eandem eccleſiam incidit: deiectusq; de equo, & erutis oculis eius, ut ſibi uiſum eſt, linguaq; amputata, nudus ac ſemiuiuus in media platea dimiſſus eſt. Quidam autem dicunt quod unum tantum oculum ſibi eruerét, alij uero neutrum, ſed raſorijs per medios oculos inciderent, nec tamen uiſum auferrent. Deinde iuſſu eorum qui huius facinoris autores erant, in monaſterium ſancti Heraſmi martyris miſſus, Albini cuiuſdam cubicularij ſui cura, noctu per murum dimiſſus, à Vuinigiſo duce Spolitano, qui audito huiuſmodi facinore, Romam feſtinans aduenerat, ſuſceptus, ac Spoletum deductus eſt. Cuius rei nuncium dum rex accepiſſet, ipſum quidem ut uicarium ſancti Petri cum ſummo honore ad ſe precepit adduci: iter tamen ſuum quod in Saxoniam diſpoſuerat non intermiſit.

Lippeheim.

Habito itaq; conuentu ſuper Rhenum in loco qui dicitur Lippeheim transfretauit, & ad Paderbrunnen ueniens, pontificis aduentum ibi expectauit. Miſit autem interea Carolum filium ſuum ad Albim cum exercitu, propter quædam negocia cum Vuilzis & Abodritis diſponenda, & cum eius reditum expectauit, pontifex uenit, ſuſceptusq; ab eo honorifice, mãſit apud eum dies aliquot, intimatisq; regi omnibus propter quæ uenerat, per legatos regis cum honore reductus, atq; in locum ſuum reſtitutus.

Auares à fide deficiunt.

Eodem anno Auares qui & Huni, à fide quam promiſerant defecerunt, & Geroldus Bauuariorum præfectus pugnans contra eos, in prælio interfectus eſt.

Carolus Turonum redit.

Anno domini Dccc. Carolus rex Turonum pergens cauſa orationis, moratus eſt ibi aliquot diebus, propter aduerſam ualitudinem dominæ Luitgardæ coniugis ſuæ, quæ ij. Nonas Iunij ibidem defuncta & humata eſt.

Leo Papa ſuſcipit Carolum.

Menſe autem Auguſto inchoante, Mogonciacum ueniens, iter in Italiam condixit. Cui Romam tendenti pridie quàm urbem intraret, occurrit ei Leo papa apud Nomentum xij. lapide ab urbe prandensq; cum eo, dimiſit eum ibi nocte illa, & preceſſit eum ad urbem. In craſtinum uero ordinatis per loca congrua turbis, ipſe ſtans in gradibus cum epiſcopis & clero, honorifice illum ſuſcepit, cunctisq; pſallentibus, in baſilicam ſancti Petri eum introduxit. Facta ſunt autem hęc viij. kalend. Decemb. poſt ſeptem uero dies rex concione uocata, omnibus cur ueniſſet patefecit, inter quæ potiſſimum erat de diſcutiendis quæ obiecta ſunt

Pontifex ſe pro concione purgat.

pontifici criminibus. Vt enim ſe quaſi abſolutiores redderent, eius calumniatores mortiferum ei crimen impoſuerunt. Rege autem de hoc inquirente, cum nullus eſſet criminis probator, pontifex aſſumpto euangelij textu coram rege & omni populo, ambonem conſcendit, aſtantibusq; incuſatoribus, inuocato ſanctæ trinitatis nomine, ab obiectis ſe expurgauit.

Hucusq;

Hucuſq; Romanum imperium à temporibus Conſtátini Magni, Helenę filij, apud Conſtantinopolim, in Gręcorum Imperatoribus manſit, ex hoc iam ad reges Francorum, & ad Imperatores per Carolum tranſijt.

HISTORIA.

ANno Dominicæ incarnationis Dccci. ab urbe uero condita, milleſimo Dlij. CAROLVS Magnus, rex Francorum, Pipini regis filius lxxiij. loco ab Auguſto, Romanorum Imperator conſecratus eſt, anno regni ſui xxxiij. ſic imperauit annis xiiij. Cum enim pro calumnia Leoni Papæ ingeſta Romam ueniret, & natale Domini ibi celebraret, in ipſa die ſacratiſſima ad miſſarũ ſolennia ueniens, dum ante confeſſionem beati Petri Apoſtoli ab oratione ſurgeret, nihil minus ſperãti, Leo Papa coronam impoſuit, & Imperatorem Romanum pronunciauit, & à cuncto Romano populo acclamatũ eſt: Carolo Auguſto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorũ uita & uictoria. Poſt quas laudes unctus ab Apoſtolico, & antiquorum more principum ab eo adoratus, ablato patritij nomine, Imperator & Auguſtus appellatus eſt. Poſt paucos dies habita quęſtione de aduerſarijs papæ, ſecundum legem Romanã, ut maieſtatis rei decollationi adiudicati ſunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu interceſſit, nam & uita & membrorum integritas eis conceſſa eſt, cæterũ pro facinoris magnitudine exilio deportati ſunt. Quidã aũt dicũt, ꝙ de maioribus eorũ, uno die in Lateranenſi cãpo, trecenti decollati ſunt. Innocentiã uero beati Leonis Papę ita Dominus approbauit, ut clariores poſtea oculos ei donauerit. Sed in ſignum uirtũtis illius pulcherrima cicatrix in modũ tenuiſſimi fili, turturinas acies niueo candore decorauit. Ordinatis deinde Romanæ urbis & Apoſtolici, totiuſq; Italiæ non tantũ publicis, ſed etiam Eccleſiaſticis & priuatis rebus, Imperator viij. Kalen. Maij Romam egreſſus eſt. Hic eſt annus regni eius xxxiij. imperij uero primus.

A cclamatio populi Roma. in Carolum.

ANNI CAROLI MAGNI.

ANno Dñi Dcccij. Hyrene imperatrix de Conſtantinopoli miſit legatũ ſuum nomine Leoné, ad Imperatorem Carolũ, de pace firmãda, inter Francos & Gręcos, & Imperator uiciſſim miſit Ieſſe Epiſcopum Ambianenſem, & Helingaudum Conſtantinopolim pro eadem cauſa, & ut poſtularent Hyrenen imperatricem, ut illi iungeretur in coniugio. Quæ in hoc conſenſiſſet, ſi non Aetius patritius inhibuiſſet, pręualens & imperium in fratrem ſuum Nicephorũ transferre ſatagens. Nam cum ad huc in urbe eſſent legati Caroli, NICEPHORVS imperium inuaſit, & Hyrenen in monaſterium, quod ipſa cõſtruxit in inſula quadã, relegauit. Anno Dñi Dccciij. Imperatoris Caroli legati de Cõſtãtinopoli reuerſi ſunt, & uenerunt cum eis apocriſarij Nicephori, qui tunc rempublicã apud eos regebãt, Michael Epiſcopus, & Petrus Abbas, & Caliſtus Candidatus, qui inuenerunt Imperatorem in Germania, ſuper fluuiũ Sala, in loco qui dicitur Saltz, et pactũ faciendæ pacis in ſcripto ſuſceperunt, indeq; cũ epiſtola Imperatoris Romam regreſſi, domum ſũt reuerſi. Anno Dñi Dccciiij. Imperator Aquiſgrani hyemauit, ęſtate aũt ducto exercitu in Saxoniam, omnes qui trans Albiam habitabant, Saxones cum mulieribus & infantibus tranſtulit in Franciam, & pagos tranſalbianos Abodritis dedit. Eodem tempore Gotefridus rex Danorum, uenit cum claſſe & omni equitatu ſuo ad locum qui dicitur Scliefdorph, in confinio regni ſui, & Saxoniæ, promiſit enim ſe ad colloquium Imperatoris uenturum, ſed cõſilio ſuorum territus, propius non acceſſit, ſed quicquid uoluit, per Legatos mandauit, nam Imperator ſuper



Hyrene Imperatrix

Nicephorus.

Sala.

Saltz.

Carolus Aquiſgrani hyemat.

Regis Danorum legati ad Carolum.

Albim

Albim fluuium ſedebat,in loco Holdunſtein dicto. Eadem quoq; æſtate perlatũ eſt ad Imperatorem,ſanguinem Domini in Mantua ciuitate fuiſſe repertum,miſitq; ad Papam,ut huius famæ ueritatem perquireret.

Sanguis Domini Mantuæ repertus.

Qui nacta occaſione exeundi,primo in Longobardiã, quaſi pro inquiſitione prædicta profectus eſt, indeq; ſubito arrepto itinere ad Imperatorem mandauit ei, medio Nouembre ſe uelle natale Domini cum eo celebrare. Qui ſtatim miſſo filio ſuo Carolo ad S. Mauritium,honorifce eum ſuſcipere iuſſit,ipſeq; obuiam illi Remos pergens, apud Pariſiacum uillam natale Domini celebrauit, deinde Aquaſgrani perduxit,donatumq; magnis muneribus,per Baioariam ire uolentem,deduci fecit uſq; Rauennam.

Pariſiacum uilla, iam Archiſchola nobile.

Lecho dux Boemiæ occiditur.

Anno Domini Dcccv. Imperator miſit filium ſuum Carolum cum exercitu in Boemiam,qui depopulatis omnibus,ducem terræ illius nomine Lechonẽ occidit,indeq; regreſſus ad patrem,in Voſego ſylua uenatui ſtudentem inuenit.

Voſegus, alias Voſagus ad Galliam Belgicam quandã ſpectãs, nunc ad Germaniam opulẽtas habens auri ferriq; uenas.

Anno Domini Dcccvi. Imperator habito conuentu iniijt conſilium cum primoribus Francorum,de pace conſtituenda & conſeruanda,& de diuiſione regni facienda inter filios ſuos in tres partes,ut ſciret unuſquiſq; illorũ,quam partẽ tueri & regere deberet,ſi ſibi ſuperſtes deueniret. De hac partitione teſtamentum eſt factum, & iureiurando ab optimatibus confirmatum.

Munera regis Perſarum Carolo miſſa.

Anno Domini Dcccvij. Legati regis Perſarum uenerunt ad Imperatorem, deferẽtes ei munera, papilionem & tria tentoria,uario colore facta, miræ magnitudinis & pulchritudinis, omnia byſſina,tam tentoria quàm funes eorum. Præterea pallia ſerica multa & precioſa,atq; unguenta,& balſamum,necnon & horologium ex aurichalco, arte mechanica mirifice compoſitum,in quo xij. horarum curſus ad clepſydram uertebatur,cum totidem æreis pillulis, quæ ad conpletionem horarum decidebãt, & caſu ſuo ſubiectum ſibi cymbalum tinnire faciebãt,additis in eodem eiuſdem numeri equitibus, qui per xij. feneſtras cõpletis horis exibant,& impulſu egreſſionis ſuæ totidem feneſtras,quæ prius erant apertæ claudebãt. Alia quoq; multa erant in ipſo horologio quæ enumerare longum eſt.

Carolus contra Gotridum regẽ Danorũ.

Anno Domini Dcccviij. Imperator audiens Gotefridum regem Danorum in Abroditos cum exercitu traieciſſe, Carolum filium ſuum cum ualida Francorum & Saxonum manu miſit contra eum, ſi forte Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Ille autem expugnatis aliquot Sclauorum caſtellis,cum magno copiarum ſuarum detrimẽto reuerſus eſt. Nam manu promptiſſimos amiſit,inter quos & filium fratris ſui nomine Reginoldum.

Ludouicus rex Dercoſam obſidet.

Anno Domini Dcccix. Ludeuuicus rex, filius Imperatoris,cum exercitu Hiſpaniam ingreſſus,Dercoſam ciuitatem obſedit,ſed non ualens eam capere dimiſſa obſidione, in Aquitaniam ſe recepit.

Pipinus Venetos ſubijcit.

Anno Domini Dccx. Pipinus rex Italiæ, filius Imperatoris perfidia Ducum Veneticorum incitatus, Venetiam bello,terra mariq; iuſſit appetere, ſubiectaq; Venetia, Duces eius in deditionem accepit. Imperator autem adhuc Aquiſgrani agens, & cõtra Gotefridum regem expeditionem meditans,nuncium accepit,claſſem ducentarũ nauium de Normannia Freſiam appuliſſe, totaſq; Freſiaco littore adiacentes inſulas uaſtaſſe, iamq; exercitum in continenti terra eſſe. Qui congregatis quãta potuit celeritate copijs,è regione contendit,poſitiſq; iuxta Vuiſaram caſtris,minarum Gotefridi prętolatur euẽtum. Nam rex ille ſuperbus uaniſſima ſpe uictoriæ inflatus, cum Imperatore ſe cõgredi uelle iactabat. Sed dum Imperator ſtatiua caſtra haberet, diuerſarum rerum nuncij ad eum uenerunt, claſſem ſcilicet prædictam fuiſſe regreſſam, Gotefridum regem à quodam ſatellite ſuo, ſiue ut quidam dicũt, à filio proprio,cuius matrem nuper alia coniuge ducta dimiſerat,interfectum: Caſtellum Hoheburi, Albe flumini appoſitũ,in quo Vtolegatus Imperatoris,& Orientalium Saxonum erat pręſidijs à Vuilcis captum,& Pipinum filiũ eius regem Italiæ viij. idus Iulij defunctum. Quibus auditis, diſpoſita pro temporis conditione Saxonia, domum reuertitur.

Defectus Solis & Lunæ.

Eo anno Sol & Luna bis defecerunt. Sol vij. Idus Iunij,& ij. kalen. Decemb. Luna xi. kalen. Iulij, & xviij. kalend. Ianuarij. Ruothdruth filia Imperatoris maior natu, vij. Idus Iunij obijt. Gotefrido rege Danorum mortuo, Hemmingus fratris ſui filius in regnum ſucceſſit, ac pacem cum Imperatore fecit. Anno Domini Dcccxi. Imperator pace cum Hemmingo

firmata,

firmata,& placito generali Aquis habito,in tres partes regni ſui totidem exerci- *Placitum generale*
tus miſit,unum trans Albiam in Limones,qui & ipſos uaſtauit,& caſtellum Ho-
heburi ſuperiori anno à Vuilcis deſtructũ reſtaurauit, alterum in Pannonias ad
controuerſias Hunorum & Sclauorum finiendas,tertium in Britones ad eorum *Nicephorus occiditur.*
perfidiam puniendam. Qui omnes proſpere egerunt. Carolus filius Imperato-
ris maior natu,ij. Non. Decemb. obijt. Anno Domini Dcccxij. Nicephorus Im-
perator Conſtantinopolitanus pugnãs contra Bulgares,occiditur: & MICHA-



EL gener eius iperio potitur. Qui legatos
Caroli Imperatoris ad Nicephorũ miſſos,
ſuſcepit, & abſoluit, cũ quibus & legatos
ſuos direxit, per quos pacem à Nicephoro
cœptã, firmauit. Anno Domini Dcccxiij.
Imperator habito generali conuẽtu Aquiſ-
grani,filium ſuum Ludeuicum regem Aqui *Ludouicus Pius. II. Impera. Germanus.*
taniæ ad ſe uocauit, eiq́ coronã imponens,
imperialis nominis ſibi conſortem fecit.
Bernhardum uero nepotem ſuum, filium *Ludouicus rex fit Imperator.*
Pipini filij ſui,Italiæ præfecit, & regem ap-
pellari iuſſit. Cõcilia quoq; iuſſu eius ſuper
ſtatu Eccleſiarum corrigendo per totã Gal- *Concilia per Galliam ſuper ſtatu Eccleſiæ corrigendo : iã hiſce ãnis 1539. putris ca- ro, hunc ſalem ferre nequit, cũ quos timor Dei nõ emẽdat, Synodus emendare deberet*
liam ab Epiſcopis celebrata ſunt, quorum
unũ Mogontiæ,alerũ Rotomagi,tertiũ Remis,quartũ Cabillone, quintũ Arela-
to. Michael Imperator Bulgares bello appetens,haud proſperis ſucceſſibus uti-
tur,ac proinde domũ reuerſus depoſito diademate, monachus efficitur in cuius
locũ Leo filius Bardę patritij, cõſtituitur.Pons Rheni apud Mogonciacũ, quem
Imperator per decem annos ingenti labore, & opere mirabili,de ligno ita con-
ſtruxit ut perenniter durare poſſe uideretur,in menſe Maio ita tribus horis fortui
to incendio conflagrauit,ut pręter hoc quod aqua tegebatur,ne una quidé haſtula
ex eo remaneret. Anno Dñi Dcccxiiij. Carolus Imperator dũ Aquiſgrani hyema- *Pons Rheni incendio abſumitur.*
ret,febre & pleureſi,id eſt lateris dolore tactus v. kal. Febr. rebus exceſſit huma-
nis,anno ætatis circiter lxxi. regni aũt xlvi. ſubactæ uero Italiæ xliij. ex quo uero
Imperator & Auguſtus appellatus eſt,anno xiiij. Cuius rei nunciũ cum Ludeuui *Carolus moritur ex Pleuritide.*
cus filius eis in Aquitania accepiſſet,triceſimo poſtq̃ id acciderat die, Aquaſgrani
uenit,ſummoq́; omnium Francorũ conſenſu ac fauore patri ſucceſſit,& ad ſuſce-
pti regni adminiſtrationé cura cõuerſa,primò legationes, quæ ad patré uenerãt, *Ludouicus filius ſuccedit.*
auditas abſoluit,inter quas præcipua fuit Leonis Imperatoris,qui Michaeli ſuc-
ceſſit. Habito aũt Aquiſgrani generali cõuẽtu,ad iuſtitias faciẽdas legatos in oẽs
regni partes miſit,duos ex filijs ſuis Lothariũ Baioarię,Pipinũ pręfecit Aquitaniæ.

HISTORIA.



ANno Dñicę incarnationis Dcccxv. ab urbe aũt cõdita, mil. Dlxvi. LVDEVICVS Caroli magni filius,lxxiiij. ab Augusto loco regnauit, regnũq; annis xxvi. obtinuit. Huic anno primo regni ſui allatũ eſt quoſdã de primoribus Romanorũ ad interficiendũ Leoné Papã cõſpiraſſe, hocq́; indicio ad Pontificé delato, oẽs illius factiõis autores iuſſu illius trucidatos fuiſſe. Quod cũ moleſte ferret, Bernhardũ nepoté ſuũ regé Italiæ ad ſe uocauit,eumq́; ad inueſtigandũ quod dictũ eſt, miſit. Qui cum Romam ueniſſet, ægritudine decubuit. De rebus uero ꝓpter quas uenerat, per Heroldũ comité qui ad hoc legatus ei fuerat datus, regi Ludeuico

Ludouicus Imp.

Hic Paſchali dediſſe dicitur liberã eligendorum Epiſcoporũ poteſtaté, quæ antea ex imperatorum uoluntate pendebat. Ob ſerua pro hoc tempore certe ab hoc Lud. Pio, Stephanus. 4. ité Gregorius. 4. confirmationem petierunt.

Suartzach monaſterium conſtruitur in Herbipolenſi dioceſi

remandauit quicquid comperierat. Quem legati Pontificis ſubſecuti, de his quæ domino ſuo obijciebantur, regi Ludeuuico per omnia ſatis fecerunt. Quo etiam anno cœnobium Suuartzachenſe à Meginguado comite, & Ymina uxore eius, in honorem Domini noſtri ſaluatoris, & ſanctæ Dei genitricis, ſanctiq; Sebaſtiani, & ſanctæ Fœlicitatis martyris, ſub primo eiuſdem monaſterij Abbate Benedicto nomine, libera totius ſeruitutis & exactionis cōditione cōſtruitur, & poſtmodum primo monaſterio collapſo, in honorem ſanctæ Dei genitricis & ſanctæ Fœlicitatis, ac vij. filiorum eius reparatur.

ANNI REGNI LVDEVVICI.

Leo Papa moritur.

ANno Domini Dccc xvi. Dominus Leo Papa, anno Pontificatus ſui xxi. de corpore migrauit viij. kalend. Iunij. Stephanusq; Diaconus in locum eius Papa xcvij. ordinatus eſt, qui ſedit menſes vij. Hic ergo poſt conſecrationem ſuam, nondum duobus menſibus exactis quàm maximis potuit itineribus, ad Imperatorem uenire contēdit, miſſis interim duobus legatis, qui quaſi pro ſua conſecratione Imperatori ſuggererent, quod ille audiens, Remis ei occurrit, miſſisq; obuiam his, qui eum illò deducerēt, honorifice illum ibi ſuſcepit. Pontifex uero ſtatim aduentus ſui cauſam ei inſinuans, celebratis deinde ex more miſſarum ſolennijs, eum diadematis impoſitione coronauit, Romanorumq; Imperatorem pronunciauit, anno regni ſui ſecundo, ſecundum alios ſeptimo. Anno Domini Dccc xvij. Stephanus Papa tertio menſe, poſtq; Romam uenerat, nondū exacto viij. kalen. Febr. obijt, cui Paſchalis ſucceſſor electus, poſt completam ſolenniter ordinationem ſuam, munera & excuſatoriam Imperatori epiſtolā miſit, ſibi non ſolum nolenti, ſed etiam plurimū pœnitenti, Pontificatus honorem impactum affeuerans. Paſchalis Papa xcviij. ſedit annis vij. iuxta alios nouem. Imperator uero generalem cōuentum Aquiſgrani habens, filium ſuum primogenitum Lotharium, nominis atq; imperij ſui ſocium ſibi conſtituit, cæteros reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Baioariæ præfecit. Poſt hæc nunciatum eſt ei, Bernhardum nepotem ſuum Italiæ regem, quorundam prauorum hominū conſilio, tyrannidem meditatum fuiſſe, iamq; omnes introitus Italiæ, quos cluſas dicunt, impoſitis præſidijs firmaſſe, atq; omnes Italiæ ciuitates in eius uerba iuraſſe, quod ex parte uerum, ex parte fuerat falſum. Ad quos motus cōprimendos Imperatore celeriter cum exercitu magno ueniente, Bernhardus rebus ſuis diffidēs, armis depoſitis, apud Cabillonem Imperatori ſe tradidit. Anno Dñi Dccc xviij. Detecta fraude cōiurationis, & ſeditioſis omnibus in ſua poteſtate redactis, Imperator Aquaſgrani reuertitur, tranſactoq; quadrageſimali ieiunio, paucis poſt ſanctum Paſcha diebus, coniurationis autores ſimul & regē, iudicio Francorum, capitali damnatos ſententia, luminibus tantum iuſſit orbari. Irmingardis regina v. Non. Octob. obijt, quæ genuit Imperatori, Lotharium, Pipinum, & Ludeuuicum. Anno Domini Dccc xix. Conuentus Aquiſgrani, poſt natale Domini habitus eſt, in quo multa de ſtatu Eccleſiarum tractata ſunt, legibus etiam capitula quędam perneceſſaria, quæ deerant, addita ſunt. Quo peracto, Imperator inſpectis plęriſq; nobilium filiabus, Vuelphi comitis, filiam nomine Iudith, duxit uxorem, quæ genuit ei Carolum Caluum. Anno Domini Dccc xx. Propter iuges pluuias & aerem, nimio humore reſolutum, magna incommoda contigerunt. Nam & hominum & Boum peſtilentia graſſata eſt. Frumenta quoq; & legumina corrupta ſunt. Anno Domini Dccc xxi. Allatum eſt Imperatori Ludeuuico de morte Leonis Imperatoris Conſtātinopolitani, q̄ anno pręterito in baſilica ſanctæ Dei genitricis, intra palatium interemptus ſit, conſpiratione quorundā optimatum ſuorum, & præcipue Michaelis comitis domeſticorum, qui prætorianorum militum ſtudio, infulas imperij ſuſcepit, & ix. annis regnauit. Secundum quoſdam Leo Papa obijt, eiq; Stephanus ſucceſſit. Anno Domini. Dccc xxij. In regione Thuringorum, quodam in loco, iuxta fluuium quendam, ceſpes longitudine pedum quiquaginta, latitudine xiiij. altitudine ſeſquipedali, de terra ſine

Stephanus Papa moritur.

Comitia Aquiſgrani.

Cluſæ Italiæ præſidijs firmatæ.

Seditioſi in Imperatorem, luminibus priuantur.

Concilium Aquiſgrani

Carolus caluus.

Michael comes domeſticorum.

Dece ſpite translato in Thuringia.

ſine manibus pręciſus & ſublatus, ab eo loco in quo ſumptus eſt, xxv. pedum ſpatio diſtans inuẽtus eſt. Stephanus Papa obijt, cui Paſchalis ſucceſſit. Item in parte orientalis Saxoniæ quæ Soraborum finibus contigua eſt in quodam deſerto loco iuxta lacum qui dicitur Arnſe, in modum aggeris terra intumuit, & limitem unius leugæ longitudine porrectum, ſub unius noctis ſpatio, abſq; humani operis molimine inſtar ualli ſubrexit. Dominus imperator filium ſuum Lotharium pro diſponendis regni negocijs, in Italiam miſit, cui præcedenti anno Hirmingardam Hugonis comitis filiam, de qua ille ſuſcepit Lotharium, poſtea excommunicatum, Ludouicũ poſt ſe regnantem, & Carolum. Pipinum uero filium ſuum imperator in Aquitaniam miſit, cui filiam Theoderici comitis Matricenſis iunxit. Anno domini Dcccxxiij. Menſe Maio conuentu habito apud Francofurt, inter cæteras Barbarorum legationes, uenerũt ad imperatorem duo fratres de regno Vuilzorum, controuerſiam habẽtes, Milegaſt, & Celeadrogo, filij Lubit regis Vuilzorum. Qui cum oriẽtalibus Abroditis pugnans, cum interiſſet, populus Vuilzorum filium eius Milegaſtum maiorem natu regem ſibi conſtituit. Sed cum is ſecundum ritum gentis, non dignè adminiſtaret regnum, illo abiecto, iuniori regium honorem deferunt. Quamobrem ad pręſentiam imperatoris ambo uenerunt. Qui cum uidiſſet gentis uoluntatem, proniorem ad iuniorẽ fratrem, ſtatuit ut is regnum teneret, ambos tamen muneribus donatos, & ſacramento confirmatos, in patriam remiſit.

Arnſe.

Comitia Francofordiæ.

Lotharius diſpoſita Italia, cum iam redire ſtatueret, rogante Paſchali papa Romam uenit, & honorifice ab eo ſuſceptus, in ſancto paſchæ die apud ſanctum Petrum & regni coronam, & imperatoris Auguſti nomẽ accepit, ſicq; menſe Iunio ad patrem uenit. Imperator Drugonẽ fratrem ſuum apud Metenſem eccleſiam ſub canonica uita degentem, clero eiuſdem urbis conſentiente atq; eligente, rectorem ibi conſtituit, eumq; ad pontificatus gradum promoueri cenſuit. Celeadrogo Abodritorum princeps, cum quibuſdam populi ſui primoribus ad imperatorem uenit, dilatiq; per tot annos aduentus ſui rationem, unde incuſabantur nõ improbabiliter reddidit. Et licet in quibuſdam cauſis culpabilis eſſet per merita parentum ſuorum, tamen non ſolum impunitus, uerumetiam muneribus donatus, ad regnum redire permiſſus eſt.

LOTHARIVS primus eius nominis, III. Imperator Germanorum. Ab hoc Lotharingia.

Hoc anno prodigia quędam extitiſſe narrantur, in quibus pręcipua erant terræmotus in Aquenſi palatio, & in territorio Tullenſi, iuxta uillam Commercia cum puella quædam annorum circiter xij. poſt ſacram cõmunionem, quam in paſcha de manu ſacerdotis accepit, ſine omni uictus deſiderio plenum biẽnium uſq; in tertium annum dimidium cõpleuit, nulla penitus corporis alimenta percipiens. Cœpit autem ieiunare anno dominicę incarnationis Dccc xxiij. à paſcha & in Dccc xxv. circa initium Nouembris, peracto ieiunio, cibum ſumere, ac cæterorum hominum more manducando uiuere cœpit. In Saxonia quoq; in pago Firihaze xxiij. uillę igne cœleſti crematę ſunt, & fulgura in ſereno uiſa ſunt, atq; interdiu de cœlo ceciderunt. In territorio Cumetenſi Italię ciuitatis in uico Grabadona in eccleſia ſancti Ioãnis Baptiſtę imago ſanctę Marię puerũ Ieſum gremio continens, in abſida eiuſdem eccleſiæ depicta, & ob nimiam uetuſtatem obſcurata, peneq; deleta, tanta claritate per duorum dierum ſpacia effulſit, ut omnem ſplendorem nouæ picturæ, ſuæ uenuſtatis pulchritudine penitus uincere uideretur. Imagines etiam Magorum munera offerentium iuxta eam erant depictæ, quas præter munera quæ offerebant, claritas illa minime irradiabat. Anno domini Dccc xxiiij. Paſchalis papa uita deceſſit. In cuius locum cum duo per contentionem populi fuiſſent electi, Eugenius tamen presbyter tituli ſanctæ Sabinę uincente nobilium parte, papa xcix. ordinatur, ſeditq; annis tribus. Legati Michaelis imperatoris Conſtantinopolitani, ad imperatorem Ludouicum pro pace confirmanda, cum muneribus & literis uenerunt condignoq; reſponſo abſoluti ſunt. Hoc anno paucis poſt æſtiuale ſolſtitium diebus, in territorio Auguſtudunenſi, aere in tempeſtatem ſubita mutatione conuerſo, ingens fragmentum ex glacie ſimul cum grandine decidiſſe narratur, cuius longitudo pedes xv. latitudo

Prodigia.

Puella ieiunans ad biennium à ſumptu Euchariſtiæ.

Paſchalis papa moritur. Eugenius ſucceſſit.

Legati Bulgarum ad imperatorem ueniunt.

De corpore S. Sebaſtiani.

tudo vij. craſſitudo duos habuiſſe dicitur. Anno dñi Dccccxxv. Habito Aquiſgrani conuentu, legati Bulgarum pro conſtituendis terminis inter Francos & Bulgares ad imperatorem uenerunt reſponſoq; accepto redierũt. Anno domini Dccccxxvi. Hilduuinus abbas monaſterij ſancti Dionyſij apud Pariſium, ſacriq; palatij archicapellanus Romam mittens, annuente precibus eius Eugenio ſanctæ ſedis Apoſtolicæ tunc præſule, corpus beatiſſimi martyris Chriſti Sebaſtiani accepit, & illud apud Sueſſonam ciuitatem in baſilica ſancti Medardi collocauit: ubi dum adhuc inhumatum in loculo quo allatum fuerat, iuxta tumlum ſancti Medardi iaceret, tanta ſignorum multitudo enituit, ut à nullo mortalium aut numero comprehendi, aut uerbis ualeat enarrari: quorum quædam tanti ſtuporis eſſe narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent, niſi certum eſſet, dominum pro quo ipſe paſſus eſt, omnia poſſe. Anno domini Dccccxxvij. Eugenius papa menſe Auguſto deceſſit, in cuius locũ Valentinus diaconus à Romanis papa ordinatus, uix unum menſem in pontificatu compleuit. Quo defuncto, Gregorius præsbyter tituli ſancti Marci papa ci. electus eſt: ſed ante non eſt ordinatus, quàm Imperatoris legatus Romam ueniens, electionem populi qualis eſſet, examinauit. Quo decedente, Sergius Papa cij. ſucceſſit: poſt quem Leo ciij. extitit. Corpora ſanctorum Marcellini & Petri, de Roma in Germaniam tranſlata menſe nouembri miraculis clarificata ſunt. Anno dñi Dccccxxviij.

Frumentum de cœlo.

Vuettinus monachus Augienſis.

Terræmotus.

In regione Vuaſconia Tangarona in pago Aginenſi annonam de cœlo quaſi pluuiam deſcendiſſe ferunt, ſimilem frumento ſed paulúlum breuiora ac rotundiora grana habuiſſe, de qua domino imperatori allatũ eſt ad Aquiſgrani palatium. Vuettinus Augienſis monachus iñ ſpiritu raptus, admirabilem uidit uiſionem. Anno domini Dccccxxix. In ipſo quadrageſimali ieiunio, paucis ante ſanctũ Paſcha diebus, Aquiſgrani terræmotus noctu factus eſt, uentusq; tam uehemens exortus, ut non ſolum humiliores domos, uerum etiam ipſam ſanctæ Dei genitricis baſilicam, quam capellam uocant, tegulis plumbeis tectam, non modica denudaret ex parte. Anno domini Dccccxxx. Michael imperator obijt. Anno domini Dccccxxxi. Secundum quoſdam Paſchalis papa obijt, eiq; Eugenius ſucceſſit. Corpora ſanctorum Valentis, Seneſij, & Theopontij, in Angeam inſulam deferũtur. Theophilus, filius Michael, regnauit annis xij. Anno domini Dccccxxxij, Anno domini Dccccxxxiij. Imperator filio ſuo Carolo ex Iudith nato dedit Alemanniam, Rhetiam, & partem Burgundiæ, indignantibus cæteris filijs. Anno domini Dccccxxxiiij. Anno domini Dccccxxxv. Anno domini Dccccxxxvi. Anno domini Dccccxxxvij Anno domini Dccccxxxviij. Pipinus filius imperatoris obijt. Anno domini Dccccxxxix. Anno domini Dccccxl. Ludouicus imperator obijt xij. Kalen. Iul. ſepultusq; eſt in Eccleſia Metenſi.

ANNI LVDOVICI.

LVDOVICVS II. quartus Germanorum Imperator.

CAROLVS Caluus.

Diſſidium & ſtrages fratrũ apud Fõtaneth Sunt qui putent maximum omniũ ſeculorũ præliũ fuiſſe. At Deus manifeſte uindicauit impietatem quam in parentẽ oſtenderũt

ANno dominicæ incarnationis Dccccxli. ab urbe uero condita milleſimo Dxcij. LVDOVICVS, ſuperioris Ludouici filius lxxv. loco ab Auguſto regnare cœpit, & xxxvi. annis regnauit. Poſt mortem uero patris ſui Ludouici imperatoris, frater eius Lotharius reuerſus de Italia, & Pipinus, filius Pipini patrui ſui de Aquitania, uoluerunt Carolum filium Iudith, cognomine Caluum, ea parte quam ſibi pater conceſſerat priuare: & ſecundum id teſtamentum quod auus eorum Carolus Magnus ſtatuerat, in tres partes regna inter ſe diuidere. Qua de re apud Antiſiodorenſem pagũ in loco qui dicitur Fontaneth, graue prælium inter eos cõmiſſum eſt: & magna ſtrage pugnatum, à neutra parte eſt triumphatum. Tandem uero pacificati per quatuor tetrarchias regna diuidunt. In diuiſione regnorum Lotharius cum nomine imperatoris poſſedit Italiam, Ludouuicus Germaniam, Pipinus Aquitaniam, Carolus Galliam.

Theophilus imperator Conſtantinopolitanus obijt, cuius filius Michael regnauit annis xxvi. Anno domini Dccccxlij. Anno domini Dccccxliij. Anno domini Dccccxliiij.





ni Dcccxliiij. Bellum fuit inter Pipinum filium Pipini & Carolum. Anno domini Dcccxlv. Anno domini Dcccxlvi. Anno domini Dcccxlvij. Iudith imperatrix uxor Ludeuuici prioris obijt. Anno domini Dcccxlviij. Anno domini Dcccxlix. Anno domini Dcccl. Anno domini Dcccli. Anno domini Dccclij. Anno domini Dcccliij Anno domini Dcccliiij. Anno domini Dccclv. Eccleſia ſancti Kiliani. in Vuirciburg fulminibus exuſta eſt. LOTHARIVS imperator tõſura & mo





nachico habitu ſuſcepto, Prumiæ obijt, cui LOTHARIVS filius ſucceſſit cum fratre LVDOVICO. Corpus ſancti Martini leuatur è tumulo. Anno domini Dccclvi. Anno dñi Dccclvij. Leo papa migrauit, cui Benedictus papa ciiij. ſuccedens, & ipſe anno eodem deceſſit, Hiltigart regina obijt. Anno dñi Dccclviij. Nicolaus papa cv. ordinatur, regnauit annis ix. Anno domini Dccclix. Anno domini Dccclx. Anno domini dccclxi. Anno domini Dccclxij. Sanctus Meginradus hæremita occiditur. Anno domini dccclxiij. Anno domini Dccclxiiij. Anno domini Dccclxv. Huni Chriſtianitatis nomen aggreſſi ſunt. Anno domini Dccclxvi. Anno domini dccclxvij. Baſilius occiſo domino ſuo Michaele, regnauit annis xx. Anno domini Dccclxviij. Hadrianus papa cvi. ſedit annis v. Anno domini Dccclxix. Anno domini dccclxx. Lotharius filius Lotharij imperatoris, cum legitimę uxori ſuperduxiſſet aliam, Romam uocatus eſt: nolensq́ papæ conſentire, excommunicatus eſt, ſicq́ in redeundo Placentię mortuus eſt. Anno domini Dccclxxi. Anno domini dccclxxij. Iohannes papa ordinatur centeſimus ſeptimus. Qui à quodã toxicatus, & ab alio malleo percuſſus obijt: centeſimus octauus Hadrianus, centeſimus nonus Agapitus. Anno dñi Dccclxxiij. Anno domini dccclxxiiij. Anno dñi. Dccclxxv. Ludouicus filius Lotharij imperatoris, itemq́ Lotharius frater obijt. Et Carolus rex Romam tendens, à Iohanne papa efficitur imperator. Anno dñi Dccclxxvi. Ludouicus imperator obijt.

Huni Chriſtiani.

Lotharius, Lotharij filius ex communicatur

ANNI CAROLI IVNIORIS.

CAROLVS Craſſus filius Ludouici, filij eius, cui fuit cognomen Pio.



ANno Dominicæ incarnationis, Dccclxxvij. aburbe uero condita milleſimo Dcxxviij. CAROLVS iunior, filius Ludouici, qui fuit nepos Caroli, lxxvi. loco ab Auguſto regnare cœpit, & cũ fratribus ſuis Carlomanno & Ludouico annis xi. regnauit. Ludouicus quippe, ut aiunt, tenuit Oſtrofranciam, Carolus Alemanniam, Carlomannus Baioariam, cuius filius Arnulfus poſtmodum obtinuit monarchiam. Anno domini Dccclxxviij. Carolus rex Galliarum, cognomento Caluus, frater Ludouici ſecundi obijt. Anno domini Dccclxxix. LVDOVICVS Balbus, filius Caroli obijt, Anno domini Dccclxxx. Ludouicus frater Caroli, uiuente fratre ſuo Carlomanno, Baioariã ingreditur: Carlomannus obijt. Anno domini Dccclxxxi. Carolus iunior cum uxore ſua Richarda imperiali benedictione ſublimatur. Anno dñi Dccclxxxij. Ludouicus rex Francorũ frater Caroli imperatoris obijt. Anno domini Dccclxxxiij. Anno dñi Dccclxxxiiij. Anno domini Dccclxxxv. Anno dñi Dccclxxxvi. Otto uir militaris & ſtrenuus, à principibus Galliæ rex creatur in palatio Compendij. Hic patrem habuit ex equeſtri ordine Ruotpertum, auum uero paternum Vuitichinum ex Germania profugũ. Hunc autem idcirco in regnum promouerunt, quia Carolus filius Caroli, nepotis Caroli Calui, Galliarum regis, cui regnum debebatur, uix adhuc triennis erat, patre defuncto, cum puer biennis fuit, matre uix per quadriennium ſuperſtite. Anno domini Dccclxxxvij. Carolus imperator uiuus dimiſſit regnum. Baſilius imperator regno deceſſit.

Carolus Caluus obijt.

LVDOVICVS Balbus. Poſt Ludouicum Balbum, filiũ Caroli Calui, habent hiſtoriæ CAROLVM III. cognomento CRASSVM. Et hic V. eſt Germanorum Imperator.



ANNI ARNOLPHI.

ARNOLFVS VI. Roman. Imp.



ANno Dominicæ incarnationis, Dccclxxxviij, urbis conditę milleſ. Dcxxxix. ARNOLPHVS filius Carlomanni fratris Caroli iunioris, lxxvij. loco ab Auguſto regnum ſuſcepit, anniſq; xij. regnauit, quinq; uero imperauit. Cuius anno primo Carolus imperator, dimiſſo prius imperio, obijt.

Leo & Alexander, filij Baſilij, regnum Conſtantinopolitanum tenuerunt annis xxij. poſtea Alexander anno uno: deinde Conſtantinus Porphiro genitus, Leonis filius vi. cum matre ſua Zoe: poſtea Romanus Armeniacus cum eodem Conſtantino annis xxvi. poſt hæc idem Conſtantinus cũ filio ſuo Romano puero annis xv. Arnolphus itaq; rex potens principabatur Baioarijs, Sueuis, Francis oriẽtalibus, et poſt mortẽ Caroli Calui Lotharingis, audacibuſq; Saxonibus. Cui Zuentebaldus Marauanorũ dux uiriliter repugnauit

Vſq; autem ad hæc tempora Vngariorum gens, cuius omnes pene nationes expertæ ſunt ſæuitiam, quibuſdam difficilimis interpoſitionibus, quas clauſuras nominat uulgus, ſeparata erat à nobis, ut neq; ad meridianam, neq; ad occidentalem plagam, exeundi facultatem habuerit.

Vngarorum ſæuitia.

Clauſuræ, Klauſen.

Arnolfus igitur rex, cum Zuenteboldum ſupradictum ſuperare nequiret, depulſis prohdolor his munitionibus, Vngariorum gentem ſcelerū cupidam, in auxilium uocat, ſi tamen auxilium dici poteſt, quod paulo poſteo moriente, cū genti ſuæ, tum cæteris in meridie occaſuq; degentibus, graue periculum, immo exitium fuit. Deuicto itaq; Zuendeboldo, Arnolphus ſecure potitur regno. Vngarij uero interim obſeruato exitu, contemplatiq; regionē, malum cordibus, quod poſt in propatulo apparuit, machinabātur. Anno dñi Dccclxxxix. Luitperto archiepiſcopo Sunderold ſucceſſit. Arn Vuirziburgenſis epiſcopus in Saxonia occiſus eſt inter miſſarum ſolennia. Sedit autem annis xxxvi. menſes vij. Anno dñi Dccccxc. Arnolfus rex exercitum Nortmannorū deleuit. Anno dñi Dccccxci. Ratiſpona incendio flagrat. Anno domini Dccccxcij. Anno dñi Dccccxciij. Sunderoldus archiepiſcopus à Nortmannis occiditur. Pro quo Hatto ordinatur, obſcurus quidem genere, ſed acutus ingenio, & qui difficile diſcerneretur, melior cōſilio foret an peior. Anno domini Dccccxciiij. Anno domini Dccccxcv. Arnolfus Italiam Burgundiamq; ſibi ſubiecit. Anno domini Dccccxcvi. Arnolfus rex cxiij. papa Romā ueniēs, imperator efficitur. Huius temporibus Formoſus erat.

Arnolfus cōtra Zuēteboldum.

Grauiſſimū periculum ab Hungaris.

HISTORIA.

Anno Dominicæ incarnationis Dccccxcvij. CAROLVS iam quindennis creatur in regem Galliæ, Ottone adhuc uiuēte, & iniuriam diſſimulante: eodem tamen anno defunctus eſt. Cuius Ottonis frater Ruopertus à Carolo dux Celticæ prælatus, cum poſtea regnum affectaret, à militibus Caroli interfectus eſt. Cuius filius Hugo ob necem patris regi ſemper infenſus, conſilio egit per quoſcunq; potuit, ut Ruodolfus filius Richard Burgundionis, eo multum reclamante, rex recrearetur, & Carolus rex ab Heriperto eiuſdem cognato, per inſidias caperetur, carceriq; manciparetur, in quo poſt quinquennium defunctus eſt, anno regni ſui xxxvi uitæ uero liiij. Idem autem Carolus ex ſorore Adelſtani regis Anglorum, filium procreauit, nomine Ludouicum, qui inter perturbationes patris infantulus adhuc tranſmarinis partibus aduectus ad auunculum Adelſtanum, poſt patris necem, & Ruodolfi mortem, paternum & auitum rexit imperium. Hic etiam ex Gerbirga Heinrici Saxonum ducis, & poſtea regis filia, ſorore Ottonis magni, quam extincto Giſilberto eius uiro coniugem duxit, Lotharium filium accepit, qui in eodem regno patri ſucceſſit. Anno domini Dccccxcviij. Magna fames homines ſe inuicem comedere perſuaſit. Anno dñi Dccccxcix. Arnolfus imperator obijt, moxq; anno Vngarij morte illius audita, collecto permagno exercitu, Marauianorū gentem, quam illorum auxilio Arnolfus imperator ſibi ſubdiderat, inuadunt, ſibiq; uendicant, Baioariariorū quoq; fines occupant, caſtella diruunt, eccleſias igni conſumunt, populos iugulant, & ut magis magiſq; timeantur, interfectorum ſeſe ſanguine potant. Huius Arnolfi temporibus Formoſus Papa uehementer adflictabatur à Romanis, cuius & hortatu Arnolfus rex Romam aduenerat. Qui ingreſſus urbem, multos Romanorum principes obuiam ſibi properantes, ulciſcēdo papæ iniuriam, decollari præcepit. Cauſa autem ſimultatis inter Romanos & Formoſum papam hæc fuit: Formoſi deceſſore defuncto, quædam Pars Romanorum Sergium quendam Romanæ diaconum eccleſiæ papam ſibi elegerat, quædam uero pars non infima natu Formoſum Portuenſis ciuitatis epiſcopum pro uera religione, diuinarumq; ſcripturarum & doctrinarum ſcientia papam fieri anhelabat. Cūm autem in eo eſſet ut Sergius ordinari debuiſſet, pars quę Formoſo fauebat, nō ſine mediocri tumultu et iniuria Sergiū ab altari expulit, et Formoſum papam conſtituit. Vnde Sergius deſcendit in Tuſciam, quatenus Adelberti Marchionis potentiſſimi iuuaretur per potentiam. Quod & factum eſt.

Carolus quindennis in regem creatur.

Ludouicus.

Magna fames.

Vngari in Marauianos ac Bauaros,

Interfectorū ſanguinem bibunt.

Simultas inter Romanos & Formoſum Papam

Arnolfus pediculari morbo abſumptus.

Sergij crudelitas in Formoſum mortuum

Nam Formoſo defuncto, Arnolfo in patria miſerabili morte, ſcilicet uermium, quos pediculos dicunt, tanta ſcaturitione, ut nullis medicorũ curis minui poſſent extincto, is qui poſt necem Formoſi conſtitutus eſt, expellitur, Sergiusq́; per Adelbertum papam conſtituitur. Qui cõſtitutus, ut impius ſanctarum doctrinarum inſcius, Formoſum de ſepulchro extrahi, atq; in ſede Romani pontificatus ſacerdotalibus ueſtimentis indutum, locari, ſicq́; decollari præcepit. Cui & ait: Cum Portuenſis eſſes epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu Romanam uniuerſalem ſedem uſurpaſti? Dein ſacris exutũ ueſtibus, abſciſisq́; digitis tribus, in Tyberim iactari præcepit, cunctosq́; quos ipſe ordinauerat gradu proprio depoſitos, iterũ ordinauit. Quod quàm male & iniuſte egerit, in hoc animaduerti poterit, quoniam & hi qui auida proditione, ante proditionem, ſalutem ſeu benedictionẽ Apoſtolicam perceperunt, ea poſt proditionem, proprijq́; corporis ſuſpenſionẽ non ſunt priuati, niſi quos improba ſorte fœdarunt flagitia. Benedictio ſiquidem quæ miniſtris Chriſti impenditur, non per eum qui uidetur, ſed qui non uidetur ſacerdotem infunditur. Neq; qui rigat eſt aliquid, neq; qui plantat, ſed qui incrementum dat, Deus.

Quantæ autem autoritatis, quantæq́; religionis Formoſus papa fuerit, hinc colligere poſſumus, quoniam dum à piſcatoribus poſtmodum eſſet inuentus, atq; ad beati Petri principis Apoſtolorum eccleſiam deportatus, ſanctorum quædam imagines ſeſe inclinantes, hunc in loculum poſitum uenerabiliter ſalutauerunt. Quod religioſiſſimi Romanæ urbis teſtati ſunt. Poſt Formoſum Iohannes papa cxiiij. extitit: cui Stephanus cxv. ſucceſſit.

ANNI LVDOVICI.

LVDOVICVS III. ſeptimus Germanorum Imperator

Anno dominicæ incarnationis Dcccci. ab urbe uero condita milleſimo Dclij. LVDOVICVS, Arnolfi imperatoris filius, lxxviij. loco ab Auguſto admodum puer imperium ſuſcepit, & xij. annis regnauit. Cuius anno primo Vngarij Baioariam uaſtauerũt: ſed Ludouicus gentis ſuæ depopulationem non ferens, magno exercitu coacto, iuxta Licum fluuium cum eis pugnauit, & plus quàm mille ex eis interfecit. Cumq; pugna uſq; ad horam ſeptimam iam protraheretur, & regis uictoria æſtimaretur, Vngarij callidi, poſitis ex aduerſo inſidijs, fugam ſimulant. Quos dum regis milites, doli ignari, impetu ualidiſſimo inſequerentur, omni ex parte prodeunt inſidiæ, & quaſi uicti ipſi, uictores interimunt: rex ipſe è uictore ſe uictum eſſe miratur, ſicq́; illi non opinatus grauior caſus. Vngarij uero ut rabiem perfidiæ ſuæ ſaciarent, Baioariorum, Sueuorum, Francorum regna percurrunt, cunctaq́; uaſtando incendunt.

Vngari omnia uaſtãt

Huius temporibus Adelbertus non quilibet mediocris, ſed ex primatibus magnus ille heros, filius ſororis Heinrici ducis, ſed poſtea regis, nepos Ottonis ducis Saxoniæ, ſimultatem non modicam in caſtello Babenberg, contra Rempublicam exercebat. Nam cum inimicitiæ eſſent inter Chunradum patrẽ Chunradi poſtea regis, primum à Chunrado interfectus eſt frater Adelberti: in cuius ultionem Chunradus quoq; poſtea occiſus eſt ab Adelberto: nec ullus regum potuit tam ingens bellum inter eminentes uiros ortum ſedare. Cumq́; ipſi etiam regi Ludouuico rebellis exiſteret Adelbertus, ſæpe rex congregatis omnibus, ſuper caſtellum eius irruerat. Cui nominatus heros non iuxta caſtellum, ut plærique ſolent, ſed procul à munitione præparat bellum. Regis itaq; milites priusq́; huius uirtutem reipſa experirentur, regem præeuntes, pugnæ prælud io hunc extra caſtrũ elicere, atq; interficere cogitabant. Sed ipſe huiuſmodi prælud ij non ſolum nõ ignarus, ſed etiã deliberatus, his obuiã tam longè à caſtro proceſſerat, ut hunc milites eò uſq; ex aduerſarijs eſſe nõ cognoſcerent, quoad in eorũ ceruices iſtius macro cædis impatiens deſæuiret. Igitur cũ ſeptennio fermè Adelbertus heros rebellionem huiuſmodi exerceret, ſciens Ludouicus fortitudinem illius audaciæ, haud quaquã ſe, niſi tergiuerſatione quadam poſſe deuincere, Hattonem Moguntinæ ſedis archiepiſcopum, quid ſuper hac re faciendum eſſet, conſuluit.

Adelbertus rebellis Ludouico.

Qui ut

Qui ut erat uerſutia plenus: Deſine, ait, ego te ſecurum meis ſolicitudinibus reddam: ego ut ad te ille adueniat, prouidebo, tu, ne redeat, curato. Hatto itaq; animi confidentia, qua nonnullas res ex infortunio ſecundas effecerat, animatus, Babenberg quaſi Adelberti rebus cõſulturus adijt, multaq; locutus, in dolo ſuaſit ei ad regem uenire, ſpondens ei iureiurando, aut ei pacẽ cum rege facturum, aut incolumem illum ſuo loco reſtituturum. His pactis conſentiens, Adelbertus fidei & amicitiæ gratia, ut dignaretur prandere, rogauit Epiſcopum. Quo calliditatis obtentu negante, ilico urbem egreſſi ſunt, Epiſcopo dexteram Adelberti tenente. Cumq; pertranſiſſent oppidum cum omni comitatu, fertur Epiſcopus clamaſſe: Proh inquiens, quàm ſępe petit, qui oblata ſpernit: tedet me longioris uiæ & tardioris horæ, nam ieiuni tota die non poſſumus ambulare. Hæc audiens Adelbertus, nihilq; mali ſuſpicatus, ad genua pontificis ſe lætus inclinauit, & ut in urbem guſtandi gratia reuerteretur, depoſcit. Pontifex in urbem reuertitur cum Adelberto, deputans ſe liberatum à uinculo iuramenti, eò quod incolumem illum ſic reſtituiſſet loco ſuo. Poſt hæc cum Pontifice exiens, regi Ludeuuico ab eo pręſentatur, moxq; habito iudicio, principũ qui affuere decreto, capitalem ſubijt ſententiam, & in proprio caſtello Thariſſa accepit ſepulturam. Anno domini Dcccccij. Vngarij Charentaniam inuadunt, & commiſſa in ſabato paſchæ pugna, occiduntur. Anno domini Dcccciij. Anno domini Dcccciiij. Anno domini Dccccv. Anno domini Dccccvi. Vngarij à Moranis occiduntur. BERENGER, Reginolt, & Gerhart Germani fratres interficiuntur. Anno domini Dccccvij. Pugna inter Adelbertũ fratrem eorum, & Chunradum fratrem Ludeuuici Imperatoris committitur, in qua Chunradus occiditur. Anno domini Dccccviij. Rudolphus Epiſcopus Vuirciburgenſis obijt. Adelbertus perfidia Hattonis Archiepiſcopi, & cuiuſdam Luitpaldi deceptus, Ludeuuico rege iubente decollatur. Baioarij ab Vngarijs interficiuntur. Anno domini Dccccix. Vngarij Saxoniam & Thuringiam uaſtant. Anno domini Dccccx. Vngarij Alemanniam petunt. Leo Imperator Conſtant. obijt. Anno domini Dccccxi. Franci pugnant cum Vngarijs. Anno domini Dccccxij. Ludeuuicus rex moritur. Hic iuxta quoſdam ultimus dicitur Carolorum, apud Orientales Francos imperantium: iuxta quoſdam uero Chunradus qui poſt eum regnauit, ultimus cõputatur, à quibus pater illius Chunradus, qui ab Adelberto interfectus eſt, frater Ludeuuici huius fuiſſe æſtimatur. Sed huius diuerſitatis error ſcriptoribus regnorum imputetur.

Hatto proditor Adelberti.

Iudicium Ottonis Friſingenſis Chriſtianũ, de hoc Hattone legis lib. 6. cap. 15 Nullius molumẽti gratia, fraude circumueniendus eſt Chriſtianus, ne in corde quidem.

Adelbertus decollatur.

Vngari Charentaniam inuadunt.



Ludouicus rex ultimus Carolorum.

Ludeuuicus igitur cum accepiſſet uxorem, nomine Mahthildã ſororem Brunonis, ac magni ducis Ottonis, non multis poſt hæc uixerat annis. Horum pater erat Luitolphus, qui Romam profectus, tranſtulit inde reliquias Innocentij Papæ. Ex quibus Bruno cum ducatum adminiſtraſſet, totius Saxoniæ duxit exercitum contra Danos, & inundatione repentina circumfuſus, non habens locum pugnandi, perijt cum omni exercitu, fratri, natu quidem minori, ſed omni uirtute multo potiori, relinquens ducatum. Regi autem Ludeuuico cum non eſſet filius, poſt mortem eius omnis populus Francorum atq; Saxonum, quęrebat Ottoni diadema imponere regni, ſed ipſe quaſi iam grauior recuſabat onus imperij: eius tamen conſultu Chunradus quondam dux Francorum, filius illius Chunradi, quem Adelbertus occidit, ungitur in regnum, penes Ottonem tamen ſummum ſemper & ubiq; fiebat imperium. Natus eſt autem eidem Ottoni filius, mundo neceſſarius, optimus Heinricus, qui primus libera poteſtate regnauit in Saxonia, cui pater moriens, totius Saxoniæ ducatum reliquit, Chunrado iam in regnum ſublimato.

Otto petitur ad regnum, cum Ludouico non eſſet filius.

CONRADVS *primus eius nominis VIII. Germa. Imp. ſubquo Imperium a Francis ad Saxones translatum ſepultus eſt in Fulda*

HISTORIA.



ANno Dñicæ incarnationis Dccccxiiij. urbis aũt cõditæ, milleſimo Dclxiiij. CHVNRADVS, filius Chunradi, quem Adelbertus occidit, Francorũ ex genere oriũdus, uir ſtrenuus, bellorumq́ exercitio doctus, omnium electione lxxix. loco ab Auguſto regnũ accepit, & vij. annis regnauit. Sub quo potentiſſimi erãt principes, Arnoldus in Baioaria, Burchardus in Sueuia, Heberhardus Comes potẽtiſſimus in Frãcia, Giſibertus Dux in Lothoringia, inter quos Heinricus Saxonũ & Thuringorũ Dux præpotẽs clarebat. Secundo autẽ regni eius anno, memorati Principes huic præſertim rebelles extiterãt, quos ille tam ſapientiæ quàm fortitudinis robore ſuperauit, ſuamq́ ad fidelitatem perduxit. Arnoldus autem nimio terrore coactus, cum uxore ac filijs ad Vngarios fugit, ibiq́ uſq́ ad obitũ Chunradi permãſit. Primo anno Chunradi regis, Vngarij ab Alemannis & Baioarijs, iuxta fluuiũ, qui uulgariter Ine dicitur, occiduntur.

Arnoldus fugit ad Vngaros.

Enus fluuius.

ANNI CHVNRADI.

ANno Domini Dccccxiiij. Prędicti Principes regi rebellant. Rudolphus rex moritur, poſt quem Ludeuuicus, Caroli filius, in regnum patris, conſilio Hugonis Ducis, filij Ruperti, ex tranſmarinis partibus, ad Gallias reducitur, cui idem tamen poſtea accuſatur. Hoc tempore Marinus Papa cxvi. extitit. Anno Domini Dccccxv. Vngarij Alemanniam deuaſtant. Hatto Archiepiſcopus obijt, cui Heriger ſucceſſit. Anno domini Dccccxvi. Anno domini Dccccxvij. Salomon Epiſcopus captus eſt. Vngarij Alemanniam totam igne & gladio uaſtant. Anno domini Dccccxviij. Erchenger Dux & Bertholdus Germani fratres decollantur. Baſilea ab Vngarijs deſtruitur. Anno domini Dccccxix. Vngarij per Alemanniam & Alſatiam tranſeuntes, Lotharingiã inuadunt. Burchardus dux cõſtituitur. Chũradus rex moritur, cuius cõſilio & pręcepto Heinricus Dux Saxonię, filius Ottonis Ducis in regnũ prouehitur. Sed quia Carolorũ ſtirpe in regno Francorũ deficiente, regnũ iam ad Saxones per Heinricũ transfertur, genealogiã Carolorũ cauſa memorię breuiter depingamus, de hinc de origine gentis Saxonicæ, cuius opinio uaria eſt, aliqua deſcribamus, ſicq́ ad initiũ regni pertendamus.

Vngari uaſtant Alemaniam.

Duo Duces fratres decollantur.

Vngari Alſatiã inuadunt & Ltohoringiã

Genealogia Carolorum.

CAROLVS MAGNVS IMP.

LVDOVICVS *Pius Imp.*

Ludouicus Germanicus habebat Germaniam ſuperiorem, uicitq́; Boemos.

Lotharius Imp. tenens Lothoringiam & Italiam.

Carolus Caluus rex Galliæ.

Ludouuicus q geßit bellum cũ Calno.

Carolus Craſſus Imp. & ad extremum adeptus Galliã. Huic ſucceßit Arnolphus.

Carolomannus rex Bauariæ.

Arnolphus

Ludouicus.II.Imp. Sarracenos ex Italia fugauit, poſt hunc uolebat Papa imperiũ in Galliã conuertere, ſed filij Ludouici Germanici hoc retinuerunt & ſeruarunt Germanis. Huic ſucceßit in imperio. Carolus Caluus rex Galliæ.

Ludouicus Balbus, cum quo de impio dimicauit Carolus Craſſus: Pontifex ad Balbũ confugit.

Ludouuicus.III.

Huic ſucceßit Cunradus Bombergen. quem ſcribunt fuiſſe nepotẽ huius Ludouuici, ex fratre Cunrado,

Cunradus

Eberhardus, à quo originẽ habẽt principes Francorum.

Cunradus ultimus Imperator ex hac familia. Hunc Italici ſcriptores, ſi dijs placet, inter Imperatores nonnominant, quia Italiam non habuit.

DE ORIGINE SAXONVM.

Lege hic Albertum Krantz de gentis Saxonum primordijs, & hoc citante Saxonem Sialandicũ Danicæ antquitatis ſcriptorem.

SVPER origine gentis Saxonum uaria opinio eſt. *Alijs* æſtimantibus de Danis Nortmãnisq; eos originem duxiſſe, alijs uero, quibus & Græci conſentire dicuntur, eos reliquias fuiſſe Macedonici exercitus, qui ſecutus Magnum Alexãdrum, immatura ipſius morte per totum orbem ſit diſperſus. Inuenimus autem in ſcriptis cuiuſdam, antiquitate tradente, ꝙ ab Anglis Britanniæ incolis ſint egreſſi & per Oceanum nauigantes, Germaniæ littoribus ſtudio & neceſſitate quærendarum ſedium ſint appulſi, in loco qui uocatur Hathuloga, eo tempore quo Theodericus rex Francorum contra Irminfridum ducem Thuringorum dimicans, terram eorum crudeliter ferro uaſtauit & igni. Cumq; primum terræ applicuiſſent, incolæ ipſius terræ qui Thuringi fuiſſe traduntur, aduentum eorum grauiter ferentes, arma contra eos mouerunt. Saxones uero acriter reſiſtentes, portum obtinuerunt. Diu deinde inter ſe dimicantibus, & multis hincinde cadentibus, tandem utriſq; placuit de pace tractare. Initumq; eſt fœdus eo pacto quo haberent Saxones uendendi emendiq; copiam, cęterum ab agris à cæde hominum atq; rapinis abſtinerent: ſtetitq; illud fœdus inuiolabiliter multis diebus. Cumq; Saxonibus iam defeciſſet pecunia, quid emerent aut uenderent non habentes, inutilem ſibi pacem eſſe arbitrati ſunt. Ea igitur tempeſtate contigit adoleſcentem quendã egredi de nauibus oneratum multo auro, torque aurea, ſimulq; armillis aureis. Cui obuius quidam Thuringorum, quid ſibi uult, inquit, tam ingens aurũ circa tuum famelicum collum? Emptorem, inquit, quæro, ad nihil aliud iſtud aurum gero. Qui enim fame periclitor, quo auro delecter? At illo qualitatem quantitatemq; precij rogante, nullũ inquit Saxo mihi eſt diſcrimen in precio: quicquid dabis gratum habeo. Ille uero ſubridens, quid ſi, inquit, de puluere iſto ſinum tibi impleo? Erat autem in præſenti loco egeſta humus plurima. Saxo nihil cunctatus aperit ſinum, & accipit humum: ilico Thuringo tradens aurum: lætusq; ad ſuos uterq; redit. Thuringi Thuringũ laudibus ad cœlum tollũt, qui nobili fraude Saxonem deceperit: fortunatumq; eum inter mortales fuiſſe, qui uili precio tam ingens aurum poſſederit. Cęterũ certi de uictoria de Saxonibus, iam quaſi triumphabant. Interea uero Saxo priuatus auro, oneratus uero multa humo, appropiat nauibus. Socijs igitur ei occurrẽtibus, & quid ageret admirãtibus, alij amicorũ eum irridere ceperunt, alij arguere: omnes partim eum amentem crediderunt. At ille poſtulato ſilentio, ſequimini me inquit optimi Saxones, & meam uobis amentiam probabitis utilem. At illi licet dubij, ſequuntur tamẽ. Ille autem ſumpta humo, per uicinos agros quàm ſubtilius potuit, eam diſperſit: & caſtrorum loca occupauit. Vt autem uiderunt Thuringi caſtra Saxonum, intollerabilis eſt eis uiſa res: & miſſis legatis cõqueſti ſunt de fœdere rupto ac uiolato ex parte Saxonum. Saxones reſponderũt ſe hactenus fœdus inuiolabiliter ſeruaſſe: terram uero proprio auro comparatam, cum pace uelle obtinere: aut certe armis defendere. His auditis, incolæ cœperunt aurum Saxonicum iam maledicere: & quem paulo ante fœlicem prædicabant, autorem perditionis ſuæ atq; regionis fatebantur. Ira deinde accenſi, cæco marte, ſine ordine & conſilio irruunt in caſtra. Saxones uero parati, hoſtes excipiunt ſternũtq;: & rebus proſpere geſtis, proxima circumcirca loca iure obtinent. Diu itaq; cum ab alterutris pugnatum foret, & Thuringi Saxones ſibi ſuperiores fore uiderẽt, per internuncios pacificari cum eis quęrunt eosq; in terra quam acceperunt, ſedere concedunt.

Hathuloga.

Hæc ordine legis ĩ initio Vuitichindi monachi Benedictini, de rebus geſtis Saxonum.

Thuringus Saxoni puluerem uendit.

Alb. Krantz uult nõ auro, ſed ſanguine mercatũ agrum accepiſſe, nec unquam poſſediſſe Turingos agros ad Hadeleriã.

Spargitur puluis per uicinos agros.

Eo tempore mortuo Clodoueo rege Francorũ, quatuor filij eius regnũ ipſius æqualiter diuiſerunt. Ex quibus Theodericus cum Auſtraſiam accepiſſet, cuius regni ſedes apud Metenſem fuit ciuitatem, mittere curauit legationem ad Irminfridum regem Thuringorum pro pace & concordia: mandans ei non ſe cupere ſibi eſſe dominum ſed amicum: non imperatorẽ ſed propinquum: propinquitatisq; iura inuiolabiliter ſe uelle ſeruare: ſororem quippe Theoderici Irminfridus acceperat, tantum ut à populi Francorũ concordia, qui eum regem conſtituerant, non diſcordaret, rogabat: Ad hæc Irminfridus cum benigne reſponderet, Fra

Auſtraſiæ ſedes apu Metenſem ciuitatem

ret, Francorũ ſtatuta ſibi placere, pace omni modis ſe indigere, ſuper negotio regni reſpõſionem ſuam in amicorum præſentiam ſe uelle differre. Audiens regina legatum fratris ſuperueniſſe, & ſuper regni negotio cum rege locutum fuiſſe,

Iringus.

egit cum Iringo milite regis, qui erat uir audax, fortis manu, acer ingenio, acutus conſilio, pertinax in rebus agendis, facilis ad ſuadenda quæ uellet, unde & animum regis ſibi connexerat, ut pariter regi ſuaderent regnum ſibi iure hæreditario ceſſiſſe, utpote quæ filia regis eſſet & reginæ. Theodericũ uero ſuum ſeruum eſſe, tanq̃ ex concubina natum, & ideo indecens fore proprio ſeruo manus unq̃ dare. Conuocatis ergo principibus, & neceſſarijs amicis, Irminfridus uerba legati in præſentia eorum contulit. At illi unanimiter ſuadebãt, quæ pacis & concordiæ ſunt eum ſentire, quia impetus Francorũ ferre non poſſet, maxime qui acrioribus hoſtiũ armis ex alia parte prẹmeretur. Iringus uero laſciuæ mulieris ſatis faciens uotis, ſuaſit Irminfrido Francis cedere non debere, ſuper negocio regni iuſtiorem ſe cauſam habere: latum prẹterea imperium, militum manus & arma, cẹteraſq; belli copias ſibi à Theoderico parum æque procedere. His igitur Irminfridus perſuaſus, ſecundum hæc uerba legato reſpondit: Amicitiam quidem ſui & propinquitatem Theoderico non negare, mirari ſe tamen ſatis non poſſe, quomodo uſurpare uellet prius imperium quàm libertatem, ſeruum illum natum, & quomodo ſui quẹreret dominum, ſe non poſſe proprio ſeruo manus dare. Legatus his ſatis commotus, mallem inquit, hoc caput meum tibi tradere, quàm huiuſmodi uerba à te audire, ſciens ea multo ſanguine Francorum atq; Thuringorum diluenda. Et hæc dicens, reuerſus eſt ad Theodericum, & quæ audiuit, non cẹlat. Theodericus autem nimiam iram uultu cẹlans ſereno, oportet nos, inquit, ad ſeruitium Irminfridi feſtinare, quatenus qui libertate priuamur, inani ſaltem uita fruamur. Et cum graui exercitu appropians terminis Thuringorum,

Runiberg.

inuenit eum ualida quoq; manu ſe expectantem, in loco qui dicitur Runiberg, & commiſſo certamine, pugnatum eſt ancipiti bello per biduum, tertia uero die uictus Irminfridus ceſſit Theoderico, fugienſq; tandem ſe recepit in urbem, quæ

Schidinga.

dicitur Schitinga ſita ſuper fluuium Oneſtrod. Theodericus autem congregatis principibus exercitus ſui, rogat ſententiam, utrũ nam cenſerent Irminfridũ perſequendum, an patriam remeandum. Erat autem Theoderico ſeruus ingenioſus ſatis, cuius conſilium expertus eſt ſæpius probum, eiq; propterea quadam familiaritate fuit coniunctus. Cumq; quidam cenſerent mortuos ſepeliendos, ſaucios curandos, & ad maiorem exercitum congregandum eſſe repatriandum, rogatus ille ſeruus, ſententiam dixit. In rebus honeſtis pulcherrimam ſemper eſſe

Perſeuerantia in rebus honeſtis, pulcherrima res.

arbitror perſeuerantiam, quam ita coluerunt maiores noſtri, ut acceptis negocijs raro uel nunq̃ deficerent. Nec tamen labores noſtros eorum æquandos putauerim, qui paruis copijs ingentes gentium copias ſuperauerunt. Nunc terra in noſtra eſt poteſtate, & diſceſſione noſtris uictis occaſionem uincendi prẹſtabimus. Amplecterer & ipſe patriam redire, familiarem neceſſitudinem prouidere, ſi hoſtem noſtrum eo ſpatio ſcirem uacare. Sed uulnerati noſtri forſitan hac re indigent, caſtrorũ ergo labor impigris animis reor pro maxima uoluptate eſt. Cæſar multitudine exercitus eſt uehementer attenuatus: hoſtes ne omnes euaſerunt? certe rariſſimi. Ipſe nanq; dux, ut quẹdã beſtiola, ſuo munitur latibulo, urbis circundatur clauſtro, nec ipſum cœlum audet ſecurè inſpicere, noſtro timore cogente. Sed non deſunt ei pecuniæ, quibus conducantur nationes Barbarẹ, non deeſt militum manus, licet laſſa, quæ tamen omnia noſtra redintegrãtur abſentia. Indecorum eſt uictoribus, uictis uincendi locum dare. Num ſingulis urbibus admiñiſtranda ſufficimus poſſidia? Et eas omnes perdimus, dum imus & redimus. Hæc eo proſequente, placuit Theoderico, omnibuſq; uictoriæ auidis, manere in caſtris, & mittere ad Saxones, Thuringis iam olim inimicos, ut ei eſſent auxlio, ea cõditione, ut ſi uincerent Irminfridum, urbemq; caperent, terram eis in hẹreditatem perpetuam traderet. Saxones nihil cunctati, nouem duces cum ſingulis millibus militum deſtinabant. Et ingreſſi duces in caſtra ſinguli cum centenis militibus, reliqua multitudine extra caſtra relicta, Theodericum uerbis pacificis

ſalutabant

ſalutabant,& ab eo hilariter ſuſcepti, dextras dabant & accipiebant, ſeq; illi deuotos,& ad omnia promptos,à Saxonica gente miſſos dicebant,eisq; cordi eſſe aut uincere uelle,aut uiuere nolle.Illis hæc loquentibus, mirati ſunt Franci,præſtantes corpore & animo uiros mirati ſunt, & habitum nouum, arma quoq; & diffuſam ſcapulis cęſariem, & ſuper omnia ingentem animi conſtantiam. Veſtiti autem erant ſagis,& armati longis lanceis, ſtabantq; ſubnixi paruis ſcutis,habentes ad renes cultellos magnos. Quidam uero ex Francis dicebant, tantis ac talibus amicis Francos nõ indigere,genus indomitum fore, etſi preſentem terram inhabitarent,eos proculdubio eſſe, qui Francorum imperiũ quandoq; deſtruerent. Theodericus uero proprijs utilitatibus conſulens,in fide ſuſcepit uiros,demandans, ut ad oppugnandam urbem præpararentur. At illi à rege regreſſi,caſtrametati ſunt ad meridianam plagam urbis,in pratis fluuio contiguis, & poſtera die prima luce ſurgentes, ſumptis armis, oppidum oppugnant & incendunt,ſtatimq; aciem ordinant ex aduerſo portæ Orientalis. Hi uero, qui intus erant clauſi muris, dum uident acies ordinatas, ac ſe in ultimis conſtitutos, audacter portis erumpunt,cæcoq; marte in aduerſarios irruunt, & telis emiſſis, res perinde agitur gladijs. Cumq; graue bellum oriretur, plures hincinde ſternuntur,illis pro patria,pro uxoribus ac natis,poſtremo pro uita pugnantibus, Saxonibus uero pro gloria,& pro terra acquirenda certantibus. Cumq; ubiq; fierent cædes, & ululatus, & neutrum agmen loco cederet, iam tardior hora prælium diremit. Eo die ex Thuringis multi interfecti, multi ſauciati ſunt, de Saxonibus uero numerata ſunt ſex millia cæſa. Mittitur igitur Iring ab Irminfrido cum ſupplici legatione,& omnibus theſauris ſuis, ad Theodericum pro pace ac ſpontanea deditione. Et accedens Iring, Hæc, ait, tibi miſit tuus quondam propinquus,modo ſeruus, rogans, ut ſi non ſui miſerearis, miſeræ ſaltem ſororis tuæ miſerearis,nepotumq; tuorum in ultima neceſſitate conſtitutorum. Dum hæc lachrymãs dixiſſet,interpellatio Principum auro corruptorum adiecit: decere clementiam regalem, non ſpernere legationem talem, nec communem naturam obliuiſci, meliusq; eſſe eum in fide ſuſcipere, quem iam ſuperatum ita contereret,ut nunq; ſe contra eum leuare poſſet, quàm illud genus hominum indomabile, & ad omnem laborem perdurabile, à quo nihil aliud expectaret Francorũ imperium, niſi ſolum periculum, ideoq; melius eſſe ut ſuſceptis Thuringis, pariter eos eijcerẽt de finibus ſuis. His dictis licet inuitus flectitur Theodericus, promiſitq; poſtera die Irminfridum ſe ſuſcepturum, Saxonesq; abiecturum. Quibus Iring auditis,ad pedes proſternitur regis, laudansq; ſententiam regis, ipſe nocte illa manſit in caſtris,& miſſo ad dominum optato nuncio, ipſam urbem ſecuritatis repleuit gaudio. Interea urbe ex pace promiſſa ſecuriore reddita, egreſſus eſt quidam cum accipitre,uictum quęritans ſupra littus fluuij ſupradicti, ſed emiſſum uolucrem quidam de Saxonibus in ripa ſuſcepit ulteriori. Emiſſore uero rogante ut remitteretur,Saxo negauit. Ille autem ait. Remitte & prodam tibi ſecretum,ſocijsq; tuis utile. Saxo è contra,dic,inquit, ut accipias quod queris. Reges, inquit,pace inter ſe facta,decreuerunt,ut ſi cras in caſtris inueniamini, aut capiamini,aut certe occidamini. Ad hæc ille. Serio hæc ais, an ludo? Secunda, inquit, hora futuri diei probabit,quod ſine ludo uos agere oporteat, Quapropter uobis ipſis conſulite,& fuga ſalutem quærite. Saxo ſtatim uolucrem emiſit, ſocijsq; retulit quæ audiuit. Qui ſatis commoti in promptu non inueniebant, quid ſuper his agere debuiſſent. Erat autem tunc in caſtris quidam in ueteranis militibus iam ſenior, ſed uirili adhuc ſenectute uigens,qui merito bonarum uirtutum pater patrum dicebatur, nomine Hatugato. Hic arripiens uexillum quod apud eos habebatur ſacrum leonis atq; draconis, & deſuper aquilæ uolantis inſignitum effigie, quo oſtentaret fortitudinis atq; prudentiæ, & earum rerum efficaciam, & motu corporis animi conſtantiam declarans, ait: Hucuſq; inter optimos Saxones uixi,& ad hanc ferè ultimam ſenectutem ætas me perduxit, & nunq; meos fugere uidi,& quomodo nunc cogor agere quod nunquam didici? Certare didici, fugere ignoro, nec ualeo. Si fata non ſinunt ultra uiuere, liceat

Veſtitus Saxonum & arma.

Vuitichindis lib. 1.

Sex millia Saxonum cæſa.

Victum quæritans accipitre.

Vide Alb. Krantz li. 1. cap. 28. & Vuitichindis lib. 2.

Hatugato alias Hathagat.

Vexillum Saxonum leonis & draconis effigie item aquilæ uolantis.

Oratio maſculi & ueterani militis Hathagati.

liceat ſaltem, quod mihi dulciſſimũ eſt, cum amicis occumbere. Exemplo mihi ſunt paternæ uirtutis amicorũ corpora, circa nos proſtrata, qui maluerunt mori, quàm uinci, impigras animas amittere, quàm coram inimicis loco cedere. Sed quid neceſſe habeo exhortationem protrahere, tantum de contemptu mortis? Ecce ad ſecuros ibimus ad cædem tantum, non ad pugnam. Nam de promiſſa pace ac noſtro graui uulnere ſecuri, nihil ſuſpicantur aduerſi, hodierno quoq; prę lio fatigati, quemadmodum ſunt ſine metu, ita ſine uigilijs & ſolita cuſtodia manent. Irruamus igitur ſuper improuiſos, & ſomno ſepultos, parum laboris eſt, ſequimini me ducem, & hoc canum caput meum uobis trado, ſi nõ uenerit quod dico. Illius igitur optimis uerbis erecti, quod ſupererat diei in reficiẽdis corporibus ſuis, expendebant, deinde prima uigilia noctis, qua ſolet ſopor grauior occupare mortales, dato ſigno ſumunt arma, & pręcedente duce, irruunt ſuper muros, inuenientesq; eos ſine uigilijs ac cuſtodibus, ingreſſi ſunt urbem cum clamore magno. Quo excitati aduerſarij, alij fuga ſalutem quæſierunt, alij per plateas & muros urbis ut ebrij errauerunt, alij in Saxones, ciues ſuos putantes, inciderũt. Illi uero omnes perfectæ ætatis morti tradiderũt, impuberes prędæ ſeruauerunt. Irminfridus autem requiſitus, cum uxore ac filijs, paucoq; comitatu euaſiſſe compertus eſt. Quod audiens Theodericus, egit ut dolo reuocaretur, & Iring eum interficeret, quatenus Theodericus quaſi alienus ab eius cęde conſiſteret. Hoc cum Iring ægrè ſuſcepiſſet, uictus fallacibus promiſſis, quaſi magnis muneribus foret donandus, ac poteſtate magna in regno ſublimandus, tandem conſenſit, ſeq; uoluntati eius parere promiſit. Reuocatus igitur Irminfridus, profternitur ueſtigijs Theoderici, Iring uero ſtans iuxta quaſi armiger regis, euaginato gladio proſtratum dominum trucidauit, ſtatimq; rex ait ad eũ: Quia dominũ interfeciſti tuũ, pro tali facinore omnibus mortalibus merito odioſus, uiam habeto apertam diſcedendi à nobis, ſortẽ uel partem tuæ nequitiæ nolumus habere. Merito inquit Iring, odioſus cunctis appareo, qui tuis parui dolis, anteq; tamen exeam, purgabo hoc ſcelus meum, uindicando dominum meum: Et euaginato gladio ſtetit, ipſum quoq; Theodericum obtruncauit, ſumensq; corpus domini, poſuit ſuper cadauer Theoderici, ut uinceret ſaltẽ mortuus, qui uincebatur uiuus, uiamq; ferro faciens, diſceſſit. Si qua fides his dictis adhibeatur, penes lectorẽ eſt, mirari tamen non poſſumus ſatis, famam in tantum pręualuiſſe, ut lacteus cœli circulus, Iringis nomine, Iringes ſtraza uſq; in pręſens ſit uocatus. In Francorum uero geſtis legitur, ꝙ Theodericus data fide Irminfrido, ad Tulbiacam ciuitatem eum ad ſe uenire fecerit, & cum ſupra muros ciuitatis colloquerentur, compulſus ille de muro in terram corruerit, ſicq; mortuus ſit, ſuosq; filios Theodericus interfice re iuſſerit. Saxones autem bello peracto reuerſi ad Theodericum in caſtra, bene ab eo ſunt ſuſcepti, ſatisq; laudati, & pręſenti terra in æternam poſſeſſionem donati, ſocij quoq; & amici Francorum appellati ſunt, moxq; urbem cui ab igne, ut proprijs manibus pepercerunt, primum incoluerunt. Terram uero acceptam ſorte diuidentes, cum multi ex eis in bello cecidiſſent, & pro raritate ſui totam occupare non poſſent, partem illius, & eam quàmmaxime quæ reſpicit ad Orientẽ, colonis tradebant ſub tributo exercendam, cætera uero loca ipſi poſſederunt. A meridie quidem Francos habentes, & partem Thuringorum quos precedẽs hoſtilis turbo non tetigit, & alueo fluminis Vnſtrode dirimuntur, à Septentrione uero Nortmannos gentes fērociſſimas, ab ortu autem ſolis Abodritos, & ab occaſu Frieſos, à quibus ſine intermiſſione uel fœdere uel incertatione finium ſuorum ſpatia neceſſario tuebantur. Erant enim inquieti nimis, & finitimorum ſedibus infeſti, domi uero pacati, & ciuium utilitatibus placida benignitate cõſulentes, generis quoq; ac nobilitatis ſuæ prouidiſſimam curam habentes, nec facile ullis aliarum gentium uel ſibi inferiorum connubijs infecti, propriam & ſincerã & tantum ſui ſimilem gentem facere conati ſunt. Vnde habitus quoq; ac magnitudo corporum, comarum color, tanq; in tanto numero hominum idem penẽ omnibus. Quatuor igitur differentias gens illa in genere habuit, nobilium ſcilicet ac liberorum, libertorum atq; ſeruorum, & id legibus firmatum eſt, ut nulla pars in

Fidem dictorum relinquit lectori.

Iringis ſtraza.

Saxones ſocij Francorum.

Termini Saxonum compendiarij.

Vnſtroda fluuius, aliàs Vnſter.

Quatuor differentiæ Saxonum
1. Nobiles.
2. Liberi.
3. Liberti.
4. Serui.

pars in copulandis coniugijs propriæ ſortis terminos transferat; ſed nobilis nobilem ducat uxorem, & liber liberam: libertus coniungatur libertæ, & ſeruus ancillæ; ſi uero quiſpiam horum ſibi non congruentem, & genere præſtantiorem duxerit uxorem, cum uitæ ſuæ damno componat. Legibus etiam ad uindictam malefactorum optimis utebantur, & multa utilia atq; ſecundum legem naturæ honeſta in morum probitate ſtuduerunt habere, quæ eis ad ueram beatitudinem promerendam proficere potuiſſent, ſi notitiam ſui creatoris haberent. Coluerũt enim eos qui natura non erant dij, maximeq; Mercurium, cui certis diebus humanis quoq; hoſtijs litabant. Deos ſuos neq; templis includere, neq; ulli humanæ ſpeciei aſſimilare pro magnitudine & dignitate diuinitatis licitum arbitrati ſunt, lucos ac nemora conſecrantes, deorumq; nominibus appellantes, ſecretum illud ſola reuerentia contemplantur. Auſpicia & ſortes quàm maxime obſeruabant, quarum ſorti non conſuetudo ſimplex erat. Virgam frugiferæ arbori deciſam in ſurculos amputabant, eosq; notis quibuſdam diſcretos, ſuper candidam ueſtem temere ac fortuito ſpargebant. Mox ſi publica conſultatio fuit, ſacerdos populi: priuata, ipſe paterfamilias precatus Deos, cœlumq; ſuſpiciés, inter ſingulos tulit, ſublatisq; ſecundum impreſſam antea notam interpretatus eſt: & ſi prohibuerũt, nulla de eadem re ipſa die conſultatio erat: ſi permiſſum eſt, euentuum adhuc fides exigebatur. Auium uoces uolatusq; interrogare, propriũ gentis illius erat: equorum quoq; preſagia ac motus experiri, hinnitusq; ac fremitus obſeruare, nec ulli auſpicio maior fides adhibebatur, non ſolum apud plebem, ſed etiam apud proceres. Erat & alia obſeruatio auſpiciorum, quo ſolebant euentus grauium explorare bellorum, eius ſcilicet gentis, cum qua bellandum fuit, captiuũ quo modo interceptum cum electo popularium ſuorum patrijs quemq; armis committere, & uictoriam huius uel illius inpræuidentia habere. Quomodo autem certis diebus, cum aut luna inchoatur, aut impletur, agendis rebus auſpicatiſſimum initium crediderint, & alia innumerabilia uanarum ſuperſtitionum genera, quibus impliciti tenebantur obſeruauerint, prætereo: Hæc uero ideo commemoraui, quo prudens lector agnoſcat, à quantis errorum tenebris per Dei gratiam ſint liberati, qui erant ſicut omnes nationes Germaniam incolentes, & natura feroces, & cultui dæmonum dediti, ueræq; religioni contrarij: neq; diuina, neq; humana iura tranſgredi illicitum uel inhoneſtum putantes. Vnde factum eſt, quòd cum finitimis ſuis, & maxime cum Francis lites atq; diſcordias habebant, quia ſuberant cauſæ, quæ quotidie pacem perturbare poterant, termini uidelicet amborum penè ubiq; in planicie contigui, præter pauca loca in quibus uel ſaltus magni, uel montium iuga interpoſita, utrorumq; agros certo limite diſterminant, in quibus cædes & rapinę, atq; incendia uiciſſim fieri non ceſſabant. Quibus adeo Franci ſunt irritati, ut non iam uiciſſitudinem reddere, ſed apertum contra eos deliberarét bellum ſuſcipere. Suſceptum eſt igitur contra eos bellum, quod magna utrorũq; animoſitate, maiore tamen Saxonum damno per continuos xxx. annos gerebatur. Poterat ſiquidem citius finiri, ſi Saxonum perfidia hoc pateretur. Difficile quippe dictu eſt, quotiens ſuperati ac ſupplices regi ſe dederunt, imperata facturos polliciti ſunt, obſides qui imperabantur abſq; dilatione dederunt, legatos qui mittebantur, ſuſceperunt: aliquotiens ita domiti & emolliti, ut etiá cultum demonum dimittere, & Chriſtianę religioni ſe ſubdere uelle promitterent. Sed ſicut ad hæc facienda aliquotiés proni, ſic ad eadé peruertéda ſemper fuere præcipites, nec facile eſt æſtimare, ad utrum horum faciliores dici uerius poſſint. Frondoſis arboribus fontibusq; uenerationem exhibebant. Truncum quoq; ligni non paruæ magnitudinis in altum erectum ſub diuo colebát, patria eum lingua Irminſul appellátes, quod Latine dicitur uniuerſalis columna, quaſi ſuſtinens omnia. Igitur defuncto Pipino, qui Hilderico rege

Mercurium coluerũt Saxones, hinc Irmenſul quaſi Mercurij ſtatuam interpretantur. Is enim græce Ἑρμῆς dicitur.

Auſpiciorum obſeruatores.

Obſeruatio euentuũ ex captiuo hoſtium.

Superſtitio Saxonũ ex Luna.

A quantis tenebris errorũ Saxones & Germani liberati his annis, utinã uerè agnoſcamus uiſitationis tempus.

Bellũ durãs annos 30

Irminſul erat armati toto corpore effigies, cuius in dextera ſignũ militare, noſtri uexillum uocant, præferens roſam, cuius breue momentum & facilis ortus ac interitus ita euentus præliorum. In ſiniſtra libram expandit, dubiam pugnantium ſortem, facile huc & illuc inclinantem. Pectus inerme urſum præferebat, in clypeo leo floribus conſito campo, in quo ſtabat. Vide in hiſtoria Arminij nobiliſſimi principis Germani perpulchram coniecturam. Georgij Spalatini de Armenij uel Hermanni ſtatua in memoriam incly. i herois Germani erecta.

in quo Mereuingorum finitum eſt imperium, depoſito, & in monaſterium miſſo, primus ex præfecto aulæ per autoritatem Zachariæ Romani pontificis, monarchiam regni Francorum ſolus obtinuit: Carolus filius eius ſucceſſit, qui contra Saxones bellum, quod quaſi intermiſſum patris eius morte uidebatur, repetiuit. Pater enim eius prius eos ſuperatos, trecentorum equorum per ſingulos annos tributo multauit. Poſt renouatum cũ eis à Carolo bellum, uix ullus exactus eſt annus, quod non ab eis facta ſit pacti permutatio. Sed magnanimitas regis, ac perpetua tam in aduerſis, quàm in proſperis conſtantia mentis, nulla eorũ mutabilitate uel uinci poterat, uel ab his defatigari quæ agere cœperat. Nam nunquam eos huiuſmodi aliquid perpetrantes, impune ferre paſſus eſt, quin aut ipſe per ſe ducto, aut per comites ſuos miſſo exercitu, perfidiam eorum ulciſceretur, & condignam ab eis pœnam exigeret, uſque dum omnibus qui reſiſtere ſolebant, profligatis, & in ſuam poteſtatem redactis, decem millia hominum ex his qui utraſque ripas Albiæ fluminis incolebant, cum uxoribus & paruulis tranſtulit, & huc atque illuc per Galliam & Germaniam multimoda diuiſione diſtribuit: tractumque per tot annos bellum ea conditione conſtat eſſe finitum, ut abiecto dæmonum cultu, Chriſtianæ religionis ſacramenta ſuſciperent. Quod & factum eſt. Vuitikint quoque qui inter eos & claritate generis, & opum amplitudine eminebat, & qui perfidiæ eorum autor & inceptor indefeſſus erat, ad fidem Caroli ſponte ueniens, apud Tiniacum baptizatus, & à rege de fonte ſuſceptus eſt: ſicque Saxonia tota ſuperata & ſubiecta eſt.

Tributũ 300. equorum.

Conditiones pacis, ut abiecto dæmonum cultu, Chriſtianæ religionis ſacramenta ſuſciperent.

Vuitikint baptizatur. alij Vuitekindus

Huius Vuitikindi filius Vuigbertus Chriſtianæ religionis cultor deuotus, filiũ procreauit, quẽ Vualbertũ uocauit, qui & ipſe ab infantia religioſus, cũ factus eſſet uir, Romam cauſa orationis & reliquiarum acquirendarum tetendit, corpusque ſancti Alexandri, filij ſanctæ Fœlicitatis, integrum accipiens à papa tunc temporis Leone, in Saxoniam detulit, & in loco qui dicitur Vuigaltingohuſon, locauit. Ex eiuſdem Saxonicæ gentis ſtirpe uir nobilis & permagnificus eſt egreſſus, nomine Lutitoldus, qui & ipſe religionis gratia Romam profectus, beati papæ Innocentij reliquias inde adduxit. Hic habuit duos filios, Brunonem & Ottonem: quorũ maior Bruno, cum totius Saxoniæ ducatum amminiſtraſſet, exercitum contra Danos duxit, ibique occiſus, ducatum fratri Ottoni reliquit. His erat ſoror nomine Luitgart, quam Ludouicus rex, filius Arnolfi imperatoris, uxorem duxit, ſed non diu poſtea uixit. Quo ſine filijs mortuo, omnis Francorum Saxonumque populus uoluit Ottoni duci diadema imponere regni. Quod cũ ille quaſi iam ſenio grauior recuſaret, eius cõſultu Chunradus Francorum dux ungitur in regem, ſumma tamen imperij ſemper & ubique fuit penes Ottonem. Natus eſt eidem Ottoni filius nomine Heinricus, qui primus libera poteſtate regnauit in Saxonia. Qui cum in primæua ætate omni uirtutum genere uitam ſuam exornaret, pater eius uidens prudentiam adoleſcentis, reliquit ei exercitũ aduerſus Dalmatiam, contra quam ipſe diu militauit. Dalmatij uero impetum illius ferre non ualentes, conduxerunt aduerſus eum Auares, quos modo uocamus Vngarios, qui ut quidam putant, reliquiæ ſunt Hunorum: qui, ut in Gothorum legitur hiſtoria, egreſſi à Gothis, multa mala inferebant gentibus finitimis, quos poſtremo Pannoniam inhabitantes, Carolus Magnus deuicit, & ut dicitur, à conſueta gentium depopulatione ingenti uallo circumcluſos prohibuit: quod opus Arnolfus imperator deſtruxit, eosque contra Zuenteboldum Marauanorum regem in auxilium ſibi eduxit. Qui deinde quantã ſtragem, quantamque iniuriam Francorum regno fecerint, urbes ac regiones adhuc deſolatæ teſtantur. Hi etiam à Dalmatijs euocati, magnã cladem in Saxonia fecerunt, multamque prædam abduxerunt. Igitur Paterpatriæ, magnusque dux Otto defunctus, illuſtri & magnifico filio ſuo Heinrico, totius Saxoniæ ducatum reliquit. Rex autem Chunradus, cum ſæpe expertus fuiſſet uirtutem noui ducis, ueritus eſt ei committere omnem poteſtatem patris. Quo factum eſt, ut offenſionem incurreret totius exercitus Saxonici. Quorum uultum erga ſe auſteriorem rex cernens, nec ducem eorum publico bello ſe poſſe conterere, præ innumera exercitus multitu-

Vuilbertus.
Vualbertus.

Vuigaltingohuſen.

Bruno.

OTTO.

Conradus Francorum dux, fit rex.

HENRICVS.

Auares Vngari contra Henricum.

Damnum Germaniæ illatum ab Vngaris.

multitudine perpẽdens, egit,ut quo modo interficeretur dolo: ad hoc habens, ut refertur, maxime idoneũ Mogontinæ ſedis epiſcopum, nomine Hattonem, cuius conſilio & Adelbertus Babenbergenſis deceptus eſt. Hic prædictum ducẽ aggreſſus dolo, fecit ei fabricari Torquem auream, & inuitauit eum ad conuiuium, quo magnis ab eo muneribus honoraretur. Interea pontifex conſiderandi operis gratia ingreſſus ad aurificem, uiſaq; torque, fertur ingemuiſſe. Gemitus cauſam cum aurifex requiſiſſet, reſpondit: quia optimi, ſibiq; chariſſimi uiri, ſcilicet, Heinrici ducis ſanguine, torques illa deberet intingui. Aurifex audita ſilentio texit, & opere perfecto ac reddito, miſſionem petijt & accepit: obuiansq; duci eunti ad eã negocia, indicauit ei quæ audiuit. Ipſe autem uehementer iratus, uocat legatum pontificis, qui iam pridem aderat, inuitandi eum gratia, & ait: Vade dic Hattoni, quia durius collum non gerit Heinricus q̃ Adelbertus: & quia melius rati ſumus domi ſedere, & de eius ſeruitio tractare, q̃ comitatus noſtri multitudine eum grauare. Et ſtatim reuerſus, omnia quæ iuris ipſius erant, in omni Saxonia uel Thuringia, occupauit. Burchardum quoq; & Bardonem, quorum alter gener regis erat, in tantũ adflixit, ut terra cederent, eorumq; poſſeſſiones ipſe militibus ſuis totas diuideret. Hatto autem epiſcopus uidens ſuis calliditatibus finem impoſitum, nimia triſtitia ac morbo pariter non poſt multos dies confectus, interijt. Fuerunt etiam qui dicerent, quia fulmine tactus, eiusq; ictu diſſolutus, poſt tertium diem defeciſſet. Rex autem miſit fratrem ſuũ Eberhardum cum exercitu, ad deuaſtandum Saxoniam. Qui appropians urbi quæ dicitur Heresburg, ſuperbe, ut tradunt, locutus eſt, quòd nulla ſibi cura maior eſſet, quàm quod Saxones pro muris ſe oſtendere non auderent, quò cum eis dimicare potuiſſet. Adhuc ſermo in ore ipſius erat, & ecce Saxones ei occurrerũt miliario uno ab urbe: initoq; certamine, tanta cæde Franci multati ſunt, ut à mimis declamaretur, ubi tantus ille infernus eſſet, qui tantam cæſorum multitudinem capere poſſet. Frater autem regis à timore abſentię Saxonũ liberatus eſt, quia eos & præſentes uidit, & ab ipſis turpiter fatigatus diſceſſit. Audiens autem rex male pugnatum à fratre, congregata omni uirtute Francorum, perrexit ad requirendum Heinricum. Quo comperto in pręſidio urbis quæ dicitur Gruona, tentauit illud oppugnare præſidiũ. Et miſſa prius legatione pro ſpontanea deditione, ſpondet ſe per hoc ſibi amicum affuturum, non hoſtem experturum. Huic legationi interuenit Dietmarus ab Orientalium Saxonum parte, uir diſciplinæ militaris peritiſſimus, uarius, conſilioq; magnus, & qui calliditate ingenita multos mortales ſuperaret. Hic ſuperueniens, legatis regis præſentibus interrogat ducem, ubi uellet exercitum metari. At ille iam perſuaſus cedere Francis, accepit fiduciam, audiens de exercitu, credens ita eſſe. Dietmarus uero fictus loquebatur, cum quinq; enim tantummodo uiris uenerat. De numero autem legionum ſciſcitante duce, ad xxx. ferè legiones ſe producere poſſe reſpondit. Ita deluſi legati, regreſſi ſunt ad regem. Vicit uero illos calliditate ſua Dietmarus, quos ipſe dux ferro uincere non potuit Heinricus. Nam ante lucanum relictis caſtris Franci, unuſquiſq; redijt in ſua. Septimo autem anno regni ſui Chunradus rex ægrotare cœpit: ſentiensq; uocationis ſuæ tempus adeſſe, principes regni, excepto Heinrico, conuocauit, & eos ita cõuenit: Vocationis meæ tempus agnoſco, & ut cernitis, pręſto eſt, proinde pacem concordiamq; uos ſectari etiã rogo. Me hominem exeunte, nulla uos regnandi ambitio inflammet. Heinricum Saxonum Thuringorumq; ducem prudentiſſimũ regem eligite, dominumq; conſtituite: is enim eſt & ſapientia pollens, & iuſtæ ſeueritatis cenſura abundans. Quibus in hæc uerba conſentientibus, uocat fratrem ſuum Eberbardum, ſicq; alloquitur illum: Sentio frater, me diutius iſtam uitam tenere non poſſe, idcirco conſiderationem tui habeto: & quod ad te maxime reſpicit, omni Francorum regno conſulito, in eo fratris tui intendendo conſilio. Sunt nobis copiæ exercitus cõgregandi atq; ducendi: ſunt urbes & arma cũ regalibus inſignijs, & omne quod decus regium depoſcit, præter fortunam & mores. Fortuna frater cum nobiliſſimis moribus Heinrico cedit: rerum publicarũ ſumma ſecus Saxones eſt.

Hattonis practica cõtra Henricum, cũ torque aurea. Alb. K. lib. 3. cap. 1.

Aurifaber prodit dolum Archiepiſcopi.

Hatto triſtitia moritur.

Eresburg.

Vrbs Gruona.

Diethmarus.

Impoſtura Diethmari.

Conradus morti uicinus, Heinricum præficit regno.

Conradus Eberhardum fratrem mittit ad Heinricum cum inſignijs.

Sumptis igitur his inſignijs, lancea ſcilicet & armillis aureis, cũ chlamide, & ueterum gladio regum, ac diademate, ito ad Heinricum, pacemq; facito cum eo, ut eum fœderatum poſſis habere in perpetuum. Quid enim neceſſe eſt, ut cadat populus Francorum tecum coram eo? Ipſe enim uere rex erit, & imperator populorum multorum. His dictis, frater lachrymans, ſe conſentire reſpondit. Poſt hęc rex moritur, uir fortis & potens, domi militiaq; optimus, largitate ſerenus, & omnium uirtutum inſignijs clarus: ſepeliturq; in ciuitate ſua Vuilinaburg, cum mœrore ac lachrymis omnium Francorum. Vt ergo rex imperauit, Eberhardus Heinricum adijt, ſeq; cum omnibus theſauris illi tradens, pacem cum eo fecit, amicitiamq; eius promeruit, quam fideliter familiariterq; uſq; in finẽ obtinuit. De inde congregatis principibus, & natu maioribus, exercitus Francorum in loco qui dicitur Fritislare, deſignauit eum regem coram omni populo Francorum atq; Saxonum.

Alij. moritur in Vuilinaburgo; ſepelitur Fuldæ.

Heinricus in Frislaria eligitur anno 920 nec ſummus tamen pontifex conſulebatur. Blb. K.

ANNI HEINRICI I.

HEINRICVS primus, IX. Germ. Imperator. Hic dictus auceps, quòd in adoleſcentia cum pater rebus præeſſet, plurimum indulgeret aucupijs: primus ludos equeſtres, quos Thorneamenta uocãt, nobilitati Germanicæ exhibuit.

ANno Dominicæ incarnationis Dccccxx. ab urbe condita milleſimo Dclxxi. Heinricus genere Saxo, filius Ottonis ducis, lxxx. loco ab Auguſto in regnum eligitur, regnauitq; annis xvij. Hic cum non haberet gratiam Chunradi regis ſui deceſſoris, propter morum probitatem animiq; uirtutem idem rex in extremis ſuis, ut prædictum eſt, prætermiſſo fratre proprio hunc elegit: & ut ab omnibus id ageretur principibus, conſilium dedit. Cui cum unctio & diadema offerretur à ſummo pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non ſpreuit, nec tamen ſuſcepit. Satis, inquiens, mihi eſt, ut præ maioribus meis rex dicar & deſigner, diuina annuente, ueſtraq; pietate: penes meliores uero nobis unctio ac diadema ſit, tanto honore nos arbitramur indignos. Placuit iſte ſermo coram uniuerſa multitudine: & dextris in cœlum leuatis, nomen noui regis clamore ualido ſalutantes frequentabant. Hoc ordine rex factus Heinricus, perrexit cum omni comitatu ſuo ad pugnandum contra Burchardum ducem Alemanniæ, cuius filiam habuit uxorem Rudolfus Burgundio, qui poſt interfectionem Ruperti regis Galliarum, patris Hugonis ducis, fratris uero Ottonis regis, ab inimicis Caroli regis Rex eleuatus eſt, ſicut & Rupertus deceſſor eius. Burchardus uero dux, licet eſſet bellator intollerabilis, ſentiens tamen cum ualde prudens eſſet, congreſſionem regis ſe ſuſtinere non poſſe, tradidit ei ſemetipſum cum uniuerſis urbibus & populo ſuo. Eodem tempore Arnoldus dux cum uxore & filijs ab Vngaria rediens, honorifice à Baioarijs ſuſcipitur: nec ſolum ſuſcipitur, ſed etiam ut rex fiat, uehementer ab eis exoratur. Rex autem Heinricus cum inter omnes regni principes ſibi obtemperantes, Arnoldum ſolum reſiſtere cerneret, collecto exercitu præualido, Baioariam tetendit, eumq;, iuxta quoſdam, in præſidio urbis Ratiſponæ obſedit. Quod ille uidens, ſeq; regi reſiſtere non ſufficere perpendens, portis apertis egreſſus eſt ad regem, tradens ſemetipſum cum omni regno ſuo, & honorifice ſuſceptus, ab eo amicus regis appellatus eſt. Quidam uero ſcribunt quòd non paſſus ſit Arnoldus præſtolari aduentum regis in Baioaria, ſed collectis quibus potuit copijs, obuiam ei proceſſerit ad pugnam. Cumq; in eo eſſet ut bellum inire deberent, rex Heinricus, ut uir ſapiens & Deum timens, cogitans ex utraq; parte damnum irreparabile poſſe accidere, Arnoldo, ut ſolus cum ſolo loquatur, denunciat. Qui putans ſe acciri ad ſingulare certamen, ad condictum ſolus peruenit. Quem Heinricus ut erat prudens animo, & potens eloquio, prudenti ſermone alloquitur, increpans eum, cur Dei ordinationi reſiſteret, cum ſe ab omni populo electum ſciret, quod, niſi Deo diſponente, non fieret: affirmans, quia ſi populus æque illum communiter eligeret, ſe fore, qui primus in eius electione acclamaret: ſicq; copioſo dicendi genere animum eius demulcens, ad ſuos redijt. Arnoldus quoq; rediens ad ſuos, indicauit eis Heinrici ſermones. Qui dixerunt, uerum eſſe quod audirent ſapientiam per Salomonem dixiſſe, per ipſam ſcilicet reges regnare, & prudentes iuſtitiam diſcernere.

Heinricus non curat unctionem & diadema Pont. Rom.

Heinricus cõtra Burchardum ducem Alemannæ

Arnoldus ſolus cõtra ſtat Heinrico.

Prudentiſs. ſermo Heinrici ad Arnoldũ

Neq

Neqꝫ enim in eius electione totius populi animum fieri unum, niſi hunc à Deo
conſtaret electum: unde ſibi æquũ bonumq́ uideri, ut à cæteris non diſſentiens,
hunc regem eligeret, ea tamen conditione, ſi ſibi hoc quod deceſſores eius non
habuere concederet, ſcilicet, ut totius Baioariæ pontifices ſuę poteſtati ſubiace-
rent: unoq́ defuncto, alterum ſibi ordinare liceret. Conniuens igitur huic ſuorũ
conſilio, miles Heinrici efficitur, & ab eo ut dictum eſt, conceſſis ſibi totius Baio-
ariæ pontificibus honoratur. Hic eſt Arnoldus ille, ſuper cuius denotatione ſan-
cto Vdalrico epiſcopo, ut in libro geſtorum legitur, oſtenſus eſt gladius ſine ca-
pulo, qui rex fieri fruſtra cupiens, inuaſor regni extitit: & pro hac ambitione de-
ſtructis eccleſijs, earum redditus militibus ſuis in beneficium conceſſit. Rex au-
tem Heinricus de die in diem proficiens & creſcens, robuſtior & clarior habe-
batur. Cum regnum ab anteceſſoribus ſuis ex omni parte confuſum ciuilibus
bellis & externis colligeret, pacificaret, & adunaret, ſigna mouit cõtra Galliam
& Lotharij regnum. Lotharius autem erat primogenitus filius Ludouici impe-
ratoris, à Magno Carolo nati. Huic erãt fratres, Pipinus, Carolus & Ludouicus.
Sub his fratribus bellum famoſum factum eſt in Phontinich, antequam diuiſio
regni fieret. Facta autem diuiſione, Pipino ceſſit Hiſpania, Carolo regnum Aqui
taniæ & Vuaſconiæ, ab Occidente habens terminum Barcelonam Hiſpaniæ ur
bem, ab Aquilone Britannicum mare, ad Meridiem iuga alpium, ad Orientem
Maſam fluuium. Inter Maſam uero fluuium & Rhenum, Lothario regnũ ceſſit
cum Italia, quam uiuente patre regendam accepit. A Rheno uſqꝫ ad fines Illyrici
& Pannoniæ, Odoram quoqꝫ fluuium, & terminos Danorum Germania tota
Ludouici regnum erat. Hęc diuiſio inter eos facta, inuiolabiliter permanſit, quo
uſqꝫ iure hæreditario hæc regna omnia cederent Carolo ſimplici, Ludouici filio,
qui erat filius Caroli cognomento Calui. Ad hunc itaqꝫ Carolum, cui diximus
regna ceſſiſſe per hæreditatem, quidam uir nomine Otto ex Orientalibus Fran
cis uenit, & ab eo ſuſceptus, cum eſſet uir fortis & prudens, egit conſilio ſuo, ut
cum Danis pugnaretur, qui iam multis annis Lotharij regnũ uexabant. Cumqꝫ
pugnaretur cum eis, una die ex eis centum millia cæſa referuntur. Ex hoc ille Ot
to clarus & inſignis habebatur, & à rege ſecundus, cum ad eum ueniret, uno tan
tum ſeruulo comite contentus. Moriens autem Carolus, rogauit Ottonem be-
neficij ſui memorem fore, ut miſericordiam ſibi præſtitam à ſe, filio ſuo ſi naſce-
retur, non negaret: nam filius ei nondum erat, ſed regina pręgnans adhuc fuit
ſecundum quoſdam: alij uero dicunt, quod iam ferè biennis fuerit filius. Mor-
tuo autem Carolo, Otto filium eius & regno pariter & nomine paterno decla-
rauit. Sed Arnolfus imperator qui Carolum ſenioré de Germania expulit, poſt
mortem eius omne regnum ipſius ſibi uendicauit. Huic Otto & diadema & ſce-
ptrum, & cætera regalia ornamenta obtulit, regnumq́ domini ſui gratia impera
toris Arnolfi obtinuit, & hoc iuxta quorundam relationem. Alij uero dicunt cũ
propter infantiam pueri principes nimia rerũ cupidine ſeſe præire contéderint,
resq́ ſuas prout quiſqꝫ poterat, dilatauerint, nemo uero regis profectum, nemo
regni tutelam quæſierit, hocq́ cernentes hoſtes, regnum undiqꝫ incurſauerint,
principes tandem pro hoc doluiſſe, conuenientesq́ in unum, quia puer adhuc
uix triennis erat, Ottonem propter ſapientiam & fortitudiné ſuam ad tuendum
regnum delegiſſe, non ut deſertores, ſed uelut hoſtium incurſum dedignantes.
Sed quia Otto dicitur regnũ ipſum ab Arnolfo imperatore obtinuiſſe, inde uſqꝫ
hodie certamé eſt de regno ſtirpis Caroli, & poſteris Ottonis: concertatio quoqꝫ
regibus Carolingorum, & orientalium Francorum, ſuper regno Lotharij. Ob
quod & Heinricus rex mouit caſtra contra Carolum, cum iam quindennis ſubli
maretur in regnum, eiusq́ ſępius fudit exercitum, iuuitqꝫ fortuna fortem uirum.
Ottone autem decimo anno regni ſui defuncto, Galliarum principes animo &
ſacramento annexi ſunt Carolo, necnon & Rupertus Ottonis regis defuncti fra
ter, induſtrius ſeſe illi ſubdidit, quem ille ducem Gallię Celticæ præfecit. Cumqꝫ
iam ferè totum colligeret regnum, cœpit quendam Haganonem ex mediocri-
bus extollere, & ſupra omnes principes diligere, adeo ut magnatibus quibuſqꝫ

Pontifices Bauariæ, principi Bauaro ſubiaceant.

Arnoldi uiſio gladius ſine capulo.

Bellum famoſum in Phontiniche, de quo ſupra in annis regni Ludouici.

Diuiſio regni compendiaria.

Otto uenit ad Carolum, fit ſecundus à rege.

Arnolfus imperator Carolum ſeniorem de Germania expulit.

Certamen de regno ſtirpis Caroli, & poſteris Ottonis.

Rupertus Ottonis frater dux Galliæ Celticæ.

procul abſiſtentibus, ipſe regio lateri ſolus hereret, multaq́; regij iuris ad ſuum ius torqueret. Vnde primates indignati, cum nullatenus poſſent eum ab illius dilectione auertere, quærebant illum de regno abijcere. Multa itaque aduerſus eum moliti, ad ultimum conuenerunt. Rupertumq́; ducem, fratrem Ottonis, regem conſtituerunt. Aduerſus quem dum Carolus bellum præpararet, & in pugnam conuenirent, occiſus eſt Rupertus, & ex parte eius xi. millia ccxlix. ex parte uero Caroli vij. millia cxviij. Hugo uero filius Ruperti, adhuc adoleſcens, egit apud quoſcunq; potuit, maximeq́; apud Heribertum cognatum ſuum, qui erat unus ex magnatibus, ut in deiectioné Caroli loco patris ſui alius rex crearetur: ſeipſum uero promoueri nolebat, quia patris interfectio illud diſſuadebat. Igitur conuocatis principibus, Rudolfum, Richardi Burgundionis filium, ſatis eo reclamante, regem conſtituunt, uirum ſtrenuum, & liberalibus artibus eruditum, qui, ut ſupra dictum eſt, Burchardi ducis Alemanniæ filiam, nomine Bertham ſibi copulauit: quiq́; poſt ab Italicis aduerſus Berengarium ſeniorem uocatus, illo interfecto, regnum Italiæ aliquandiu tenuit, donec ſocero ſuo in auxilium contra eoſdem ſibi denuo reſiſtétes uocato, ibidemq́; ab eis interfecto, Italiam reliquit, & Burgundiam reuiſit. Hugo uero comes Arelatenſium ab Italis uocatus, regnũ accepit, in quo filium ex uxore ſua nomine Alda, de Oſtrofrancorum ſtirpe procreauit, quẽ & Lothariũ uocauit, adultumq́; regẽ fecit: ſed ambobus poſtea pulſis, Berengarius (qui poſtea Babenberg deportatus ibi defunctus eſt) regnauit.

Bellum Caroli & Ruperti.

Rudolfus Richardi Burgundi filius, rex conſtituitur.

Rudolfo autem, ut dictum eſt, in regnum Caroli ſublimato, Heribertus prædictus conſilio Hugonis cognati ſui filij Ruperti, Carolum dolo cepit, eumq́; in cuſtodiam poſuit, in qua & uitam finiuit. Habuit autem filium nomine Ludouicum, ex ſorore Adelſtani regis Britannorum, quem in perturbationis ſuæ procella tranſmiſit ad eundem auunculum ſuum: unde poſt mortem Rudolfi regis, conſilio Hugonis cognati reductus, regnum patris recepit, cui tamen idem Hugo dux poſtea rebellauit. Heinricus autem rex audiens caſum Caroli, dolebat, humanæq́; mutabilitatis cõmunem admiratus eſt fortunam, iudicauitq́; abſtinere quidem ab armis, uerum potius arte ſuperandos putauit Lotharingos, quia gens uaria erat, & artibus aſueta, bellis prompta, mobiliſq́; ad rerum nouitates.

Forte arcibus.

Erat eo tempore quidam de Lotharingis, nomine Chriſtianus, qui uidens regi Heinrico cuncta proſpere cedere, quęſiuit quomodo apud eum maiori honoraretur gratia: & ſimulata infirmitate, uocauit ad ſe Giſilbertum, cui principatus regionis paterna ſucceſſione ceſſit, eumq́; uenientem arte cepit, & ſub cuſtodia regi Heinrico tranſmiſit. Erat autem Giſilbertus nobili genere, ac familia antiqua natus. Quem rex ſatis lætus ſuſcepit, quia per ipſum ſolum totum Lotharij regnum ſe habiturum arbitratus eſt. Deinde uidens adoleſcentem ualde induſtrium, genere ac poteſtate diuitijſq́; clarum, liberaliter cœpit habere: ac poſtremo deſponſata ſibi filia ſua nomine Gerbirga, affinitate pariter & amicitia iunxit eũ ſibi ſublegato & omni Lotharij regno. Et hoc iuxta deſcriptioné cuiuſdam Vuitikindi monachi Corbienſis, de origine Saxonum & regum horum geſtis, ſcribentis.

Hiſtoria de Chriſtiano Lotharingo. Vide Vuitichindum lib. 15.

Giſelbertus capitur.

Gerbirga.

Vuitichindus de origine Saxonum.

Eſt autem alius quidam Hiſtoriographus, tempora Caroli huius, cuius memoriam præ manibus habemus, ſuorumq́; ſucceſſorum dirigens, qui ſcribit eundem Giſelbertum, filiam Heinrici duxiſſe priuſquàm rex fieret, dum adhuc ducatum adminiſtraſſet, ipſumq́; Heinricum à Carolo ducatum Saxonicum accepiſſe, & eum ac Ruperto, qui poſtea rex factus eſt, inter principes qui à rege propter Haganonem, ut prædictum eſt, defecerant, primos fuiſſe. Sic enim dixit: Gallia Celtica Ruperto collata, Carolus Saxoniam ſecedit. Cuius urbes ſedesq; regias perluſtrans nullo reſiſtente obtinuit. Ibi quoq; Heinricum regio genere in clytum, ac inde oriundum ducem omnibus donat. Et poſt pauca: Interea Galliarum urbibus ac oppidis firmiter obtentis, cum paſchalis ſolennitas immineret, Aquiſgrani palatio ſeſe rex recepit. Huc ex omni Gallia principes confluunt: huc etiam mediocres multo fauore ueniunt: adſunt & duces, ex Saxonia quidem Heinricus, ex Gallia Rupertus. Quotidie ſecus fores regij cubiculi manent: quotidie

Aquiſgrani cõuentus

quotidie egreſſum regis à penetralibus aulæ prętolantur. Cum uerò nullum eis à rege reſpõſum per dies quatuor dareť, Heinricusid moleſtiſſime ferens, dixiſſe fertur, aut Haganonem quandoq; cum Carolo regnaturum, aut Carolum cum Haganone ad rerum mediocritatem deuenturũ, indignansq; inconſulto diſceſſit. Quod rex moleſte ferens, eum reuocare cupiebat, & pro hac re metropolitanum Remenſium Herineum dirigebat. Cuius luculenta & amica oratione perſuaſus dux Heinricus, ad regem redit, multoq; ambitionis honore ante eum admiſſus, in pręcipuo gratiæ loco familiariſſime recipitur.

Regẽherus moritur

Hac tempeſtate Regenherus uir nobilis, partiũ Caroli fidiſſimus tutor, finem uitæ accepit, cuius exequijs Carolus interfuit: hiſq; peractis, Giſiberto eius filio iam adulto, paternum honorem coram principibus, qui confluxerant, liberaliſſime contulit. Hic cũ eſſet opibus & genere inclytus, & coniugio Gerbirgæ Heinrici tranſrhenenſis filiæ, ſatis beatus, in nimiam præ inſolentia temeritatem præceps ferebatur, multaq; pro abiectione regis moliebatur. Quo agnito Carolus à Celtica cum exercitu rediens, cum bellum pararet inferre Belgis, quorũ dux erat Giſilbertus, Belgæ mox non in aperto cum Giſilberto niſi ſunt reſiſtere, ſed oppidis ac municipijs ſeſe recludunt propere. Ad quos rex legatos dirigens, promiſit eis ſe omnia donaturum, ſi ad ſe confluerent, quæ à Giſilberto prius in beneficio haberent. Quo capti mox ad regem per Sacraméta redeunt, & contra Giſilbertum pariter conſurgunt. Ille uero in oppido Harburg, quod hinc Moſa, & inde Gullo fluuijs uallatur, aliàs autem immani hiatu, multoq; horrore ueprium tutiſſimum uidebatur, cum paucis tũc claudebatur. Huc rex cum copijs properat obſidionem locat hinc & inde naualem, aliàs uero equeſtrem. Et cum uiolentius inſtaret, Giſilbertus clam per murum dilapſus, fluuium enatando tranſmeauit, & cum duobus clientibus Rhenum, exulaturus, pertranſiens, annis aliquot apud ſocerum ſuum Heinricum patrimonio priuatus, exulauit. Oppidani uero abſq; duce relicti, ſe ſubdiderant regi. Euoluto autem tempore, Heinricus egit apud regem, ut Giſilbertus reciperetur in gratiam: ea tamen conditione, ut beneficijs, quæ ipſe inſolenter deduxerat, quæq; rex fauentibus ſibi poſtea contulerat, quàmdiu poſſeſſores eorum uiuerent, careret, ea uero, quorum poſſeſſores per annos exilij ſui exceſſerant, regis miſeratione reciperet. Recepit itaq; Traiectum, Iupilam, Harſtalium, Marſnam, Littam, Capremontem, quæ à defunctis derelicta uacabant, cæteros uero qui ſua habebant, ingenti cęde uexabat, donec omnia ſua recipiebat. Poſtea multa contra regem machinans, ſocerum adijt, ac plurimum regi adhærere diſſuaſit, Celticam ſolam regi ſufficere poſſe aſſerens, Belgicam uero atq; Germaniam rege alio plurimum indigere, unde ut ipſe dux Heinricus creari rex nõ abnueret, multiplici permouebat ſuaſione. Heinricus uero cum illicita eum ſuadere aduerteret, dictis ſuadentis admodum reſtitit, & ut à nefarijs quieſceret, crebro admonuit. Giſilbertus uero cum apud ſocerũ non proficeret, nec regnum ſibi parare poſſet, in Celticam ſecedit, & in Neuſtriã tranſit, ſicq; cum Ruperto Ottonis regis fratre, qui erat dux Celticæ, de negotio eodem conſilium pertractat, ſuggerens ei de regni ſuſceptione, & Caroli abiectione. Exultat tyrannus, & ſine mora ſuadenti fauet. Deliberant ergo, ſibiq; per Sacramenta conſentiunt, ſicq; procedenti tempore collectis principibus rex efficitur, anno Dominicæ incarnationis Dccccxxij. Hæc ſunt uerba illius Gallici hiſtoriographi, quæ ſi in aliquo à præcedentibus Saxonici ſcriptoris dictis diſſentiant, lectoris diligentia perpendat. Annus uero in quo Rupertus in regnum eleuatus dicitur, ille eſt qui apud nos Heinrici tertius in regno inſcribitur. Rupertus poſt hæc à militibus Caroli interficitur, ſed Rudolphus, ut dictum eſt, ſubrogatur. Deinde Carolus captus, cuſtodia mancipatur.

Carolus contra Giſilbertum.

Harburg inter Moſam & Gullam flumina.

Giſilbertus in Celticam & Neuſtriam ſecedit.

Verba Gallici hiſtoriographi.

Illud autem tempus erat, quo ut ſupra ſcriptum eſt, Heinricus ad dilatandum imperiũ ſuum ſuper Lotharingos tendebat. Nam in ipſa profectione, ubi Rhenum tranſijt, legatus Caroli ei occurrit, & ſalutato eo uerbis humilimis: Dominus meus, inquit, Carolus, regia quondam poteſtate pręditus, modo priuatus, miſit me ad te, demandans tibi, quia ſibi ab inimicis circũuento, nihil iocũdius,

Legatus Caroli ad Heinricum cum brachio S. Dionyſij.

nihil poſſit eſſe dulcius, quàm de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, famaq; uirtutum tuarum conſolari, & hoc tibi ſignum fidei & ueritatis tranſmiſit, protulitq; de ſinu manum precioſi martyris Dionyſij, auro, gemmiſq; incluſam, hoc inquiens habeto pignus fœderis perpetui, & amoris uicarij, hanc partẽ unici ſolatij Francorum, Galliam inhabitantium, poſtq̃ nos ſanctus martyr ad noſtram perniciem deſeruit, & ad noſtram perpetuam pacem Saxoniam uiſitauit, communicare tecum maluit. Neq; enim poſtq̃ corpus eius translatum eſt, à nobis ciuilia uel externa ceſſauere bella. Eodem quippe anno Dani & Nortmanni regionem noſtram inuaſerunt. Rex autem diuinum munus omni gratiarum

Vitus de Roma translatus.

actione ſuſcipiens, reliquijs ſanctis proſternitur, & deoſculans eas ſumma ueneratione ueneratur. Sanctum uero Vitum, de quo legatus Caroli diſſeruit, Folradus quidam nomine, de Roma tranſtulit, & in pago Pariſiaco locauit, inde regnante Ludeuuico Imperatore, translatæ ſunt in Saxoniã, & ut legatus ille conſeſſus eſt, ex hoc res Francorum ceperunt minui, Saxonum dilatari.

Lancea Cõſtãtini à Rodolpho Burgundionum rege obtenta.

Burgundionum rex Rudolphus, qui nonnullis annis Italicis imperabat, lanceam quandã ibi à Samſone quodam comite dono acceperat, quã Conſtantini Magni ſanctæ Helenæ filij fuiſſe dicebant, quæ excepta cæterarum ſpecie lancearũ, nouo quodammodo opere, nouaq; elaborata arte & figura, iuxta mediam ſpinam habuit, utrobiq; quaſi feneſtram, & in media ſpina cruces ex clauis, manibus & pedibus ſaluatoris noſtri domini Ieſu Chriſti affixis. Heinricus itaq; rex audiens Rudolphum tam cœleſte donũ habere, ut erat Deum timens, totiuſq; religionis amator,, legatis directis tentauit, ſi pręmijs aliquibus poſſet illud acquirere. Quod cũ Rudolphus modis omnibus ſe nunq̃ acturum diceret, rex Heinricus, quia hunc

Ozelus.

muneribus mollire nequiuerat, minis terrere magnopere curabat, omne quippe regnum eius cęde atq; incendijs ſe depopulaturum eſſe minitabat. Quia uero munus quod petebatur, illud erat, quod cœleſtibus terrena coniunxerat, Rudolphi regis cor, Deus emolliuit, iuſtoq; regi iuſta iuſte petenti, protinus tradidit. Neq; enim pace præſente, ſimultati locus erat. Quanto autem amore rex Heinricus prædictum cœleſte munus dilexerit, cum in multis rebus, tum in hoc pręſertim claruit, ꝙ huius datorem non ſolum auri argentiq; muneribus, uerum etiam Sueuorum prouinciæ, parte nõ minima honorauit.

Henricus lanceã Ottoni magno filio reliquit.

Hac igitur occaſione, immo Dei uoluntate, ſanctam rex Heinricus adeptus eſt lanceam, per quam ipſe de hoſtibus ſępe triumphauit, eamq; filio ſuo Ottoni Magno decedens, cum regno reliquit, eamq; credimus eſſe, quæ ex tunc hodieq; in Imperatorum tutela ſolet manere.

Vngari uaſtant Saxoniam.

Vngarij audientes Chunradi Imperatoris mortem, & Heinrici in regnum ſucceſſionem, probare uolentes an nouus rex ſolita uellet tributa perſoluere, totam Saxoniam percurrentes, urbes & oppida incendio dedere, tantamq; cędem ubiq; fecerunt, ut depopulationem ultimam comminarent. Rex autem erat in præſidio urbis, quæ dicitur Vuerlahon, rudiq; ad huc militi & publico bello inſueto, contra tam ſęuam gentem non credebat.

Contigit autem quendam ex Principibus Vngariorũ capi, uinctumq; regi adduci, quem ipſi in tantum dilexerant, ut innumera auri & argenti pro eo pondera offerrent. Rex autem ſpernens aurum, expoſtulat pacem, tandem ad nouem annos obtinuit firmam pacis conditionem. In quibus inducijs primum ex agrarijs militibus nonum quenq; eligens, in urbibus habitare fecit, ut cęteris octo cũ familiaribus ſuis habitacula conſtrueret, frugumq; omnium tertiam partem exciperet ac ſeruaret, cęteri uero octo ſeminarent & meterent, frugeſq; nono colligerent, ſuiſq; in locis ponerent, concilia & omnes conuẽtus ac conuiuia in urbibus celebrari uoluit, quatenus in pace diſcerent, quid in hoſtium aduentu facere debuiſſent. Vilia aut nullla extra urbes erãt munia. Tali lege ac diſciplina cum ciues ſui facerent, repente irruit ſuper Sclauos qui dicuntur Heuelli, & multis eos prælijs fatigans, demum hyeme aſperrima, caſtris ſuper glaciem poſitis, urbem quæ dicitur Brennaburg, fame, ferro, & frigore cœpit, & cum illa urbe omni regione potitus, ſigna uertit contra Dalmatiam, aduerſus quam iam olim pater ſuus reliquit & militiam, & obſidens urbem, quæ dicitur Grana, uiceſimo tandem die

In pace diſcere quid in hoſtium aduentu fieri. &c.

Forte ſueſcerent.

Sclaui Heuelli.

Brennaburg.

Grana.

cœpit

cepit eam. Præda urbis militibus tradita, puberes omnes interfecti, pueri ac puellæ ſeruatæ ſunt captiuitati. Poſt hæc adijt Bragam, Boemiorũ urbem, regemq́ eius accepit in deditionem, qui erat pater Bolizlaui, qui quàmdiu uixit, regi fidelis & utilis fuit. Boemia itaq; tributaria facta, rex reuerſus eſt in Saxoniam. Igitur induciarium tempore tranſacto, legati Vngariorum pro ſolitis muneribus regem adierunt, ſed ab eo ſpreti, in terram ſuam uacui reuerſi ſunt. Cum enim haberet militem equeſtri iam prelio probatum, contra hoſtes antiquos preſumpſit inire certamen. Hæc audiẽtes Auares, nil morati cum hoſtili grauiq; manu, Saxoniam feſtinant intrare, & iter agentes per Dalmatiã, opem quaſi ab antiquis petunt amicis. Illi uero ſcientes eos ad Saxoniam feſtinare, Saxonesq; paratos cum eis pugnare, pinguiſſimum pro munere eis proijciunt canem. Et cum non eſſet iniuriam uindicãdi locus, ad aliam pugnam feſtinantibus, cum ridiculoſa ſatis uociferatione longius proſequuntur amicos. Igitur quàm repentino potuerunt impetu, intrant Thuringorum fines, illam terram hoſtiliter totam peruagantes. Rex autem Heinricus grauiſſima ualitudine detinetur, & Vngariorum ei aduentus proximus nunciatur. Qui mox directis per Saxoniam nuncijs, ualidiſſimum per quatriduum collegit exercitum, ipſeq;, licet inualidus corpore, animi tamen roboratus uigore, equum aſcendit, & obuiam hoſtibus iuit. Celer autem nuncius accurrit, qui Vngarios in Meresburg, quod caſtrum eſt in confinio Saxonum & Thuringorũ ac Sclauorũ, eſſe nunciauit, eoſq; iam non modicã puerorũ ac mulierum prędã habere, uirorũ uero imméſam ſtragé feciſſe. Rex igitur ut erat animo conſtans, talibus non terretur, ſed magis magisq; ſuos, ut pro patria pugnent, exhortatur. Nec mora bellũ incipitur, & ex Chriſtianorũ parte kyrieeleiſon dicitur: ex illorũ uero parte turpis & diabolica uox, hui, hui, hui, auditur. Inito itaq; certamine, nutu diuino Vngarij ceduntur & fugantur, rex & ſui uictoria decorantur, immenſa captiuorũ turba abſoluitur, atq; uox gemitus in lętitiæ cantũ mutatur. Hunc triumphũ tam laude q̃ memoria dignũ, rex apud Meresburg in ſuperiori cœnaculo domus regię per ζωγραφίαν notari precepit, adeo ut rem ueram potius q̃ uerisimilẽ iudices. Rex uero uictor reuerſus, modis omnibus gratiarũ actiones honori diuino, ut dignũ erat, ſoluebat: tributũq; quod hoſti dare cõſueuit, diuino cultui mancipauit, & uſibus pauperũ deſeruire cenſuit. Poſt hæc pater patriæ, & rerum dominus, imperatorq; ab exercitu appellatus, famam potentiæ uirtutisq; cunctis regibus & gentibus longe lateq; diffudit. Vnde & aliorum regnorum proceres eum adierunt, gratiamq; in conſpectu eius inuenire quęrentes, fidé talis ac tanti uiri dilexerunt. Inter quos Heribertus, gener Hugonis ducis, cum ei Rudolphus rex aduerſaretur, ut apud illum ſibi pręſidio eſſet, ſupplicauit. Ipſe enim talis erat, ut nihil negaret amicis. Perrexit igitur in Galliã rex, regem alloquitur, perfectoq; negotio, Saxoniã reuertitur. Sed & Hugo rex Italię, legatos ad eum direxit, eiuſq; amicitiam habere, ſummo ſtudio quęſiuit. Erat aũt regi Heinrico uxor & conſors regni clara nobiliſſima, nomine Mathilda, filia Theoderici, ex eadẽ Saxonũ gente, cuius fratres erãt Vuitikint, & Immod, & Reginbern. Reginbern aũt ipſe erat, qui pugnauit contra Danos, multo tempore Saxoniam uaſtantes, uicitq; eos, liberans patriam ab illorũ incurſionibus, uſq; in hodiernũ diem. Et hi erant ex ſtirpe magni ducis Vuitikindi, qui bellum potens geſſit contra Carolum Magnum, per annos ferme xxx. Genuit autem Heinrico Mathilda, ante regni ſuſceptionem filiam Gebirgam, quam Giſilberto duci Belgicę dederat, filium quoq; Ottonem mundi amorem. Poſt regiam uero dignitaté genuit ſecundum, quem patris nomine uocauit Heinricum, uirum fortem & induſtriũ, patientia ſatis ornatum, conſilio prouidũ, uultus nitore gratioſum. Tertiũ quoq; filiũ genuit, nomine Brunoné, qué pontificis ſummi, ac ducis magni officiũ uidimus gerenté. Frater quippe eius Otto, dum poſt patris exceſſum regeret imperium, hunc omni literarũ ſciẽtia imbutũ, pręſulé fecit Colonienſiũ. Factaq; dehinc nimia perturbatione in regno, ita ut etiam filius regis Luitolphus contra patrem conſentiret, prauorum conſilio, Rex Otto ad diſponendum regnum ſecedens in partes Orientis, fratri Brunoni præſuli prouidendas commiſit Occidentis.

Braga.

Bohemia tributaria facta Heinrico.

Auares inuadunt Saxones.

Pinguiſſ. canem pro munere offerre.

Vngari Mersburg inuadunt.

Exhortatio regis, ut pro patria pugnent.

Chriſtianorũ uox kyrieeleyſon. Bohemorum uox hui, hui, hui.

Heinricus pater patriæ.

Hugo rex Italiæ, legatos mittit ad Heinricũ.

Stirps Vuitikindi.

Otto mundi amor.

Bruno Epiſcopus Colonienſis & dux.

Vxor Ottonis Angla.

Ita cum magna religione uſus eſt officio ſacerdotis, & exigente neceſſitate, iuſſu regis functus eſt uirtute magnanimi ducis. Nemo autem ſuper hac re illum culpabilem dicat, cum Samuelem ſanctum & alios plures ſacerdotes pariter legamus & iudices. Duxit autem Otto filius regis uiuente adhuc patre, uxoré ex gente nobiliſſima Anglorum filiam fratris Adelſtani regis, quæ ab alijs appellatur Otgit, ab alijs Edidis. Hæc peperit ei filium, quem uocauit Lutolphū, quem ille multum dilexit, ſed ipſe ſibi poſtea rebellauit. Heinricus autem rex, cum eſſet ſedulus in exaltando gentem ſuam, rarus aut nullus nominatorum uirorum in omni Saxonia erat, quem aut prȩclaro munere, aut officio aliquo non promoueret.

Dotes Heinrici.

Erat auem ingenti prudentia pollens, forma quoq; corporis regiæ dignitati decorum adijciens. In exercitijs etiam ludi tanta eminentia omnes ſuperabat, ut terrorem cȩteris oſtētaret. In uenatione tam fuit acer, ut una uice xl. aut amplius, caperet feras. Et licet in cōuiuijs ſatis iocundus eſſet, nihil tamen regalis diſciplinæ minuebat. Tantum quippe fauorem pariter & timorem infundebat, ut etiam ludenti non crederent, ad aliquam laſciuiam ſe diſſoluendos. Perdomitis itaq; circunquaq; gentibus, poſtremo Romam proficiſci ſtatuit, ſed infirmitate correptus, iter intermiſit.

Hiemeleuna.

Infirmatus eſt autem in caſtello quod dicitur Hiemeleuna, quod eſt inter Saxonum & Thuringorum confinia, ubi & defunctus eſt.

Otto fit rex poſt Heinricum.

Cumq; ſe iam grauari morbo ſenſiſſet, conuocato omni populo, deſignauit Ottonem filium ſuum regem, cȩteris filijs ſuis prȩdia cum theſauris diſtribuens. Ipſum uero Ottonem, qui maximus natu & optimus fuit, fratribus & omni Francorum imperio prȩfecit. Et in hoc quantæ ſapientiæ fuerit & religionis, probari poteſt, qꝫ eum quem potiſſimum & religioſiſſimum nouerat, licet in imperio natus non eſſet, regem conſtituit. Teſtamento itaq; legitime facto, & rebus omnibus rite cōpoſitis, defunctus eſt anno regni ſui xvij. uitæ autem ferè lx.

Quidelinberg oppidum ab Heinrico extructum, Al. Krantz.

Translatum eſt autem corpus eius à filijs ſuis in ciuitate quæ dicitur Quidilingaburg, & in baſilica S. Petri ante altare ſepultum, cum planctu & lachrymis plurimorum.

ANNI HEINRICI.

ANno Domini Dcccccxxi. Anno domini Dcccccxxij. Rupertus frater Ottonis regis, & pater Hugonis, machinante Giſilberto duce, genero Heinrici regis, in deiectionem Caroli, regno Galliarū præponitur. Anno Dñi Dcccccxxiij Anno domini Dcccccxxiiij.

Hiltine Epiſcopus Auguſten. Vdal.

Anno domini Dcccccxxv. Hiltine Auguſtenſis Epiſcopus obijt, cui S. Vdalricus ſucceſſit. Anno domini Dcccccxxvi. Sanguis Domini in Augiam inſulam uenit à quadam matrona. Anno domini Dcccccxxvij. Burchardus dux Alemanniæ in Italia occiditur. Hermanno Alemannia cōmittitur. Anno domini Dcccccxxviij. Anno Dñi Dcccccxxix. Anno domini Dcccccxxx. Heriger archiepiſcopus moritur, pro quo Hildibertus ordinatur. Anno domini Dcccccxxxi. Heinricus rex Boemiam petijt.

Dieto Vuirtzburgenſis Epiſcopus.

Anno dñi Dcccccxxxij. Dieto Vuirciburgenſis Epiſcopus obijt. Anno domini Dcccccxxxiij. Anno Dñi Dcccccxxxiiij. Heinricus Vngarios interfecit. Anno domini Dcccccxxxv. Notingus Epiſcopus

Conradus Conſtan.

Conſtantienſis obijt, cui Chunradus ſucceſſit, genere clariſſimus. Anno domini Dcccccxxxvi. Heinricus rex obijt. Poſt Marinum papam Agapitus Romanȩ ſedi prȩfuit cxvij. dein Octauianus cxviij. Leo cxix. Benedictus cxx. Iohãnes cxxi.

HISTORIA.

OTTO primus X. Ger. Imp.

ANno Dominicæ incarnationis Dcccccxxxvij. ab urbe condita, milleſimo Dclxxxviij. OTTO Magnus Heinrici filius lxxxi loco ab Auguſto eligitur in regnū, ab omni populo Saxonum & Francorū, regnauitq; annis xxxviij. Electus eſt autem apud Aquaſgrani, ubi & mox unctus eſt in regem, à ſummo

Hildibertus ſummus Pont. Mogont. ſedis.

Pontifice Mogontinȩſedis nomine Hildiberto, genere Franco, profeſſione monacho, qui nutritus in Fuldenſi monaſterio, ad id honoris merito profectus eſt, ut pater eiuſdem loci conſtitueretur, deinde ad faſtigium ſummi Pontificatus



Mogontiacę ſedis proueheretur. Erat enim uir mirę ſanctitatis, & pręter naturalem animi ſapientiam literarum ſcientia ſatis illuſtris. Qui etiam inter cętera gratiarum dona ſpiritũ prophetiæ accepiſſe prędicatur. Rex aũt unctione benedictionis accepta, q̃ ſapientem in regni moderamine, q̃ fortem in aduerſarium certamine, q̃ ſtrenuũ in religione ſe exhibet, facile enarrari non ualet. Primum itaq; Barbaris ad nouas res moliẽdas deſęuiẽtibus, Bolizlaus fratrem ſuum percuſſit, uirum Chriſtianũ, regno fidelem, & ut ferunt, religioſum Dei cultorem. In cuius ultionem cum rex exercitũ mitteret aduerſus Bolizlaum, primo noſtri uictores extiterunt, deinde pro recenti uictoria ſecurius agentes, repentina incurſione omnes occiſi ſunt. Et bellum hoc perſeuerauit uſq; ad xv. regis imperij annum, ex eo regi fidelis ſeruus & utilis permanſit. Poſt hæc antiqui hoſtes Vngarij uenerunt probare uirtutem noui regis, & intrantes Franciam, ſtatuerunt ſi poſſent intrare ab Occidentali parte Saxoniam. Quod rex audiens, nil moratus, cum exercitu ualido occurrit illis, fugauitq; illos à terminis ſuis. Ceſſantibus autem bellis externis, ciuilia oriri cœperũt. Mortuus eſt quippe Arnoldus, dux Baioarię, & filij eius ſuperbia elati, iuſſu regis contempſerunt ire in comitatum, cuius ducatum rex dedit fratri eius Bertholdo. Mortuus eſt & Sigefridus comes optimus Saxonũ, qui ſecundus à rege procurabat Saxoniam. Cuius legationẽ cum ſibi uendicaſſet affinitatis cauſa Dankmarus frater regis ex patre non ex matre, & regali dono ceſſiſſet Geroni comiti, afflictus eſt Dankmarus triſtitia magna. Erat aũt manu promptus, acer ingenio, bellandi peritus, cuius mater filia erat materteræ Sigefridi comitis, de qua ſuſcepit eum rex Heinricus, & ditauit eum pręd ijs multis abſq; his quæ fuerant matris. Eberhardus quoq; comes iratus, contra Bruningum quendam ex primoribus, collecta manu ſuccendit ciuitatem illius uocabulo Elmeri, interfectis omnibus eiuſdem ciuitatis habitatoribus. Pro qua pręſumptione condemnauit eum centum talentis, omneſq; principes qui ad hoc eum iuuabãt dedecore canum quos portabant uſq; ad urbem regiam quæ dicitur Magedeburg. Vnde cõmotus Eberhardus, iunxit ſe Dankmaro, collectaq; ualida manu, oppugnat pręſidium, quod dicitur Badiliki, in quo erat Heinricus frater regis iuuenis adhuc, dataq; militibus ſuis præda urbis, adduxit ſecum Heinricũ quaſi uile mancipiũ. De hinc cępit Dankmarus urbem quæ dicitur Hereburg, ſeditq; in ea, & multa inde exercuit latrocinia. Rex aũt licet inuitus cum multo comitatu pertexit illuc, ad reprimendã illius inſolentiã. Ciues aũt urbis eiuſdem apertis portis, introduxerunt exercitum regis. Dankmarus uero fugiens in Eccleſiam beati Petri Apoſtoli, ſtanſq; iuxta altare depoſitis deſuper armis, à quodam per feneſtram à tergo perfoſſus eſt. Eberhardus autem Heinricum habuit ſecum. Qui audiens necem Dankmari, fractus animo proſternitur ſuo captiuo, ueniam petit, ac nequiter promeruit, ea ſcilicet conditione, ut contra dominũ & fratrẽ ſuum ſecum faceret cõiurationẽ, & ſi fieri poſſet, ipſe ſibi coronã imponeret. Heinricus uero eo tempore nimis adoleſcens erat, & regnãdi cupiditate feruebat. Eberhardus ſane Giſelbertũ Lotharingorũ ducem, regis fidelitate diſiunxerat, cuius adiutorio regi nõ modice reſiſtebat. Qui Giſelbertus quanq; ſororẽ regis haberet uxorem, maluit tñ & ipſe ſuſcipiẽdi regni ſpe regi reſiſtere, q̃ ei ut debuerat adiutorio eſſe. Habuerat aũt rex nonnullas maximas & fortiſſimas copias, Hermannũ ſcilicet Sueuorũ ducem, fratremq; eius Vtonem, atq; Chunradũ cognomine Sapientẽ. Qui q̃uis affinitatis linea Eberhardo iungerentur, maluerunt tñ iuſte, ſi neceſſitas ingrueret, cum iuſto rege occumbere, quàm cum ſanguineo iniuſte triumphare. Eberhardus itaq; haud ſecus ualuit Giſilbertum à regis fide ſeiungere, donec

Bolizlaus oppugnatur ab Ottone.

Bellum Ottonis cum Vngaris.

Ciuilia bella Arnoldo mortuo.

Danquari dotes.

Elmeri ciuitas ſuccenſa.

Dedecus portantium canes. Canes deducere illa ætate probri genus habebatur.

Hereburg à Dankmaro capitur.

Hermannus dux Sueuorũ, & Vto frater.

Chonradus cognomento ſapiens.

donec ei promitteret ſe illum regem facturum. Giſilbertus uero Heinricum hac uoluit arte decipere, ut dum ſuo adiutorio regem uinceret, ipſe regni ſolium obtineret. Verũ Eberhardus longe aliter diſpoſuerat, uoluit enim ſi regem poſſet deuincere, utroſq; regno priuare, illudq; ſibi uſurpare, ſicut ex uerbis, ipſius, quæ paulo ante, q̃ occideretur, uxori ſuæ dixerat, poſſumus conijcere. Quam dum foueret in ſinu, iocũdare inquit in gremio comitis, in breui lętatura in amplexibus regis.

Heinricus cupidus regni.

Igitur Heinricus ardens cupiditate regnandi, celebre conuiuium fecit in loco qui dicitur Salaueldon: & cum eſſet magnus ac potens, maieſtate & poteſtate regali plurimis plurima donauit; & factionis huiuſcemodi ſocios ſibi ob id plurimos conciliauit. Dein profectus in Lotharingiam, ad Giſilbertum ducem Belgicę, cum ipſo pariter & Eberhardo bellũ fratri cœpit præparare. Quod cum regi eſſet nunciatum, primum non credidit, ſed mox certificatus ècontra properat lętus, non eorum multitudine territus, ſed in Dei pietatem cõfiſus. Cumq; ad Rhenum cum ſuis perueniſſet, iamq; fluuium ſui tranſmeare cœpiſſent, Heinricus cum ſuis inſperatò, in tanta uicinitate erat, ꝙ ab his uideri iam poterat, perpauci deniq; de nauibus egreſſi, uix equos aſcendere, ſeſeq; armis induere poterant, cum legiones aduerſę non nunciantur uenientes; ſed intuitu ipſo cernuntur pręſentes. Rex aũt in altera parte fluminis, cum multitudine ad huc manens, & hæc intuens, dolorem animi motu corporis non cælabat, eo ꝙ non adeſſent naues, per quas Rhenum tranſcendere poſſet: Nec tempus ſubitanei certaminis in ulteriori ripa conſtitutos aliud ſinebat cogitare, niſi aut coram hoſtibus cadere debere, aut certe armis uitam defendere.

Oratio regis coram lancea.

Recordatus itaq; populi dominus, qui repugnantes ſibi Amalchitas orationibus Moyſi, ſerui Dei, deuicit, protinus de equo deſcendit, lacrimanſq; cum omni populo ante lanceã, in qua uictorioſi claui manibus pedibuſq; redemptoris noſtri affixi, erant incluſi, ſeſe proſtrauit: quantumq; iuſti uiri oratio (ſecundum ꝙ Iacobus ait) ualeat, res manifeſta probauit. Hi nãq; qui in ripa ulteriori erant, ſarcinas & impedimẽta quęq; in locum qui dicitur Xantus, tranſmittebant, ſeſe inuicem cohortati, hoſtes pręcipiti curſu inuadebant. Cumq; eſſet piſcina inter hos & hoſtes, Saxones diuiſi, una pars ex aduerſo ruit in hoſtes, altera inſequitur à tergo, & in medio hoſtes opprimentes, pauci uehemẽter urgebant plures. Neq; enim noſtratiũ ſupra centũ armatos fuiſſe perhibetur, hoſtiũ uero ſatis magnus erat exercitus. Sed cum fronte pariter & à tergo urgerentur, qua parte potiſſimũ cauere debuiſſent, in promptu non erat. Rege itaq; orante, cum ex ſuis nullus occumberet, hoſtes omnes in fugam conuerſi ſunt, nonnulliq; eorũ cur fugerent, ignorabãt, quoniãquidem præ paucitate hoſtes inſequentes, uidere nõ poterant.

Ex noſtris etiam fuere, qui Gallica lingua loqui ſciebant, qui clamore in altum Gallice leuato, exhortati ſunt aduerſarios ad fugam. Illi ſocios huiuſmodi clamantes arbitrati, fugam, ut clamatum eſt, inierunt. Cęſis igitur plurimis, Heinricus uehementer in brachio eſt percuſſus, & quanq; loricę triplicis fortitudo, uſq; ad carnem non admitteret enſis aciem, pondere tamen percuſſionis acerbæ, brachium adeo eſt in liuorem conuerſum, ut nullis medicorũ curis ita mederi poſſet, quin toto illo anno percurrente, dolorem magnũ ſentiret.

Teti.

Quidam ex Thuringis nomine Teti, mandauit ad pręfectos urbium, quæ erant in Oriente partis Heinrici, de uictoria regis, & quia ipſe Henricus cecidiſſet in bello, egitq; callide, ut omnes ſe traderent regię poteſtati.

Meresburg Schidingori.

Ipſi autem duæ tantum modo ex omnibus remanſerant urbes, Meresburg, & Schidingori. Qui audiens de defectione urbium ſuarum, fractuſq; recenti regis uictoria, cum nouem tantum armatis iter arripuit, Saxoniamq; iam tardius adiens, urbem Meresburg ingreſſus eſt. Quo rex comperto & ipſe reuerſus eſt, urbemq; in qua frater erat, obſedit. Ille autem cum non poſſet fortiori reſiſtere, poſt duos fermè menſes tradita urbe, egreſſus eſt ad regem. Cui datæ ſunt induciæ xxx. dierum, quatenus cum militibus ſibi cohærentibus ſecederet à Saxonia, ſi cui uero illorum regem adire placeret, ueniæ locũ haberet. Heinricus itaq; diſcedens à Saxonia, Lotharingos iterum adijt, & cum duce Giſelberto aliquandiu manſit. Iterum ducitur exercitus, cõtra Giſilbertum

& omnis

& omnis regio eius ſubiacens imperio, igni traditur, obſeſſusq́ in caſtello Kieuermont, quod eſt Capræ mons, elapſus fuga inde proficiſcitur. Et cum obſidio difficultate locorū parū pcederet, uaſtata undiq́ regiōe, reuerſus eſt in Saxoniā. Kieuermont, id eſt, mons Capræ.

Eſt autem in confinio Alſatiæ caſtellum, uocabulo Briſach, de quo omnis adiacens Pagus appellatur Briſachgouue, quod fertur olim fuiſſe illorum, qui Harelungi dicebantur. Tunc autem temporis erat in ditione Eberhardi, in quo ipſe ſuorum multitudinem poſuit militum. Quorum terrore non ſolum magnam partem præfatę prouincię ſibi uendicabat, uerumetiam circa fideles regis miſere laniabat. Ad quod obſidendum rex profectus cum caſtra poſuiſſet, conſilio, ut fertur, Friderici Mogontinæ ſedis archiepiſcopi ex pontificibus multi fixis in circuitu tentorijs, ſed noctu relictis, à fide defecerunt: deferentesq́ regem clam domum redierunt, Friderico ſubdole ibi remanente, ut fertur. Erat autem idem Fridericus ſucceſſor Hildiberti prædicti ſancti uiri, & ipſe quantum ad humanum iudicium bonis operibus deditus, niſi quod aduerſariorum domini ſui regis fauebat partibus, quod quidem fama multis commendabat, ipſe uero omni anniſu negabat. Milites uero regis conſiderantes pontificum diſceſſionem, ſuadebant ei, ut & ipſe Saxoniam repetens, hanc deſereret regionem. Quibus rex imperterritus, ut Iudas Machabæus ſuis quondā: Nolite, ait, talia loqui, & ſi appropinquauerit tempus noſtrum, moriamur omnes in uirtute, & non inferamus crimen gloriæ noſtræ: melius eſt enim pro uera iuſticia mortem ſubire, quàm fugiendo turpiter uiuere. His & alijs talibus dictis non ſolum eos à fugæ propoſito reuocauit, uerumetiam uehementer ut pugnarent animauit.

Briſach

Mons Briſiacus dictus apud Antoninū oppidum, alquando nobilium Harelungōrum:

Briſacum obſidetur ab Ottone rege. Ottonibus ſemper negocium cū monte Briſaco. Vide German. B. Rhen. lib. 3.

Comes quidam cum eo tunc erat, cuius militum multitudo regis aciem condecorabat. Hic uidens plurimorum ab rege defectionem, reputabat ſecum, nihil ſibi tunc à rege negari propter inſtantem neceſſitatem, rogauitq́ ſuis ſuorumq́ uſibus concedi abbatiam Laureſheymenſem. Rex autem intelligens quid petitio illa portenderet, ei coram omnibus ait: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Quis enim ſanum ſapiens ignorat, te hæc non humilitate petitionis, ſed comminationis autoritate dixiſſe. Scriptum eſt: Nolite ſanctum dare canibus. Quod quamuis ſpiritualiter intelligendum prædicetur, ego tamen ſanctum me canibus dare iudico, ſi monaſteriorum prædia quę à religioſis uiris tradita ſunt, Deo militantibus tulero, & ſeculo militantibus tradidero. Tibi uero tā procaciter iniuſta petenti, ſub teſtimonio totius populi, nec hoc, nec aliud unq́ te à me accepturum teſtificor. Si tibi cordi eſt cum cæteris infidelibus auolare, quanto citius, tanto melius. His ille auditis, rubore perfuſus, ad pedes regis corruit, ſeſeq́ peccaſſe coram omnibus pœnituit.

Comes petit Laureſheymenſis cœnobij prouentus.

Memorabilis uox Ottonis.

Eberhardus autē & Giſilbertus audientes regem eſſe in partibus Alſatię, collecto permagno exercitu, alueum Rheni apud Andernacum tranſeunt, regis fideles circunquaq́ demoliri procedunt. Vto ſanè frater Hermanni ducis Sueuorum, necnon & Chunradus cognomento Sapiens, ipſis in partibus erant: ſed quia eorum copiæ iſtorum copijs impares extiterant, his occurrere trepidabant. eos tamen cum ſpolijs multis redeuntes ponè ſecuti ſunt. Cumq́ paululum pro ceſſiſſent, quidā ſacerdos flens & eiulans eis obuiauit: interrogatusq́ ab eis unde ueniret, aut cur fleret: Ab iſtis, inquit, prædonibus unum paupertatis meæ ſolatium quod habui, ablatum eſt iumentum. Quem cum interrogarent, ſi Giſilbertum & Eberhardum uidiſſet, aut ubi eſſent: Cunctis, ait, cū præda Rhenum tranſmiſſis, ipſi ſoli cum ſuis electis, quod nec bene uertat, cibum capiunt. Hoc illi audientes, ſumma cum celeritate ſuper eos irruunt, moxq́ Eberhardus occiditur: Giſilbertus uero in fluentem equo proſiliens undis ſubmergitur: quas quia abſorbere non potuit, anima recedente defecit, cæterorum uero nullus aufugit, quin aut uiuus caperetur, aut gladio truncaretur. Cuius rei nuncius cū regi iuxta conſuetudinem mane ad eccleſiam, quæ longe à caſtris aberat, tendenti occurreret, mox de equo deſcendit, ſeſeq́ cum lachrymis Deo gratias agens, in orationem dedit: qua expleta, itinere cœpto ad eccleſiā pertendit. Huius tamen euentum rei Gallicus ille ſcriptor, cuius ſuperius mentionem feci, aliter narrat, dicēs:

Vto.

Chunradus Sapiens.

Eberhardus occiditur.

Giſilbertus aquis ſuffocatur.

Gallicus ſcriptor.

Ludouicus Caroli filius, qui de transmarinis partibus reuocatus, tunc regnauit
in Gallia cũ Hugone Ciſalpino principe in pago Alſatio, Belgas exteriores, qui
ad ſe nondum uenerant, aſciſcebat: & qui Ottonis partibus fauebant ultra Rhe
num fugere cõpellebat. Pręſenſerat etenim Ottonem uelle Belgicam in ſuũ ius
transfundere: unde & truculentius cõtra illum agitans, quicunq; illius uideban
tur à Belgica exturbauit: qui uero ſibi conſentiebãt, conſilio Giſilberti ducis Bel
gicæ, & Theoderici comitis, ſacramento ſibi aſtringebat. Otto uero Belgas com
periens à ſe defeciſſe, & ad Ludouicũ confluxiſſe, Rheno tranſmiſſo, Belgicam
cũ exercitu ingreditur, eiusq; loca plurima incendijs, ac ingenti præda deuaſtat.
Nitebatur enim, ac ſi ex paterna traditione princeps fieri Belgicę. Ille uero contra
ius agere calumniabatur, cũ eius pater propter Sclauorũ infeſtationẽ, Saxoniæ
tantũ quę eſt pars Germaniæ, dux conſtitutus ſit: eò quòd Carolus Ludouici pater,
cui rerũ ſumma debebatur, tũc adhuc in cunis uagiret. Multã itaq; prędam Otto
abducens, Rhenũ tranſijt. At Giſilbertus dux dedecoris iniuriã ultũ ire feſtinãs,
collecto exercitu, poſt hoſtem accelerat: tranſiensq; Rhenũ, terrã illã ſolotenus
incendijs ingentibus uaſtat, armentorũ etiã pecudumq; prędam nimiam exerci
tus congregat, & abducit. Iam uero flumen ingredi parabant, & ecce Otto ex to
ta Saxonia collectas copias accelerantibus induxit. Belgę itaq; cũ duce ſuo indu
bitanter renitentes, cũ Germanis ſecus flumen ſignis infeſtis congreſſi ſunt, & ex
utraq; parte multi fundũtur. Qua die Germanorum uictoria ęgre ſuſtentata, ta-
men enituit. Nam cum duæ tertiæ eorum fuſæ iacerent, & Giſilbertus ſuos defe-
ciſſe adeo, aduerſarios autem illęſos arbitraretur, in tanta cõfuſione rerum, fuga
periculum euadere nitebatur, in fluentumq; equo proſilijt. Qui cũ fluminis pela
gus enatare non poſſet, ui undarũ uictus, perijt, ſeſſoréq; immerſit. At Belgę inte
ritũ ducis ignorantes, totis uiribus decertabant, tantoq; egerunt robore, donec
poſt execrabilem innumerabilemq; interitum eorum qui relicti fuerant, alij cape
rentur, alij in fluuium demergerentur. Ludouicus autem Giſilbertum extinctum
comperiens, multam in eius caſu miſeratione habuit: profectusq; in Belgicam,
uxorem eius Gerbirgam, Ottonis ſororem, coniugio duxit. Hac occaſionis di-
uerſitate, uno tamen exitus fine, necem ducis uterq; ſcriptor, Gallicus ſcilicet &
Saxonicus teſtatur: penes lectorem uero erit, cui magis credatur.

Otto Belgicã uaſtat.

Giſilbertus contra Ottonem.

Paul. Aemil. lib. 3. de reb. geſtis Francorũ. Giſilbertus dũ Rheni tranſitu Ottonem arcere conatur, ipſe rapiditate altitudineq; amnis ſubmergitur. Hæc ille.

Bertholdus Baioariorũ dux Ottoni fauet.

Hoc in tempore Bertholdus Baioariorum dux, Arnoldi ducis frater, uir ſtre-
nuus, toto conamine fauebat regis partibus. Volens itaq; rex, ut quemadmodũ
tribulationis præteritæ, ita & lætitiæ præſentis fieret particeps: ſequenti ſtatim
die ut de morte aduerſariorum audiuit, quanta erga ſe Dominus fecerit, directis
nuncijs ei aperuit. Et cũ coniugali connubio minime tenebatur, in augmentum
lætitię demandauit ſub iuramento, ut ſi ſororem ſuam ſcilicet Giſilberti uiduam
poſſet habere, eam coniugio illi copularet: ſi uero hoc minus procederet, filiam
ipſius Giſilberti ex eadem ſorore ſua genitam, quam penes ſe habebat fere iam
nubilem ei iungeret. Quo audito, Bertholdus immenſo eſt gaudio affectus, ele
gitq; nondnm nubilem potius filiam expectare, quàm matrem quæ iam nupſe-
rat tollere. Fridericus igitur archiepiſcopus, ut infidelitas quam occulte geſta-
bat, cunctis pateret, decem diebus ante necem prænominatornm diſceſſit à re-
ge, Mogontiamq; concitus ueniens, nil ibi moratus, Metenſem urbem adijt.
Diſpoſuerat enim Heinricus frater regis redeuntibus Eberhardo & Giſilberto
cum eodem Friderico iſtic exercitum congregare, ſicq; regi in Alſatia manenti,
bellum maximum præparare. Cumq; illo tenderet idem archiepiſcopus, inſpe-
rato occurrentes ei nuncij, mortem iam ſępius nominatorum ei indicauerunt.
Quo audito, conſternatus animo, quid ageret ignorabat. Interea rex Alſatiam
deſerens, Franciam occupabat. Cuius metu Mogontiæ ciues perterriti, redeun-
tem archiepiſcopum intra urbis mœnia non ſuſcipiunt. Vnde factum eſt, ut non
multo poſt à quodam regis fideli captus, & in ſui præſentiam ductus, cuſtodiæ
in Saxoniam ſit traditus. In qua paruo tempore cõmoratus, miſeratione regis, ut
erat clementiſſimus, priſtinę dignitati eſt reſtitutus. Heinricus autem fratris timo
re compulſus, caſtellum Kieuermont nõ ſolum ingenijs hominum, uerumetiam

Otto relicta Alſatia, Franciam occupat.

Fridericus archiepiſcopus Mogont. excluditur à Mogontia.

natura

natura ipſa munitum ingredi uoluit,ſed ſoror eius uidua Giſilberti eum prohibuit,dicens ad eum: Non te miſeriarum mearum, quas perempto marito meo perpetior, piget,quin etiam munitionibus meis te includendo, regis iram ſuper hanc regionem uelut aquam effundas. Non patiar, nec enim tanta uecordia mihi erit innata, ut ex meis incommodis tua compares commoda. His auditis, Heinricus Lotharingos deſeruit, & in regnum Ludouici ſeceſſit. Præfecit autem rex regioni Lotharingorum Ottonem filium Richuini ut regnum procuraret, & nepotem ſuum Giſilberti filium, bonæ ſpei puerulum,nomine Heinricũ,nutriret. Heinricus autẽ frater regis dum aliud quid faceret ignoraret, aſſumptis ſecum quibuſdam epiſcopis, quorum iuuaretur auxilio, quadam die nudis pedibus ad pedes regis ipſo ignorante, peruenit, ſupplexq; miſericordiam implorauit. Cui rex ait: Indignum facinus tuum,ueniam non meretur,uerum quia uideo te humiliatum coram me, non inducam malum ſuper te. Iuſſit itaq; rex eum ad Ingeleheim proficiſci, ſolertiq; cura eũ cuſtodiri,quoad remota paululum mentis ægritudine, quid ſuper eo faceret, conſilio prudentum definiret. Poſt hæc uicina ſibi ſemper clementia, quantis urbibus illius uiſibus cõceſſis, permiſit eum in Lotharingorum regione habitare. Deinde in proceſſu temporis defuncto duce Baioariorum Bertholdo,monitu, & interceſſione ſanctæ matris ſuæ, præfecit eum regno eidem, faciens cum eo concordiam & pacem, in qua etiam fideliter permanſit in finem. Erat autem ipſe Heinricus copulatus matrimonio filię ducis Arnoldi fœminæ egregię formæ, mirabilisq; prudentiæ. Igitur cum bella inteſtina ſimul & externa ceſſarent, legesq; diuinæ & humanæ autorali uigore pollerent, grauis perſequutio monachis oritur illis diebus: affirmantibus quibuſdam pontificibus, melius uideri paucos uita claros, quam plures negligentes in monaſterijs eſſe, ideoq; oportere conuerſationes eorum per monaſteria perſpicere, & nõ bene conuerſantes abijcere, obliti niſi fallor ſententiæ patrisfamilias perhibentis, ſeruos zizania de tritico non eruere,ſed ſinere utraq; ad meſſem creſcere, ne uno incaute eradicato, damnum fieret in altero. Quod & in his factum eſt. Nam plures propriæ infirmitatis cõſcij,depoſito habitu, & relictis monaſterijs, graue onus ſacerdotum deuitabant. Fuerunt plures, qui ſummum pontificem Fridericum hoc non pure,ſed ſubdole effeciſſe arbitrati ſunt,quatenus uirum uenerabilem,regiq; fidelem Hademarum abbatem Fuldenſem, ſi quo modo poſſet, dehoneſtaret. Ipſe enim abbas uir erat magnæ prudentiæ & induſtriæ, ſub cuius temporibus Fuldenſe templum famoſum,eſt igne conſumptum,ſed ab eo in melius reſtauratum. Hic eundem epiſcopum ſecunda coniuratione culpabilem ſub cuſtodia tenuit, primum quidem honorifice: ſed cum literas ab eo ſcriptas reprehendiſſet, ſatis ſeuere. Pontifex uero dimiſſus, dum ultionem quæreret, nec contra tantum uirum præualeret, humilima monaſteria ſtatuit tentare, ſi forte ad excellentiſſima poſſet ęqualiter procedere. Sed huiuſmodi ſimulationes incaſſum profuſæ ſunt: nam abbas in gratia & amicitia regis permanſit, & cauſis intercurrentibus, pontifex quod uoluit non impleuit. Rex autẽ de die in diem proficiens, paterno regno non contentus, abijt in Burgundiam, regemq; cum regno in ſuam accepit poteſtatem. Defuncto autẽ Ottone Lotharingorum præſide, ac regis nepote Heinrico Giſilberti filio, ducatum regionis Chunrado rex conceſſit, cui unicam filiam ſuam Luidgardam deſponſauit: qui erat adoleſcens acer & fortis, domi militiaq; optimus, commilitonibus ſuis charus. Huic Luitolfus filius regis nimia dilectionis familiaritate aſtrictus eſt. Poſt hęc rex Otto cum Ludouico rege per legatorũ interuentũ conciliatur, quod eidem Ludouico poſtea multum profeciſſe probatur. Soror autem regis Gerbirga genuit Ludouico filios duos, Carolum, & Lotharium, qui & patri poſtea ſucceſſit. Ludouicus itaq; à ducibus ſuis circumuentus, primum à Rhodomenſibus, ad quos Hairoldum filium Thurmodi Baiocenſium principis fugiens, ſolus ingreſſus eſt, capitur, Haioroldo q; traditur: ſed dato minore filio obſide, dimittitur, ſtatimq; à duce Hugone captus, Lugdunum ſub cuſtodia publica eſt miſſus. His auditis, rex ſuper amici fortuna ſatis doluit, imperauitq; expeditionẽ in Galliam

Heinricus fratri regi fit ſupplex.

Heinricus in Ingelheym cuſtotitur.

Heinricus præficitur ducatui Lotharingiæ

Perſequutio grauis in monachos.

Monachalis habitus deponitur.

Hademarus abbas Fuldenſis.

Chunradus fit rex, defuncto Ottone.

Ludouicus capitur.

Forte Rothomagenſibus.

Forte Beluacenſium.

contra Hugonem in annum ſecundum. Ille annus notabilis factus eſt de morte
Edidis regina moritur.
Edidis reginæ, vij. kalend. Febr. defunctæ: quę nata ex gente Anglorum, non
minus ſanctâ religione, quàm regali potentia claruit. Decem annis regni con-
Luitolfus.
ſortia tenuit, undecimo obijt. Saxoniam uero xix. annis inhabitauit. Reliquit
Luitgarda.
filium nomine Luitolfum, omni uirtute animi & corporis, ea ætate nulli ſecun-
dum: filiam quoq; nomine Luitgardam, quę nupſerat Chunrado duci. Sepul
ta eſt autem in ciuitate Magadeburgenſi. Poſt cuius exceſſum rex omne ſtudium
transfert in filium: factoq; teſtamento, creauit eum regem poſt ſe. Ipſe autem te-
ner adhuc erat adoleſcens annorum xvi. Rex autem in Galliam proficiſcens,
Superbia Hugonis, qui dictus eſt Capetes
expeditione feſtinat intrare regnum Caroli, cauſa uindicandæ iniuriæ amici ſui
Ludouici. Quod audiens Hugo, legatione miſſa iurat per animam patris ſui,
quod tanta ſibi armorũ copia eſſet, quantam rex nunquam uidiſſet: addiditq;
contemptum loquendo uane tumideq; de Saxonibus, quia imbelles eſſent, &
Schẽinhůt.
quia facile poſſet una potione ſeptem Saxonica tela abſorbere. Ad hoc rex famo
ſum ſatis reddidit reſponſum, ſibi fore tantam multitudinem pileorũ fœnino-
Exercitus 32. legionũ cũ pileis ſtramineis. Vnde Alb. K. lib. 3. cap. 3. Krantz habet, præter Fuldenſem abbatẽ
rum, quos ei repręſentari oporteret, quantam nec ipſe, nec pater ſuus unquam ui
deret, & reuera cum eſſet magnus ualde exercitus, xxx. ſcilicet duarumq; legio-
num, non eſt inuentus, qui fœnino nõ uteretur pileo, niſi abbas Corbeius, cum
tribus ſuis ſequacibus. Dimiſſus igitur Ludouicus occurrit regi, iungiturq; cũ ſuis
eius exercitui. Occurrit eis cum magna expeditione & Chunradus rex Genau-
rorum, quem Ludouicus etiam uocauit in auxilium. Iuncti ergo pariter Lugdu-
num adeunt, ſed eam locorum aſperitate capere non ualentes, Remenſem ciui-
tatem expetunt, ubi nepos Hugonis ducis Hugo cõtra ius & fas ſubrogatus erat
epiſcopus legitimo pontifice adhuc ſuperſtite. Vrbem uero armis capientes, in-
iuſtum ſacerdotem expellunt, legitimumq; ſedi propriæ reſtituũt. Poſt tres itaq;
menſes rex Saxoniam cum incolumi exercitu redijt, omnibus quę armis exqui-
ſita ſunt Ludouico regi relictis. Hugo aũt expertus potentiam regis, Saxonumq;
uirtutem, non paſſus eſt eos ultra terminos ſuos hoſtiliter intrare: ſed anno ſe-
quenti in eandem expeditionem regi pergenti occurrit, iuxta fluuium qui dici-
tur Kar, & iuxta imperium regis, cum domino ſuo Ludouico pactum inijt, ma-
nus dedit, ultilisq; perinde manſit. Concurrentibus autem undiq; ad regem pro
Herimannus dux Sueuorum, petit Luitolfum Ottonis filium adoptare.
ceribus, uenit & uir ditiſſimus Sueuorum dux Herimannus, qui poſt congratu-
lationis affabilitatem, talibus eſt regem aggreſſus ſermonibus: Non clam domi
no meo eſt, me prædiorum latitudine, ac pecuniarum uniuerſitate prædiuitem,
abſq; liberis eſſe, nec eſt præter unicam filiam meam paruulam, qui mearum re-
rum hæres exiſtat, me excedente. Placeat itaq; tibi domino meo regi filiũ tuum
Luitolfum mihi adoptare in filium, quatenus unicæ filiæ meæ coniugio copu-
latus, mearum rerum fiat hæreditate magnificus. Placuit regi conſilium du-
cis, & quod popoſcit, ſine dilatione compleuit. In breui poſt hæc ſocer mori-
tur, cum ducatu, omni poſſeſſione derelicta genero. Qui accepta poteſtate, ani
Luitolfus in Italiam.
mum tranquillum quem in puero geſſit, exuit: armatumq; militem in Italiam
ducens, aliquantis ibi urbibus captis, & ſub cuſtodiã traditis, redit in Franciam.

Berengarius auarus homo regnat in Italia
Eo tempore uſurpato imperio, regnauit in Longobardia homo ferus & aua-
rus, & qui omnem iuſticiam pecunia uenderet, Berengarius: qui ad eundem re-
gem Ottonem quondam uenit, Hugonem regem Italiæ fugiens, benigneq; ab
eo tractatus, cum multam pecuniam Hugo pro eo dare uellet, non eſt redditus.
Hic cum poſtea depulſo Hugone regnaret, ueritus uirtutem ſingularis pruden-
tiæ reginæ Adelheidis, à Lothario Hugonis filio relictæ, in multis eam adflixit,
quo tanti decus ſplendoris aut extingueret, aut certe obſcuraret. Hæc autem filia
fuit Rudolfi regis Burgundionum, & in Italia regnauit, & dominæ Berthæ regi
næ Burchardi Alemannorum ducis filię, quam defuncto Rudolfo, rex Hugo in
coniugium duxit, filiamq; illius filio ſuo Lothario copulauit.

Otto cõtra Bolizlaũ regem Bohemorum.
Illo in tempore proficiſcitur rex in militiã contra Bolizlaum regẽ Boemorum
& cum capienda eſſet urbs, quæ dicebatur Noua, in qua clauſus obſidebatur Bo
lizlai filius, prudẽti rex conſilio diremit pręliũ, ne miles in capiẽdis hoſtiũ ſpolijs
aliquod

aliquod incideret periculum. Conſiderata itaq; uirtute regis,& innumera exercitus multitudine, Bolizlaus egreſſus urbe, maluit tantæ maieſtati ſubijci, quàm ultimam perniciem pati. Sub ſignis igitur ſtans, & regem audiens, reſponſaq; reddens, ueniam tandem promeruit. Inde rex plena uictoria glorioſus factus, in Saxoniam eſt regreſſus. Cumq; uirtus præfatę reginæ illum non lateret, ſimulato itinere Romam proficiſci ſtatuit. Et ubi Longobardiam intrauit, amorem reginæ prædictæ muneribus ſuper ſe probare tentauit. Quo fideliter petito, in coniugium ſibi eam ſociauit, & cum ea urbem Papiam, quæ ſedes eſt regni, obtinuit. Quod audiens filius eius Luitolfus, triſtis ab eo diſceſſit: profectusq; in Saxoniam, aliquandiu moratus eſt in loco conſilijs funeſto Salaueldon. Rex uero in Italia celebratis iuxta regalem magnificentiam nuptijs, proficiſcitur inde cum noui matrimonij claritate, acturus proximum paſcha in Saxonia. Perſuaſus quoq; rex Berengarius à Chunrado duce, cui Papia cum preſidio militari relicta erat cuſtodienda, regem ſubſecutus eſt in Germaniam, pacem cum eo facturus, & per omnia iuſſis eius obtemperaturus. Qui regiam ueniens ad urbem, iuſſus eſt in hoſpitio ſibi parato manere: neq; enim faciẽ regis per triduum promeruit uidere. Quod ægre tulit Chunradus, qui eũ adduxerat, pariterq; Luitolfus filius regis, qui unum cum eo ſentiebat. Poſt hęc rex regem alloquitur, & in gratiam regis ac reginæ ſuſceptus, deditionis ſponſionem dat, fœderisq; ſponte ei diem locumq; urbem Auguſtam deſignat. Vbi cum conuentus fieret, Berengarius manus filij ſui Adelberti manibus ſuis implicans, coram omni exercitu famulatui regis cum filio ſe ſubiugauit, & ita dimiſſus cũ gratia & pace in Italiam remeauit. Ibi miræ magnitudinis lapis tonitru ac tempeſtate iactus de cœlo, ingens miraculum multis præbuit. Nati ſunt autem regi filij ex ſereniſſima regina, primogenitus Heinricus, Secũdus Bruno, Tertius paterni nominis maieſtate deſignatus, quem iam tum poſt patrem dominũ ac patrem ſperabat orbis uniuerſus: filiam quoq; ſanctæ matris uocabulo inſignitam. Luitolfus autem filius regis, & Chunradus gener ipſius, noua quædam moliuntur cõtra regem. Quod cum eum non lateret, circa Kal. Iunij moto exercitu contra eos, obuias urbes partis aduerſæ, aut armis, aut deditione cepit, quouſq; Mogontiam perueniret, quã filius iam cum exercitu intrauit, patremq;, dictu miſerabile, armatus expectauit. Ibi plus quàm ciuile, omniq; calamitate acerbius bellum cœptum eſt: machinæ multæ muris admotę, ſed ab urbanis deſtructæ ſunt uel incenſæ: crebræ ante portas pugnæ, raro forinſecus ſtationes fuſæ. Cunctando enim res uariabant, dum dominatorem regni foris, intus ſucceſſorem timebant. Obſidio itaq; dum ſexaginta ferme dies excederet, ſermo fit de pace: unde datur obſes in urbẽ, conſobrinus regis Ekbertus, quo liber in caſtra illis pateret acceſſus. Filius cum genero caſtra ingreſſi, regalibus ueſtigijs proſternuntur, ſpondentes pro ſcelere omnia ſe paſſuros, ut auxiliarij tantum amici nihil mali paterentur. Rex autem non inueniens quomodo meritas pœnas filio inferret, fautores inſidiatũ expoſtulat. Illi autem iuramentis uicarijs obligati, & quodammodo arte antiqui hoſtis conſtricti, hoc omnino negabant, ſicq; infecta re, in urbem redibant. Ekbertus autem, qui obſes datus erat in urbẽ, ſuaſilibus uerbis regi fit aduerſus, cũ & antea propter correptiones eius illi fuiſſet iratus. Sequenti igitur nocte, Baioarij comites Heinrici fratris regis, relicto eo, iuncti ſunt Luitolfo, cũ quibus ipſe pergens, urbẽ regiam Ratiſponam cepit, cũ cæteris in ea regione munitiſſimis, omnemq; pecuniam ducis Heinrici ſuis militibus diuiſit: coniugem eius cum filijs & amicis non ſolum urbe, ſed & regione excedere coegit. Hæc omnia fiebant conſilio Arnoldi iunioris, fratrumq; ſuorum, eò quod ipſe Heinricus paternum haberet ducatum. Rex uero filium ſubſequens, urbem Ratiſponam obſidione circundedit: ſed cum multitudo machinas urbi applicari nõ ſineret, ſatis dure interdum ab utriſq; pugnatum eſt pro muris. Vrbani crebris attriti prælijs, fame quoq; periclitari cœperunt. Vnde Luitolfus urbe egreſſus, cum principalibus uiris pacem poſtulat, ſed non impetrat, quia patri obedientiam negat. Reuerſus uero in urbem, portam orientalem obſidentem armis comperit Geronem, tot uictorijs,

Salueldia locus qui rationi ſolitus.

Auguſtæ conuentus.

Lapis miræ magnitudinis.

Filij Ottonis Heinricus, Bruno, et Otto.

Filius contra patrem

Mogontia 60. diebus obſeſſa.

Ratiſpona à Luitolfo & ſocijs capitur.

Alb. Kr. lib. 4. c. 9.

Gero comes tot uicto rijs quot pugnis clarus.

quot prælijs clarum. A tertia igitur hora uſq; in nonam, cum acriter pugnaretur ante portam urbis, equo cadente, aſcenſor Arnoldus armis exutus, ilicoq; telis perfoſſus, occubuit. Poſt biduum à muliere famem urbis fugiente, mors illius notificatur, dum antea neſciretur. Cuius morte urbani ſatis conſternati, iam de pace tractabant. Proinde interuentu principum Luitolfus iterum de urbe progreſſus, dum menſe integro et dimidio obſideretur, pacem obtinuit, uſq; ad con

Friſlariæ conuentus.

dictum diem, dum de his cauſis dijudicaretur, locusq; cōcilij apud Friteslari notabatur. Rex inde in patriam reuerſus eſt: Heinricus uero nouam urbē obtinuit.

Ratiſpona exuſta.

Ratiſpona proxima nocte penè tota exuſta eſt. Poſt hæc exercitandi gratia cum rex uenationem ageret, in loco qui dicitur Suueldon, filius patri nudatis plan-

Luitolfus nudatis plātis patri ſupplex.

tis proſternitur, intima tactus pœnitentia, patris primum, deinde omnium præſentium mouebat lachrymas. Amore itaq; paterno ſuſceptus in gratiam, ſpondet ſe obtemperaturum omni paternæ uoluntati. Interea ſummus pontifex Fri-

Fridericus Mogontinenſis epiſcopus ægrotat.

dericus ægrotare nunciatur, propter regis placitum modice differtur. Defuncto pontifice, uniuerſalis conuentus populi celebratur. Mogontia poſt annum dimidiū cum omni Francia regi traditur. Filius & gener in gratiā ſuſcepti ſunt, qua

Alb. adijcit, Germanicam dico.

& in finē fideliter uſi ſunt. Rex ingreſſus Saxoniā circa kalen. Iul. obuios habuit legatos Vngariorum, tanquam ob antiquam fidem & gratiam eum uiſitantes: reuera autem, ut quibuſdam uidebatur, euentū belli ciuilis conſiderantes. Quos cum ſecū aliquantis diebus retinuiſſet, & aliquibus munuſculis donatos in pace remiſiſſet, audiuit à nuncijs fratris ducis ſcilicet Baioariorum, quia ecce Vngarij diffuſi inuadunt terminos tuos, ſtatuuntq; tecum inire pugnam. His auditis quaſi nihil laboris præterito anno toleraſſet, cœpit ire contra hoſtes, ſumptis ſecum paucis admodum ex Saxonibus, eò quod iam bellum Sclauonicū urgeret.

Caſtra Auguſtæ contra Vngaros.

Caſtris igitur poſitis in Auguſtæ urbis confinijs, Francorū & Baioariorum multitudo ei occurrit. Cum ualido quoq; uenit equitatu in caſtra dux Chunradus, cuius aduentu milites erecti, iam optabant nō differri certamen. Erat dux idem natura audacis animi, & quod rarum eſt audacibus, bonus conſilio, & dum pedes & dum eques iret in hoſtem, bellator intolerabilis, domi ac militia charus ſocijs. Igitur ab utriuſq; exercitus latrocinantibus agminibus notificabatur, non

Ieiunium in caſtris Ottonis.

longe ab inuicem fore uterq; exercitus. Ieiunio itaq; in caſtris prædicato, iuſſum eſt omnes ad bellum paratos eſſe craſtino. Primo diluculo ſurgentes, pace data & accepta, operaq; ſua primum duci, deinde ab uno quoq; alteri cum ſacramento promiſſa, erectis ſignis, numero quaſi octo legiones procedunt ē caſtris. Ducitur exercitus per aſpera & difficilia loca, ne daretur hoſtibus copia turbandi ſa-

Legionum ordo.

gittis agmina, quibus utuntur acerrime, arbuſtis ea protegentibus. Primam & ſecundam & tertiam legionem direxerunt Baioarij, quibus præfuerunt præfecti ducis Heinrici: nam & ipſe bello aberat, eò quod ualetudine corporis laboraſſet, qua & mortuus eſt. Quartam legionem ordinauerunt Franci, quorū rector

Quinta legio maxima.

Vexillum Ottonis, Angelus.

ac procurator erat dux Chunradus. In quinta quæ erat maxima, & quæ dicebatur regia, ipſe princeps erat uallatus, lectis ex omnibus militum millibus, alacriq; iuuentute: coramq; eo angelus (ſic enim uocabatur uexillum eius) denſo agmine circumſeptus. Sextam & ſeptimam legionem conſtituerunt Sueui, quibus præfuit Burchardus, cui nupſerat filia fratris regis. In octaua erant Boemi electi milites mille, armis potius inſtructi, quàm fortuna: in qua & ſarcinæ om-

Extrema legio in primis impetitur ab Vngaris.

nes ac impedimenta quæq;, quaſi ipſa eſſet tutiſſima, quæ & nouiſſima. Sed aliter res acta eſt. Nam Vngarij nihil cunctantes Licum fluuium, qui Lech dicitur, tranſierunt: circumeuntesq; exercitum, extremam legionem ſagittis laceſſere cœperunt, & impetu cum ingenti uociferatione facto, alijs cæſis, alijs captis, ſarcinis omnibus potiti, cæteros legionis illius armatos fugere compulerunt. Similiter ſeptimam & ſextam aggreſſi plurimis ex eis fuſis in fugam uerterunt.

Chunradus cur quarta legione inuadit Vngaros.

Rex autem cum aduertiſſet bellum ex aduerſo prætendi, ſed poſt tergum nouiſſima agmina periclitari, miſit illuc ducem Chunradum, cum quarta legione, qui ueniens captiuos eripuit, prædam excuſſit, latrocinantiaq; hoſtium agmina perturbauit. Fuſis latrocinantibus undiq; aduerſariorum agminibus,

dux ad

dux ad regem reuertitur, ſignis uictricibus, mirumq́ in modum cunctantibus, ueteranis militibus gloria uictoriæ aſſuetis, cum nouo milite, & fere belladi ignaro, triumphum peregit. Totum igitur pondus prælij iam ex aduerſo eſſe rex conſpiciens, exhortationis gratia ſuos allocutus eſt: monens eos antiquarum uictoriarum, & rerum ſedulo bene geſtarũ, & ut modo in patria non cederent, qui ſæpius & in aliena terra uictores exiſterent, & poſtq́ huiuſmodi uerba plurima dedit, ad ultimũ intulit: Plura loquerer milites mei, ſi noſſem uerbis uirtutem, uel audaciã animis noſtris augeri, modo melius gladijs quàm linguis incipiamus. His dictis arrepto clipeo ac ſacra lancea, ipſe primus equum uertit in hoſtes, fortiſſimi militis, ac optimi Imperatoris officium gerens. Hoſtium audaciores primum reſtiterunt, deinde ut ſocios terga uertere uiderunt, obſtupefacti, noſtriſq́ intermixti extincti ſunt. Cæterorum uero alij equis fatigatis, uillas proximas intrant, circumfuſiq́ armatis cum mœnibus pariter cõcremantur: alij flumen contiguum tranſnatantes, dum ripa ulterior aſcendentes non ſuſtinet, flumine obuoluuntur & pereunt. Chunradus autem dux fortiter pugnans, animi feruore & ſolis ardore, qui eo die nimius erat, æſtuauit, uinculiſq́ loricæ ſolutis; dum auram captauit, uulnere ſagittæ in aduerſo gutturis defixę, cecidit. Cuius corpus imperio regis honorifice collectum, tranſportatur Vuormaciam, ibiq́ ſepelitur cum fletu & planctu omnium Francorum. Ipſa uero die belli inuaſa ſunt caſtra, & captiui omnes erepti, ſecundo die autem ac tertia à uicinis urbibus reliqua multitudo in tantum conſumpta eſt, ut nullus aut rarus euaderet. Tres duces gentis Vngaricæ capti, duciq́ Heinrico præſentati, mala morte, ut digni erant, mulctati ſunt, ſuſpendio nanq́ crepuerunt. Triumpho celebri rex factus glorioſus, ab exercitu pater patriæ, ac Imperator eſt appellatus.

Oratio Ottonis regis ad ſuos.

Gladijs quàm linguis incipere melius.

Cunradus ex ſagitta perit: Vuormatiæ ſepelitur.

Tres duces Vngaricæ gentis ſuſpendio crepunt.

Decretis proinde honoribus, & dignis laudibus, ſummæ diuinitati per ſingulas Eccleſias; hoc idem ſanctę matri ſuę per nuncios demandans, cum tripudio ac ſumma lætitia Saxoniã reuertitur, & à populo ſuo libétiſsime ſuſcipitur. Neq́ enim tanta uictoria quiſq́ regum intra ducentos annos ante eum lętatus eſt. Rebus igitur rite compoſitis, per omnem Franciam, Saxoniamq́, & uicinas circumquaq́ gentes, Romam proficiſci ſtatuens, Longobardiam pertexit. Vbi qualiter regem Longobardorum, Berengarium multa mala cum filio ſuo Adelberto, Eccleſijs Dei inferentem, duobus annis obſederit, captumq́ cum cõiuge & filijs in exilium miſerit, Romanos duobus prælijs uicerit, duces Beneuentorum ſubiecerit, Græcos in Calabria & Apulia ſuperauerit, terra Saxonica uenas argenti aperuerit, imperiũ cum filio ſibi æquiuoco quàm magnifice dilatauerit, maioris eſt operis, ideoq́ conſcribi non ualetã nobis. Hoc tantum breuiter notandum, ꝙ à Ioanne Papa literis ſuppliciter exoratus, quatenus pro amore Dei, ſanctorumq́ Apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctam Romanam Eccleſiam ex faucibus Berengarij, ſuorumq́ liberaret, aliorumq́ multorum Epiſcoporum, alteriusq́ ordinis & laicorum queſtibus motus, filium ſuum Ottonem contra morem priorum in puerilibus annis regem conſtituens, in Saxonia dereliquit, ipſe collectis copijs Italiam percitus uenit: Berengarium cum uxore ſua Vuilla, & filio Adelberto captiuos Babenbergin exilium miſit, ubi & idem Berengarius defunctus & ſepultus eſt. Ipſe uero Romã ueniens, mirifico apparatu ſuſceptus, & ab eodem Apoſtolico Iohanne imperiali unctione & benedictione ſublimatus, Imperator & Auguſtus eſt appellatus. Aliquanto autem tempore in partibus illis commoratus, filium ſuum Ottonem ad ſe uenire fecit, qui & in natali Domini coronam regni ab Apoſtolico accepit. Miſſa etiam legatione Conſtantinopolim, filiam Imperatoris Theophanij nomine inde accepit, quã celebratis in Italia nuptijs, eidem filio ſuo coniunxit. Poſt hæc regreſſus de Italia Imperator Otto, cum filio rege, Galliam ingreſſus eſt, inde Germaniam tranſiturus, & proximum Paſcha Quirilingaburg celebraturus. Manens autem ibi decem & ſeptem diebus, deſcendit, inde Aſcenſionem Domini apud Meresburg celebraturus.

Gratitudo Ottonis pro uictoria.

Compendium heroicum factorũ Ottonis per occupationem.

Iohannes Papa 12. ad Ottonem ſcribit.

Hic Otto Iohannem Pontificem, ut frugi eſſet, & Pontificia dignitate dignã uitam ageret, & ſanctimoniam ubiq; cum religione præ ſe ferret, ſerio admonuit. Cum ſuadendo autẽ minus proficeret, minas intulit. Hinc Papa nocte aufugit, & Leo ſucceßit. Vide Alb. Krantz lib. 4. ca. 9. Et ibidẽ exemplar literarũ de Leonis Papæ reſtitutione Ottoni facta.

Berengarius Babenberg in exilio moritur.

Tertia uero feria ante Penthecoſten, uenit ad locum, qui dicitur Numileuua. Proxima nocte tranſacta hora conſtituta, lætus ad menſam conſedit,

Numileuua.

uenienteq́ tempore ueſpertinis laudibus interfuit ſed peracto cantu Euangelij,
æſtuare ac fatigari iam cœpit. Quod cum intellexiſſent Principes circumſtãtes,
impoſuerunt eum ſedili. Inclinantem autem caput, quaſi iam defeciſſet, refocil
lauerunt eum, expetitoq́ ſacramẽto dominico, & accepto ſine gemitu cum ma
gna tranquillitate ſpiritum reddidit Domino, Non. Maij, quarta feria ante Pen
tecoſten. Inde tranſportatur in cubiculũ, & cum iam eſſet ſero, tranſitus eius nun

Otto moritur, & in Magdenburg ſepelitur. Hic Otto magnus uniuerſalis Auguſtus ſub hoc tituli Imperiales à Romanis, Gallis, & Longobardis ablati, in Germaniam tranſlati ſunt.

ciatur populo. Cuius corpus cum magnis lugentium exequijs, à filio rege iam fa
cto, translatum eſt in ciuitatem, quam ipſe conſtruxit, uocabulo Magadeburg,
ibiq́ honorifice tumulatum eſt. Huius anno primo, qui eſt à Dominica incarna
tione Dcccccxxxvij. Vngarij Franciam & Alemanniã, & Galliam, uſq́ Oceanũ
Burgundiamq́ deuaſtantes, per Italiam redierunt. Monaſteria S. Galli, & ſancti
Bonifacij cremantur. Rudolphus rex Burgundiæ, & Arnoldus dux Noricorum
obierunt.

ANNI OTTONIS I.

ANno Domini Dcccccxxxviij. Heinricus frater Ottonis regis, ab Eberhardo
comite comprehenditur. Anno Domini Dcccccxxxix. Otto rex cum fratre
Heinrico & Giſilberto, Eberhardoq́ pugnantibus, militibus ſuis uictoriã repor
tat. Anno Domini Dcccccxl. Rege in partibus Alſatiæ caſtellum Briſach obſiden
te, Epiſcopi quidam nocte relictis tentorijs, ſubtraxerunt ſe. Eberhardus comes
ab Ottone & Chunrado iuxta Rhenum occiſus eſt. Giſilbertus dux in aqua ſuf-
focatur. Burchardus Vuirciburgenſis Epiſcopus obijt. Anno Domini Dcccccxli.
Otto rex Gallias petit. Anno Domini Dcccccxlij. Otto & Ludouicus reges paci
ficantur. Anno Domini Dcccccxliij. Anno Domini Dcccccxliiij. Vngarij cũ Baiu-

Cometa.

arijs pugnant, & uincuntur. Anno Domini Dcccccxlv. In Italia Cometa miræ ma
gnitudinis apparuit, portendens famem, quæ ſecuta eſt. Anno Dñi Dcccccxlvi.
Otto rex totam Lotharingiam ſibi ſubiugauit. Anno Domini Dcccccxlvij. Ber-
tholdus dux Baioariorum, frater Arnoldi ducis moritur, & Heinrico fratri regis
ducatus committitur. Edith regina obijt. Anno Domini Dcccccxlviij. Anno Do
mini Dcccccxlix. Heremannus dux Alemannorum moritur, pro quo Luitolphus
filius regis Ottonis dux conſtituitur. Anno Domini Dcccccl. Otto rex Italiam pe
tijt, eamq́ ſibi ſubiecit, rediensq́ Papiam, Chunrado duci Lotharingorum tuen
dam commiſit. Anno domini Dccccli. Berenger rex Longobardorum, Chunra
do ſuadente, apud Auguſtam cum filio ſuo Adelberto ad deditionem uenit, fa-
ctusq́ miles regis, remiſſus eſt in regnum cum pace. Anno domini Dcccclij. Ot-
to rex Italiam intrauit, cauſa Adelheidæ reginæ, ipſaq́ accepta uxore, nuptias cele
brauit Papiæ. Anno dñi Dcccccliij. Luitolphus dux patri rebellat, & dux Chun-

Vngari ab Ottone apud Auguſtã uicti.

radus cum eo. Anno domini Dcccccliiij. Vngarij Italiam petunt, Noricũ & Fran
ciam. Anno domini Dcccclv. Vngarij totam Baioariã depopulantes, iuxta Au-
guſtam Alemanniæ urbem, ab Ottone rege pugna uicti, immenſa cæde necant.
Anno domini Dcccclvi. Luitolphus dux Italiam hoſtiliter intrauit. Anno Do-

Cruces in ueſtibus. Quorũdã ueſtes quaſi lepra ſordebant uide hiſt. Antonini titulo 16. cap. 3. & infra anno 150. cõ ſimiles cruces in Crutzenach, Bingen, & alijs locis.

mini Dcccclvij. Luitolphus Adelbertum uincit, & ipſe eodem anno moritur.
Anno domini Dcccclviij. Cruces in ueſtibus hominum apparuerunt. Anno Do
mini Dcccclix. Anno domini Dcccclx. Poppo Vuirciburgenſis Epiſcopus obijt.
Anno domini Dcccclxi. Anno domini Dcccclxij. Otto rogatu Iohannis Papæ,
& querimonia multorum de Berengario & filio proclamantium, Romam tẽ
dit, ibiq́ imperator ab eodem Papa factus, Berengariũ capit, & cum coniuge ſua
Vuilla nomine, ad caſtellum Babenberg miſit, ubi & præſentem uitam clauſit.

Berẽgarius capitur

Anno domini Dcccclxiij. Otto Imperator natale Domini Papiæ agit. Anno do-
mini Dcccclxiiij. Otto Imperator natale Domini Romæ moratur, ubi & filius
eius Otto coronatur. Anno domini Dcccclxv. Anno domini Dcccclxvi. Anno
domini Dcccclxvij. Otto Imperator de Italia redit. Anno domini Dcccclxviij.
Anno domini Dcccclxix. Mahthildis mater Imperatoris obijt. Anno domini
Dcccclxx. Anno domini Dcccclxxi. Signum quoddam ignei coloris in cœlo ap
paret. Anno domini Dcccclxij. Anno dñi Dcccclxiij. Anno domini Dcccclxxiiij.
Otto

Otto Imperator obijt Non. Maij. Eodē anno S. Vdalricus migrauit, anno Epiſcopatus ſui quinquageſimo. Poſt Ioannem Papam Benedictus ordinatur cxxij. poſt quem item Benedictus cxxiij.

HISTORIA.



ANno Dñicę incarnationis Dccccl xxv. ab urbe autem condita, mil. Dccxxvi. OTTO ſecundus, Magni filius lxxxij. loco ab Auguſto regnare cœpit, & annis ix. regnauit. Hic uiuente patre, in regnum electus, Romæq́ ab Apoſtolico regni corona decoratus, mox ut pater defunctus eſt, ab omnibus qui aderant, denuo eligitur, & in regni ſede locatur. Anno domini Dcccc. lxxvi. Anno Domini Dccccl xxvij. Anno Domini Dccccl xxviij. Igneæ acies uiſę ſunt in cœlo per totā noctem v. Kal. Nouemb. Anno domini Dcccclxxix. Anno domini Dcccclxxx. Anno domini Dcccclxxxi. Anno Domini Dcccclxxxij. Otto Imperator apud Calabriam, occiſo à Græcis excercitu, de naui exiliens, natatibus aufugit. Otto dux Sueuorum obijt: Chunradus ſucceſsit. Anno domini Dcccclxxxiij. Otto Imperator Romæ moritur vi. Idus Decemb. ibiq́ ſepelitur. Poppo iunior Vuirciburgenſis Epiſcopus obijt.

OTTO ſecundus XI. German. Imp.

Duo Ottones, alter pallida mors Sarracenorum, alter mirabilia mundi. Vide Otto Friſing. lib. 6. ca. 27

Vide Sigeberti Chronicam.

HISTORIA.



ANno Dominicę incarnationis Dcccclxxxiiij. ab urbe cōdita mil. Dccxxxv. OTTO tertius, Ottonis ſecundi filius, ad modum puer lxxxiij. loco ab Auguſto Romanum imperium ſuſcepit, & annis xvij. regnauit. Anno domini Dcccclxxxv. Anno Domini Dcccclxxxvi. Anno Domini Dcccclxxxvij. Anno dñi Dcccclxxxviij. Fames facta eſt magna. Anno dñi Dcccclxxxix. Hugo Vuirciburgenſis Epiſcopus obijt. Anno dñi Dccccxc. Carolus dux moritur: Otto filius eius ſuccedit. Anno Domini Dccccxci. Anno domini Dccccxcij. Remis ſynodus congregatur. Anno domini dccccxciij. In Burgundia Vdelo ex clerico Prinatenſi monachum profeſſus, in Cluniacenſi cœnobio præficitur. Anno domini dccccxciiij. Sanctus Adelbertus Epiſcopus de Praga ciuitate, à Prucis martyrio coronatur. Berenuuardus Epiſcopus Vuirciburgenſis obijt. Anno domini dccccxcv. Heribertus Colonienſium Archiepiſcopus ordinatus, multa ſanctitate claret. Anno dñi dccccxcvi. Anno dñi dccccxcvij. Conradus dux obijt: cui Herimannus ſucceſsit. Anno dñi dccccxcviij. Anno dñi dccccxcix. Terræmotus maximus factus eſt. Anno dominicæ incarnationis Milleſimo, anno regni ſui xviij. Otto Imperator tertius obijt v. Kal. Feb: eo uidelicet anno, qui ab incarnatione domini inſcribitur milleſimus primus. Cuius inteſtina Auguſtæ, reliquum corpus Aquiſgrani ſepelitur.

OTTO tertius XII. Imp. Germ. hic dictus mirabilia mundi, ob ſingularē prudentiam: ſub hoc primū electores Imp. conſtituti ſunt. Vide infra in Hein.

Ottonis tertij inteſtina Auguſtæ, corpus Aquiſgrani ſepelitur

HISTORIA.

ANno dominicæ incarnationis, milleſimo. i. ab urbe autem condita milleſimo dcclij. HEINRICVS ſecundus primum dux Baioariæ, deinde Ottone tertio, abſq́ filijs defuncto, in regni prouectus culmine lxxxiiij. loco ab Auguſto

HEINRICVS XIII. Imp. Germ. *Bauarus, cognomento Claudus, ſub hoc inſtitutum fuit, ut in futurũ non per ſanguinis ſucceſsionem duceretur imperium, ſed eſſent Rho. Imp. electores. Anno 1004.*



guſto regnũ accepit, & annis xxiij. ac menſes v. regnauit xij. annis ſub nomine regis xi. dignitate & nomine Imperatoris. Hic in regni ſede ſublimatus, cum Heinricum Marchionem, aliosq; in initio regni ſui ſibi reſiſtentes ſuperaſſet, Italiam & Boemiam ac Bolizlaum cum omni gente Sclauorũ ſubiugaſſet, data ſibi requie à domino, cõſiderans ſe filios nõ habiturũ, quippe qui, ut multi teſtantur, cõſortem regni Chunigundam nunq; cognouit, ſed ut ſororem dilexit. Dominum bonorum omniũ datorem habere delegit hæredem, ſextoq; regni ſui anno, ſapienti conſilio, Epiſcopatũ Babenberg, in honore S. Petri, ſanctiq; Georgij conſtituit: locumq; ipſum prędiorum, diuitijs & omni ornatus decore, ut in præſentiarum cernitur, copioſiſsime ditauit. In meridiana quoq; parte ciuitatis, monaſteriũ in honore S. Stephani Protomartyris, ſub ordine canonico conſtruens, ex altera uero, hoc eſt Aquilonari aliud monaſterium, ſub monachali regula, in honore S. Michaelis archangeli, ſanctiq; Benedicti Abbatis conſtituens, ſibi ſuęq; ciuitati ſupra petrã Apoſtolicę firmitatis fundatæ, muroq; & propugnaculis meritorum S. Georgij & cæterorum ſanctorum munitæ ac exornatæ, contra incentiuos uitiorum iactatus, turrim fortitudinis in Stephano, & contra refrigerantes flatus illius qui in aquilone, unde malum omne pandetur, ſedem ponere diſpoſuit, refugium certum in Euangelico pręparauit pręſidio, ut à dextris & à ſiniſtris iuſtitiæ armis uallatæ, in nullo ſufficiat inſidiator præualere. Alijs quoq; ſanctorum locis per regni latitudinem non minus, prout opus erat munificentiæ ſuæ impertiuit largitatem, quędam dilapſa iam in melius reſtituẽs, quibuſdam quæ minus ſuppetebant adijciẽs. Regis autem frater erat Bruno Auguſtenſis ſedis Epiſcopus, qui fœlicibus fratris actibus inuidẽs, multas ei aduerſitatum iniurias, in quantum potuit, inferebat: & ubi per ſe nõ poterat, inferẽtibus ſe adiungebat, uel alios ad inferẽdas exhortando, ſtimulos eis incitationis ſubigebat. Cui frater non ſolũ talionem non reddidit, uerumetiam fraterna inſtructus dilectione, omnia diſsimulando & patienter ſuſtinendo, illum bono uincere ſatagebat. Horum ſororem bonæ memoriæ fœminam Giſelam rex Vngariorum, qui Stephanus dicebatur, in coniugiũ expetiuit: ſed eam ducere non promeruit, donec ſe Chriſtianę religionis rudimenta, & ſacri baptiſmatis ſacramenta, cum omni gente ſua ſuſcepturum, promiſit. Quam pollicitationẽ ubi rebus perfecit, religioſus, Deoq; deuotus, poſtea in executione bonorum operum permanſit: quod diuina pietas poſt mortem eius euidentibus indicijs, ad ſepulturã eius factis ſignorum miraculis demonſtrauit. Rex autem Heinricus, poſtq; bonę opinionis odorem longe lateq; redolere fecerat, locumq; ſibi dilectum cum cæteris monaſterijs ditando & ornando, & excolendo ad perfectum adduxerat, diuina uocatione uiam uniuerſæ carnis ingreſſus, Deo reddidit animam fœliciter, ut credimus iij. Idus Iulij, anno regni ſui xxiij. imperij autẽ xi. uitæ uero lij. ſepultusq; eſt Babenberg in epiſcopio à ſe facto, in S. Petri Apoſtoli monaſterio.

Chunigunda.

Heinricus Chriſtũ hæredem conſtituit.

Babenberg ditata per Heinricum.

Bruno Auguſtenſis Epiſcopus.

Giſela Vngariæ regina.

De hoc plura habes in lib 4. Alb. Krantz

ANNI HEINRICI SECVNDI.

ANno Domini Milleſimo ij. HEINRICVS rex Heinricum Marchionem & alios ſibi reſiſtentes, cum exercitu petit. Anno Dñi milleſimo iij. Heinricus rex Italiam, Boemiam, Bolizlaum ducem, cum omni Sclauorum gente ſubiugauit. Anno Domini Milleſimo iiij. Fames facta eſt. Cometes longũ tempus apparuit. Anno Domini Milleſimo v. Anno Domini Milleſimo vi. Epiſcopium Babenberg à rege Heinrico conſtituitur, & Eberhardus ibi Epiſcopus pręficitur.

Anno Domini Milleſimo vij. Anno Domini Milleſimo viij. Bruno Epiſcopus ex monacho à Prucis multis ſupplicijs afflictus, & manibus pedibusq́ abſciſis, poſtremò capite plexus, cœlos petijt. Eberhardus Epiſcopus ordinatur. Anno Domini Milleſimo ix. Anno Domini Milleſimo x. Anno Domini Milleſimo xi. Heinricus rex Metum urbem obſidet, donec mediante iuſtitia, pax inter eos conuenit. Anno Domini Milleſimo xij: Anno Dñi Milleſimo xiij. Heinricus Romę imperiali benedictione coronatur à Benedicto Papa. Anno Dñi Milleſimo xiiij. Erneſt dux in uenatu occiditur. Anno Dñi milleſimo xv. Simeon monachus de monte Syna hoc tempore claruit. Anno Dñi M xvi. Heinricus Vuirciburgenſis Epiſcopus obijt. Anno Dñi M xvij. Anno Dñi M xviij. Anno Dñi M xix. Benedictus Papa Babenberg ueniens, Eccleſiam S. Stephani dedicauit. Eodem anno Vuernherus Argentinę Epiſcopus, cum Alemannis cõtra Burgundiones pugnauit & uicit. Anno Dñi M xx. Terręmotus magnus factus eſt iiij. Idus Maij, feria v. Eo anno Heribertus Colonienſis Archiepiſcopus obijt: Cui Piligrinus ſucceſsit. Anno Dñi Mxxi. Indict. v. iiij. Non. Febru. v. anno regni glorioſi Imperatoris Heinrici ſecundi xxi. imperij aũt nono, ipſo preſidente ac diſponente, Eberhardus primus Eccleſiæ Babenbergenſis Epiſcopus, ordinationis ſuæ anno xiij. dedicauit Eccleſiã S. Michaelis in monte, in honore eiuſdẽ S. Archangeli, ſanctiq́ Benedicti Abbatis. Huic igitur conſecrationi interfuerunt Epiſcopi multi, ſcilicet Aribo Mogontinus, qui altare S. Martini dedicauit. Piligrinus Colonienſis, qui altare S. Petri conſecrauit, cum alijs multis. Eundem aũt locũ inhabitare cœpit primus pater eiuſdem monaſterij Rato, anno Dñicæ incarnationis Mil. xv. eodemq́ anno fundamenta ipſius monaſterij locata ſunt, & ſecundo anno Heinrici Abbatis ſecundi, templum ipſum dedicatũ eſt. Anno Dñi Mil. xxij. Heinricus Imperator nouam Troiam deditione cœpit, et mortalitas magna in exercitu facta eſt. Gebehardus Ratiſponenſis Epiſcopus obijt, pro quo itẽ Gebehardus ordinatur. Anno Dñi Mill. xxiij. Anno Dñi Mill. xxiiij. Heinricus Imperator ſecundus migrauit.

Bruno martyr.

Vuernheri Epiſcopi Argentinen. bellum.

ANno Dñicę incarnationis Mill. xxv. ab urbe condita, Milleſimo Dcclxxvi. ACHVNRADVS ex regni primoribus unus, ſed regno antea per rebellationem aduerſus, principibus pro eius electione diſsidẽtibus, Aribone autem Mogontino Archiepiſcopo, & Eberhardo Babenbergenſi præſule ſibi fauentibus, lxxxv. loco ab Auguſto regnum ſuſcepit, & annis xv. regnauit. Sublimatus autem in regni ſede, conſilio Brunonis Epiſcopi Auguſtenſis, fratris Heinrici Imperatoris, qui ſemper, ut ſupra dictum eſt, fœlicibus eius inuidebat actibus, Babenbergenſem Epiſcopatum meditabatur deſtruere, quia idem Bruno Epiſcopus promiſit reginę Giſelæ omnia predia hęreditario iure ad ſe pertinentia, filio eius Heinrico contradere. Locus igitur & tempus conuentui ſtatuitur, ubi hæc res ad certum perducatur. Nocte uero quæ diem præceſſerat, in qua hæc uentilanda erant, Eberhardus Epiſcopus ad tentoriũ prędicti Brunõis clam acceſsit, lectoq́ eius aſsidens, multa ſuper hac re monendo, obſecrando, memoriam fratris anxiſsimo inculcãdo, cum eodem ſollicitus egit. Qui ubi iam multa noctis hora tranſacta receſſerat, & Epiſcopum pro auditis ſollicitatum, ſomnus oppreſſerat, uiſus eſt ei frater ſuus Imperator Heinricus lecto ſuo aſtare, faciemq́ ſuã barba ex una parte depilatã turpatam obiectare. Cui ſuper hac re ſtupido & admirãti, ac quis tam temerarios auſus in eum preſumeret interroganti, tu, ait, hæc feciſti, qui me & ſanctos Dei, quos rebus à Deo mihi concesſis dotauit, deſpoliare diſpoſuiſti. Caue iam ulterius ſuper hac temeritate, ne incepta luas magna infœlicitate. Ad hæc ille expergefactus, ac de uiſione non parum perterritus, membrorum quoq́ horrore ac tremore non leniter eſt attactus. Mane autem facto, cũm diu expectatus, ad conuentũ procerum non ueniret, regina pro filio ſollicita, nuncijs miſsis obnixe rogauit, ut adueniens promiſſa perficeret. Ille uero affirmabat ſe tanta in firmitate grauari, ut nec de lecto ſurgere, nec pedem poſſet quoquam mouere. Cumq́ rogaretur, ut ſe in lecto ad conuentũ deportari pateretur, quo uel ſic promiſsio perficeretur, omnino abdicauit, ſeq́ in Deum & in ſanctos eius, & in fratrem

CONRADVS XIIII. Imp. Ger. Francorum rex, alij Sueuum fuiſſe uolũt.

Heinricus Brunoni fratri in ſomnis aſtat.

fratrem

fratrem ſuum peccaſſe, libera tandem uoce proclamauit. Sic itaqꝫ diuina pietas, per merita famuli ſui, ne ſpe, quam in ſe poſuit, fraudaretur, illius prauæ conſpirationis machinamenta repreſsit, idqꝫ quod ab eo bene cœptum eſt, confirmando, ſemper exinde ad meliora prouexit. Secundo igitur regni ſui anno, Chunradus rex filium ſuum Heinricum regem fecit, & ipſe Romam pergẽs, imperialem benedictionem accepit. Poſt hæc Knuth, regis Danorum filiam, nomine Chunigundam, filio ſuo coniunxit, ſeqꝫ ad bene agendum ſtudioſius accinxit.

Knuth.

In proprio quippe caſtello Lintburg dicto, ad alios uſus quondam ſibi grato, monaſterium conſtruxit, prędiorumqꝫ copia illud ditans, monachorum congregationem, ſub Abbatis prouiſione illuc introduxit. Spirenſe quoqꝫ Epiſcopium prouehere ſtatuens, ſed in uiuendi meta, eo uſqꝫ non pertingens, filio ſuo Heinrico, ſuę uolũtatis effectum commiſit, quem ipſe magnifice cœpit, ſed filius eius item Heiuricus magnificentius perfecit.

Spirenſe Epiſcopiũ.

ANNI CHVNRADI I.

Heinricus Conradi filius rex.

PRimo itaqꝫ Cunradi regis anno, diſſenſio magna contra eum in regno tumultuatur, ſed diuiuitus cito ſedatur. Anno Domini Milleſimo xxvi. Heinricus, Chunradi regis filius, rex efficitur. Chunradus uero Romam tendens, imperiali benedictione prouehitur. Anno Domini Milleſimo xxvij. Bruno Auguſtenſis Epiſcopus, & Vuelpho comes, prædas & incendia inter ſe faciunt. Anno Domini Milleſimo xxviij. Erneſt dux Alemannorum, & Vuelpho comes Chunrado Imperatori ad deditionem ueniunt. Anno domini Milleſimo xxix. Bruno Auguſtenſis Epiſcopus obijt, cui Eberhardus ſucceſsit. Anno domini Milleſimo xxx. Chunradus Imperator, Stephanum Pannoniæ regem cum exercitu petit. Interea in Alemannia Erneſt dux, & Vuernherus comes, cum alijs multis, occiduntur xvi. kal. Septemb. Anno domini Milleſimo xxxi. Stephanus rex per legatos cum Imperatore pacificatur. Anno domini Milleſimo xxxij. Rudolphus rex Burgundię moriens, diadema ſuum Chunrado Imperatori miſit. Anno Domini Milleſimo xxxiij. Meginhardus Epiſcopus Vuirciburgenſis obijt. Chunradus Imperator in hyeme Burgundiam petit. Eclipſis Solis facta eſt iij. Kal. Iulij, hora ſexta. Anno Domini Milleſimo xxxiiij. Imperator Franciam petit contra Ottonem, Anno Domini Milleſimo xxxv. Vuirbinam caſtellum, in confinio Saxonię poſitum, pagani qui Luitici dicuntur, obtinent, multis ex Chriſtianis occiſis & captis. Quos Imperator cum exercitu petit. Anno Domini Milleſimo xxxvi. Gebehardus ſecundus Ratiſponæ Epiſcopus obijt, pro quo item Gebehardus tertius ſucceſsit. Heinrico Imperatoris filio Knuth, regis Danorum filia, coniungitur. Luitici tributarij facti ſunt Imperatori. Piligrinus Colonienſis Archiepiſcopus moritur, pro quo Herimannus ordinatur. Anno Domini Milleſimo xxxvij, Chunradus Imperator Italiam cum exercitu petit, & Mediolanenſem Epiſcopum in cuſtodiam mittit, qui fuga lapſus, Imperatori rebellat. Otto princeps Carolingorum à Gozelone Lotharingorum duce pugna uictus, fugiensqꝫ à quodam milite occiditur. Anno Domini Milleſimo xxxviij. Stephanus Vngariorum rex religioſus obijt. Anno Domini Milleſimo xxxix. Chunigunth Imperatrix, mater pauperũ, diues ipſa, diuitem migrauit ad Chriſtum v. Non. Martij. Herimannus dux Alemannorum filius Giſelæ imperatricis obijt. Chunradus imperator obijt ij. Non. Iunij, & ſepultus eſt Spiræ. Reginboldus Spirenſis Epiſcopus obijt iij. Idus Octob. Eclipſis Solis facta eſt xi. Kal. Sept.

Conradus Italiã cum exercitu petit.

Chunigunth mater pauperum.

HEINRICVS tertius Auguſtus, pius ac niger cognomine, XV. Imperat. Germ. hunc alij comitem de Kalb, nõnulli Bauarum fuiſſe aſſerunt.

ANNI HEINRICI TERTII.

ANno Dominicæ incarnationis Milleſimo xl. ab Vrbe autem condita, Milleſimo Dccxci. HEINRICVS tertius, Chunradi Imperatoris filius dudum patre uiuente, rex cõſtitutus lxxxvi. loco ab Auguſto, patri ſucceſsit, & xvij. annis regnauit. Eberhardus primus Babenbergenſis Epiſcopus obijt. Anno Domini

mini Milleſimo xli. Heinricus rex ducem Boemiæ Fratislaum bello petijt: ſed multis proceribus & militibus in pręſtructiõe ſylue circa ultraq; occiſis uel captis, nil memoria dignum efficere potuit. Petrus quoq; Vngariorum rex eidem duci contra regem auxilia miſit. Anno domini milleſimo xlij. Vngarij quendã Vuonem ſibi regem fecerunt, & Petrũ regem ſuum expulerunt. Qui profugus & exul Heinrici regis, cui priori anno rebellauit, gratiã quærit & inuenit. Heinricus rex Boemiam ingreſſus, igne prædaq; cuncta deuaſtat, & rebellem ducem obſides dare, ipſumq; poſt ſe Ratiſponam ad deditionem humilimam uenire ſibiq; iure iurando fidelitatem ac ſeruitium confirmare coartat. Vuo rex Vngariorum ob ſuſceptum à rege Heinrico Petrum à ſe expulſum fines Baioariæ prædis depopulatur, ſed magna pars exercitus eius ab Adelberone Marchione deletur. Anno domini milleſimo xliij. Heinricus rex Pannoniam ingreſſus, duas populoſiſſimas ciuitates euertit, plures deditione ſibi ſubiecit. Giſella impetratrix obijt xvi. kalen. Mart. & ſepelitur Spiræ. Anno domini milleſimo xliiij. Heinricus rex iterum Pannoniam inuadens, ſatisfactionem & obſides, ac munera, paciſq; confirmationem per iuſiurandũ accipiens, diſceſſit: indeq; reuerſus, ſynodo Conſtantienſi adfuit, ubi cunctis in ſe delinquentibus, debita dimiſit: omnibusq; inimicitijs deſtructis, pacem hactenus inauditam, tam in tota Sueuia, quàm in alijs regni ſui prouincijs, per edictum regiæ cenſuræ confirmauit. Dein Agnetem Vuilelhelmi Pictauienſis principis filiam, apud Mogontiam ungi faciens in reginã, regalibus ſibi nuptijs apud Ingelheym copulauit: unde infinitam hiſtrionum & ioculatorum multitudinem non ſolum muneribus, ſed etiam cibo potuq; uacuam & merentem, abire permiſit. Luitpoldus Marchio, Adelberti filius, maxima Vngariorum clades, immature obijt. Peſtis pecudum maxima: hyems dura fuit & niuoſa.

Vngariæ rex pellitur.

Boemicum bellum.

Pannonicum bellum.

Synodus Conſtantienſis.

Nuptiæ Heinrici in Ingelheym.

Hiſtriones reiecti.

Anno domini milleſimo xlv. Bruno Vuirciburgẽſis epiſcopus obijt vi. kal. Iunij. pro quo Adelbero ordinatur. Heinricus rex tertio Pannoniam ingreſſus, Dei fauente clementia, uictor effectus, Vuonem cum uxore & filijs ac cognatis, quibus locus fugiendi erat, effugabat. Petrum reſtituit in regnum ſubditoq; ſibi Vngariorum regno cum honore ſummo reuertitur. Gotefridus dux Lotharingorum Heinrico regi rebellans, ad deditionẽ coactus in caſtello Gibichenſteyn, uſq; ad dignam ſatisfactionem cuſtodiæ mancipatur. Otto dux Sueuorum efficitur. Anno domini milleſimo xlvi. Heinricus rex Italiam ingreſſus, à Romanis pacifice ſuſcipitur: Papas tres nõ digne conſtitutos ſynodaliter depoſuit, & Suidegerum Babenbergenſis eccleſiæ ſecundum epiſcopum, Papam conſtituit, à quo ipſe & coniunx eius Agnes in ſancto dominici natalis die benedictione imperiali ſublimantur. Impetratrix uero Agnes inde reuertens, apud Rauenam genuit filiam. Imperator autem per Apuliam multasq; prouincias fœliciter ducens exercitum, cũ honore magno reuertitur. Suidegerus papa obijt vij. Idus Octob. Pro quo Poppo patriarcha Aquileienſis ordinatur. Anno domini milleſimo xlvij. Petrus Vngariorum rex à quodam tyranno Pannonico captus & cæcatus eſt: Ille uero qui eum expulerat, regnare cœpit. Anno domini milleſimo xlviij. Poppo papa obijt, necdũ completo anno ex quo cõſtitutus eſt. Pro quo Bruno qui & Leo poſtea dictus eſt, Tullenſiũ epiſcopus ordinatur papa. Otto dux Sueuorum obijt, pro quo item Otto de Suuinfurte ſurrexit. Sanguis Domini Manuæ per cæcum manifeſtatur. Anno domini milleſimo xlix. Heinricus Imperator, anno imperij quarto, quaſdam Galliæ partes inuaſit, contra Gotefridum & Balduinum duces, quibus ad deditionem coactis, & regno his in partibus pacificato, uictor cum honore reuertitur. Synodus Mogontiæ habetur, cui inter fuerunt Bruno Apoſtolicus, & Heinricus imperator. Anno domini milleſimo l. Vngarij iterum bellant. Quibus Gebehardus Ratiſponenſis epiſcopus, qui erat imperatoris patruus, obuiam ueniens, uice ipſius imperatoris in fugam conuerſos, non minima eos cæde adflixit. Inſuper urbem Heimenburg in Marchia poſitam, ædificijs reſtaurauit, & militari cuſtodia muniri fecit, ipſeq; ſumma cum pace regreſſus eſt. Anno domini milleſimo li. Battho archiepiſcopus Mogon-

Otto dux Sueuorum.

Suidegerus papa.

Sanguis domini Mantuæ per cæcum manifeſtatur.

Synodus Mogont.

Vngarorum bellum.

tinus in pace quieuit, cui Luitpoldus Babēbergenſis præpoſitus ſucceſſit. Heinricus imperator iterum Pannoniam adiens, diuiſa in duas partes multitudine militum, utrinq; regionem ipſam ſyluis, & maxime aquarum collectionibus circumſeptam occupans intrauit. Sed gens illa durior cæteris, cum rege ſuo doloſe agens, ſuaq; pariter cum alijs diripiens, fame & ſiti multis cladibus laſſatum imperatoris exercitum fugiens euaſit. Milites autē imperatoris uaſtata magna parte prouinciæ, multis inſuper inibi, pacifice, licet inacte, ad propria cum imperatore redierunt. Anno domini milleſimo lij. Imperator iterum Pannoniam petit, & inacte redit, habens ſecum in comitatu Brunonem Apoſtolicæ ſedis præſulem. Qui papa ueniens Ratiſponam, reliquias beati Dionyſij martyris, de quibus diu dubitatum eſt, an ibi haberentur, præſentibus Pariſiorum legatis perſpexit, ibiq; teneri probauit. Sanctum Vuolfgangum eiuſdem urbis epiſcopum de tumulo leuauit: indeq; Babenberg cum imperatore traſiens, priuilegia eiuſdem loci à cancellario ſuo Friderico, qui ſibi poſtea ſucceſſit, perſpici, & coram imperatore populoq; pronunciari mandauit, ſuaq; autoritate illa confirmauit. Reliquiæ ſancti Zenonis à Vualtario Veronenſe epiſcopo Vlmam ſunt delatæ.

Sanctus Volfgangus.

Reliquiæ Zenonis. Vlmæ.

Anno domini milleſimo liij. Apoſtolico & imperatore natale dominicū diuino & regio cultu Vuormaciæ agentibus, miſſarum celebratione in ſancta die peracta, ut oportuit, ab Apoſtolico, in ſequenti die Luitpoldum Mogontinæ ſedis archiepiſcopum, utpote in ſua dioceſi præcipuum, huic ſubrogauit officio. Qui peracta proceſſione, & ubi ad hoc uentum eſt dicta oratione, poſtquam ſe in ſua ſede locauit, quidam ex diaconibus ſuis, Hunibertus nomine, ſicut multi ob illius feſti ueuerationem ſolent, lectionem decantauit. Quod quidam ex Romanis papæ aſſiſtentibus uituperantes, & contra papam, quia Romano more non ageretur, obiurgantes, perſuaſerunt ei, ut ad eundem diaconum mitteret, & decantationem interdiceret. Quod cum ille iuuenū more contemneret, iterum mittendo papa interdixit: qui mox eadem uocis ſonoritate qua prius cantauit, legendo decenter lectionem uſq; ad finem perduxit. Qua finita, papa illum ad ſe uocauit, & quaſi pro inobedientiæ contumacia degradauit. Archiepiſcopus uero miſit ad illum, ut ſuum ſibi redderet miniſtrū. Quod ubi papa abnuit, pontifex ut erat antiquæ diſciplinę, licet ægre, patienter tamen interim tacendo ſuſtinuit. Perlecto autem Euangelio, & decantato offertorio, ubi ſancti ſacrificij tempus aduenit, pontifex in ſede ſua reſedit, uere conteſtans, nec ſe, nec alium quempiam completurum illud officium, niſi reciperet proceſſionis ſuæ miniſtrum. Quod ubi Apoſtolicus intellexit, pontifici ceſſit, reindutumq; miniſtrum cōtinuo remiſit. Quo recepto, debito ſe pręſul iniunxit officio. Qua in re & pontificis autoritas, & Apoſtolici conſideranda eſt humilitas, dum & ille officij ſui dignitatem defendere contendebat, & iſte, licet maioris dignitatis, metropolitano tamen in ſua dioceſi cedendum perpendebat.

Synodus Vuormaciæ

Luitpoldi archiepiſcopi Mogont. parryſia erga Pont. Rom.

Poſt hæc & Apoſtolicus Romam redijt, multis cum diuerſarū prouinciarum militibus, imperiali præceptione, & amicorum ſubuentione comitantibus: & poſt paſcha exercitū ducens, per Apuliam contra Nortmannos, illius terrę quondam aduenas, ſed tunc poſſeſſionum apoſtolicarum inuaſores, & Romani imperij hoſtes pugnauit: & infinita utrobiq; cæde peracta, papa cū paucis fugiens, abſq; uictoria regreditur, relictis illis Sueuorum ac Noricorū militibus optimis, & in urbe Beneuentana conſedit, ubi tunc Vdalricus genere Noricus, epiſcopatum tenuit. Anno domini milleſimo liiij. Religioſus papa Bruno, qui & Leo, glorioſe uitam finiuit, xiij. kalen. Ma. & magnifice ſepultus Romæ in eccleſia ſancti Petri miraculis claruit. Cuno dux Noricorum fœderatis ſibi Vngarijs, grauiter rebellat. Item Baldeuuinus & Gotefridus Hermānus contractus, obierunt. Anno domini milleſimo lv. Leoni papæ Gebehardus, qui & uictor, Eiheſtatenſis epiſcopus ſucceſſit. Huic cum diaconus eius uenenum in calicem miſiſſet, calicem de altari leuare non potuit. Pro hoc populo orante, diaconus à dæmonio uexatur: confeſſoq; crimine, liberatur, calixq; cum ſacramentis in quodam altari pro reliquijs includitur. Adelbertus Marchio obijt. Fames magna fuit.

Leo nonus moritur.

Hermānus contractus comes à Vueringen, monachus ſancti Galli doctiſſimus.

Diaconus ueneno calicem inficit Victori Eiſtatenſi epiſcopo.

Heinricus

Heinricus imperator Italiam cũ exercitu petens, omnia in pace diſpoſuit, reuerteńsq; neptem ſuam Beatricem matrem Mathildem ſecum duxit, indigne eam tractans, propter quaſdam inſolentias eius, quibus uiuere conſueuerat, mortuo uiro eius Bonifacio duce. Vuelfo dux Carinthiorum obijt. Cuno dux antea Noricorum, ab imperatore propter perfidiæ ſuæ culpam expulſus, in Pannonia male exul obijt. Arnoldo Spirenſi epiſcopo Chunradus ſucceſſit. Anno dñi milleſimo lvi. Hermannus comes orientalium Francorum obijt vi. kal. Febr. Gebehardus Ratiſponenſis epiſcopus, imperatoris Heinrici patruus, hoſtis occulte peſſimus, deprehenſus & conuictus, atq; cuſtodiæ mancipatus, ſed miſericorditer tractatus, exilio remittitur, & ſedi priſtinæ reſtituitur. Gotefridus dux ad deditionem uenit. Magna cædes à Luiticis in Chriſtianos facta eſt, quorũ quidam gladio, quidam fugientes in aqua perierunt, inter quos Vuilhelmus Marchio occiditur.

Arnoldus & Conrã dus epiſcopi Spiren.

Cædes Chriſtianorũ à Luiticis.

Alb. K. Luſatios eſſe putat.

Iiſdem temporibus multi diuerſarum principes prouinciarum perierunt. Fames multas regiones adflixit, egeſtas & penuria undiq; præualuit, multaq; mala tunc temporis facta ſunt. Heinricus imperator pro his rebus cordetenus dolore compunctus, infirmari cœpit: & perductus ad mortem, ſapienti uſus cõſilio, ab omnibus quibus potuit, ueniam petijt: quibuſdam prædia quæ abſtulit, reſtituens: cunctis qui contra eum & regnum culpas damnabiles fecerunt, relaxans. Filium quoq; ſuum Heinricum, Romani pontificis, cunctorumq; pontificum & principum regni electione, regem conſtituit. His & alijs, prout uitæ poſſibilitas admiſit, bene diſpoſitis, iij. Non Octob. hanc uitam præſentem in Deo finiuit. Poſt cuius obitũ, quia filius eius Heinricus adhuc puerulus fuit, domina Agnes impetratrix, mater pueri, regnum ſub ſua cura aliquandiu tenuit, ac ſapienter & ſtrenue rexit, donec principes aliqui inuidia ducti, puerum matri abſtulerunt, eamq; regimine regni abalienauerũt: quorũ numero dominus Anno Colonieńſis archiepiſcopus ſe immiſcuit, qui puerũ in loco qui Vuerida dicitur, naui imponens, matri abduxit. Quod ille qua intentione fecerit, uel qualiter diuino iudicio placuerit, diſcernere non ualemus: multa tamen incommoda extunc orta, & deinceps aucta, certum tenemus. Nam perinde diſſentiones in regno, eccleſię perturbatio, monaſteriorum deſtructio, clericatus deſpectio, totius iuſticiæ ac religionis conculcatio, & cœpit, & permanet. Ipſa uero impetratrix rerum permutationes conſiderans, Italiam ſe contulit, & apud monaſterium quod Fruteriá dicitur, religioſam uitam aliquanto tempore duxit: poſtea Romæ defunctá, & in eccleſia ſanctę Petronellæ honorifice eſt ſepulta.

Heinricus Agneti imperatrici matri aufertur.

AD LECTOREM.

Optime lector, ne graueris per otium legere uitam Heinrici IIII. Cæſaris Augusti, impreſſam apud inſigne Eutropij uolumen. Item epiſtolas aliquot huius ad Pontificẽ Rom. & alios principes, inter quas una, hanc ἐπιγραφὴν habet: Heinricus nõ uſurpatiue, ſed pia Dei ordinatione rex: Hildebrando iam non Apoſtolico, ſed falſo monacho &c. Lege quoq; quæ in Chronica parua Germaniæ habes de Heinrico. Item quæ de unitate Eccleſiæ conſeruanda, & ſchiſmate inter Heinricũ 4. & Greg. 7. à quodã eius temporis Theologo ſcripta ſunt, & è Fuldenſi Bibliotheca in lucem prodierunt anno 20. Iam ſi libero iudicio præditus fueris, & ſyncero ac honeſti amãte, et tangaris cogitatione cõmunis boni, hic facile æſtimabis, ex quo ſpiritu ſit, filium contra patrem inflammare, ciuilia bella concitare, principes et principatus ſubuertere, matrimonium prohibere, ſcortationibus, adulterijs, mollitiæ, et talibus uitijs, quorum etiam electum Dei organum diuum Paulum pudet meminiſſe, feneſtram aperire, cœlum terræ miſcere propter epiſcopales inueſtituras, quas uocant: Et ne Imperator citra Romani pontificis aſſenſum appellationem Imperatoris ſibi uſurpet, in ſpongiam lapſo Canone. C. Imperator. Diſt. 90. ubi habebatur, quod nec Imperator iura Pontificatus, nec Pontifex iura Imperij ſibi uſurpare debeat. Et quod Imperator non habet Imperium à Papa, ſed à Deo.

HEINRICVS *quartus, Senior appellatus,* XVI. Imp. German.



ANno dominicæ incarnationis milleſimo lvij. ab urbe condita mill. Dcccviij. HEINRICVS quartus, Heinrici imperatoris filius, admodum puer, patri ſuccedens, regnare cœpit: & quando hæc conſcriptio facta eſt, xlij. anno regnauit, lxxxvij. loco ab Auguſto. Agnes imperatrix, mater ipſius, ducatum Baioariæ ſuſcepit. Gebehardus, qui & Victor, pontifex Romanus, multis bene in Germania, alijsq́ regni Romani partibus, pontificum uel principũ ſecularium conſilio depoſitis, Romam cum pace redijt, incipiente anni illius quadrageſima. Hic etiam eodem anno uitam finiuit: pro quo Fridericus Gotefridi ducis frater, iam monachus factus, à Romanis pontifex ordinatur, & Stephanus appellatur. Saxones congregato exercitu, gentem efferam Luiticorum hoſtiliter inuaſerunt, diuerſisq́ malis eam adfligentes, Romanę ditioni ſubdiderunt: et acceptis obſidibus ac tributis, ad propria redierunt.

Eodem tempore quidam Fridericus & fratres eius in Germaniæ partibus tyrannidem exercentes contra imperium Romanum, ab Agnete imperatrice & principibus regni uicti, ad deditionem uenerunt. Otto de Suuinfurte dux Sueuorum, iiij. Kalend. Octobr. obijt, & Rudolfus de Rinueldon, qui poſtea rex eſſe contendit, ducatum accepit, quod magnum fuit ſeminarium earum, quibus regnum perturbatur, commotionum. Eundem nanq; ducatũ, ueniente adhuc Ottone duce, Heinricus imperator Bertholdo comiti, qui poſt Carinthiorum acceperat ducatum, promiſerat, eiq́ annulum ſuum, uelut huius rei commonitorium dederat, quem ille diligenter ſeruans, poſt amborum obitum, imperatoris ſcilicet & ducis, imperatrici Agneti imperium tunc diſponenti obtulit, eamq́ annulum agnoſcentem, pro ducatu ſibi promiſſo, commonuit. Sed quia prædictus Rudolfus mox poſt imperatoris obitum, filiam eius Rumoldo Conſtantienſi epiſcopo commendatam, uęterũ conſilio raptam an dolo, neſcitur, uxorem duxit, receptã iam in gratiam, eundem ducatum illi, cauſa filiæ, imperatrix dedit, quod animum Bertholdi non parum commouit. Pro qua commotione lenienda, ducatus Carinthiorum ei committitur, quem poſtea filio ſuo ęquiuoco, ipſius rogatu rex Heinricus commiſit: ſed poſtmodum quorundam inſtinctu eundem ducatum Luitolfo conſanguineo ſuo dedit, ſicq; patrem & natum paruipendens, offendit. Vnde quaſi renouata priore iniuria, cũ Bertholdus dux per moueretur, omnia conſiliorũ machinamenta, quibus ſatis pollebat, ad hoc uertebat, ut ab utroq;, id eſt, rege & Rudolfo, ſe ulciſceretur, ab hoc ſcilicet, quoniã à ducatu ſibi promiſſo ſe ſupplantauit, ab illo uero quia ſe accepto priuauit. Multæ interim cauſæ, quæ inconſulte tunc gerebantur, ſibi concurrebant, & huic machinationi occaſiones præbebant. Otto dux Baioariorum deijcitur. Chunradus genere Sueuus, à militibus regis interficitur, & quaſi à rege iuſſum ſit, ipſi crimen indicitur. Cõſpirat igitur Otto in Saxonia, Bertholdus in Sueuia. Fiunt motus & conuentus utrobiq;, in quibus odia in regẽ ſuſcitantur & inuidiæ, multa quoq; interea in regno fiebant, quæ utroſq; populos iuſtis & neceſſarijs, ut uidebañ cauſis, ne regi adhęrerent, auertebant: coq; res perducta eſt, ut Rudolfus in damnationẽ ſui regnũ inuaderet, dominumq́ ſuũ regẽ deponere aut interficere quæreret. Sed hæc res quem affectum haberet, nec ruſticos latet. Anno dñi milleſimo lviij. Fridericus, qui & Stephanus, pontifex Romanus, uitam finiuit, & Alexander Lucenſis epiſcopus ei ſucceſſit. Huius tẽpore Hildebrandus poſtea pontifex archidiaconus, officio functus eſt Romę. Anno domini milleſimo lix.

Otto de Suinfurt dux Sueuorum.

Rudolfus de Reinfelden, & Bertholdus de Zæringen, ob Sueuiæ ducatum contendunt.

Otto dux Baioariorum deijcitur.

Hildebrãdus põtifex.

Anno

Anno domini mill. lx. Luitpoldus archiepiſcopus Mogontinus obijt, cui Sigefridus Fuldenſis abbas ſucceſſit, qui poſtea cũ alijs contra dñm ſuũ regẽ cõſenſit. Anno dñi mill. lxi. Anno dñi mill. lxij. Anno dñi mill. lxiij. Anno dñi mill. lxiiij. Sigefridus epiſcopus Mogontiacenſis, & Guntherus Babenbergenſis, & Vuillehelmus Traiectenſis, alijq́ ꝙ plures preſules uel nobiles, multo comitatu Hieroſolymam tendentes, multas infeſtationes à Barbaris perpeſſi ſunt, tandemq́ per uentione fruentes optata, numero & rebus admodũ attenuati redierunt. Anno dñi mill. lxv. Guntherus epiſcopus Babenbergenſis ab Hieroſolyma rediens, in Pannonia moritur, perlatusq́ Babenberg, ibi ſepelitur, poſt quem Hermannus ordinatur. Gozuuinus comes in epiſcopio Vuirciburgenſi tyrannidẽ exercens, à comitibus Adelberonis præſulis occiſus eſt. Anno dñi mill. lxvi. Cometes per totũ orbem diu apparuit. Eodem anno Anglia per Vuillehelmũ Nortmannum miſerabiliter adflicta tandẽq́ ſubacta, ipſe rex eius effectus eſt. Qui mox omnes pene regni eiuſdem præſules exilio, nobiles uero morti deſtinauit: mediocres autem ſuis militibus in ſeruitutem, uxores indigenarum uniuerſorũ aduenis in matrimoniũ ſubiugauit. Chunradus de Phullingen ortus, apud Treuerim electus, à comite Dieterico paſſus, Dolegio eſt ſepultus. Anno domini mill. lxvij. Heinricus rex Bertham Ottonis cuiuſdam Italici, & Adelheidæ filiam accepit uxorem, nuptias celebrans Triburiæ. Anno dñi mill. lxviij. Heinricus rex adoleſcentiæ uſus libertate, Saxoniam ſolam ex omni Romano imperio cœpit incolere, principes deſpicere, nobiles opprimere, inferiores ſuſtollere, uenatui, luſibus, cæterisq́ huiuſmodi exercitijs plus quàm iuſticijs faciendis (ut incuſatus eſt) operam dare, filias illuſtrium quibuslibet obſcure natis coniugare, priuata prẹſidia, nimirum potentibus regni non ſatis fidens, inſtituere. His diſcordiæ ſeminarijs contigit regi quàm plurimos inſidiatores tam uitæ quàm regni ſui creſcere. Qui tamen ut maturitatis necdum plene attigiſſet annos, erant qui non tam ipſum, ꝙ Adelbertum Premenſem archiepiſcopum culpandum iudicarent, quod eius conſilio hæc omnia ageret. Anno domini milleſimo lxix. Agnes imperatrix, mater regis Heinrici tedio affecta eſt, uel potius diuinitus compuncta, ducatũ Baioariæ depoſuit, & regni gubernacula penitus contemnens, pro Chriſto ſe Romam contulit, ibiq́ dignis pœnitentię fructibus mira inſeruiens humilitate, poſt aliquot annos in domino præſentẽ uitam finiuit. Anno domini milleſimo lxx. Teti Marchio non ſine Saxoniæ principum conſilio, tyrannidem in partes regias orditur, quæ tamen mox cœleſti ſimul & terrena maieſtate compeſcitur, ſcilicet caſtellis ſuis, Bichilingon, & Schidingon, à rege deſtructis, filio ſuo æque militari uiro, à proprio ſeruo interempto, ipſoq́ communi morte in breui finito. Conſtantię Rumoldus epiſcopus obijt. Anno dñi mill. lxxi. Otto dux Baioariæ ducatum amiſit. Hic itaq́ Saxo genere, uir ampliſſimæ nobilitatis, prudentia rebusq́ bellicis perpaucis erat comparabilis: & in tanta apud uniuerſos primates excellentia habitus, ut rex qui iam Saxonibus omnino ſuſpectus & inuiſus erat, ipſum contra ſe in regni faſtigium eleuari poſſe formidaret, ſi res ſua ſecus cederet. Hinc peruerſitatis materiam arripiens, quidam Egino, mediocri natus loco, rebus admodum tenuis, audacia tamẽ & nequitia ſatis diffamatus, patrocinantibus quibuſdam regis fidelibus, curiam irrepſit, & magnum illum heroem, qui ſe nunꝙ nouerat, ſecum de regis nece tractaſſe commentatus eſt: ſeipſum etiam ut mos eſt, poteſtati regiæ uadem obtulit, quouſq́ campionis duello cum duce confligens, uera comprobarentur quæ retulit. Quid multa? Placitis uel colloquijs regalibus, uno Mogontiæ, altero Goslariæ, condictis, Otto cum Egînone, utpote dux cum latrone, primas cum ignobili congredi contempſit, ſua tamen innocentia, uel Eginonis improbitas minime latuit. Sic ducatum Baioariæ Otto ut reus maieſtatis amiſit, quem Vuelfo quidam illuſtris & acer, atq́ bellicoſus, natu Sueuus accepit: idq́ tam principalis diſcordiæ ſemen, in perpetuos heu præliorum & ſeditionum, prædarum & incendiorum, ſciſmatum etiam & hæreſium

Luitpoldus archiep. Mogontinus obijt.

Sigefridus epiſcopus Mogontinus.

Profectio quorũdam Germaniæ epiſcoporum Hieroſolymis.

Cometa.

Anglia afflicta.

Alias Cueno' primicærius Colonienſis.

Prudẽs ſit hic lector, et cũ iudicio legat, quæ ſunt ex Italorũ narratione in hiſtorijs paßim. Et hic de Heinrico 4. et Hilteb. ſi uſpiam alibi, locũ habeat, q, ſcribit Otto friſingenſis, aliud eſſe res geſtas ſcribere, aliud an licite, uel ſecus res acta ſit.

Adelbertus Premẽſis epiſcopus.

Agnes mater Heinrici Romam ſe confert.

Teti Marchio.

Bichilingen. Schidingen.

OTTO Baioariæ dux.

Egino.

Duellum Ottonis & Eginonis.

hæreſium, atq; mortium lamentabiles fructus germinauit atq; ſuccreuit. Anno domini mil. lxxij. Rex Ottonem uſquequaq; perſequutus, q̃ plures munitiones eius deſtruit, prædia uaſtat, & ut ueræ Reipublicæ hoſtem omnino eum delere pertractat. Econtra ille militibus electis inſtructus, ipſe quoq; manu fortiſſimus, & animo nimis efferatus, quia cum regijs copijs confligere non poterat nunc præda, nunc flammus, nunc etiam ferro quacunq; ſe ſors obtulit, ſuas iniurias ulciſci ſatagebat. Ipſo deniq; mediante non ceſſat gens Saxonū, ut eſt animis acerrima, coniurationem aduerſus regem unanimi conſpiratione confirmare, accuſationes blaſphemas & inauditas ad ſedem Apoſtolicā in illum referre, ſocioſq; ſibi ex omni regno Teutonico literis & nuncijs aſciſcere.

Cōiuratio quorundā epiſcoporum in Heinricum 4.

Nam primo Sigifridū Mogontinæ ſedis metropolitanum, Adelbertum Vuormacienſem, Adelberonem Vuirciburgenſem, Gebehardum Saltzburgenſem, alioſq; quamplures pręſules, indeq; per ipſos etiam papam Alexandrum ſibi fautores efficiunt. Quidam quoq; ſummę ſanctitatis uirū Annonem archiepiſcopum Colonienſem coniurationis eiuſdem conſcium aſſerunt. Quorū inſidijs rex territus, Saxonia ceſſit, & in alijs regni partibus agendis rebus inſtitit. Anno domini milleſimo lxxiij. Anno Colonienſis epiſcopus, & Hermannus Babenbergenſis, Romā miſſi ſunt, pecuniam quæ regi debebatur, congregandi gratia.

Querelæ Romanæ in Heinricū quartum.

Qui legatione peracta, reuerſi, literas Alexandri apoſtolici detulerunt, regem uocantes ad ſatisfaciendum pro ſimoniaca hæreſi: alijſq; nonnullis emendatione dignis, quę de ipſo Romę fuerant audita. Poſt hæc Saxones adijciunt etiam præſidia multa conſtruere: necdum enim plures habebat Saxonia munitiones. Inſuper caſtella quæ rex dudum ędificauerat, funditus euertunt, inter quæ præcipuum illud caſtrum, quod

Zartesburg.

Zartesburg dicebatur, diruunt: monaſterium & clauſtrum canonicorum quod ibi erat, multa furentes audacia, ſolotenus deijciunt: & quod dictu nefas eſt, innocentis cuiuſdam filij regis ibidem ſepulta oſſa, in cōtumeliam patris de ſepulchro proijciunt. Anno domini milleſimo lxxiiij. Beatæ memoriæ Alexandro

Hiltebrandus papa.

papa defuncto, Hiltebrandus qui poſtea Gregorius dictus eſt, profeſſione monachus & archidiaconus, Romanæ ſedi ſucceſſit: ſub quo Romana Reſpublica & omnis Eccleſia nouis & inauditis ſciſmatum erroribus periclitari cœpit. Qui cum abſq; regis conſenſu ſolis tantū Romanis fauentibus, hunc apicem conſcendiſſet, ſunt qui illum non canonice conſtitutum, ſed tyrannice papatum ſibimet aſſeuerent uſurpaſſe. Pro qua re & à nonnullis epiſcopis abdicatus eſt. Hic regē Heinricum crebris nuncijs & epiſtolis denuo ad ſynodalia reſponſa uocauit.

Hermannus Marchio, filius Bertholdi ducis, Cluniaci monachus obijt. Hoc

Monaſterium Schwartzach

etiam anno monaſterium Suuartzahenſe Adelberone Vuirciburgenſi Epiſcopo dedicatum eſt in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & ſanctæ Fœlicitatis martyris, ſub Ekkeberto eiuſdem monaſterij uenerabili abbate.

Anno domini milleſimo lxxv. Heinricus rex manu ualida tam ex Alemannia, quam Baioaria, & Germania atq; Boemia congregata, Saxones petit, eiſq;

Fluuius Inſtruot.

iuxta Inſtruot fluuium congreditur: & non modica ſtrage utrinq; peracta, tandem uictoria potitus reuertitur. Ibi Rudolfus dux Alemanniæ atq; Burgundiæ, qui poſtea regnum inuaſit, fortiter cum ſuis pro rege dimicaſſe notatus eſt.

Epiſcopus Bomberſgenſis Hermannus deponitur.

Hermannus Babenbergenſis Epiſcopus, ob hæreſim ſimoniacam, autoritate Hiltebrandi papæ deponitur, eiq; Rupertus à rege ſubrogatur. Anno Colonienſis epiſcopus, plenus ſanctitatis meritis, defunctus eſt, & in monaſterio Sigebergenſi, quod ipſe conſtruxerat, poſitus. Cui Hildolfus ſucceſſit. Dominus Ekkebertus abbas huius congregationis tranſiuit ad Dominum, ſeptimo

Concilium Vuormatiæ, in quo Hiltebrandus papa abdicatur.

kalend: Decembr. Anno Domini milleſimo lxxvi. Habitum eſt concilium apud Vuormaciam, ubi præſente rege Heinrico, uniuerſi pene Teutonici epiſcopi, præter Saxonicos, Hiltebrandum papam abdicarunt, mittentes ad illum epiſtolam poſt multas culpationes in illum iniectas, ita concluſam: Quia ergo & introitus tuus tantis periurijs eſt initiatus, & eccleſia Dei tam graui tempeſtate per abuſionem nouitatum tuarum periclitatur, & uitam per conuerſationem tuam tam multiplici infamia dehoneſtaſti, obedientiam quam tibi nullam

bi nullam promiſimus, nec de cętero ullam ſeruaturos eſſe renunciamus, & quia nemo noſtrum, ut tu publice declamabas, tibi hactenus fuit Epiſcopus, tu quoq; nulli noſtrum amodo eris Apoſtolicus.

Colloquium in Oppenheim.

Eodem itaq; anno circa xviij. Kal. Octob. colloquium maximum apud Oppenheim factum eſt, ubi penè totius regni principes, ſed maxime Saxonũ & Alemannorum, ſubiectioni regis renunciabant, cauſam prætendentes, ꝙ à duobus iam Apoſtolicis uocatus ad ſatisfactionem non ueniſſet, & pro hoc contemptu ſententiã excommunicationis in Romana Synodo à Papa accepiſſet, cum ipſe tamen inauditus & abſens fuiſſet. Hac commotione coactus rex, Romam humiliter, utpote ueniam ab Apoſtolico poſtulaturus, inimicis non ſperantibus, tetendit: inuentoq; Papa in oppido Canuſino ibi per triduum ante portam caſtri, depoſito omni regio cultu, diſcalceatus, & laneis indutus perſtitit. Nec prius cum multo fletu Apoſtolicæ miſerationis, auxilium & conſolationem implorare deſtitit, ꝙ omniũ qui ibi aderant, precibus & lachrymis intercedentibus, laxato tandem anathematis uinculo, in communionis gratiam, & ſinum matris Eccleſiæ receptus eſt, acceptis ab eo correctionis in futurum uitæ ſuæ ſecuritatibus multis. Inter hæc quæ geſta ſunt, totus iam mundus ſui commotione teſtatur. Sed quia quidam dicunt ipſius Papæ autoritate & conſilio, Rudolphũ in regno ſublimatum, quidam uero negant Heinricum regem ab eo fuiſſe excommunicatũ, eiuſdem Papæ dicta quędam ſuper his potiſsime, non incongruũ uidetur annotare.

Quæ Heinricus in Canuſino fecerit.

Hic obſecro uide Chronica parua Germaniæ Tubingæ excuſa.

Epiſtola Hiltebrandi de excommunicatiõne Heinrici.

Ait enim in quadam Epiſtola ad uniuerſos Teutonici regni Principes miſſa. Audiuimus quoſdam inter uos de excommunicatione, quam in regem fecimus dubitare, ac quęrere, utrum iuſte excommunicatus ſit,, an iniuſte. Admonuimus eum, ut pœnitentiam ageret de factis ſuis, uerum ipſe indigne ferens ſe à quoq; reprehendi, non ſolum à perpetratis ad emendationem reuocari non potuit, ſed ampliori furore correptus, non prius ceſſauit, donec omnes ferè Epiſcopos Italiæ, in Teutonicis uero partibus, quotquot potuit circa fidem Chriſti naufragare fecit: dum eos beato Petro, & Apoſtolicæ ſedi debitam obedientiam & honorem à Domino noſtro Ieſu Chriſto conceſſum, abnegare fecit. Pro his illum cauſis, primum uidelicet, quòd ab eorum communione, qui pro ſacrilegio & reatu ſimoniacę hæreſis excommunicati ſunt, ſe abſtinere noluit, deinde quòd pro criminoſis actibus pœnitentiam non dico ſuſcipere, ſed nec promittere uoluit, Synodali iudicio eum excommunicauimus. Item in alia Epiſtola, poſt datã reconciliationem: ſolam, inquit, ei cõmunionem reddidi, non tamen in regno, à quo eum in Romana Synodo depoſueram, reſtauraui. Et quibuſdam interpoſitis, Epiſcopi, inquit, & Principes ultramontani, audientes illum non ſeruare quod mihi promiſerat, quaſi deſperati de eo, ſine cõſilio meo, elegerũt ſibi Rudolphũ in regem. Centius quidam ciuis Romanus ex fautoribus Heinrici, in natiuitate Dñi Gregoriũ Papam in gallicantu miſſam celebrantẽ, de altari grauiter uulneratum, rapuit: & in turre ſua in cuſtodiam miſit. Vnde populus iratus, eodem die turre Centij deſtructa, eiq; uita uix impetrata, loco ſuo reſtituit. Prius tamen miſſa ad altare ſuſtentatus percantata, quam prius inceperat, ſed nondum finierat. Anno Domini Milleſimo lxxvij. Rudolphus indigena Sueuiæ, quæ regalibus omnino ſtẽmatis eſt aliena, mediantibus Sigefrido Metropolitano, & Adelberone Vuirciburgenſi Epiſcopo, Bertholdo quoq; duce Carinthię, ac prædicto Ottone, alijſq; nonnullis Principibus, in præſentia quorundam Romanæ ſedis legatorum non uoluntarie annuentium, apud Forcheim in regem eleuatur. A quibus etiam deductus Mogontiam, in media quadrageſima xij. Kalen. April. à Sigefrido Epiſcopo in regem ungitur. Vbi eodem die peſsimo auſpicio, ſeditione facta, multa turba uulgi cæſa eſt ab eius militibus, unde uulgus accenſum in ipſos exarſit, magniſq; ictibus multos obtruncans, cæteros in curiam palàm fugauit, ipſaſq; regias ædes incendere uoluit, niſi quòd Epiſcopus Sigefridus pro ueloci diſceſsione, Rudolphi obſidem ſe interpoſuit. Ita Rudolphus, & cuncti qui cum eo uenerunt, eiecti ſunt, ipſe quoque Sigefridus Epiſcopus magnis blaſphemijs eliminatus, Mogontiam non intrauit amplius,

Centius Heinrici fautor, uiolentus in Papam.

M. L X X V I I. *Rudolphus Sueuus eligitur in regem.*

Seditio Mogontiæ.

Vuirtzburg obſidetur à Rudolpho.

Bertholdus de Zeringen, dux Carinthiæ.

Vto Treueren. Epiſcopus.

Bellum Heinrici & Rudolphi Stronui.

Vuecil Magadeburg. Archiepiſcopus occiditur.

Bellum Heinrici & Rudolphi in Fladenbeim.

Collecto dehinc a Saxonia exercitu copioſo, Rudulphus, Vuirciburgẽſes Heinrico regi fidem ſeruantes, & tam Epiſcopum ſuum Adelberonem, quàm ſe contemnentes, obſedit. Sed iam diuerſis machinis ad urbis oppugnationem inſtructis, terrore Heinrici regis circa kal. Iulij ab Italia reuerſi, inacte regreditur. Heinricus autem rex Alemanniam cum exercitu petit, ibiq́ quendam ex indigenis Hugonem, alioſq́ ſibimet inibi rebelles, non ſine magna eiuſdem prouinciæ uaſtatione debellat. Bertholdus autem de Zeringen, dux quondã Carinthię, in quodam oppido ſuo Lintberg, naturaliter munito, poſitus, dum uideret ex arbitrio regis impune cuncta uaſtari, præ dolore animi dicitur eo morbo, quem Medici φρενῖτιν uocant, occupatus fuiſſe, ſeptemq́ diebus poſtea ſuperſtes multa amentiæ uerba quaſi delirans protuliſſe, ſicq́ uitam finiſſe. In ea expeditione Vto Treuirorum Archiepiſcopus defunctus eſt. Agnes mater Heinrici regis xx. annis uidua, Romæ obijt, in Eccleſia S. Petronellæ ſepulta, Anno Domini Mil. lxxviij. Heinricus rex properanti cõtra ſe cum multo exercitu, Rudolpho iuxta Stronui occurrit. Initoq́ prelio, non pauci ex his atq́ illis proſternuntur, ac incerta fit uictoria, utriſq́ certatim fugiẽtibus ad propria. Vbi à uulgaribus hominibus Vuecil Magadeburgenſis Archiepiſcopus in fuga occiditur, ſiue ut quidam dicunt, ſuſpenditur, Magnus dux deſpoliatur. Hermannus comes eiuſdem Magni patruus, & Adelbertus Vuormacienſis Epiſcopus compræhenſi, ac plurimi de militibus Saxonicis turpiter ſunt interempti. Ex parte quoq́ regis Heinrici, Poppo uir mire fortis occubuit. Anno Domini Milleſimo lxxix. Iterum bellũ fit inter Heinricum & Rudolphũ in loco qui dicitur Fladeheheim, hyeme nimis aſpera, ubi in primo congreſſu Saxones terga uertunt. Ibi dux Boemię Fratizlaus, regalem lanceam Rudolphi adeptus eſt, quæ exinde permiſsione regis Heinrici, ſemper quemuis illius gentis ducatu inſignem, in omni feſtiua proceſsione præcedit. At rex Heinricus proprijs caſtris redditus, de armigeris quos reliquerat, penè nullũ inuenit. Vna quippe ex legionibus Saxonũ, in primo cõgreſſu pugnã deſerens, quia obſcurus erat aer, furtim caſtra regis inuaſit, multoſq́ pueros cõprẹhẽdens, ſtrangulabat eos, multaq́ abradens ſpolia, fugam inijt. Rex autem dimiſſo exercitu, in Orientalem Franciam cum paucis diuertit.

AD LECTOREM.

LEGE *obſecro uitam & geſta* Hiltebrandi, *qui* Ro. Pontifex *factus*, Gregorius *ſeptimus dictus eſt, deſcriptam per* Benonẽ Cardinalem Archipresbyterum *ſanctæ* Romanæ Eccleſiæ, *qui eo tempore uixit. Vbi narratur cur fuerit depoſitus, & miranda referuntur de alijs* Pontificibus Romanis, *uidelicet* Benedicto *nono*, Gregorio, *Syluestro undecimo*, Iohanne *uiceſimo*, Leone *nono*, Alexandro *undecimo, & alijs, quæ nullus hiſtoricorum adhuc prodidit, neq;* Platina, *nec quiſquam alius. Verum, ut guſtum aliquem habeas, libet hic pauca adducere, ex quibus ceu leonem ex unguibus æſtimare poteris.*

1. *Epiſcopos ipſe turbis laicorum ſtipatus, conuocauit, & Sacramentum ab eis cum terrore & minis exegit & extorſit, & in manu ſua iurare coegit, ne unquã ab eo diſſentirent, nunquam regis cauſam defenderent, nunquam ſuperordinato ſibi* Papæ *fauerent, uel obedirent.*

2. *Scripturas ſacras uiolenter intorſit in adiutorium falſitatis, quod genus idololatriæ quantum ſit, late patet in ſcripturæ ſacræ campis ſpatioſis.*

3. *Imperatorem in nulla* Synodo Canonice *accuſatũ, præcipitanter excommunicauit, in qua excommunicatione nullus* Cardinalium *ſubſcripſit.*

4. *Imperator* Heinricus IIII. *ſolitus erat frequenter ire ad orationem, ad* Eccleſiã S. *Mariæ, quæ eſt in monte* Auentino. *Hic promiſſa pecunia* Hiltebrandus, *quendã induxit, ut ſupra trabes* Eccleſiæ, *occulte lapides magnos collocaret, et ita aptaret, ut de alto ſuper orantis* Imperatoris *caput demitteret, & ipſum contereret. Quod miniſter tanti ſceleris cum feſtinaret implere, & lapidem magni ponderis ſuper trabes aptare uellet, lapis pondere ſuo eum traxit, & fracta ſub trabibus tabula, & lapis, & ille miſer homo,* Dei *iudicio, in pauimentũ* Eccleſiæ *cecidit, & eodem lapide contritus eſt. Huius rei geſtæ ordinẽ, poſtquam* Romani *cognouerunt, pedem illius miſeri, fune ligauerunt, & triduo per plateas urbis, ad exemplum trahi fecerunt.* Imperator *autem ſolita clementia, iuſsit ſepeliri.*

5. Idem

5. Idem Hildebrandus Sacramentum corporis Domini, reſponſa diuina quærens contra Imperatorem, fertur igni inieciſſe, contradicentibus Cardinalibus qui aßiſtebant: teſtis eſt Iohannes Portuenſis Epiſcopus à ſecretis Hildebrandi.

6. Prophetiam ſibi arrogat de morte Heinrici, et de ambone clamat in ferijs Paſchalibus. Non habete me pro Papa, ſed ab altari me auellite, ſi uſq; ad Pentecoſten hoc non fiat.

7. Eiſdem diebus parauit Imperatorem perdere per occultos proditores, Deus autem eum cuſtodiuit. Hinc illi ille Prophetiæ ſpiritus, qui proditoris ordinator erat.

8. Tres homines non conuictos, non confeſſos abſq; ſecularibus Iudicibus, Hildebradus morti adiudicauit, & eos in patibulis iuxta Eccleſiam. S. Petri, in loco qui dicitur Palatiolum, ſuſpendi præcepit.

9. Familiarem ſibi librum Necromanticæ artis ſemper ſolebat ſecum ferre. Multa & alia fecit Hiltebrādus, in quē clamat ſanguis Eccleſiæ, gladio linguæ eius miſerabili proditione effuſus, propter quæ à communione eius, iuſtißime Eccleſia receßit, ſicut fecerunt Imperatores noſtri, temporibus Apoſtatarum Liberij & Anaſtaſij. Hæc Bruno.

Comitia Brixiæ, contra Gregorium ſeptimum Papam.

ANno Domini Milleſimo lxxx. Cum apud Brixiam, Noricam, triginta Epiſcoporum conuentus, nec non & optimatum exercitus, non ſolum Italiæ, ſed & Germaniæ iuſſu regis Heinrici congregaretur, factus eſt omnium conſenſus aduerſus Hiltebrandū Papam, cognominatū Gregorium ſeptimum, quem pſeudomonachum, totiusq; ueſaniæ peſtiferum Principem, & præcipue ſanctæ Romanę ſedis inuaſorem affirmantes, ab Apoſtolica ſede depellendum, quamuis abſentem dijudicabāt, & Vuigbertum Rauennenſem Archiepiſcopum, ipſi ſubrogandum eligebant. Huius Decreti concluſio hæc eſt. Quia inquiunt, illum conſtat non à Deo electum, ſed à ſeipſo, in fraude ac pecunia impudentiſsime obiectum, qui Eccleſiaſticum ſubuertit ordinem, qui Chriſtiani imperij perturbauit regnum, qui regi catholico ac pacifico, corporis & animæ intentat mortem, qui periturū defendit regem, qui inter concordes ſeminauit diſcordiā, inter pacificos lites, inter fratres ſcandala, inter coniuges diuortia, & quicquid quiete inter pie uiuentes ſtare uidebatur, cōcuſsit: nos, autore Deo, congregati in unū, legatis ac literis freti decem & nouem Epiſcoporū, die ſancto, præteritę Penthecoſtes Mogontię congregatorū, contra eundem Hiltibrandū procaciſsimū, ſacrilegia ac incendia prædicantem, periuria & homicidia defendentē, catholicā & Apoſtolicā fidem de corpore & ſanguine Dñi in quęſtionē ponentē, hęretici Berengarij antiquū diſcipulū, diuinationū ac ſomniorū cultorē, manifeſtum necromanticū, phitonico ſpiritu laborantem, & idcirco à uera fide exorbitantem, iudicamus Canonice deponendū & expellendū, & niſi ab ipſa ſede his auditis deſcenderit, in perpetuū condemnandū. Facta ſunt aūt hęc vij. kal. Iulij. feria v. Indict. iij.

Parryſia Epiſcoporum contra Papam Hiltebrandum.

Dotes Hiltebrandi, Apoſtolicæ ſcilicet.

Epiſtola Anshelmi Lucenſis.

Scripſit poſt hæc Anshelmus, Lucenſis Epiſcopus, epiſtolā ad eundem Vuigbertū, in qua illū pręuaricatorē ac ſuperbū cognominat, inter alia ſubinferens. Vt ergo de beato Gregorio patre noſtro dicā, quod de Cornelio ſcripſit beatus Cyprianus, factus eſt Epiſcopus, de Dei & Chriſti eius iudicio, de clericorū penè omniū, & ut uerius dicā, omnino omniū teſtimonio, de plebis, quæ tunc aderat ſuffragio, de ſacerdotū antiquorū, & bonorū uirorū collegio, cum nemo ante ſe factus eſſet, cū Alexandri locus, id eſt, cum locus Petri, et gradus ſacerdotalis cathedrę uacaret. Quo occupato, & de Dei uoluntate, atq; omniū noſtrū conſenſu ordinato, quiſquis iam Epiſcopus uoluerit fieri, foras fiat neceſſe eſt, nec habet Eccleſiaſticā ordinationē, qui Eccleſię non tenet unitatē. Quiſquis ille fuerit, licet multū de ſe iactans, ſibi plurimū uendicans, prophanus eſt, alienus, foris eſt. Et cum poſt primū ſecundus eſſe non poſsit, quiſquis poſt unū, qui ſolus debet eſſe, factus eſt, iam nō ſecundus ille, ſed nullus eſt. Hæc priori ſentētię ualde cōtraria ſcripſit Anshelmus Epiſcopus, uir literis apprime eruditus, ingenio acutiſsimus, facūdia pręcipuus, & quod oībus maius eſt, in Dei timore & ſancta cōuerſatione nominatiſsimus, adeo ut tā in uita q̃ poſt mortē referatˀ miraculis clarus.

His ita geſtis, inter Heinricum regem, & Rudolphum, rurſus geritur bellum iuxta fluuium Elleſtram, in quo idem Rudolphus cecidit, ſed à ſuis Meresburg uiuus delatus, & in breui defunctus, honorifice ibidem eſt humatus.

Fertur

Obſerua colloquium Rudolphi cũ Epiſcopis in Mersburg, quod Heinrici 4. teſtatur innocentiã, & Epiſcoporum πολυπραγμοσύνην.

Fertur autem in extremis poſitus, & abſciſam dexteram intuitus, ad Epiſcopos, qui forte aderant, grauiter ſuſpirans, dixiſſe. Ecce hæc eſt manus, qua domino meo Heinrico fidem ſacramẽto firmaui, ecce ego iam eius regnum & uitam derelinquo præſentem, uidete qui me ſolium eius conſcendere feciſtis, ut recta uia uiæ ueſtra monita ſequentem duxiſſetis.

Hoc etiam prælio ex parte regis Heinrici Ratpoto comes, regi ſatis fidus interijt. Anno Domini Milleſimo lxxxi. Rex Heinricus Italiam cum exercitu petijt. Romamq; perueniens, in uigilia Pentecoſtes, reſiſtente ſibi Hiltibrando Papa, cum Romanis ante caſtellum S. Petri caſtra poſuit, ubi etiam crebris per bienniũ incurſibus urbanorum infeſtatus, parua manu multa uiriliter peregit. Monaſterium Babinbergenſe crematur, in uigilia Paſchæ. Saxones & Alemanni ad colloquium uenientes in Orientalem Franciam, non ſine magna clade eiuſdem prouincię, redierunt. Bellum inter Chunradum in Orientali Baioaria ducis Boemię fratrem, & Luitpoldum Marchionem commiſſum eſt iiij. Idus Maij. Item aliud inter Alemannos & Baioarios iij. Idus Aug. iuxta Danubiũ apud Hohenſtein, ubi Palatini comitis, Chunonis filius Chuno occiſus eſt. Anno Domini Milleſimo lxxxij. Hermannus quidam uir prępotens ac nobilis ex Germania, à Saxonibus & Alemannis rex conſtituitur. Cui cum ſuis in partibus, hoc eſt in Lothoringia uel Germania nemo bellicis in rebus atq; diuitijs poſſet æquiparari, ſumpto regis nomine, tam ſuis quàm alienis cœpit in breui deſpectus haberi. Anno Domini Milleſimo lxxxiij. Hermannus cum paucis Orientalem Franciam hoſtiliter inuadit, & per eandem partem uiſus eſt quaſi equitum diſcurrens exercitus, quorum tamen ueſtigia nullo modo poterant agnoſci. Heinricus rex Paſcha celebrauit apud ſanctam Rufinam, moxq; Romã tendens, caſtra poſuit, ubi & prius, ad Occidentalem partem caſtelli S. Petri: captaq; eſt urbs iiij. Non. Iunij, feria ſexta ante octauam Pentecoſtes. Hoc tempore Hiltibrandus Papa in caſtello Creſcentij, quod uulgo domus Theoderici appellatur, incluſus expectabat euentum rei. Rex uero in Palatino monte munitionem inſtituens, non paucos quos in pręſidio poſuerat, ingraueſcente ſuper eos ęſtatis inſueto feruore amiſit, ſed & alios de exercitu multos eadem mortalitas abſumpſit. Eodem tempore legati Gręcorum uenerunt, munera multa & magna in auro & argento, uaſiſq; ac ſericis afferentes. Romani autem uiginti obſides regi dantes ex nobilibus, petierunt diem conſtitui, in quo Papa & omnes Senatores in pręſentiã eius uenirent. Qui diem ſtatuens Kal. Nouemb. ipſe ad montana conſcendit, intrante Iulio, ibiq; commorans uſq; ad ſtatutum tempus, Romam redijt, ſed Papa in pręſentiã eius non uenit. Vnde Romani commoti, manus regi dederunt: Hiltibrandum uero Papam unanimiter abdicarunt. Qui occulte fugiens, Salernam ſeceſsit, ibidem ad diem mortis ſuæ permanſit. Eodem anno Vuelpho Baioariorum antea dux Auguſtam ciuitatem, ſummo mane intrauit, Sigefrido Epiſcopo uix euadente, Vuigoldum quendam eiuſdem loci Canonicum inthronizauit. Anno Domini Milleſimo lxxxiiij. Heinricus natale Domini Romę apud S. Petrum celebrauit, circa Kal. uero Febr. in Campaniam tranſiens, ipſam, & magnam Apulię partem cepit. Poſt hæc per legatos Romanorum rogatus, ut pacificus rediret, Romam redijt, & ad portam Lateranenſem caſtra ponẽs, omnes in deditionem accepit, ipſiſq; petentibus, ut quia Hiltibrandus ab ipſis abdicatus aufugerat, Vuigpertũ Rauennatem Epiſcopum eis Apoſtolicum præficeret xi. Kal. April. feria vi. ante diem Palmarum multis ſtipatus, cum magna gloria intrauit, ducens ſecum pręditum Epiſcopum. Qui ſequenti Dominica per multos Pontifices, Apoſtolico nomini dicatus, nomenq; Clementis accipiens, reuerenter eſt inthronizatus. A quo rex cum regina Bertha, in ſancta Dominica Paſchę, imperiali benedictione ſublimatus eſt. Poſt hæc Imperator Heinricus de Italia digrediens, Auguſtam ciuitatem ab Alemannis inuaſam, obſedit & accepit. Defuncto Sigefrido Archiepiſcopo Mogontino, Vuecil ſucceſsit. Anno Domini Milleſimo lxxxv. Synodus Mogontiæ habetur, cui interfuit Imperator, ubi præſentibns legatis Romanorum omnes Epiſcopi rebelles Imperatori, deponendi iudicantur, cęteri uero anathemate,

Hermannus rex.

Roma capitur.

Legati Grecorum ad regem Heinricum.

Hiltebrandus deponitur, & ſecedit.

Vuigpertus Rauẽnas fit Papa.

Heinricus 4. Auguſtam obſidet.

Synodus Mogontiæ.

ſmate, ut uidebatur, condemnantur. Ibi etiam communi conſenſu atq; conſilio conſtituta eſt pax Dei. Non multo poſt ſubſtitutis ab imperatore per parochias abdicatorũ pręſulibus, in locum Adelberonis Meginhardus conuerſatione probabilis, literis etiam & ingenio atq; facundia nulli penè ſecundus, Vuirciburgenſi eccleſiæ præſul ordinatur, dignus qui alius temporis eſſet epiſcopus. Recepto iam à Saxonibus pacifice Imperatore Heinrico, quidã Marchio Eggibertus Imperatoris etiam conſanguineus, armis ſtrenuus & animoſus atq; ditiſſimus, iterum in Saxonia contra Imperatorem tyrannidem ſuſcitauit: qua cognita, Imperator in Franciam propere rediјt. Eodẽ anno condicto tam ab inimicis quàm amicis Imperatoris colloquio, in Thuringia, loco qui Berchach dicitur, conueniebant, ex utraq; parte, quicunq; ſapientiſſimi de optimatibus iudicabantur, canonum autoritate probaturi, cui parti iuſticia faueret, Imperatore tamen abſente, ſic enim ipſe conſenſit.

Marchio Eggibertus ſeditionem excitat contra Heinricum.

Conuentus in loco Thuringiæ Berchach

Electis igitur ſatis literatis & eloquentibus uiris, hinc Vuecilone Mogontino, illinc Geberhardo Saltzburgenſi Archiepiſcopis, diſputatio cœpta eſt. Affirmat Geberhardus proponente hoc prius Vuecilone, imperatorem non iniuſto iudicio, tam regno, quàm communione Apoſtolici ſententia priuatum, econtra Vuecil dominum ſuum præiudicium non minus à Papa, quàm à principibus paſſum contendit, dum ipſo apud Canuſium in ſatis factione poſito, immo iam à Papa in communionem recepto, alterum ſuper ſe regem eleuarent.

Diſputatio, an iniuſte depoſitus Heinricus quartus.

Adiecit etiam idem Mogontinus, quòd imperator diu iam à Saxonia depulſus, & regnandi copia etiam ab illa diſſenſione, quæ ante Rudolphum facta præſcribitur, ſpoliatus: nec uocari, nec iudicari, nec damnari canonice debuiſſet. Hoc Gebehardus improbare nitens aſſerit, neminem per hoc diuinis abſolutum legibus, ſi forte ſua qualibet re familiari fuerit ſpoliatus, quanto minus rex qui Saxonia, quæ non ſuum duntaxat prædium, ſed domini ſit regnum, qui Daniele, uel ipſo rege Nabuchodonoſor teſte cuicunq; uoluerit, dat illud: cum etiã ante amiſſam Saxoniam prius ab Alexandro, dehinc à Hiltebrando uocatus, ſatis facere contempſiſſet. Sic itaq; utrinq; parte ſua fauente, atq; acclamante diſceſſum eſt. Notum tamen eſt, quòd eandem ſententiam aduerſariј Imperatoris tanto inſequebatur zelo, ut habito poſtmodum in Quintilingoburg concilio, ubi Otto Epiſcopus Oſtienſis interfuit, legatus Hiltebrandi Papæ, ipſam nimium uentilantes, hæreſim Vuecilonis, ipſumq; hęreſiarcham appellarent, contra fidem ſcilicet illum dogmatizaſſe culpantes, quòd quamdiu quis ſuis ſpoliatus ſit rebus, diuinis non ſubiaceat legibus.

Hæreſis Vuecilonis.

Hiltebrandus Papa, qui & Gregorius ſeptimus apud Salernam moritur, & ibidem in eccleſia ſepelitur.

Hiltebrand. moritur.

Cui Nortmannorum & Mahthildis illius potentiſſimæ per Italiam fœminæ, cunctorumq; eiuſmodi ſectam æmulantium aſſenſu, Deſyderius Cardinalis Romanus, & Abbas Caſidenſis, uetus Chriſti famulus, licet multum corde, ſimul & corpore renitens, ſubſtituitur, ſed cum infirmitate graui laborans, ad ſummum hunc apicem inuitus, immo captiuus proueheretur, precibus obtinuit, ut infra non multos dies ex hac uita tolleretur.

Deſyderius ſuccedit.

Otto Vticenſis fit Papa.

Poſt hæc per eoſdem electores & ordinatores prædictus Otto Epiſcopus Oſtienſis eidem officio delegatur, mutatoq; Romano more uocabulo, Vrbanus appellatur. Anno domini Milleſimo lxxxvi. Heinricus imperator Saxoniam uaſtat. Vuirciburg à Saxonibus & Alemannis obſidetur.

Vuirtzburg obſidetur.

Habent Chronica, Heinricum IIII. in rebus bellicis fuiſſe ſtrenuiſſimum. Bis enim & ſexagies ſignis collatis pugnauit: M. Marcellum, & Iulium Cæſarem ſupergreſſus. Quorum alter trigeſies, alter quinquageſies bis, pari marte decertarunt, quibus prælijs Saxones ſæpe deuicit, quorum dux Rudolphus.

Ad quam liberandam Imperator copioſum, tam peditum, quàm equitum congregat exercitum, pugnaq; iuxta Bleichfeld commiſſa digreditur abſq; uictoria. Mox urbe ab hoſtibus capta, Epiſcopus Adelbero introducitur, relictoq; cum eo militari præſidio, ad propria quiſq; proficiſcitur. Sed paulo poſt eadem urbs ab Imperatore recipitur, expulſoq; Adelberone cum ſuis, Meginhardus reſtituitur. Anno Dñi Mil. lxxxviј. Hermãn⁹ falſo regis nomine depoſito, permiſſiõe imperatoris ad ꝓpria reuerſus, poſt paucos dies in cuiuſdã oppidi obſidione interiјt, Metis ſepelitur.

Anno

Bertha Spiræ ſepulta

Anno Domini Milleſimo lxxxviij Bertha imperatrix obijt, & Spiræ ſepulta eſt. Buggo Halberſtatenſis Epiſcopus occiditur Goſlariæ. Augusta urbs inſidijs Sueuorum in cœna Domini capta, ſecūda feria Paſchę deſtruitur. Et Sigefridus eiuſdem urbis Epiſcopus cuſtodię mancipatur. Vuigoldus uero inuaſor eiuſdem Eccleſię, intra paucos dies moritur. Meginhardus Epiſcopus Vuirciburgēſis obijt, cui Emehardus ſucceſſit, uiuēte adhuc Adelberone. Vuecil Archiepiſcopus Mogontinus obijt, cui Ruthardus ſucceſſit.

Iudicium ignis.

Petrus Albanenſis Epiſcopus obijt. Iſte per iudicium ignis immenſam pertranſiens illæſus piram, ueſtimentis etiam per flammam uolitantibus, ſed in nullo læſis.

Petrus Albanenſis igneus.

Petrum Florentinum Epiſcopum declarauit ſimoniacum, unde & ipſe poſtea igneus eſt appellatus. Anno Domini Milleſimo lxxxix. Otto Ratiſponenſis Epiſcopus moritur, pro quo Gebehardus adoleſcens conſtituitur. Imperator nuptias Coloniæ celebrauit, quandam Vtonis Marchionis uiduam, Ruſcorū regis filiam ducens uxorem. Poſt hæc congregato exercitu oppidū quoddam Marchionis Eggiberti, in Thuringia poſitum, nimis firmum, Gliche dictū, obſedit.

Gliche obſidetur.

In uigilia uero natalis Domini, Dominico ſcilicet die, cum magna pars primatum, ob diem feſtum iam abiret, Eggibertus ſuis conſulēs, audacter Imperatorem inuadit, & nauiter primo reſiſtentem, tandem cedere compellit. Ibi Burchardus, Loſannæ Epiſcopus, qui ea die ſacram Imperatoris lānceam ferebat, occiſus eſt.

Heinricus. 7. annis in Italia.

Anno Domini Milleſimo xc. Heinricus Imperator Italiam ingreditur, ibiq; ferè per ſeptem ānos moratur. Prędictus Eggibertus à quibuſdam Imperatoris fidelibus, in quodam molendino, pauſandi gratia depręhenſus, turpiter occubuit. Adelbero Vuirciburgenſis de ſede ſua iam diu depulſus, in Baioaria moritur, ibiq; in monaſterio ſuo Lambach ſepelitur.

Vermiculorum prodigioſa uiſio.

Anno Dñi milleſimo xci. Viſi ſunt per multas regiones uermiculi nimis ignoti, non longe à terra uolantes, hoc eſt, ut uel manu, uel uirga tangi poſſent, groſſitudine quidem muſcis æquales, ſed longitudine ſatis deductiores. Quorum tam infinitus extitit exercitus, ut unum pene miliariū, in latitudine duo uel tria, in longitudine uiderentur occupare, denſitate uero ſua ipſam ſolis lucem terris negare: per quam prodigioſam uiſionem, illam quæ poſt quadriennium facta eſt, Hieroſolymam tendentium, profectionem, quidam interpretati ſunt figurari. Anno Domini Milleſimo xcij. Peſtilentia magna facta eſt hominum atq; pecudum.

Fradislaus Bohemiæ rex.

Anno Domini Milleſimo xciij. Fratizlaus dux Boemiæ, in uenatu repente cadens de equo, ſubitanea morte obijt. Cunradus Imperatoris filius, & Berthę Imperatricis, patri rebellaſſe infamatur. Viſus eſt ſplendor quidam, quaſi facula uolans per aerem, ab Oriente in Occidentē. Eclipſis ſolis facta eſt ix. kal. Octob. hora tertia, & mortalitas magna ſubſecuta eſt. Anno Domini Milleſimo xciiij. Eccleſia mortalitate immenſa, incredibiliter uaſtata eſt, inſuper peſtilentia, turbinibus, imbrium inundationibus, cladibus nimium afflicta.

Ladislaus Pannoniæ rex.

Anno Domini Milleſimo xcv. Ladislaus rex Pannoniæ, miſericordię operibus plenus, uitam finiuit in domino. Luitpoldus quoq; Marchio, nec non Heinricus Palatinus comes obierunt. Burchardus etiam Abbas tranſiuit ad Dominum xiij. kal. Feb. Anno domini Milleſimo xcvi. Vuelpho dux antea Noricus, qui ab Imperatore iam dudum abiurauerat, & ob id ducatum perdiderat, in gratiā eius redijt, ducatumq; recepit.

Prodigia.

Signum in Sole apparuit v. Non. Mart. feria ſecunda incipientis quadrageſimæ. diuerſa quoq; prodigia mundus parturiſſe ubiq; referebatur.

Profectio Hieroſolomytana.

Mox ex omnibus penè terrę, ſed maxime ab Occidentalium regnorum partibus, tam regum & nobilium quàm etiam uulgi utriuſq; ſexus innumerabiles turmæ armata manu Hieroſolymam tendere cœperūt, excitati ſcilicet in zelum frequētibus nuncijs ſuper oppreſſione Dominici ſepulchri, ac deſolatiōe omniū regionum Orientalium quas gens ferociſſima Turcorū per aliquot annos ſuo ſubactas dominio, inauditis calamitatibus iam iamq; deleuerat. Quibus ut dictum eſt, ſubuenire ſtatuentes, ſicut diuerſis agminibus, ita diuerſis & incertis plerięq; ducibus properabant.

Duces profectionis.

Primi namq; Petrum quendam monachum ſequentes, quem tamen poſtea multi hypocritam fuiſſe dicebant, ad xv. mil. æſtimati per Germaniam, indeq; per Baioariam atq; Pannoniam pacifice tranſibant, quam plurimi

uero

uero nauali per Danubium, uel per Alemanniam pedeſtri itinere, aliiq́ꝫ ad xij. mil· per Saxoniam atqꝫ Boemiam, à quodã presbytero Folcmaro, itemq́ꝫ nõnulli à Goteſcalco presbytero per orientalem Franciam ducti ſunt. Qui & ipſi nefandiſſimas Iudæorum reliquias, ut uere inteſtinos hoſtes eccleſię per ciuitates quas tranſibant, aut omnino delebant, aut ad baptiſmatis refugium compellebant: quorum tamen plurimi, ſicut canes ad uomitum poſtea retro redibant. Illi autem uiatores plurimis exinde manubiis onuſti, Vngariam attingentes, quibuſdam ob ſeditiones, ut uidebatur, indigenis inuiſi facti, aut reuera facultatum ſuarum abundantia eoſdem ſemibarbaros in auariciam accedentes, iuſſu regis eorum Colomanni dolis potius q̃ armis capti, plurimi morte multati, pauci armis & rebus nudati, fugam pro maximo lucro reportabant, quamuis & ampliſſima utriuſqꝫ multitudo à quodam Emichone uiro militari ſeducta, uel potius ut Iſrahelitici quondam exercitus ſpiritu fornicationis decepta, paucis ſibi in Pannoniæ ingreſſu in pręſidio Vueiſſenburg obſtantibus, fuga, nemine perſequente repatriauerit. Eclipſis lunæ facta eſt vi. Id. Auguſti, luna xiiij. Anno domini mill. xcvij. Heinricus imperator ab Italia rediens, Ratiſponam Baioariæ urbem uenit, ibiq́ꝫ aliquandiu moratus, Iudęis qui baptizari coacti ſunt, Iudaizandi ritum conceſſit. Interea Gotefridus dux Lotharingiæ, uir genere, armis, & ingenio clariſſimus, qui priori anno, cunctis quæ poſſidebat in precium redactis, militibus copioſis, fideq́ꝫ non modica inſtructus, iter per orientalem Franciam fecerat: neqꝫ ipſis ab Vngaria fugientibus territus, ſed tam imperatoris Heinrici, quam regis Colomanni permiſſione, Pannonias, Bulgariaſq́ꝫ permearat, Conſtantinopolitano fœderatur imperatori, eiuſq́ꝫ præſidiis fultus, Romaniam attigit, ibiq́ꝫ ſociatis ſibi tam Siciliæ quam Græciæ, Danorum, Nortmannorum, cæterorumq́ꝫ tranſmarinorum exercitibus, immo uniuerſorum Chriſtum colentium nationum auxiliis, frequenti congreſſu Barbaros atterere cœpit: tandemq́ꝫ Romania occupata, in Antiochię conſedit obſidio. Heinricus imperator Mogontiæ cum principibus colloquium de pace habuit, circa kalend. Decembris, & natale domini apud Argentinam celebrauit. Cometes apparuit. Eo anno æſtas fertiliſſima, hyems uero lenis & peſtilens fuit: imbrium & fluminum inundationes nimis increuerunt.

Iudæi ad baptiſmum compulſi.

Alb. K. li. 5. cap. 14. Iudæi inuiti baptizati redeunt ad Iudaiſmum.

Heinricus Imp. Mogont. & Argent.

Anno domini milleſimo xcviij. Inquiſitione facta Mogontiæ ab imperatore, de facultate Iudæorum interfectorum, inter cæteros qui eas rapuerunt, quidam ex conſanguineis archipræſulis incuſati ſunt. Quos cum imperator perquireret, nec in præſentiam eius uenirent, pontifex cauſam eorum defendere uolens, ſed non ualens, indignatione permotus ex urbe diſceſſit, & Thuringiam cum eis ſe contulit, quaſi ſuis in hoc melius proſpecturus, & ex uicinitate imperatori rebellium quendam ei terrorem illaturus, ſicq́ꝫ commotionis ſuæ uindictam exacturus. Extiterunt autem qui dicerent, etiam ipſum pontificem multam partem de pecuniis inuaſis accepiſſe, & idcirco defenſioni cæterorum tanto ſtudio cor appoſuiſſe. Vuelfo Baioariorum denuo dux filios ſuos & ipſos rebellare tentantes, gratiæ imperatoris reconciliauit, & uni eorum ducatum poſt ſe committi impetrauit.

Raptores facultatum Iudaicarũ ex conſanguineis archipræſulis Mogont.

Epiſcopus inuaſor Iudaici æris.

Anno domini milleſimo xcix. Heinricus imperator natale domini Coloniæ celebrauit: in Epiphania uerò Aquis filium ſuum iuniorem Heinricum quintum regem fecit, reprobato maiore ſuo Chunrado, quẽ prius coronauit. Chunradus uero cauſam rebellationis ſuæ paucis tantũ, ſibiq́ꝫ familiariſſimis in regno detegens, aſſumpto quodam ex ordine miniſterialium patris æque Chunrado nomine, forti admodum & prudenti uiro, per quaſdam Italię partes & nomen & dignitatem regis annis fere nouem obtinuit: tantum indolis ſuę per orbem Romanum diffundens interim odorem, ut nemo religioſus, nemo ſapiens in ipſo ſaltem Rempublicam conſtituendam fore dubitaret. Erat enim uir per omnia catholicus, & Apoſtolicæ ſedi ſubiectiſſimus, plus religioni quam faſcibus uel armis deditus: fortitudiue tamen & audacia ſatis & ſuper inſtructus, lectioni quàm luſibus uacare malebat: miſeris omnimodis, ſed præcipue militibus

HEINRICVS *quintus.* XVII. *Germ. Imp.*

Conradus Heinrici filius.

Vel, in ipſius ſalutem

inopia ſtrictis, compaſſione & miſericordiæ fructu proximus fiebat, nemini con temptum, nemini uim, nemini præiudicium intendens, omni perſonę, omniq; conditioni fuit affabilis: indeq; non immerito Deo & hominibus ſemper exti tit amabilis: cœlibatus pudorem perpetualiter & ſeruare cum propoſuiſſet, co actus tamen à ſuis filiam Ruggeri ducis Siciliæ, famoſiſſimi pene noſtrorū temporum uiri, duxit uxorem: cuius tam caſte uſus eſt coniunctione, ut uix credere tur eam unquam cognouiſſe. Legale illud præceptum: Turpitudinem patris tui non reuelabis. itemq;: Honora patrem tuum. murmur quod per totum Romanum imperium patris ſui mores laniabat, quodq; ipſum ſibi offenſæ patris ac ſuæ ab illo diſceſſionis cauſa extitit, auribus proprijs nunquam patiebatur inferri, ſemper illum dominum ſuum & Cæſarem uel Imperatorem cognominans: uniuerſos à palatio patris aduentantes, ſub appellatione conſeruorum, licet infimos, ſociali beneuolentia tractans. Præter animi uirtutes, morumq; compoſitionem, corpore fuit apprime decorus, ac ſtatura procerus. Eodem anno Gotefridus dux, Reginmundus comes ſancti Aegydij, Rupertus comes Nortmanniæ, Rupertus comes Flandrenſis, cum turbarum copijs quibus præerant multa uſq; Hieruſalem difficultate pertingunt iiij. iam anno poſtquam in eandem militiam pro crucifixo ſibi Chriſto tanti ſe bellatores ſponte crucifixerunt. Reliqua enim multitudo preter eos qui cum Boimundo Antiochiæ conſederant, uel cum Baldeuuino Rohas abierant, Laodicię Tyroq; remanſerant, per diuerſas circunquaq; regiones diſperſi ſunt. Hic de militię uel expeditionis eiuſdem cauſa non tam humanitus quàm diuinitus ordinata, fert animus æſtuans aliqua prę ſcriptis adijcere, maxime ob imprudentiam, immo impudentiam quorundam redargutionem, qui uetuſto errore ſemper contenti, nouitatem hanc iam ſeneſcenti, & prope intereunti mundo perneceſſariam, ore temerario præſumunt reprehendere, ipſi Epicureo more uoluptatum latam quam artam diuinę ſeruitutis uiam amplectentes, appetitum mundi prudentiam, contemptum eius ſtultitiam, hoc eſt, carcerem patriam, tenebras lucem, malum bonum, mortem uitam, proh pudor corde cæciſſimo conſiderantes, lenocinatur eis in hoc, & audaciam huiuſmodi ſubminiſtrat, deprauata iam undiq;, ſed maxime partibus in iſtis rerum uertigo, ubi ſapientia prę omnibus inuiſa, uirtus omnis eſt odioſa, religio deſpicitur, humilitas conculcatur, aſtutia primatum preſtat, uitium amorem conciliat, crudelitas timorem, ſuperbia impetrat honorem. Nos autem in Domino tantum confidentes, nec præſentibus, ſed futuris inhiantes, ac licet ſpectatores pigri, fautores tamen beneuoli, laudemus eoſdem noſtri temporis uiros glorioſos, qui uicerunt regna mundi, qui relictis propter pium ouis centeſimæ quæſitorem, coniugibus ac liberis, regnis & diuitijs, poſuerunt animas ſuas in manibus ſuis, zelo zelantes pro domino Deo exercituum: ultroq; condigne armati fortitudine, regis ſui cœleſtis ineuntes ſeruitium.

Vxor Conradi filia Ruggeri ducis Siciliæ.

Modeſtia & humanitas Conradi.

Cauſa expeditionis Hieroſolymitanæ.

Epicurei & populus Aſatorum notati.

Laudati qui uitam prodigunt.

Nota: Animas in manibus habere: hinc pi ctura diuorū aliquot quibus nec uita chara fuit amore Chriſti.

Tempore Heinrici iiij. Romani, & Alexij Conſtantinopolitani principis, iuxta præſagium Euangelicum, ſurrexit undiq; gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum, & terręmotus magni erant per loca, & peſtilentiæ, & fames, terroresq; de cœlo, & ſigna magna: & quia iam in omnes gentes Euangelica tuba, iuſti iudicis aduentum prǽconabatur: ecce etiam totum circumquaq; mundum ſigna prophetata portendentem uniuerſalis eccleſia contemplatur. Iam Hieroſolyma Sarracenis ciuibus poſſeſſa, Babylonia quæ nunc ſedes eſt regni, Aegyptijs ſeruiebat: iam tenuis in ea Chriſtianæ profeſſionis religio, quotidiano ſe tributo redimebat. Bethleem domus panis angelorum, ſtabulum facta eſt armentorum uniuerſæq; circumcirca Eccleſię per omnia ludibrijs numeroſo annorum circuitu ſubiacebant Paganorum. Orta ſunt interea bella forte miſerabili inter Chriſtianos orientales, id eſt, Grecos & Armenios: Armenij utpote regnis & numero pauciores, affines aſciſcunt ſibi de Perſida bellatores inclytę famæ Turcos: quorum auxilio ſedata iuxta placitum ſuum ſeditione, dimiſerunt eos ad propria, nimis allectos terrarum ipſarum copia, & fertilitate.

Bella inter Græcos & Armenios.

Quade

Qua de re inito poſt annos aliquot conſilio, emerſerũt ab aquilonari plaga, de terra Gorrizana, quæ plus hominum q̃ uictuum fertilis eſſe narratur, preſcriptorum Paganorum copiæ multæ quæ ſub iiij. Sultanis diuiſæ (ſic enim ſatrapas ſuos nominare ſolent) uni tantum Perſico imperatori, pene diuini cultus more ſubiecti, per Armẽiam, indeq; Cappadociam, totamq; Romaniam atq; Syriam diffuſi ſunt. Primo quippe Niceam catholicę quondam fidei turrim firmiſſimã expugnant, trucidatis in ea Chriſtianis quos ceperant: Solomannum quendam de ſuis tyrannum cum pręſidijs locant, uniuerſas circumquaq; regiones uſq; ad paludem ſiue ſinum maris, qui brachium ſancti Gregorij dicitur, funditus deuaſtantes, nulli animę Chriſtianę, nulli eccleſię uel monaſterio, immo nec ipſis ſanctorum imaginibus parcentes. Vidimus enim & adhuc uidere miſerabile ſpectaculum eſt, in ſemidirutis partium illarum oratorijs, ipſam Saluatoris noſtri, eiusq; glorioſiſſimę genitricis, ſeu quorumlibet electorum picturas, truncatis naribus & auribus, manibus & pedibus, deſolatarum eccleſiarum quodammodo luctum uiſibiliter prætendere, diuiniq; iudicij ſuper ſe uigilantem uirgam plagis quaſi ſemper recentibus oſtentare. His te gladijs ò nobiliſſima Conſtantinopolis nec regis tui tutauit milleformis aſtutia nec ciuium populoſitas innumera: non te frequentia nundinarum, uel infinita congeries auri redemit: non te Vngariorum, non te Turcopolorum tuorum, uel Pincinatorum claſſiumúe multitudo defendit, ſolum tibi ſtagni prædicti interſtitium præſidio fuit, immo ſola te creatoris operatio miniuit. Subiacuit furoribus iſtis prepotens quondam Antiochia: & ne multis morer, dextras dederunt tota ſimul Syria atq; Paleſtina. Igitur terra repromiſſionis ſubacta, mater noſtræ redẽptionis, ac ciuitas Dei Hieruſalem, duplici captiuitatis iugo grauatur: ſolamen tamen erat utiq; perparuulum, quod opprimentium ſe Sarracenorum Turcis multo turpiorũ plebs æqua ſorte multatur. Poſito inibi Sultano, militibusq; numeroſis, ad inſtaurandum antemurale, quod hactenus cernitur, aliáue quælibet ædificia, deſtruuntur illa quæ extra ciuitatem erant monaſteria: Domini uero ſepulchrum queſtus duntaxat gratia, intemeratum relinquitur: templum domini famoſiſſimum, & nulli ut arbitror, humani operis ſtructuræ comparandum, ſacrilegæ Paganorum religioni reſeruatur: tantæq; ſemper apud illos habebatur uenerationi, ut nunquã illud niſi nudis & lotis pedibus intrarẽt: nullum uero de Chriſtianis, quos utiq; maxime immundos iudicabant, per tot annorum curricula tam Sarracenorum quàm Turcorum tempore uel intra atrium ingredi permitterent. Cum ergo uictores ijdem nuncarmis, ut res poſcebat, inſudarent, nunc luſibus ac delitijs, utpote à glarea ieiuna in terrã maxime fructiferã transplantati ſibimet indulgerẽt, in illorum ſeruitio quæ tormenta, quas cruces, quasúe per omnia miſerias ſuper ſtites Chriſticolæ paterentur, uix cuilibet inexperto credibile eſt, per legationes tamen frequentiſſimas, & epiſtolas etiam à nobis uiſas, uniuerſalem eccleſiam eccleſię Hieroſolymitanę in præſidiũ lugubriter inclamãtes aduerti facile poteſt.

Prædictus etiam Alexius imperator Cõſtantinopolitanus, ſuper eiſdem Barbaris prædonibus per maiorem iam regni ſui partem diffuſis, non paucas epiſtolas Vrbano papæ direxit, quibus in defenſionem orientalium eccleſiarum ſe nõ ſufficere deplorauit, obteſtans totum, ſi fieri poſſet, occidentem, qui iam ex integro Chriſtiana profeſſione cenſeretur ſibi in adiutorium aduocari: promittens per ſe cuncta neceſſaria præliaturis terra mariq; miniſtrari. Inde commotus Apoſtolicus, & omnis eccleſia Romana, generale concilium in Hiſpaniæ confinio congregari fecit, uel, ut quidam dicunt, Pariſij: quo etiam ipſe laborioſo nimis itinere perueniens, innumeris qui ibidem conuenerant populis, diuerſorumq; regnorum legatis, uniuerſa quæ ſcripta ſunt, & multo ampliora ore facundiſſimo declamauit. Mox tot millibus in lachrymas reſolutis, uariarũ quoq; linguarum planctibus in altum leuatis, in hoc eis doctor egregius remiſſionem omnium condonat peccatorum, ſi renunciatis omnibus quæ poſſidebant, crucẽ poſt Chriſtũ unanimiter portantes, periclitantibus conchriſtianis ferrent auxilium. Qua ſponſione attectis animis omnium, deſignata ſunt ad præſens in domini

Sultani Satrapæ.

Nicea expugnata.

Luctus deſolatarum eccleſiarum.

Hieruſalem duplici iugo grauata.

Domini ſepulchrum quæſtus gratia intemeratũ relinquitur.

Crux ſuperſtitum Chriſtianorum.

Alexius Imp. Conſt.

Concilium in Hiſpania uel Pariſijs.

Centum millia uirorum cruciferi exercitus.

militiam circiter centum millia uirorum ex Aquitania ſcilicet atq; Normannia, Anglia, Scotia, & Hibernia, Britannia, Galitia, Vuaſconia, Gallia, Flandria, Lotharingia, cæteriſq; gentibus Chriſtianis, quarum nunc minime occurrunt uocabula, crucis ſignaculum in ueſtibus, id eſt, uere crucifer exercitus, ad mortificationis præferebat commonitorium: credens in hoc, iuxta uiſionem magno quondam Conſtantino reuelatam, ab inimicis crucis Chriſti ſe triumphaturum. Mira autem & inæſtimabili diuinitatis diſpenſatione tot Chriſti membra, linguis, tribubus, & nationibus differentia, ſubito in unum Chriſti charitate conglutinati coaluerunt corpus: uno omnes Chriſto rege ſunt ſingulis ſingulæ gentes procuratæ ducibus, Gotefrido ſcilicet Lotharingenſi, ſuiſq; fratribus Baldeuuino & Euſtachio, Ruperto Flandrenſi, item Ruperto Nortmannico, Reginmundo comite de ſancto Aegidio, Hugone fratre Philippi regis Gallię, cæteriſq; eiuſdem induſtriæ nobilitatis atq; fortitudinis bellatoribus. Quibus omnibus uenerandę ſanctitatis & ſapientię uirum Hademarum epiſcopum pręfatus Apoſtolicus pręfecit, cui & ligandi ſoluendiq; poteſtatem à beato Petro Romanę ſedi hæreditatam: ſua uice ſemper exercendam conceſſit, inſignitumq; cœleſtis militię ſtigmate exercitum, Apoſtolica benedictione cōſignans, cōdicto ab uniuerſis tempore profectionis, ipſe cum non modica eiuſdē expeditionis turma Italiā rediјt.

Duces exercitus cruciferi.

Hademarus epiſcopus.

Fama Hieroſolymitanæ expeditiones per totum orbem.

Legatis deniq; ſingulis ad propria reuerſis, peruagata cis citraq; mox orbem cunctum hęc fama commouit: inſuper quod dictu mirabile eſt, ipſum oceani limitem uelocitate conſueta ſuperuolans, Inſulanorum etiam claſſibus maria ipſa cœleſtis regis militia redundare fecit. Nam ut ueriſſime comperimus, tam ignotos effudit oceanus populos, cuius non dicam mores & habitus, ſed ne loquelam quiſquam huius littoris habitator uel de ipſius Marinarijs agnoſceret: rurſumq; alios, quibus nihil pręter panem & aquā in uſu uictus eſſet: itemq; quoſdam, quibus argentum pro ferro in omnibus ſuis utenſilibus eſſet. Hinc & undecunq; agebatur quotidie circacircum ſignatorum numerus: & ut prælibauimus, in huiuſmodi expeditionem totus feruet, totus concutitur, uel potius tranſformari uidebatur mundus. Francigenis occidentalibus facile perſuaderi poterat ſua rura relinquere: nam Gallias per annos aliquot nunc ſeditio ciuilis, nunc fames, nunc mortalitas nimis adflixerat: poſtremo plaga illa, quæ circa Niualenſem ſanctæ Gertrudis eccleſiam orta eſt, uſquè ad uitæ deſperationem terruerat. Erat autem huiuſmodi: Tactus quiſquam igne inuiſibili, quacunq; corporis parte, tam diu ſenſibili, immo incomparabili tormento, etiam irremediabiliter ardebat, quouſq; uel ſpiritum cum cruciatu, uel cruciatum cum ipſo tacto membro amitteret. Teſtantur hoc hactenus nonnulli manibus uel pedibus hac pœna truncati. Reliquarum nationum plebes, perſonæ aliæ præter apoſtolicum edictum prophetis quibuſdam inter nuper exortis, ſeu ſignis cœleſtibus, ac reuelationibus ad terram ſe promiſſionis uocatas, aliæ ſe quibuſuis incommoditatibus ad talia uota compulſos fatebantur: magna quippe pars eorum cum coniugibus ac prole, totaq; re familiari onuſti proficiſcebantur. Orientalibus autem Francis, Saxonibus & Thuringis, Baioarijs & Alemannis hæc buccina minime inſonuit, propter illud maxime ſciſma, quod inter regnum & ſacerdotium à tempore Alexandri papæ uſq; hodie, tam nos Romanis, quàm Romanos nobis inuiſos & infeſtos iam heu confirmauit. Inde eſt, ꝙ omnis pene populus Teutonicus in principio, profectionis huius cauſam ignorantes, per terrā ſuam tranſeuntes, tot legiones equitum, tot turmas peditū, totq; cateruas ruricolarum fœminarum, ac paruulorum, quaſi inaudita ſtultitia delirantes ſubſannabant, utpote qui pro certis incerta captantes, terram natiuitatis uane relinquerent, terram repromiſſionis incertam, certo diſcrimine appeterent, renunciarent facultatibus proprijs, inhiarent alienis. Sed quamuis noſtra gens, cęteris multo ſit inſolentior, reſpectu tamen miſerationis diuinæ inclinatur tandem ad uerbū eiuſdem renunciationis furor Teutonicus, à commeantium ſcilicet turbis rem ad integrum edoctus, præterea ſignum in ſole quod præſcriptum eſt, uiſum, multaq; quę tam in aere quàm in terris portenta apparuerūt, ad huiuſmodi exercitia

Galliæ calamitas.

Plaga ignis inuiſibilis.

Reuelationes de uocatione ad terram promiſſam.

Schiſma inter regnū & ſacerdotium impediuit in Orientalibus reuelationem.

Teutonici ignari huius profectionis.

Furor Teutonicus edocetur à turbis commeantium.

non pau-

non paucos antea torpidos excitauerunt. E quibus aliqua hic interſeri duximus utiliſſimum, cuncta uero longiſſimū: & nos cometem in plaga meridiana ſtantem, ſuumq; ſplendorem in obliquum gladij more portendentem, tunc circa Non. Octob. uidimus. Anno uero poſt hæc tertio, ſtellam aliam in oriente loco ſuum longo interſtitio ſaltibus mutantem, VI. kalend. Mart. conſpeximus. Nubes quoq; ſanguineas tam ab occidente, quàm oriente ſurgentes, ſibiq; inuicé in cœli centro cōcurrentes. Rurſumq; medijs fere noctibus à ſeptentrione igneos exurgere ſplendores: plerunq; etiam faculas per aerem uolitantes, uidiſſe nos teſtibus plerisq; comprobamus. Non multo ante hos annos quidam uenerabilis uitæ presbyter, nomine Suiggerus, cuiuſdam diei hora fere nona, duos equites conſpexit concurrentes in aere, diuq; concertantes: alterum qui crucem non modicam ferebat, qua percurtere uidebatur: in altero uictorem exiſtere.

Cometes.

Nubes ſanguineæ.

Suiggeri presbiteri uiſio.

Eodem tépore Greg. presbyter, qui nunc ſub monachica profeſſione nobiſcū cum primogenitis aſini debitum ouinum Chriſto perſoluit, hora quadam meridiana cum duobus comitibus in ſylua deambulans, gladium miræ longitudinis uenti uertigine, ignotum unde leuaretur, in ſublime deferri uidit: & quouſq; uiſum altitudo celaret, tam fragorem auribus, quàm metallum oculis diſcreuit. Referebant aliqui, qui in equorū paſtibus uigilabant, ciuitatis ſe ſpeciem in aere uidiſſe: diuerſas etiam turbas diuerſis ad eam partibus, tam equeſtri, quàm pedeſtri itinere properantes perſpexiſſe. Nonnulli etiam crucis ſignaculum ſibimet in frontibus uel ueſtibus ſiue in quolibet loco corporis diuinitus impreſſum oſtendebant, ipſoq; ſe ſtigmate ad eandé domini militiam preſcriptos credebāt.

Prouerb. Cum primo genitis aſini debitum ouinum Chriſto perſoluere.

Item alijs ſubita mentis mutatione compunctis, uel uiſione nocturna edoctis, prædia resq; familiares diſtrahere, ſignumq; mortificationis ueſtibus aſſuere placuit: & in his omnibus ultra quàm credi poteſt, cateruatim currentibus ad eccleſias, populis nouo ritu gladios cum fuſtibus & capſellis ſacerdotalis benedictio diſpartiuit. Quid referam temporibus ipſis mulierem quandam duobus annis continuis impregnatam, tandemq; dirupto utero, filium loquentem fudiſſe: itemq; infantulum per omnia bimembrem: alterum uero capite bino. Agnellos quoq; aliquos binis capitibus exortos fuiſſe: pullos etiam equarum dentes maiores, quos equinos uulgo appellamus, quosq; non niſi trimis caballis natura concedit, in ipſo partu protuliſſe. His & huiuſmodi ſigna tota creatura in creatoris ſe militiam cohortante, nil moratur inimicus ille, ceteris etiam dormientibus ſemper peruigil, bono illi ſemini zizania ſua ſuperſeminare, pſeudoprophetas ſuſcitare, dominicis exercitibus falſos fratres & inhoneſtas fœminei ſexus perſonas ſub ſpecie religionis intermiſcere, ſicq; per aliorum hypocriſin atq; mendacia, per aliorū uero nefarias pollutiones, Chriſti greges adeo turbabantur, ut iuxta boni paſtoris uaticinium etiam electi in errorem ducerentur. Inde fabuloſum illud confictum de Carolo Magno, quaſi de mortuis in idipſum reſuſcitato. Et alio neſció quo nihilominus rediuiuo: friuolum quoq; illud de anſere, quaſi dominam ſuam deducente, multaq; id genus. Idem tamen ſeductores, quemad modum ſinguli ſuis à fructibus ſint cogniti, quomodo ueſte ſub ouina, lupi ſint denotati, hi potiſſime, qui ex illis adhuc ſuperſunt, licet ut perquirantur, ſcilicet, quo portu iuxta promiſſum ſuum abſq; nauigio mare tranſierint, quibus prelijs uel locis multos paganos parua manu ſtrauerint, quas eorum munitiones ilico ceperint, quaue poſtremo parte murorū Hieruſalem caſtra poſuerint, & cetera: nihilq; habentes quid reſpondeant, tam de oblationibus fideliū per hypocriſim ſuſceptis, quàm de ceļis ob rapinā, quas ſeduxerant turbis, propria maxime apoſtaſia, neceſſe eſt ut pœnitentiam agere cogantur. Nam ut prælibatum eſt, plebs Folemarum per Boemiam ſequens, cum apud Nitram Pannonię ciuitatem ſeditione concitata partim captiuitate, partim ferro diſperſa eſſet, pauciſſimi qui remanſerant adhuc teſtari ſolent, quod crucis ſignum ſuper ſe cœlitus apparens ab imminente eos nece liberaſſet. Goteſcalcus uero non uerus, ſed falſus Dei ſeruus, poſtquam non ſine damno orientalis Noricæ, Vngariam cum ſuis intrauit, admiranda falſæ religionis ſpecie, munitionem in arce quadam conſtituere, &

Mulier biennio grauida, puerum loqui tem parit.

Agnelli binis capitibus.

Zizania inimici.

Fabuloſum de Carolo Magno.

Crucis ſignum à necé multos liberauit.

Goteſcalcus falſus Dei ſeruus nocet in Vngaria.

in ipſis locatis præſidijs, per reliquum uulgus Pannonias circuncirca uaſtare cœ-
pit: Quo nimirum oppdido ab indigenis ſine dilatione capto, turba multa truci
data atq; captiuata, grex reliquus diſperſus, ipſeq; mercenarius, nō paſtor, turpi-
Emicho olim tyrannus nūc alter Saulus. ter fugatus eſt. Surrexit etiam diebus iſtis quidam uir militaris, comes tamē par
tium illarum quæ circa Rhenum ſnnt, Emicho nomine, dudum tyrannica con-
uerſatione nimis infamis, tunc uero uelut alter Saulus reuelationibus, ut fateba-
tur, diuinis, in huiuſmodi religionem aduocatus fere xij. mill. ſignatorū ſibimet
uſurpans ducatum: qui nimirum per ciuitates Rheni, Mœni, quoq; Danubij de
Iudæos delere aut ad fidem compellere ſcilicet. ducti, execrabilem Iudęorum quacunq; repertam plebem zelo Chriſtianitatis
etiam in hoc deſeruientes, aut omnino delere, aut etiam intra eccleſiæ ſatagebāt
cōpellere ſinum. Ad confinia quoq; Pannoniarū innumeris iam utriuſq; ſexus
copijs cum perueniſſent multiplicati, regnum ipſum quod ſcilicet partim palu-
dibus, partim ſyluis cingitur, per obfirmata pręſidia uetātur ingredi. Fama quip
pe Colomanni regis iam perculerat uel permouerat aures, inter Paganorum &
Weiſſenburg Vngariorum necem, nihil apud Teutonicas differre mentes. Qua de re munitio
nem per Vueiſſenburg vi. hebdomadas expugnantes, plura inibi patiuntur in-
commoda: inter quæ etiam quis illorum ſub nomine regis Pannoniarum po-
tiretur terris, ciuili ſtultiſſimaq; quatiuntur diſcordia. Itaq; oppugnātes inſudan
tes ultimo, iam muris interruptis, iam fugientibus oppidanis, iamq; indigena-
rum exercitu uaſtante propria flammis, miro Dei omnipotentis nutu uictor pe-
regrinorū exercitus terga nihilominus uertit: relictisq; ſuppellectilibus, nil quiſq;
præter miſeram animam emolumenti reportauit. Sic nimirum, ſi c noſtræ gen-
tis homines zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam Dei habentes, quippe qui
Vngari liberati. in malitia, quā in liberandis Chriſtianis Chriſtus prouiderat alios uiciſſim Chri
ſtianos perſequi cœperant, miſeratione diuina fraterno ſanguine repreſſi, Vnga
rij quoq; liberati ſunt. Hæcq; eſt cauſa, qua quidem ſimpliciores fratres, utpote
rem ignorantes, ſcandalizati, totum huius profectionis conatum uanum atq; fri
uolum ipſe nimis pręproperi iudices interpretati ſunt. Paleis tamen ex area do-
minica huiuſmodi uentilabro decuſſis, uidimus grana triticea naturalis ſolidita
tis grauitate perdurantia, Gotefridum ſcilicet, cæteroſq; pręnominatos, uere do-
minicæ militiæ duces, cū ſuis ſinguli ſuper omnē ſtellarū diſpoſitionē ſpecioſis
caſtris ab uniuerſis quas pertranſibant gentiū principibus, pacē ac fauorē, humi
litatis atq; charitatis exēplo ut uere Chriſti diſcipuli cōſequentes, donec diuerſis
itinerū difficultatibus Bulgaria permeata Cōſtantinopolitanas attigerant arces.

Legimus Hieroſolymæ libellum à loco præſenti totam huius hiſtoriæ ſeriem
Labor triennij in capta Hieruſalem. diligentiſſime proſequentem, plurimoſq; populi Dei per triennium labores in
captę Hieruſalem lętiſſima uictoria concludentē. Quapropter nos hinc iam pau
ca de pluribus aſſignamus, uidelicet, quod fictis omnino beneficijs, Alexius im-
Alexius Imperator. perator tantos ſibimet heroas amicauerit: poſtea uero ſacramentis tortis, ne re-
gno ſuo uim inferrent, conſtrinxerit: ꝗuis conſtet, ꝙ dum moram ibidem primę
Gotefridi ducis ſolertia. quoq; cohortes, alias aduentantes expectando facerent, dolis eos interfeciſſent,
niſi Gotefridi ducis ſolertia ſuper gregem domini cautius uigilaſſet. Teſtantur
ſeditionem ipſam ſuburbana quæ tunc deſtruxit, pons quem expugnauit. Quid
multa? Per duorum fere menſium ſpatium nouitios indies ſuſcepit exercitus Bi
zantium, è quibus tandem abſq; uulgi paruulorum ac mulierū incredibili mul-
titudine, recenſita ſunt ccc. millia pugnatorum. Porro cohortes Petrum ſecutæ,
CCC. millia pugnatorum. iuſſu Alexij dudum tranſpoſitæ, Paganis fuerant iam libidibriū factę. Motis itaq;
caſtris, Niceam applicuerunt, quam, fugato prædicto Solomano principe, ex-
Nicea occupatur. pugnantes, captam imperatoris præſidijs tradunt. Sic enim ſacramenta firma-
uerant, ut urbes quaſq; ſuo imperio detractas priſtinæ ditioni ſi uincerent, redde
rent, ipſiq; uiciſſim tam armis quàm ſtipendijs regijs infra metam eandem ſe fo-
ueri non dubitarent. Inde per regnum Conſtantini terrā utiq; opulentiſſimam
Mare Ruſciæ pertingunt. progredientes, mare cōtingunt Ruſcię, Sicq; ut epiſtola docet à Ruperto comite
delata, cū tanta alimentorum abundantia militiam ſuam Chriſtus deduxit, ut
aries nummo, boſq; ſiclo uenijſſet. Pręterea inquit, quotiens reges uel principes
Sarrace-

Sarracenorum conſurrexerunt in nos, Deo uolente, facile uicti & cōculcati ſunt. Ob hæc itaq; fœliciter acta, quia quidam intumuerāt, oppoſuit eis Deus Antiochiam urbem humanis uiribus inexpugnabilem, ubi per nouem menſes eos detentos, in obſidione eiuſdem ita humiliauit, ut omnis ſuperbia illorum et tumor deſideret. Igitur eis ſic humiliatis, ut in toto exercitu uix centum equi boni reperirentur, aperuit illis Deus copiam ſuæ benedictionis & miſericordiæ, & induxit eos in ciuitatem, atq; Turcos & omnia eorum, poteſtati horum tradidit. Cumq; & hæc quaſi uiribus ſuis acquiſita obtinerent, nec Deum qui hæc contulerat digne magnificarent, tanta Sarracenorum multitudine obſeſsi ſunt, ut de ciuitate nullus ex tanta turba egredi auderet. Præterea fames in ciuitate ita conualuerat, ut uix ab inhumanis dapibus ſe aliqui continerent. Longum eſt narrare miſerias quæ in ciuitate fuere. Reſpiciens autem Dominus populum, quem tam diu flagellauerat, benigne cōſolatur, ac primo quaſi pro ſatisfactione tribulationis lanceam ſuam, qua in cruce uulneratus eſt, munus non uiſum à tempore Apoſtolorum, pignus uictoriæ illis obtulit, deinde corda illorum adeo animauit, ut etiam quibus ægritudo uel fames ambulandi uires denegauerat, arma ſumendi, & uiriliter contra hoſtes dimicandi, uirtutē infunderet. Triumphatis itaq; hoſtibus, cum fame & tædio exercitus deficeret, Antiochiæ maxime propter diſcordias Principum in Syriam profecti, Barram & Marram urbes Sarracenorū expugnauerunt, & caſtella regionis obtinuerunt. Vbi cum moram diſpoſuiſſent, tanta fames in exercitu fuit, ut corpora Sarracenorum iam fœtentium à populo Chriſtiano comeſta ſint. Inde cum diuino nutu in interiora Hiſpaniæ progrederentur, largiſsimam atq; miſericordem & uictorioſiſsimam manum omnipotentis patris ſecum habuerunt. Etenim ciues & caſtellani regionis illius, per quam procedebant, ad eos cum multis donarijs legatos præmittebant, parati ſeruire, & oppida ſua reddere. Sed quia exercitus non multus erat, & in Hieruſalem unanimiter feſtinabant, acceptis ſecuritatibus, tributarios eos fecerunt, quippe cum una de multis ciuitatibus, quæ in maritimis illis ſunt, plures homines habeat, quàm in exercitu Chriſtiano fuiſſent. Cumq; auditum eſſet Antiochiæ atque Laodiciæ & Rohas, quia manus Domini eſſet cum eis, plures de exercitu qui ibi remanſerant, conſecuti ſunt eos apud Tyrum. Sic itaq; Deo conuiatore & cooperatore, uſq; ad Hieruſalem peruenerunt. Cuius in obſidione cum laborarent, maxime propter aquæ inopiam, habito concilio, Epiſcopi & Principes circinandam eſſe ciuitatem, nudis pedibus prędicabant, ut ille qui pro nobis in humilitate eam ingreſſus eſt, per humilitatem iſtorum pro ſe ad iudicium de ſuis hoſtibus faciendum illis eam aperiret. Placatus itaq; hac in humilitate Dominus, octauo poſt humiliationem illorum die, ciuitatem eis tradidit: eo uidelicet die, quo primitiua Eccleſia inde abiecta fuit, cum feſtum de diſperſione Apoſtolorum à multis fidelibus celebratur. Inter hæc minime prætereundum uidetur, ꝙ dum exercitus in obſidione Antiochiæ moraretur, pauore perculſis uniuerſis per Orientem nationibus, diſcurrentibus ab omni parte orbis terrarum miſsis & exploratoribus, alijs pacem, alijs bella machinantibus, etiam Babylonici regis legati, cōuentui Principum ſe præſentes exhibent, inter alia pollicentes, ſi uictis Antiochenis, etiam Turcos de Hieroſolyma pepulerint, dominum ſuum fratrem & amicū cum uniuerſis Sarracenis habeant: ut enim præſcriptum eſt, Iudęam cum Hieruſalem totaq; Paleſtina iam olim Turci Sarracenis abſtulerant.

Hac de cauſa ſecuritate accepta, non pauci lectiſsimorum militum Babyloniam diriguntur, quorū fortitudine, proceritate, habitu & inceſſu, omniq; elegantia attoniti Barbari, Francos (ſic enim uniuerſos Occidentales populos nominare ſolent) plus ꝙ̄ homines, id eſt Deos eſſe fatebantˉ, affirmantes omnino non eſſe mirum, ꝙ huiuſmodi bellatores totū affectarēt ſibi ſubijcere mundū. Inito deniq; conſilio, rex Babilonię Hieruſalē obſidet, oſtenſiſq; legatis Francis ſe fœderatum affirmat, quorum gladijs ſi ſibi ciuitatem non traderent, ipſos tradendos minitat. His itaq; dolis rex Barbarus non ſuo, ſed Francorum timore ciuitatem receptam, dimiſsis cum ſuis omnibus Turcis, omni conatu, machinis,

Abundātia alimoniæ ut aries nummo, bos ſiclo ueniret.

Antiochia & Turci traditi in poteſtatem Chriſtianorum.

Rurſus Chriſtiani obſeſsi à Sarracenis.

Lancea Chriſti.

Barra & Marcha urbes Sarracenorum

Corpora fetentium Sarracenorum à populo Chriſtiano comeſta.

Forte Syriæ, uel Phœniciæ.

Peruentum eſt ad Hieruſalem.

Nudis pedibus circinanda ciuitas.

Legati Babylonici regis ad Chriſtianos.

Franci dicti omnes Occidentales populi.

Hieruſalē uno anno bis capta.
atq; militibus, contra Chriſtianorum aduentum præmuniuit, ſicq; factum eſt, ut
Hieruſalem bis uno caperetur anno, primo a Sarracenis, dein a Francis. De ho-
ſtibus uero ibi repertis, quid actum ſit, ſi quis noſſe quærit, ſciat, quia in porticu
Equitare in ſanguinē Sarracenorum uſq; ad genua.
quæ dicitur Salomonis, & in templo eius, uictores equitabant in ſanguine Sar-
racenorum uſq; ad genua equorum. Deinde cum ordinatum eſſet, qui ciuitatem
retinere deberent, & alij amore patriæ & pietate parentum ſuorum redire uolu-
iſſent, nunciatum eſt eis, q rex Babyloniorū Aſcalonem ueniſſet, cum innume-
rabili multitudine Paganorum, ducturus Francos, qui Hieroſolymis erant in ca-
ptiuitatem, & expugnaturus Antiochiam, ſicut ipſe dixerat, aliter autem Domi-
nus de his ſtatuerat. Itaq; cum in ueritate cōperiſſent, hi qui Hieroſolymis erant,
Oratio Chriſtianorū cum hoſte congredientium.
exercitum Babyloniorum Aſcalone eſſe, contenderunt obuiam illis, relictis ſar-
cinis & infirmis ſuis in Hieruſalem cum præſidio. Cunq; hoſtium exercitū con-
ſpexiſſent innumerabilem, genibus flexis Deum inuocauerūt, ut qui in alijs ſibi
neceſſitatibus ſemper affuerat, in præſenti bello cōfractis uiribus Paganorum &
diaboli, regnum Chriſti & Eccleſiæ, à mari uſq; ad mare, uſquaq; dilataret. Nec
mora, clamantibus ad ſe Deus affuit, atq; tantas audaciȩ uires miniſtrauit, ut qui
eos in hoſtem currere uideret, fontem aquæ uiuæ ſitientē ceruum ſegnem haud
Pauci Chriſtiani uincunt multos Paganos
iudicaret, miro uidelicet modo, cum in exercitu Chriſtiano non plus q̄ quinq;
millia equitum, & xv. millia peditum fuiſſent, & in exercitu hoſtiū centum mil-
lia equitum, & cccc. millia peditum eſſe potuiſſent. Tunc mirabilis in ſeruis ſuis
Deus apparuit, cum anteq̄ confligerent, pro ſolo impetu eorum hanc multitudi
nem in fugam conuertit, & omnia eorum arma diripuit, ita ut ſi deinceps iſtis re
Centum millia uirorum ceciderunt.
pugnare uellent, non haberent arma, in quibus ſperarent. De ſpolijs uero non
eſt quȩrendum quantum captum ſit, ubi theſauri regis Babyloniȩ occupati ſunt.
Ceciderunt ibi plus q̄ centum millia Maurorum gladio. timor autem illis tan-
tus erat, ut in porta ciuitatis ad duo millia ſuffocati ſint, de his uero qui in mari
interierunt, non eſt numerus, ſpineta etiam ex ipſis multos obtinuerunt. Pugna
Orbis terrarum pugnāt pro Chriſtianis.
bat certe orbis terrarum pro Chriſtianis. Et niſi ſpolia caſtrorum de ipſis multos
detinuiſſent, pauci de tanta multitudine hoſtium eſſent, qui de bello renunciare
potuiſſent. Pridie autem q̄ bellum fieret, multa millia camelorum, & boum, &
ouium cepit exercitus. Cumq; iuſſu Principū, populus hæc diuiſiſſet, pugnan-
do progrediens, mirabile dictu, multas & multiplices turmas fecerunt cameli,
ſimiliter autem & boues & oues. Hæc autem animalia ita comitabantur exerci-
tum, ut cum ſtantibus ſtarent, cum procedentibus procederent, cum curren-
tibus currerent. Nubes etiam ab æſtu ſolis Chriſtianos defendebant & refrigera
bant. Celebrata itaq; uictoria, reuerſus eſt exercitus Hieruſalem, et relicto ibi duce
Gotefrido, Reginmunt comes S. Aegidij, & Rupertus comes Nortmanniæ, &
Rupertus comes Flandriæ, Laodiciam reuerſi ſunt, ibi claſſem Piſanorū, & Boi-
mundum inuenerunt. Cumq; Archiepiſcopus Piſanus, Boimundum & alios
cum eo diſcordantes, concordare feciſſet, Reginmundus pro Deo & pro fratri-
bus regredi diſpoſuit, magna uero multitudo, ut ſupra dictum eſt, ad patriam re
meare contendit, cȩteri qui remanſerūt, terram Deo diſponente, hactenus in pa
ce obtinuerunt. Dux quoq; magnanimus, & cui uix quisq̄ in religione compara
bilis inueniatur, parua licet manu fultus, magna quæq; in Domino cœpit atten
tare, reliquias gentilium quacunq; remanentes perſequi, præſidia locis oportu-
Ioppe renouatur.
nis inſtituere, Ioppen diu deſtructam, portumq; ibi iam diu deſolatum renoua-
re, Eccleſias, clerumq; quantum potuit, reparare: cœnobitas alibi cōgregare, do
naria multa tam monaſterijs, q̄ hoſpitali, quod nunq̄ defecerat in Hieruſalem
deuotiſsime conferre. Pacem firmiſsimam cum Aſcalonitis atq; Damaſcenis, gra
tia commerciorum habuit, noſtrȩ gentis milites, præ cunctis bellatoribus hono
Epiſcopus Traiectenſis occiditur à ſuis.
rauit, feritatemq; illorum ſuauiſsima urbanitate Gallicis caballarijs cōmendans
inuidiam quæ inter utrosq; naturaliter quodammodo uerſatur, per innatā ſibi
utriuſq; linguæ peritiam mitigauit. Hoc anno Chunradus Traiectenſis Epiſco-
pus à ſuis occiſus eſt. Hermannus Colonienſis Epiſcopus obijt. Cui Fridericus
ſucceſsit. Rapoto, Palatinus comes, & Vdalricus comes patruelis eius, quem
multum

multum diuitem dicebant, defuncti ſunt. Dum enim Imperator cum principibus colloquium Ratiſponæ haberet, mortalitas ſubito exorta, prænominatos duos magnates, de inferioribus uero quamplures abſumpſit: per ciuitates quoq; atq; regiones non modicam uulgi ſtragem fecit. Fames etiam improuiſa multis locis inualuit. Vrbanus Papa obijt.

Peſtis. *Fames.* *Vrbanus Papa obijt.*

Hic ſuper Eccleſiarum hactenus heu manente commotione, concilia multa congregauit: inter quæ etiã conuocatis ad Placentinã ciuitatem cc. fere patribus Henricum imperatorem tam a ſe q̃ a prædeceſſoribus ſuis, communione priuatum declarauit: maxime regina Agnete, ipſius imperatoris uxore aſtãte: multaq; nefanda in illum, ad aures totius ſynodi teſtificante. Sed anteq̃ ex hac uita migraret, ſpiritu inſtructus diuino, Reginherum cardinalem de ſancto Clemente ſanctæ conuerſationis, & boni teſtimonij Abbatem, nobilem Romanum deſignauit in regimen apoſtolicũ eligendum: quem etiam reuelationibus alijs inſuper denotatum, uniuerſa Romana Eccleſia paſtorem ſibi conſecrat, licet inuitum, Paſchalem appellans eum.

Vrbanus contra Henricum quartum aſtãte uxore Agnete.

Reginherus Paſchalis papa.

ANno Domini Mc. Sub Gotefrido duce Hieroſolymitanam Eccleſiam deſenſante, conuentus ingens factus eſt in Hieruſalem, ab omnibus qui ſunt in Oriente Chriſticolis, maximeq; qui uel Antiochiæ, uel Syria, Rhoas, uel Paleſtina reſederant peregrinis, in tantum, ut in ipſis natiuitatis Dominicæ feſtis, q̃ plures regionibus adiacentibus, conſecrantur Epiſcopi, uerſis in hiſtorias, uiſibiles eatenus myſticis prophetijs. Surge illuminare Hieruſalem. Et lætare Hieruſalem, & diem feſtum agite omnes, qui diligitis eam, &c. Incaleſcente poſt hæc æſtate, corrumpitur per Paleſtinam aer, cadauerum fœtore. Sunt etiam qui dicant fontes a Barbaris infectos ueneno, uel ciſternas occiſorum ſanie, unde exorta peſtilentia, multos ex noſtris, utpote ſub aere peregrino militantes, occidit: inter quos ipſum totius Eccleſiæ catholicæ lachrymis plangendũ Gotefridum populo Dei, quem paterna ſollicitudine curabat, materna pietate fouebat, nimis immature ſubtraxit. Vno tantum anno populo Dei præfuit, languore ſuperatus prædicto xv. Kal. Aug. plenam fide, boniſq; operibus, præſentem in Chriſto uitam finiuit. Exceptis ſiue tacitis cunctis quibus pollebat uirtutibus, tanta ſe manſuetudine cõiunxerat tam indigenis q̃ cum peregrinis, ut uix aduerteretur, Francis ne plus plangeretur q̃ Syris uel Græcis. Ante montem Caluariæ, in ueſtibulo Golgothanæ Eccleſiæ extat eius mauſoleum, lapide Pario conſtructum.

Conuentus Hieroſolymis ingens, ſub Gotfrido.

Myſticæ Prophetiæ uerſæ in hiſtorias uiſibiles.

Gotfridus cum multis alijs moritur.

Gotfridi ſepulchrũ, ante montẽ Caluariæ

Clariß. olim Principes, ut Turcæ & infidelibus reſiſterent, fortißime ſe geſſerunt, uitam & facultates contemnentes. Gotfridus Lotharingiæ dux. Anno MXCIX. Poſthac Fridericus. I. Barbaroſſa dictus Sueuus. MCLXXXVIII. Fridericus. II. MCCXXVIII. anno. Sigiſmundus bis, Anno MCCCCIX. Item MCCCCXX. anno. Rex Vladislaus, qui apud Varuam occubuit, & Rex Ludouicus.

Hoc tẽpore Baldeuuinus comes in Rohas, quæ eſt ciuitas inclyta, immo regia, & pars Armeniæ confœderat, principatum iam gentis illius conſecutus, defuncto ſcilicet interim grandæuo ſeniore illo Chriſtianiſsimo, qui ſe ab Antiochia ſibi in propugnatoré aſciuerat, multaq; prælia nauiter gerenté etiã in filiũ & hæredé adoptauerat. A diebus quippe antiquis ſemper impugnata, nunq̃ manũ dederat urbs illa ampla Paganis, eo q; muris ultra humani operis qualitatem firmis, fluuio quoq; intra ebulliente, omni etiam ſitu naturali, populiq; & uictuum muniatur fertilitate. Non eſt operis huius uel temporis, literis tradere, quoties ibidem parua manu, uir prædictus, grandem multitudiné Barbarorũ, ſtrauerit, nõnunq̃ etiam uictus uicerit, amiſſo exercitu, alium ab Antiochiæ præſidio conduxerit, poſtremo falſo ſibi fœderati cuiuſdam Turci, Balduc nomine, dolis ſemet expedierit, ipſumq; compræhenſum necauerit, quæ omnia ſcribere uolentem prius tempus deſeret q̃ materia. Audito tamen obitu fratris G. Baldeuuino iuniore cognato ſuo, ciuitatem & populum committit, ipſeq; cum trecentis ferè uiris Hieroſolymam tendit, inſidiantiũ ſibi Paganorum millia deluſit, congreditur, uicit,

Rohas ciuitas firmiß.

Balduc Turca.

Baldeuuini comitis uictoria.

uicit, onuſtusq́ʒ ſpolijs cum triumpho Hieruſálem intrauit. Rogatus & collaudatus ab omnibus, ut princeps eſſet eorum, conſenſit: nec multo poſt inclinans caput ſuum ſuper Dominici ſepulchri tumbam, ipſius ſe ſeruituti perpetualiter ſubiugauit. Poſthæc quo maior Paganis Chriſtianorum timor incuteretur, die Pentecoſtes per legatum Apoſtolicæ ſedis, accepta regali benedictione, coronatur. Deinde Aſſur & Cæſaream ciuitates maritimas debellauit, cæſisq́ʒ qui inibi erant Sarracenis, regnum ſuum regis Babyloniæ damno dilatauit. Vuigbertus Rauennenſis Archiepiſcopus, qui ſuper Hiltibrandum Gregor. poſitus, Clemens Papa dictus eſt, obijt: uir utiq́ʒ ſatis ingenio, facundia, nobilitate, perſonæq́ʒ reuerentia clarus, nec Roma tunc nec Rauenna bene uſus, & qui ſuper unum Papam uiuentem, quamuis coactus, ut aiunt, aſcendit, ipſe tres ſibimet alternatim ſuccedentes ſuperuixit, extortis utraq́ʒ ſede Romæ & Rauennæ, malens, ut ab ipſius ore didicimus, Apoſtolici nomen nunquam ſuſcepiſſe.

Vuigbertus ſucceſſor Gregorij 7. moritur.

Obſerua ætatem hæc ſcribētis anno M C I.

Chunradus Heinrici filius moritur.

ANno Domini Mci. Chunradus rex adoleſcens ix. anno poſtq́ʒ à patris palatio diſceſſerat, Mahthildis magnæ illius & nobiliſsimæ, & ut quidam dicunt, religioſæ fœminæ, ſicut ſanguine, ita & contubernio cōiunctus, & in rebus per Italiam diſponendis tam illius q́ʒ Domini Apoſtolici, cæterarumq́ʒ Deum timentium perſonarum, conſilio ſemper uſus, immaturo præuentus occaſu, plena fide & bona confeſsione à regno tranſitorio, ad æternum creditur regnum migraſſe. Sunt etiam qui ueneno eum dicant interiſſe. Teſtari ſolent, qui aderant, in brachio corporis exanimi, crucis ſignaculum ſubito exortum ſe uidiſſe, ipſasq́ʒ eius exequias quibuſdam miraculis honorificatas fuiſſe. Viſus eſt à noſtro quodam familiari, ab Oriente in Occidentem uolans ignis, ad inſtar nō modicæ ciuitatis. Vermiculorum quoq́ʒ, quos papiliones à ſimilitudine tabernaculorū uocant, exercitus incredibilis multitudinis, per tres continuos dies quaſi à Saxoniæ finibus in Baioariam uolabat. Mox profectio populoſa, & quæ penè priori poſſet numero duntaxat æquari, ſubſequitur: quæ poſt auditas ultra ſpem res Hieroſolymæ proſpere geſtas, a reſiduis totius Occidentis gentibus, maxime ab his quorum prius uotis timor uel diffidentia, inopia uel imbecillitas obſtiterāt, denuo parabatur, primum ab Epiſcopis Mediolanenſi, Papienſi, cæterisq́ʒ Longobardorum populis ad quinquaginta millia ſignatis, deinde a diuerſarum prouinciarum Teutonicis, poſtremo ab Aquitanicis, quibus Vuillihelmus Pictauienſis præerat, præter uulgus ad xxx. millia, loricatis. Longobardorū plebes per miſſu Heinrici ducis Carinthia permeata, dum poſt Vngaros tergo relictos in Bulgariæ ciuitatibus hyemarent, numero rareſcere cœperūt, tandemq́ʒ Conſtantinopolim peruenientes, in alteram ripam (illud enim beneficium maledictus Alexius peregrinis accelerare ſolet) tranſpoſitæ ſunt, immo Paganorum flagitiis expoſitæ. Turci enim explorata Longobardorum inertia, ſtipularū eos terebant more in tantum, ut exercitus Teutonicus qui eadem uia ſubſecutus, circa Iunij kal. ad eandem Metropolim peruenit, quid de præcedentibus ſe geſtum ſit, nullo modo, utpote nullo ſuperſtite de Romania redeunte, poſſet inueſtigare. Ab ingreſſu quippe uel prima ciuitate Bulgariæ uſq́ʒ ad ſedem Alexij, ſemper nobis eius pacifici nuncij occurrebant, qui tamen aliquādo nos præcedentes uel comitantes, fauillarum euaneſcentium more diſparebāt. Militum etiam ſuorū, quos Pincinatos uocitant, exercitus nunc nobis a tergo damnum intulit, nunc a latere uim inferre, nunc a fronte directa acie manum cōferre, nunc per noctes caſtra irrumpere diſpoſuit, ſemper tamen nobis per xx. dies uicinus & infeſtus fuit, donec ſtatione fruentes prænominata cū turma Vuelphonis ducis, exercituq́ʒ Vuilhelmi, diuerſis quoq́ʒ quotidie confluentibus copijs, per dies xv. ad centum mil. congregamur. Ex quibus omnibus ſingularum turmarum Principes Alexius more ſuo ſub appellatione filiorum ſuſcepit, eiſdemq́ʒ poſt manus acceptas, ſacramentaq́ʒ firmata, ſicuti prioribus exercitibus munera diſpertiuit: pauperibus uero extra ciuitatē eleemoſynam largiri, mercatumq́ʒ parari præcepit. Nam obſiſtente ſuſpitione, pauciſsimis perſonis, & ipſis precio furtimq́ʒ, cuiuſdam urbis uel caſtri

Volans ignis uiſus.

Profectio alia populoſa ſub Guilielmo Pictauienſe.

Alexij imp. Conſtantinopolitani perfidia.

Pincinati milites Alexij.

uel caſtri ſiue munitionis per totum imperiũ eius permittebatur ingreſſus. Qua etiam cauſa, dum Vuilihelmus cum exercitu per mediam Hadrianopolim, qua regia ſtrata ducit, tranſire prohiberetur, Aquitani mox genitali tumeſcẽtes faſtu, ſymbola conclamant, ſuburbana ſuccendunt, ciuitatem inuadunt, cuius oppugnationi dum acriter inſiſtunt, Pincinatorum exercitum, qui ſemper, ut præmiſſum eſt, iter ipſum, iuſſu Cęſaris, obſeruat: à tergo ſuſcipiunt, quibus cõgreſſi multos ſternunt, multos amittunt, tandem uia dudum contempta uadunt. Igitur totus ille, tantuſq; populus per Romaniam iter dirigere diſponebat, neceſſaria ſibi quiſq; per deſerta coemebat, ultra brachium illud maris quod S. Georgij dicitur, tam compulſi q̃ uoluntarij tranſuehimur, ſed quotidiani principum conuentus quotidiana etiam ipſorum cum Imperatore colloquia, quem finem ſint habitura, penduli nimis operimur. Sed ecce ſubito murmur exoritur inuiſum Imperatorem, Turcorum potius q̃ Chriſtianorũ parti fauere, exploratiſq; quæ circa nos erant, frequentibus illos contra nos nuncijs animare. Hic eſt, inquiunt, perfidus ille Alexius, qui domino ſuo M. per quorundam Alemannorum conductioſorum auxiliũ depulſo, imperium eius uſurpauit, ipſoſq; ſui ſceleris cooperatores exilio damnatos, necari fecit: nuncq; ſe tanti facere dicit Francos cum Turcis pręliantes, quanti canes ſe inuicem mordentes. Cum autem nauigia quiſq; conducere tentaret, audiuit Cæſarem inſidias peregrinis etiam in mari poſuiſſe, multaſq; dudum eodem facinore naues eum ſubmerſiſſe. Quapropter omnes eum maledicebant, & anathemetizabant, omnes illum linguæ, non Imperatorem, ſed traditorem appellabant. Incredibile memoratu eſt, & ad recordandum expertiſq; horribile, quanta in noſtro, hoc eſt Germanico collegio, quod omnibus erat rarius, tunc fuerit titubatio, dum uideres patrem à filio, fratrem à germano, ſocium ab amico, multo amarius quàm mors ſeparat, cum uita ſeparari, altero terræ, altero ſe committente mari, turſum q; quoſdam poſt appenſum naulum, poſt unam uel duas in naui trãſactas noctes reſumpta ſupellectili, ad littus cum ingenti damno proſilire, redemptis precio ampliori, quos nuper diſtraxerant equis, ad necem fugiendo mortem properare. Nos quoq; eadem animi mutatione diu multumq; uexati, tandem inter eos, qui ſe ſalo credere præſumpſerant, diuina miſerias noſtras gubernante clemẽtia, Ioppe portum poſt ſex hebdomadas attigimus, benedictus per omnia Ieſus Chriſtus. Porrò exercitus uniuerſalis, ab Imperatore ccc. Thurcopolis, qui legiones apto itinere deducerent acceptis, contra Nicomediam uertitur, indeq; Romaniã declinãs ad aquilonarẽ plagam contra terram Chorizanam, quæ Turcorum eſt patria, conuertitur. Loca quippe Romaniæ, quæ circa ſtratam publicam erãt, periurus Alexius deuaſtauerat, dum noſtris in Antiochia dudum obſeſſis, auxilium ferre non auderet, ut iurauerat, ſuſpectus ſcilicet extunc tam Francis quàm Turcis. Inſuper militia hac nomen ſibi facere in gentibus, quemadmodum anterior propoſuit, ſed ut rei probauit euentus, diuinæ id prædeſtinationi non complacuit. Nam ante paucos dies ijdem Pagani in Logobardorum, ut præmiſſum eſt, uix tædio ſanguine hebetatos, antea gladios durauerant, indeq; animati tam infinitæ multitudini bellatorum reſiſtere præſumebant. Nam non multo plus quàm quatuor erant millia Turcorum, qui tamen ipſi electi, & equis uelociſſimis, armis, teliſq; ac ſagittandi peritia nimis inſtructi, fortunam ſuam ſeu uirtutem ignoti exercitus experiri potius explorando, quàm aperte congrediendo ueniebant. Vnde in primis latrocinantium more uulgus extremum diripere, poſt hæc capere uel cedere, deinde per compita præcurrentes, incendio uel quocunq; molimine pabula præuaſtare, aliquando etiam per uineta uel carecta gradientem exercitum, tota die flammis uel fumo uexare, nonnunquam fontes uel ciſternas obturare, à locis tutioribus telis infeſtare, per noctes nunc hac, nunc illa caſtrorum parte irrumpentes, cunctis inferre inquietudinem. Inter hæc tamen omnia nunquam acie directa, nunquam fronte aperta, more præliantium cõgrediebantur, ſed reſiſtentibus cedebant, inſequentes fugiebant, reuertentes denuo ſubſequuntur. Si miſerias illas omnibus miſerijs miſerabiliores ſtilo proſequi plene tentamus, poſſibilitatem,

ſimul

Aquitanorum natiua ſuperbia.

Brachium maris, quod S. Georgij dicitur.

Francos & Turcas præliantes tanti faciebat Alexius, quanti canes ſe inuicem mordentes.

Titubatio in Germanico collegio.

Ioppe ueniunt Chriſtiani.

Nicomedia.

Romania.

Chorizana.

Alexius ſuſpectus Francis & Turcis.

Quatuor millia Turcarum, uariam inquietudinem Chriſtianis inferunt.

ſimul & modum excedimus,ubi turpiter tot nobiles per inopiam,tot diuites ſi=
ne ferro, tot fortes occubuiſſe referimus,dum domino ſeruus præſens,locupleti
pecunia ſufficiēs,minime quiuit ſubuenire,nec forte licuit pugnare. Loca quip=
pe eadem erant arta, inuia,atq; inhabitabilia, hoſtibus cognita, noſtris ignota,

Alexius proditor.

quæ tantum Dei populum Alexij traditoris incarcerabant machinamēto. Quid
moror? Sic per dies penè xxx.. quaſi ſignū ad ſagittas expoſiti, ſic quotidie tanq̄
oues occiſionis æſtimati,tandem in extrema iam ſorte poſiti,nemorū ſe ſaltibus
noctu tradunt, moroſam, ſed certam ſibi mortem accelerare ſatagunt,quamuis

Ex innumero populo Dei uix mille uiri remanent.

pauciſſimis fuga quicq̄ emolumenti contulerit, præter quos omnium ultima fa
ta tardantia cōſummauit. Nam de tam innumero populo Dei heu heu non cre=
dimus mille uiros remanſiſſe,quos poſtea uix oſſibus hęrentes,Rhodo,Papho,
cęteriſq; portubus,raros aūt etiam Ioppæ uidimus: è quibus Bernhardus comes

Bernhardus moritur Heinricus comes Ratiſponenſis moritur. Dux Vuanilfus moritur.

& Heinricus comes Ratiſponenſis Hieroſolymæ obierūt, dux uero Vuanilphus
reuertendo moriens, Papho eſt humatus. Inter longiſſimam cruciatuū ſuorum
hiſtoriam, quam hic texere, nec ipſa compendioſi huius operis proprietas per=
mittit. De noſtratibus Archiepiſcopum Salzburg. L.captum,Marchiſiam.N.tru
cidatam,duos Brunones Canonicos nobiles uiros, inedia, ſitiq; defeciſſe refe=
rebāt,de Latinis uero Principibus Vuillih. Reginm̄. Steph. cæterorumq; aliquā

Chriſtiani in Iudæa uexantur.

partem ſupereſſe dicebant. Dum hæc geruntur, nec his qui in Iudæa ſunt Chri=
ſtianis parcitur,ſed tam ab Aſcalonitis atq; Damaſcenis quotidiana latrocinia q̄
à Babylonijs bella parabantur. Poſt Maij quippe kal. non longe à Rama caſtra

Baldeuuini oratio ad ſuos.

metatus eſt Babylonicus exercitus,contra quem aciem direxit rex Baldeuuinus,
ſuos hortatus,ut ſicut ante paucos dies per Dei gratiam, parua manu multam de
Arabia prædam tulerant: ita nunc hoſtium multitudini non cedant. Illorum in=
quit damno uiuamus, aut periculo moriamur. Ecce bellum ò boni milites quod
olim optauimus, pro quo parentes,patriam, pacemq; cōtempſimus, porrò pro
Chriſti hęreditate contra inuaſores ſanctæ terrę, prędonesq; alienigenas pugna=
re honeſtum eſt, uincere tales nequaq̄ incertum,mori glorioſum. Illis patria mi
niſtrat fugam, nobis exilium uictoriam. Cōprobemus iam quod ipſi exprobrāt,
Francos mortem non timere, immo Chriſti peregrinos, aut in Chriſto uincere,

Sarraceni non audēt congredi cum noſtris

aut pro Chriſto mori uelle. Talia multa poſtq̄ orauit, arrectis ſuorū animis,mi=
ro Dei omnipotentis nutu, ingens Sarracenorum populus uni tantum uel pau=
lo plus legioni noſtratum ceſſit, adeo uti ne congredi quidem prꝍſumerent, ſed
poſt tranſactos aliquot in eadē ſtatione dies, turpiter & inacte redirent. Rurſum
circa kal. Septemb. quo ſcilicet tempore Chriſtianorum,quos ante memoraui=
mus aduentantium fama Babyloniæ regna terruerat,inito conſilio prꝍoccupare
in noſtram,hoc eſt uniuerſorum qui tunc in Iudęa,uel in cunctis finibus illis repe
rirentur, internitionem diſponebant,miſſiſq; epiſtolis Damaſco,Tripoli,Gibel,
cęteriſq; Barbaris ciuitatibus aduerſus nomen Chriſtianitatis, ſe inuicem quali=
cunq; pacto confortabant.

Exercitus xl. milium egreditur ad obtinendam Ioppen ciuitatē.

Egreſſus itaq; xl. millium exercitus de Babylone, primum ad obtinendā Iop=
pen tēdens,non longe ab Aſcalone,ſumptis nimirum inde ſocijs conſedit. Bal
deuuinus uero rem non ignorans,ſuos undiq;,hoc eſt ab Hieruſalem, Neapoli,
monte Thabor, Ebron, Cæſarea & Aſſur in Ioppen congregat,ubi tunc non par
ua manebat peregrinorum turba. Vidimus ijſdem diebus tantam mortalitatem

Trecenti ſingulis diebus mortui Hieroſolymis.

quam etiam uix euaſimus,in populo graſſari,ut ad ccc. cadauera ſingulis diebus
Hieroſolymæ exportata numerarentur: Ioppę uero ingens campus intra paucos
dies tumulis occuparetur. Deniq; cuiuſdam diei hora tertia pręcedente regem li=
gno Dominicę crucis,quod anno priori terra diutiſſima abſconditum, Syri qui=
dam Gotfrido duci demonſtrauerāt, extra ciuitatem Ioppen totius populi con=

Oratio Arnoldi, ad populū Chriſtianum.

uentus eſt factus, iuſſuq; regis, Arnoldus, quidam honorabilis & bene literatus
clericus, ſic in medio concilij eſt exorſus. Beata gens, cuius, eſt Dominus Deus
eius, populus. Vos ò fratres chariſſimi,gens eſtis illa beata, illa gens ſancta, uos
eſtis populus ille Chriſti hęreditatis, populus aquiſitionis, qui relictis omnibus
patria, parētibus & rebus crucem quotidianā poſt Chriſtum tuliſtis uos corpora

uestra

ueſtra pro Chriſto ad ſupplicia tradidiſtis. Vos pugnaſſe uidemini, ſed Chriſtus
ueſtro uoluntarie ſibi ſacrificato ſanguine, ueſtrorumq; fratrũ & commilitonum
precioſa morte, locum ſanctificationis ſuæ dignatus eſt mundare, ciuitatem re-
quiei ſuę Hieruſalem, uoluit poſt tã annoſa ſpurciſſimæ gẽtis uincula, per ueſtrã
deuotam ſeruitutem expedire. Hęc, inquit deus, requies mea in ſęculum ſęculi:
hic habitabo, quoniam elegi eam. Contra quam diuina ſponſione nobis indi-
tam ſpem, ecce Paganorum literæ, Dei nutu, ante diem heſternam, compręhen
ſis legatis, ablatæ, uaticinata perhibentes dæmonia, nos illorum prælijs hoc an-

Paganorum literæ de cruce domini in mari ſubmergenda.

no delendos, Hieruſalem funditus deſtruendã, & quod omnibus nefandis hor
ribilius eſt dictu, ipſam dominici & glorioſi ſepulchri petram cruſtatim confrin-
gendam, ſicq; camelis ad mare delatam, in remotiſſimo, & quod nunq̃ à Chri-
ſtianis reſciſſi poſſit, pelago ſubmergendã eſſe. Vnde quid facto opus ſit, ò Chri-
ſticolę uidete: quem finẽ hęc tanta pręſumptio tandẽ ſit habibitura, perpendite.
Plura diſputare uolentẽ mox clamor interſtrepens cõſpicit: & quaſi ex uno ore
uox unanimis ſingulorũ inſonuit. Res, inquint, in articulo poſita eſt: breue, &
quodammodo ſuccinctũ eſt conſiliũ noſtrũ, pro Chriſto, Chriſti legibus, & ſan

Succinctum conſiliũ mori pro Chriſto.

ctis noſtris, aut dimicandum fortiter, aut moriendum turpiter, aut glorioſe mo-
ri, & uiuere æternaliter inſtat: aut turpiſſime cedere, & breui turpiq; uita perpetu
am mortem cõparare reſtat. Sed nec temporaliter, nec æternaliter uiuere liceat,
quem contra tam prophanam, tam blaſphemam Paganorum audaciã pugna-

quem, forte cui.

re non libeat. Protinus ante crucem reparationis noſtræ, cõfeſſione peccatorum
unanimi humiliatione facta, ac poſt dictam indulgentiam ab apoſtolico legato
qui tunc forte aderat, benedictione accepta, domini inclamantes adiutorium,
caſtro ſunt alacres redditi: indeq; ſummo mane ad vij. millia peditum, milleq;

Septem millia peditũ et mille equites recenſiti contra Barbaros.

equites recenſiti, periculo ſunt ingenti cum gaudio magno præſentati. Viſa igi-
tur ſtatione Barbarorum, mirabile dictu, tanta feruеſcere cœperunt fide, ut unuſ
quiſq; ſe ſolum tot legiones ſternere poſſe non dubitaret: indeq; contigit ut dum
per unum pene miliarium inordinate currendo minus caute ſe hoſtibus infun-

Fides Chriſtianorum.

dunt, prima cohors à latere inuaſa ilico tota rueret. Quare Baldeuuinus effera-
tus animo, tanto illos equitatus impetu uiolat, ut q̃uis idolorum reſponſis de

Baldeuuini in Barbaros furor.

uictoria certificati, acrius q̃ antea nunq̃ reſiſterent, ſicut cæra à facie ignis, ante
ipſum liqueſcerent. Referebat mihi uenerabilis abbas Gerhardus, qui tunc cru-
cem dominicam ſemper lateri regis cõtiguus pręferebat, nunq̃ ſe tantã niuis uel

Abbas Gerhardus authori retulit oculatus teſtis.

pluuię quantam tunc telorũ contra regẽ uolare denſitatẽ uidiſſe: at poſt ligni prę
cioſi intuitum, nullum ex hoſtibus, telis ſe uel armis, ſed uniuerſos fugę pręſidio
ſe commiſiſſe. Itaq; poſt uictoriam à Deo (cui non eſt differentia ſaluare, uel in
multis uel in paucis) ſibi conceſſam, interim dum caſtra prædamq; diripiunt ho
ſtium: nũcius adeſt miſſus ab Ioppitis qui ciuitatẽ terra mariq; diceret obſeſſam.

Nuncius Ioppitarũ.

Mox onuſti ſpolijs, reliquis uero incendijs traditis, nobis, qui iam portis intus
obſtructis, à terra equitibus multis, à mari uero xlij. nauibus roſtratis cingeba-
mur in auxiliũ quantotius properãt: poſtq; tot hoſtium incurſus, tantasq; penu-
riæ peſtilentiæq; miſerias, feſtum natiuitatis Dei genitricis, quod ipſo die cum
merore cœpimus, maximo nos tripudio complere faciebant. Sequenti die mul
tam nobis abundantiam frumenti, cunctorumq; uictualium cum peregrinis fra
tribus ad xij. millia æſtimatis, naues xxx. deferebant: quas, dum hoſtium claſſes

Triginta naues uictualia deferentes.

inuadere niterẽtur, mira Dei potẽtia per uirtutẽ ſanctę crucis, quę, dum nil carna-
lis adiutorij de ciuitate conferri poſſet, in altum econtra, iubẽte rege, leuabatur,
adeo repreſſit, ut nullo conatu uel arte remigandi de loco moueri uel unam de
tot nauibus poſſe, tam Pagani q̃ Chriſtiani populi nimis mirarẽtur. Neq; hoc ſi
lentio prętereundũ, quod eodem ãno ibidem cognouimus cõtigiſſe uenerabili
Herimanno presbytero, qui tunc in monte oliueti conſeruabatur, in hæc uerba
referente: Die, inquit, ſacratiſſimi ſabbati, quo ſecundũ antiquę miſericordiæ do

Herimannus presbiter in monte Oliueti uerſatus.

mini παράκλησιν baptiſmate iam conſecrato, lumẽ de cœlo nobis miniſtrari de
uoti nimis expectabamus uſq; ad ueſperam, orationibus ſolitis inſtitimus: tũcq;
propter peccata noſtra, deſiderato dono cœleſti, quod etiam in conſpectu gen-

Officium feſtiuæ ſynaxeos, Miſſam intelligit: Obſerua quid ſit ſynaxis.

Duæ lãpades incenſæ

Miſſa Syrorum.

tium olim Chriſtiani ante nos ſemper ſuſcipere ſolebant, omnimodo fruſtrati, abſq; omni feſtiuę ſynaxis officio, noctẽ illam dominicę reſurrectionis lugendo tantum & mœrendo tranſegimus. Summo autem mane cum letanijs à ſepulchro domini nudipedes proceſſimus: ingreſſiq; ante templum domini, quo ſcilicet loco, id eſt, monte Moria in area Dauidi in maxima exauditum tribulatione, cunctosq; exaudiendos, qui ibidem corde deuoto orauerunt, Salomoni promiſſum legimus: mox poſt preces lachrymasq;, ne nos deſerendo, Chriſtus nomini ſuo blaſphemiam intergentes prępararet, fuſas, nec dum atrium illud famoſum egredimur, & ecce conc repantia ſigna laudes altiſonas in occurſum nobis, ab his qui remanſerant, reboantes audiuimus: intrantes uero eccleſiam præ nominatam, lampades duas, cœlitus incenſas, immenſo gaudio repleti, conſpeximus. Quid plura? A baptiſmi officio, quo pridie ceſſaueramus, incipientes, totum ſeruitutis noſtrę penſum, domino dudum ſubtractum, uſq; ad miſſæ completionem, lætiſſima deuotione, perſoluimus: nobis quoq; egreſſis inter miſſam Syrorum, qui ſemper poſt noſtrum egreſſum eodem pſallere choro ſolent, lampades aliæ diuinitus accenduntur: ante ueſperas uero, & inter ipſas ueſpertinas laudes uſq; ad ſedecim huiuſmodi lumina uiſibiliter ampliantur: ſicq; contigit ut pauci intra Hieruſalem ſeu Chriſtiani ſeu Pagani reperirentur, qui tam euidentem Chriſti potentiam ſe non uidiſſe teſtarentur.

Imp. Heinricus 4.

Synodus magna Romæ.

Anathematizatio Heinrici a Paſchale.

Henricus 4. à tribus pontificibus excommunicatus.

Hartuuigus Magdeburgen. εἰρηνοποιός

ANno domini milleſimo cij. imperator Heinricus habito cum principibus colloquio, Romam ſe profecturum, ac generale concilium circa Febr. kal. inibi conuocaturum condixit, quatenus tam ſua q̃ domini Apoſtolici cauſa canonice uentilata, catholica inter regnum & ſacerdotium confirmaretur unitas, quæ tot annis ſciſſa permanſit. Conſtat tamẽ nec ipſum iuxta placitum ueniſſe, nec nuncia dignitati Apoſtolicæ ſubiectionem profitentia miſiſſe. Nec hoc latet quòd alterũ papam ipſi domino Paſchali ſuperponere ſi fieri poſſet, conatus ſit, nec profecerit. Tranſacta poſt hæc media quadrageſima, conuenientibus uniuerſis Apuliæ, Campaniæ, Sicilię, Tuſcaniæ, totiuſq; Italiæ ſimul præſulibus, ultramontanorum autem q̃ plurimorum patrum legatis, ſynodus magna Romæ eſt habita, ubi præter antiqua patrum inſtituta more ſolito reuerenter confirmata, etiam ſæpe dictum noſtri temporis ſciſma inter præcipuas hæreſes computatur, ac perpetuo cum ſuis autoribus atq; ſequacibus anathemate huiuſmodi ſubſcripta profeſſione condemnatur: Anathematizo omnẽ hæreſim & pręcipue eam, quæ ſtatum præſentis eccleſię perturbat, quæ docet & aſtruit anathema contemnendum, et eccleſię ligamenta aſpernanda eſſe. Promitto aũt obedientiam Apoſtolicę ſedis põtifici, domino Paſchali, eiusq; ſucceſſoribus, ſub teſtimonio Chriſti & eccleſiæ, affirmans quod affirmat, & damnans quod damnat ſancta & uniuerſalis eccleſia. Ibi etiam quam ſententiam in imperatorem uel patritium Romanum Heinricũ idem Apoſtolicus Paſchalis promulgauerit, nos quoq; inter innumeras diuerſarum gentium cateruas, proxima cœna domini in eccleſia Lateranenſi ab ipſius ore didicimus: nimirum poſtq; viij. kalen. Octobr. maris fluctibus Ioppe traditi Romæ ſumus, per gratiam Chriſti prædicta maiori hebdomada introducti. Quia, inquit, tunicam Chriſti ſcindere, id eſt, eccleſiam rapinis & incendijs deuaſtare, luxurijs, periurijs, atq; homicidijs commaculare non ceſſauit, primo à beatæ memoriæ Gregorio papa, deinde à ſanctiſſimo uiro Vrbano prædeceſſore meo propter ſuam inobedientiam excommunicatus eſt atq; condamnatus: nos quoq; iu proxima ſynodo noſtra iudicio totius eccleſiæ perpetuo eum anathemati tradidimus. Id notum uolumus omnibus & maxime ultramontanis eſſe, quatenus ab ipſius ſe contineant iniquitate. Hartuuigus Magdeburgenſis archiepiſcopus obijt, uir permulta laudabilis, maxime tamen popularibus, & eccleſiæ cui præerat utilitatibus multum inſudans dilatandis, pro ſciſmate quoq; ſæpe dicto reſartiendo inter utranq; partem mediator infatigabilis. Rupertus epiſcopus Babenbergenſis obijt, cui per imperatorem Heinricum Otto cancellarius eius ſubſtituitur, uir, ut creditur, bene religioſus.

Erbo

Erbo iam grandæuus nobilis de Carinthia princeps, & quondam Palatinus in Baioaria comes, migrauit in domino. Commiſſum eſt prælium à Baldeuuino & his qui ſecum erant Hieroſolymitis, contra infinitam Sarracenorum multitudinem, ubi dum incōſiderate res agitur, circumuenti ſagittariorū numeroſitate noſtri, utpote iam admodum pauci facti, intra muros ciuitatis Rama, quæ uicina erat, cedere compelluntur: rex uero cum tribus, ut aiunt, equitibus euaſit. Barbari autem cum plures lapidibus caſtri includi uiderentur, in breui uniuerſa mœnia demoliuntur: captisq; ac cæſis uniuerſis quos inuenerant, ipſos captiuos cū nuncijs uictoriæ ſuæ Babylonem præmittunt: caſtra autem ſua ſecuriter, & qua ſi iam terram illam gladijs acquiſitam, poſſeſſuri interim, donec nuncij regis ſui redeant, in campeſtribus illis ponunt. Sed non ceſſit eis impune uictoria illa, nō ſua uirtute, ſed diuina diſpoſitione in his quos ipſe non terras ultra, ſed paradiſum uoluit incolere conquiſita. Nam tertia die Baldeuuinus ſuperueniens cum exercitu copioſo, quem prius expectaſſe debuerat, tanta illos proterit internitione, ut nec libuerit, nec profuerit uiciſſe. Nouum autem illum exercitum tam Reginmundus à Tripoli quam nuper deuicerat, quàm ab Antiochia Dancheradus ducebat: nam ſuus auunculus Boimundus ante bienniū à Turcis dolo captus, Antiochiæ ſibi principatum dimiſerat. *Baldeuuini uictoria.*

ANno Domini milleſimo ciij. Heinricus imperator natiuitatem Domini Mogontiæ celebrans, filio ſuo Heinrico regi rerum ſummam dimiſſurum ſicq; ſepulchrum Domini uiſitaturum, per Emehardum epiſcopum publice prædicari fecit: indeq; fauorem maximum, tam uulgi, quàm principum & clericorum, regniq; totius acquiſiuit: multosq; è diuerſis regni partibus ad eiuſdem itineris comitatum ſe præparare uoto ipſo ſuccendit. *Heinricus 4. ſepulchrū domini uult uiſitare.* Cuno filius Ottonis ducis, de magnis principibus unus, & cui nihil in omni rerum humanarum dignitate deerat, ſupernatu ſcilicet literarum etiam ſcientia, fortitudine, atq; diuitijs ſatis prępollens, elegantia atq; facundia bonis omnibus amabilis & affabilis, quorundam funeſtorum hominum conſpiratione, noctu dum iter ageret, inuaditur & interimitur, ingentem relinquens nobilibus regni luctum ſimul & ſuſpitiones, dum ab infimis in ſummos tanta ſcelera præſumuntur. *Cuno.* Ante triennium quippe Heinricus Craſſus, eiuſdem C. germanus, & natu ſenior, dū in Freſiæ marcham, cui præerat, res acturus proficiſcitur, à uulgaribus Freſonibus, quibus dominationis ſuæ iugum graue fuit, obſequium ſpectans inſidijs uallatur: re quoq; cognita, fugiens ad mare, uulneratur à nautis ſimul & ſuffocatur. *Heinricus Craſſus C. Germanus.* Huius tanti uiri, qui nimirum totius Saxoniæ principatum ſecundus à rege regebat interitus, ab uniuerſo regno Teutonico grauiter ferebatur: isq;, ut diximus, dolor nūc fratris eius Cunonis nece duplicatur. Heinricus Marchio, uir ſui temporis in Saxonia præpotentiſſimus obijt.

ANno Domini milleſimo ciiij. Heinricus imperator natalem Domini Ratiſponæ celebrauit. Cumq; ibidem aliquandiu moraretur, orto quodam prius murmure inter Baioariæ principes, eo quod Saxones uel familiarius illic & honorabilius quàm indigenæ ab imperatore tractarentur, Sigehardus comes qui huiuſmodi ſuſpicionem maxime notabat, cœpit imperatori paulatim inuiſus haberi: propter hoc autem maxime, quod ipſe ſolus prę cunctis qui tunc aderant principibus, abundantiori militum copia adducta, ad reſiſtendum ſe, ſi forte de curia quicquam ſecus cederet, uidebatur communiſſe. *Sigebertus Comes Heinrico inuiſus.* Diebus poſt hec aliquot exactis, cum iam ſecurior factus, idem comes ſuorum turmas defluere permiſiſſet, excitatur in illum conſpirantibus tam urbanis Ratiſponenſibus, quàm diuerſarum partium miniſterialis ordinis hominibus ſeditio furibunda, quę nullo modo uel ipſo imperatoris filio interueniēte ſedari potuit, donec ab hora diei tertia, uſq; ad horam nonam in hoſpitio obſeſſus, tandemq; fractis foribus ipſe prius confeſſione facta, ſumpto etiam Dominici ſacramenti uiatico, capite truncatus occubuit. De quo ſcelere ſuperſedemus plura referre, preſertim cum adhuc

ultiones cæteraq; mala ſequentia uerſentur in oculis, & quem ſint finem habitura, nequeamus ſcire. His tñ exceptis undiq; ſatis terra quieuit, pace ſimul & fertilitate, necnõ aeris qualitate, corporumq; ſanitate delectabiliter iocundata.

Accaron expugnata.

Non nulli etiam palmati de Hieroſolyma redeuntes Actis que et Accaron à noſtris expugnatã nunciant: alia quoq; preter hec nõ pauca, que multã nobis letitiam miniſtrarent, fauſta ſuper Hieroſolymitane eccleſie ſtatu narrant.

Boto.

Boto comes, cognomento Fortis, illius Erbonis, cuius ſuperius mentionem fecimus, germanus, iam plenus dierum, non longe à Ratiſpona defunctus eſt, & ad monaſteriũ Thariſienſe, quod ipſe ſuis opibus atq; prędijs large ditauerat, delatus, ibiq; humatus.

Erbo.

Vulgares cantilenæ de Erbone.

Hi duo fratres, Erbo ſcilicet & Boto, paterno de ſanguine, Norice gentis antiquiſſimam nobilitatem trahebant, illius nimirũ famoſi Erbonis poſteri, quem in uenatu ab infonte beſtia confoſſum, uulgares adhuc cantilenæ reſonãt, Hartuuigi Palatini comitis filij, qui germanus fuit illius Sigihardi, qui Sigihardũ genuerat Ratiſponæ peremptum.

Hiſtoria Saxonum de Immid Vuitikint & Reginbern.

Maternũ uero illis erat ſtemma, de Saxonia Immidingorum tribus egregia, quæ & Ottonũ inclytæ ſtirpi traditur uicina. Nam eiuſdem Immid his uerbis Saxonum hiſtoria meminit: Erat, inquit, clara & nobiliſſima, ac ſingularis prudentiæ regina, Mathildis ſcilicet, Magni Ottonis mater, filia Theodorici, cuius fratres erant, Vuitikint, Immid & Reginbern. Reginbern autem ipſe erat, qui pugnauit contra Danos multo tempore Saxoniam uaſtantes: uicitq; illos, liberans patriam ab illorũ incurſionibus uſq; in hodiernum diem. Et hi erant ſtirpis magni ducis Vuitikindi, qui bellum potens geſſit cõtra Magnum Carolum, per xxx. ferme annos. Quorum, ut diximus, clariſſimorum principum ſemine nobilis Friderim, Erbonis & Botonis mater, à Retingo filio Botonis filij Retingi, de ſecundo Botone nati procreatur, quæ poſt mortẽ Hartuuigi ſtatim uiduitatis uelamine cõſecratur, adhuc Erbone paruulo, Botone imprægnata poſthumo. Quorum utrunq; literis & armis atq; rebus ſatis profeciſſe cognouimus: attamen Botonem, ſicuti corpore proceriorem & elegantiorem, ita rebus bellicis præſtantiorem atq; famoſiorem, totius pene Germaniæ atq; Italiæ teſtatur populus. Pannonia uero talem illum ac tantum ſe fatetur aliquando ſenſiſſe, ut is uere de gigantibus antiquis unus apud illos credatur fuiſſe. De quo plura referre copia ſuppeteret, ſi compendioſi huius operis propoſitum non uetaret.

Epiſcopus Spiren. in Sunninsheim ſepelitur.

Iohannes Spirenſis epiſcopus tactus ulcere quodã circa uerenda, de quo etiam aliqua notabilia diffamabantur, longa deficiens infirmitate, humatur in monaſterio Sunninsheym, quod ipſe conſtruxerat.

Beatrix ſepulta Suinfurti.

Chunradus adoleſcens, filius Beatricis Marchiſiæ, poſtquam ſpretis literarum ſtudijs, quibus apprime imbutus erat, armis operam dedit, iuxta Chriſti præſagium: Qui gladium accepit, gladio perijt. Nec multo poſt etiam ipſa Beatrix obijt, & iuxta patrem ſuum Ottonem dulcem, caſtello Suinfurtin ſepulturam accepit.

Glacies.

Circa ſolſtitium æſtiuale commutato in tempeſtatem aere, decidiſſe fertur inter grandinum lapides in pago Vuirciburgenſi tantæ magnitudinis glacies, quæ in quatuor diuiſa, totidẽ hominibus importabilis uideretur.

Sanguis ex panibus.

In epiſcopio uero Spirenſi ſanguis ex panibus fluere uiſus, necnon & in lenticulorũ edulio prodigioſe repertus, ciuile, immo inteſtinum bellum portendere, ſecundum antiquam hiſtoriæ Romanæ ſimilitudinem conijciebatur.

Filius contra patrem

Henricus 5. cõtra 4.

ANno Domini millesimo cv. Dum imperator Heinricus natalem Domini Mogontię celebrat, Heinricus filius eius, nominis illius quintus rex dictus, rebellationem aduerſus patrem in Baioaria parat, machinantibus ſcilicet Dieboldo Marchione, Berengero comite, & Ottone quodam nobili uiro, ſibiq; materna ſtirpe cognato, quorum conſilio & adiutorio ante paucos dies à patris latere diſceſſerat. Primo quippe hæreſim præſcriptam anathematizans, Apoſtolicæ ſedis Pontifici debitam profitetur obedientiam: indeq; fœderatis ſibi Noricis principibus, atq; ab Alemannia, necnon orientali Francia nonnullis nobilibus, ad Saxones conuertitur. A quibus honorifice ſuſceptus, & in Quintilingeburg Paſcha celebrans, in breui uniuerſis Saxoniæ ciuitatibus potitus

& optima

& optimatibus eſt dignitate regia ſatis honoratus. Conſilio tamen atq; miniſterio Ruothardi Mogontini, atq; Gebehardi Conſtantienſis epiſcopi, reſponſaliū ſcilicet domini Paſchalis papæ, totam Saxoniam Romanæ eccleſiæ communioni reconciliauit: epiſcopis uero atq; clericis conuentum generalem in uillam regiam, quæ Northuſun dicitur, iiij. kalen. Iunij, ubi ſuper eccleſiaſticæ inſtitutionis iam deprauata diſciplina tractaretur, indixit. In quo concilio ſuper ſententijs inſtantibus patrum decretis primo relictis, quæq; poterant ad preſens laudabiliter corrigebantur: quædam uero quæ & grauiora uidebantur, ad Apoſtolicam audientiam differebantur. Simoniaca quippe hæreſis patrum conſuetudine condemnata, Nicolaitarum quoq; fornicaria cōmixtio ibidem eſt ab omnibus abdicata: ieiunium menſis Martij hebdomada quadrageſime, ieiunium uero menſis Iunij in ipſa hebdomada Pentecoſtes Romano more celebrandum, à præſcriptis præſulibus Apoſtolica autoritate indicitur, & pax Dei confirmatur. His uero qui à pſeudoepiſcopis fuerant conſecrati, per catholicam manus impoſitionem reconciliatio proximo ieiunio danda fore promittitur. Vidimus inter hæc, quod ſilentio præterire non poſſumus, regem Heinricum non modicam bonæ idolis ſpem magna ſimul humilitate & autoritate coram omnibus prætendentem. Nam cum ſeruorum Dei conuentui non niſi uocatus intereſſe uellet, ingens enim ibi cum epiſcopis & clericis, etiam abbatum atq; monachorum eccleſiaſticam ſitiens unitatem turba confluxerat, tandem in abiecto productus habitu, locoq; ſtans editiori omnibus iuxta principum decreta, ſuas leges atq; iura rationabiliter innouauit: ſi qua uero irrationabilia rogabantur, mira ac ultra ſuos annos prudenti reſponſione, & auita magnanimitate confutauit: in omnibus his & ſibimet miro modo ſeruans adoleſcentię uerecundiam, & Chriſti ſacerdotibus dignam exhibens reuerentiam. Inter hæc obortis lachrymis, ipſum regem cœli, cunctamq; militiam cœli teſtabatur, ſe nulla regnandi cupiditate paternum ſibi regimen uſurpare: neq; dominum & patrem ſuum à Romano deponi imperio exoptare, immo debitam pertinacię & inobedientię eius ſemper compaſſionem exhibere: ſiq; ſancto Petro ſuisq; ſucceſſoribus lege Chriſtiana ſubijci uelit, ſiue regno cedere, ſiue ſeruiliter ipſi ſubeſſe promiſit. Quod auditum omnis multitudo collaudans, lachrymas ſimul & preces, tā pro patris conuerſione, q̄ pro filij proſperitate fundere cœpit, uoce magna kyrieel. declamās. Eadem hora Vto Hildinisheimenſis, & Henricus Paderbrunenſis, ac Fridericus Halberſtatenſis preſules ueſtigijs metropolitani proſtrati, ipſius atq; regis ſtantis totiusq; preſentis eccleſiæ teſtimonio, apoſtolicę ſe dederunt obedientiæ. Quorum etiam commiſſa apoſtolico nihilominus iudicio reſeruantur, ſub officij ſui tantum ſuſpenſione: His rite diſpoſitis, rex idem Pentecoſten Meresburg celebrans, Heinricum Madeburgenſi eccleſiæ dudū deſignauit archiepiſcopum, ſed ab imperatoris fidelibus repulſum conſecrati fecit: nec multo poſt expeditionē contra Mogontiam mouit, expulſum inibi pontificem reſtituturus, patre intra muros expectante, cum non parua militum turba, nonnullisq; primatibus, non tamen principibus. Sicut autem iſtis Rheni interfluentia, nauiūq; ſubtractio urbis aditum denegabat, ita illis ſacramentorum tam filio q̄ patri factorum conſideratio, parricidale bellum interdicebat. Plura tamen hinc & inde nuncia nauigabant: multa conſilia communes regni proceres inter ſe trutinabant: patri regni diuiſionem, & hereditarię ſucceſſionis confirmationē pollicente, filio uero nil niſi apoſtolicę ſubiectionis, & eccleſiaſticæ unitatis efficientiam expoſtulante. Sic inacte diſcedens, Vuirciburg deuenit, Erlungum quendam, quem dudum, Emehardo defuncto, preſulem imperator deſignauerat, expellens, Rupertum eiuſdem eccleſiæ præpoſitum, & tam prius quàm tunc à clero & populo electum, per perdictum archiepiſcopum R. inthronizauit, ſicq; eccleſia eadem apoſtolicæ communioni reconciliata, ac ſecuritate ab urbanis accepta, dimiſſis Saxonibus ipſe cum Baioarijs ad obſidium caſtelli Nurinberc conuerſus, illudq; poſt duos uel amplius menſes proſpere capiens, ſoluto exercitu, Ratiſponam ſe contulit. Quem pater e ueſtigio ſubſequens, Erlungum Vuirciburgenſibus, fuga

Saxonia per Heinricū quintū Romanæ eccleſiæ conciliatur.

Quid Simoniacā hæreſim uocet, & Nicolaitarum commixtionem, prudens lector facile intelligit ex ſuperioribus. Si accuſaſſe ſufficiat, quis innocens erit? Vide alia Chronica.

Laus Heinrici 5.

Oratio Heinrici 5. coram populo.

Expeditio cōtra Mogontiam.

Parricidale bellum.

Henricus 5. Vuircib. epiſcopum fugat.

Norinberga ab Heinrico 5. capitur.

to Ruperto reſtituit, indeq́ꝫ omnia quæ fautorum erant filij, deuaſtans, tandem fauentibus ſibi dolis Ratiſponenſium, filiũ urbe fugauit. Qua reſidens pręſulem eidem cathedrę quẽdam adoleſcẽtulum nomine D. pręfecit, exercitũ undecunq́ꝫ congregauit, progreſſusq́ꝫ marcham Diepoldi per Boemiæ gentis maxime crudelitatem deuaſtauit. Nec plus una cum domino ſuo rege morantur cõuentum uſquequaqꝫ facere, cęſarianis à tergo flammis prædaq́ꝫ uicem reddere, poſtremo cum decem millibus electę iuuentutis in qninqꝫ legiones diſpertitis, congreſſum expetere. Iam caſtris in contrarium poſitis ſpectaculo nimis horribili, per triduũ continuũ ex una ripa Regini fluminis imperatoris, ex altera regis uolitabant ſigna: iam frequẽtia graſſabãtur in ipſo fluminis alueo duella, inter quę & Hartuuigus comes ex parte imperatoris occubuit, nec paucos ex utraq́ꝫ parte Martis ſors anceps abſumpſit. Attamen die quę generalem certiſſime congreſſionem pręcedebat, principes qui capita roburq́ꝫ utriuſqꝫ uidebantur exercitus, pacificis inuicẽ conceſſis colloquijs, poſt moroſe uentilatã inter ſe belli pręſentis cauſam, tandẽ diuino, ut creditur, edocti ſpiritu, parũ iuſticię, parumq́ꝫ emolumenti tam duro, tamq́ꝫ periculoſo ineſſe negocio, unanimi cõſideratione conferebant: indeq́ꝫ nimirũ fratribus, id eſt populo utraqꝫ parte Chriſtiano parcendum, immo parricidali pugna ceſſandum pari uoto iudicabant. Rex autẽ adoleſcens, dum iam, ut diximus, per ordinatas omni parte acies Mars cruentus cœpiſſet frendere, cõmo

Lugubris clamor Heinrici quinti ſuper patre.

tis uiſceribus, ſuper patre ſuo lugubriter fertur inclamaſſe: Grates, inquit, ò boni cõmilitones, affectui circa me ueſtro ſummopere refero, unicuiq́ꝫ ueſtrũ par pari referre, ſi res exegerit, non abnuo: nemo tamen in hoc me ſibi uelit, uel credat fore fœderatum, ut dominum & patrem meum per ſe glorietur occiſum, uel unq̃ æſtimet occidendũ. Ego quidem Chriſtianis mihi legibus ſubarratũ regnum ut hæres & ſucceſſor Auguſti tenere, ſi tamen rerũ omniũ dominatori placuerit, cupio: parricida uocari, uel eſſe nolo. Quod ſi pater meus Apoſtolicę ſe obiecerit obedientię iugo, ego mox in his quæ ſua duntaxat mihi clæmẽtia cõceſſerit, contentus ero: interim me nõ impugnatorẽ eſſe patris, ſed paterni regni propugnatorem noueritis. Veſperaſcente itaqꝫ iam die, ceſſere loco regię phalanges, imperatorię maieſtati ſe reuerẽtiam exhibere clamantes. Imperator aũt dum in caſtris de craſtino certior conflictu diſponit, nec pugnam nec pugnandi uotum principibus eſſe, per Boemię ducem, Marchionemq́ꝫ Luitpoldũ contra ſpem audiuit. Qui mox animo conſternatus, ſupplex illorum adiutorium petit, nec impetrat: inſtructus etiam ſecretis filij nuncijs, ſuorum conſpirationẽ aduerſus ſe factam, latenter è caſtris cũ paucis admodum uiris ſubtrahitur: ſicq́ꝫ diuina diſpoſitione uno ſaluo, multorũ, qui fundendus credebatur, ſanguis ſaluatur. Nam protinus ut imperatoris abſentia totis undiqꝫ uerſum caſtris innotuit, unuſquiſqꝫ propria repetere, maxime noctis opacę latibulo diuertendi ſecuritatẽ miniſtrante, contendit. At rex dum diſturbatis inimicis ad libitum frui poſſet, parcere q̃ perſequi deliberans, ciuitatem, ob dati prius fœderis defectum, auſteriori nimirũ pacto ſi

Hartuuigus.

bi confirmat: Hartuuigum uirũ utiqꝫ probatũ catholicũ atqꝫ nobilem abdicato D. ibidem inthronizat: præſules etiam quoſdam ac principes paternæ militiæ inter murum repertos ſibi conciliat, moxq́ꝫ Francię redditus, eodem propinauit calice perfidis ſibi Vuirciburgenſis.

Henricus 4. apud Sorabos, nunc Miſnenſes dicti.

Inter hæc prædictus E. qui præſulis inibi nomen uſurpauerat, ſpe fruſtratus concepta. R. ſecedens regi deditur, & ex hoc inter ſuos capellanos æque fidelis æſtimatur.

Audiens interim rex patrem ſuũ apud Vuigbertum quendã illuſtriſſimum & prudentiſſimũ uirũ, qui partibus in illis quas Sorabi inhabitabãt, principabatur, eſſe repertum, uſqꝫ ad Rhenũ illi ducatũ, hoc enim per legatos ipſe ſupplicabat, adminiſtrari permiſit: ne tamẽ aliquo illius inibi infeſtaretur molimine mature Vuirciburg digreſſus, nõ logẽ à Spira pręſcriptũ flumẽ nõ ſine periculo transfre

Gebehardus abbas Hirſaugaunenſis, epiſcopus Spirenſis.

tauit: moxq́ꝫ ciuitate ipſa, patriſq́ꝫ ibidẽ recõditis theſauris potitus, uirũ ſapientẽ et nobilẽ, ac pro ſanctę cõuerſationis fama morũq́ꝫ dignitate, omnibꝰ ſanũ ſapienbus amabilẽ Gebehardũ Hirſaugaunenſem abbatẽ pręfecit Spirẽſibus epiſcopũ,

His etiam

His etiam diebus uenerabilis Buother Archiepiſcopus à Turingia, qua per annos viij.tyrannicam declinauerat rabiem, præſidio catholicorum Principum deductus, maximo nobilis Mogontiæ tripudio cathedre ſue reſtituitur: ſicq; tam populum q̃ clerum Apoſtolicæ reconcilians Eccleſie, ab uniuerſis non ſolum, ut pater iam grandæuus, ſed etiam uelut ex mortuis rediuiuus omnimodis excolitur. Rebus igitur circa Rhenum compoſitis, Burgundiam rex Heinricus conuertitur, ſed reuocatus fidelium ſuorum nuncijs, machinamenta patris quæ Sigifridi comitis auxilio moliebatur, mira uelocitate præuenit. Nam illum Mogontiam tendentem, atq; colloquium curiale, quod ab uniuerſis regis principibus ſuis per præſenti negocio condictū in natali Dominico expectabatur, impedire tentantem Bingæ circa Idus Decembr. repperit, ore ad os de anathematis uinculo, ceterorumq; inſolenter in rempublicam commiſſorum, ordine quidam præpoſtero, ſed neceſſarie commutato, filius patrem commonuit, obedientię debitum ſi reſipiſcere duntaxat dignetur, repromiſit. Senior has & huiuſmodi quam plures ſententias ad audientiam optimatum & ſenatum, conſulum inſtanti curiæ diſtulit, ſicq; comitatus uterq; pacificus ad inuicem, pariter contra ſepe dictam, ſe Metropolim conuertit. Inter hæc aliqua, quæ huic pacto, paciq; non conuenirent, dum per occultos nuncios conari patrem filio fideles denotarēt, uiſum eſt eiſdem, ut pater ſeparatim cum ſuis in caſtello quodam tutiſſimo Principū conuentum expectaret, præſertim cum preſules Mogontinus atq; Spirenſis, cæteriq; qui aderant inter nuper reconciliatas ſuas Eccleſiæ communicationem illi præſtare ſe non poſſe, publice reclamarent. His itaq; diſpoſitis, cuſtodibus quoq;, qui ne noui quicq; ab ipſo, uel ad ipſum procederet, adhibitis: rex Mogontiam publico conuentui Principum occurrit, ſed uulgaris inde ſtultitia patrem à filio dolo captum, & cuſtodiæ mancipatum, circunquaq; diffamauit. Hoc anno Baldeuuinus rex Aſcalonem à mari copioſiſſima claſſium multitudine, à terra uero non paruo cingens exercitu, tributariam ſibi fieri longa obſidione coegit. Poſt aliquot uero menſes centum millia Sarracenorum, improuiſe ſe inuadentium, uirtus diuina ante ipſum quatuor tantummodo millium manibus ſtrauit, quodam ſcilicet Admirate, qui ſecundus à rege Babylonię uidebatur, capto, altero inter ceteram multitudinem occiſo. Chriſti clementia, peregrinis ſuis apud Antiochiam, Syriam, Paleſtinam, totamq; per Aſiam proſperante, eorumq; ſeruitute barbaricas circumquaq; ſpurcitias eliminante, inuidus & occultus eatenus Eccleſiæ perſecutor Alexius, diu tectam ſuæ perfidiæ toxicatam rabiem euaginat, Turcis, quibus iam nulla uel rara in Oriente regnandi ſpes remanſerat, ſe tutiſſime conciliat, & ô turpiſſimum facinus Niceam, quā olim fidei noſtrę turrim, dudumq; multo Chriſtianorum ſanguine comparatam prędcripſimus, Solamanni tyranni filijs reddidit, cuſtodias ad prohibendū tranſitum peregrinis, terra mariq; conſtituit, Babylonicum regem contra noſtros frequentibus nuncijs animauit. Cuius claſſes contra Antiochenos directas, ipſi bello ceperunt, & in confuſionem Alexij, naſis atq; pollicibus omnibus abſciſis, unam de ſcaphis inde onerantes huiuſmodi pulmentum eidem reo multorū millium homicidę tranſmiſerunt. Boimunt quoq; iam trienni captiuitate, per diuinam ſolutus prouidentiam, Italiam nauigio uenit, ibiq; claſſes fabricari cōſtituens, ipſe uſq; ad Hiſpaniæ regna peragrare, cunctamq; quam poſſet militiam, quocunq; pacto contra tyrannum prędcriptū cœpit congregare. Fridericus dux obijt, uir prudentia, moribus & nobilitate ſatis clarus, ſed clariſſimę & ſingularis, ac inclytę famę, Adelheidæ filię, ſcilicet Imperatoris matrimonio, & ex eadem mirę indolis prole decoratus. Pridie aute uigiliam natiuitatis Chriſti, uiſus eſt ab Occidente tantus inter ſidera ignis flammare, ut ſolis iubar crederetur, ſi in Orientis eſſet parte.

Buother eſt Ruothardus, de quo ſupra

Heinricus V. Burgundiam concedit.

Bingæ Heinricus. V. Filius patrē cōmonet

Imo cū Henricus. 4. iret Mogontiā ad Comitia à filio in itinere per inſidias contra fidem publicā datā, capitur, captus, in muniti ſsimam arcem ducitur, & Heinricus filius præſentibus Pontificijs legatis, Albano epiſcopo, & Gebehardo Cōſtantien. epiſcopo comitia celebrat, patre excluſo & captiuo.

Baldeuuinus rex Aſcalonem tributariam facit.

Alexius Niceam Turcis reddit.

Pulmentū ex naſis et pollicibus abſciſis, dignum proditore Alexio.

Fridericus ſenior dux Sueuorum moritur.

ANNI HEINRICI IVNIORIS, eiuſdem nominis V.

ANno Domini Mcvi. Mediante Heinrico iuniore, tantus apud Mogontiam factus eſt in natali Dominico totius regni Teutonici conuentus, quātus per

Cōuentus Mogontiæ totius regni Teuto-

multa annorum curricula nunq̃ eſt uiſus. Referunt enim qui aderant lij. ibi tunc optimates uel eo amplius affuiſſe, adeo, ut ſolus dux Saxoniç Magnus nomine, quem iam grauior ætas impediebat, notaretur defuiſſe. Ibi ſuperuenientes apoſtolicę ſedis legati, epiſcopus ſcilicet Albanus cum Cōſtantienſi, ſententiam anathematis in Henr. ſeniorem, dictum imperatorem, à tot ſibi ſuccedentibus apoſtolicis ſæpius ſæpiusq́ promulgatam ſcriptis, ſimul & dictis teſtificantes, uniuerſam multitudinem, immo totam, toto orbe diffuſam eccleſiam, ab eius communione, Chriſti, & beati Petri autoritate, multis iam annis ſequeſtratum confirmabant. Qua de cauſa dum ipſe ſe de caſtello quo manebat, Mogontiam exhibere tentaret, principes propter cauendum tumultum uulgi, ſuæ potius q̃ filij parti fauere ſolentis, ipſi Ingeleheim occurrerunt: tandemq́ generali illum circumuenientes conſilio, uſq; ad reatus confeſsionem, ſatisfactionisq́ profeſsionem perducunt.

Heinricus quartus in Ingeleheim.

Cui cum legati communionem ſeu pœnitentiæ modum abſq; generalis ſynodi, & Apoſtolicę diſcuſsionis cenſura reddere ad pręſens non poſſent, ipſe partis utriuſq; conſilijs annuens, regalia uel imperialia inſignia, crucem ſcilicet & lanceam, ſceptrum, globum atq; coronam filij poteſtati tradidit, proſpera illi imprecans, illum primatibus multo fletu commendans, & extunc iuxta ſummi ſacerdotis, totiusq́ Eccleſiæ Decreta, ſuæ conſulturum animæ promiſit. Hoc ordine Heinricus illius nominis quintus, primum à patre, deinde ab uniuerſis Germaniæ Principibus, in regem iam ſecundo electus, ab Apoſtolicis quoq; legatis, per manus impoſitionem catholice confirmatus, acceptis tam ab Epiſcopis quàm laicis, iuxta morem patriæ, ſacramentis, regnare cœpit lxxxviij. loco ab Auguſto l. patris ſui anno, ab urbe cōdita Dccclvij. anno ab origine mundi vi. mil. cccv. Dominicæ uero incarnationis, ut dictum eſt milleſimo cvi. anno.

Al. Krantz. lib. 5. ca. 20. habet, q, mandatum fuerit Mogont. Colonienſ. & Vuormatien. Epiſcopis, ut eum adeuntes imperialia inſignia auferrent inuito, et illos accepto conamine Imperatorem acceßiſſe, corona capiti detraxiſſe, & ſede detractum omnibus imperialibus exuiſſe. Horrenda iſtic legis.

Relatis igitur coram rege, cunctisq́ totius Germaniæ optimatibus & præſulibus, omniq́ clero ſimul & populo legationibus Romanæ ſedis, Eccleſiarum regni iſtius commaculatione diuerſa & inueterata, econtra emendatione ab uniuerſis unanimiter promiſſa, placuit tam regi quàm primoribus, ad ſanctam matrem Romanam Eccleſiam, tantos ac tales à partibus iſtis legatos transmitti, qui & de obiectis rite rationem reddere, & de incertis ſagaciter inueſtigare, ac per omnia utilitatibus Eccleſiaſticis ſapiēter conſulere ſint idonei. Separantur in hoc opus uiri ſpiritu ſapientiæ pleni, dignitatibus, natalibus & elegantia, ſeu diuitijs pręcipui, in illaq́ ſecundum Deum ſiue ſæculum ueneratione inſignes, à Lotharingia Bruno Treuerēſis, à Saxonia Heinricus Magdab. à Francia Otto Babenb. a Baioaria Eberhardus Eichſtatenſis, ab Alemannia Gebehardus Conſtantien. a Burgundia Curienſis, nonnulli etiam nobiles de latere regis laicę profeſsionis, idq́ inter cætera ſuſcipiunt in mandatis, ut ſi fieri poſsit Domini Apoſtolici præſentiam, ciſalpinis partibus impetrent exhiberi. Sic nimirum, ſic per tot iam annos obnubilata lux oriri cœpit noſtris in partibus, orthodoxa depublicatur & uentilatur, deiudicatur & conuincitur, fœtet & reſpuitur, condemnatur & anathematizatur hęreſis Vuigbertina, uel Heinriciana, abdicatis ſiue fugatis hæreſibus, catholici cathedris pontificalibus deſtinantur, è quibus etiam aliqui inter ipſa feſta conſecrantur. Deniq; in tantum diuinæ legis ſubito zelus efferbuit, ut etiam ipſa cadauera pſeudo epiſcoporum ab Eccleſijs eliminarentur, quotquot autem ab ipſis erant ordinati, uſq; ad generalem audientiam ab officijs ſuſpenderentur. Iam enim exaltatis ſibi diuinitus Eccleſia Romana cornibus, ad incutiendum timorem cūctis uſq; quaq; ſciſmatum membris, etiā capitis ipſius oſſa, Vuigberti ſcilicet dicti Papæ de ſepulchro ſuo, quod per quinq; iam annos in Eccleſia Rauēnenſi poſſederat, proijci fecerat: uniuerſaq́ eius inſtituta, ut uere non Apoſtolici ſacerdotis, ſed apoſtatici inuaſoris annullari decreuerat. Inter hæc Vuernherus quidam ex ordine miniſterialium regis, qui Marchæ, quæ in partibus Aquinæ præerat, quaſi hæreſim eandem reſuſcitaturus, collectis undecunq; per Italiam copijs, corruptis quoq; multa pecunia Romanis nonnullis, dum dominus Apoſtolicus Beneuentanis immoratur finibus, quendā pſeudoabbatem

Nota.

Selecti epiſcopi et laici in cauſa fidei.

Hæreſis Vuigbertina & Heinriciana ſcilicet.

Exaltata eccleſiæ Romanæ cornua. Iuxta illud, Vos aūt non ſic.

de Fafara

de Faſara, proh nefas cathedræ S. Petri impoſuit, & ipſum Papam Cæſaris ſub
uocabulo Sylueſtri appellari uoluit. Qui tamen poſt paululum turpiter, ut me=
Pſeudoabbas de Fa= ſara fit Papa.
rebatur catholicis eliminatus, ueſaniæ ſuæ premium male conquiſiti, peiuſq́ di=
ſperſi æris rettulit, damnum preter fidei quod miſerunt, cæco non doluit corde
diſpendiũ: Porrò proceres iam dicti, dum è ſuis ſinguli partibus in ualle Triden
tina conuenientes, apud eiuſdem nominis ciuitatem, id eſt Tridentum perno=
Tridentum.
ctarent, quidam Adelbertus adoleſcens, partium illarum quodam inſignis co=
mitatu, ſummo mane ſuper ipſos, utpote inermes & peregrinos conciuibus ar-
matis irruit, ſpoliat, capit, cuſtodiæ tradit, idq́ ſibi per legationes Domini ſui
Heinrici eximperatoris demandatum comprobat. Artibus quippe ſolitis, idem
Heinricus uſus, clamq́ religioſis, epiſtolis, nuncijs, quaſcunq; poterat regni ciui
Heinricus ex= imperator.
tates & prouincias impleuerat, quibus ſe uim à principibus paſſum, immo ab
unico filio depulſum imperio, deplorabat regnum in ſuis miſerijs confuſum,
cunctis uſquequaq; patribus eiuſdem fortunę timendum fore præmonebat exem
plum. Qua de cauſſa nullus iam per Italiam liber tranſitus eiſdẽ patuit legatis.
Gebehardus tantum Conſtantienſis epiſcopus cum ſuis per occultiores alpium
Mathildis, alia Debbora, ſecus ſentiunt alij.
ſemitas ingreſſus, Mathildis comitiſſæ alterius, nimirum Debboræ, præſidijs, a=
poſtolicis præſentãtur ueſtigijs. Reliqui, ut diximus, magnates, ut nimirum à ſtul
tiſsimo captiuatore deprehenſi, indigne tractantur, præter Ottonem Babenber
genſem epiſcopum: cui idem Adelbertus, eo ꝙ eſſet ſuus miles, parcere cogeba-
Bruno.
tur. Quo etiam mediante, Bruno Treuirenſis epiſcopus, & Vuigbertus comes
eo pacto dimittuntur, quatenus & imperatorem, cum illo pacem facturi, conue
niant, & quid de reliquis ipſe præcipiat relaturi redeant. At Ieſus, qui ſemper pro
pe eſt omnibus ſe inuocãtibus, & his iuxta qui tribulato ſunt corde, repẽte ſuper
eoſdem ſibi rebelles, Vuelphonem ducem Noricum, quaſi gladium de uagina
Vuelpho, dux Noricus in rebelles.
ſua eduxit, qui tertia ſuperueniens die, manu ualida clauſas obſtructas effregit.
Gebehardum uirum probatum Tridentinę Eccleſię conſtitutũ, à rege catholico
nouum Epiſcopum, quem nunq́ ſe ſuſcepturos ciues ipſi conſpirauerant, recipi
coegit, ipſum quoq; Adelbertum, ſuiq́ ſceleris complices adeo perterruit, ut edu
ctos quos clauſerant principes, ipſumq́ caſtellum nouo Epiſcopo redderent, ipſi
inſuper nudipedes ab his quos afflixerant, ueniam poſtularẽt. Tunc etiã à prima
Cometes.
hebdomada quadrageſimę, qua & mediante hęc paſſi ſumus, Cometã immenſi
fulgoris, uſq; ad paſſionẽ Domini cõſpeximus: reuertentes quoq; tã pauperes ꝙ̃
diuites, non ſine proprio ſinguli damno, regem noſtrum Heinricum quiddam
infortunij perpeſſum à rebellantibus ſibi nõnullis, per Alſatiam ſeditionis fama
ſiniſtra percepimus, patrem uero regis non modica ſibimet auxilia contra filium
Auxilia Henrici IIII contra filium.
attraxiſſe, hoc eſt Epiſcopũ Leodienſem, Heinricũ ducẽ Lotharingenſiũ, Colo
niã, Iuliacũ, Bunnãq́ & Veronã, ceteraq́ patris illius oppida, hecq; nonnulli titu
bationis religioni minabantur catholicę. Cęterũ rex Heinricus, diuina roboratus
confidẽtia, nec minus magnanimitate animatus innata, dum quaſi partes inimi
Heinricus V. Coloniæ.
cas humiliaturus, Leodiũ Paſchalẽ inibi curiã habiturus conuertitur: Poſt feſtum
Palmarũ Colonię cedentibus hoſtibus, ſatis iocunde celebratũ, moto comitatu
turſum fortunæ ſiniſtrorſum ſibi totã uolui ſentit, dum nimirũ inconſultius agi
tur. Nam cognita patris machinatione, qui utiq; ſe ut uir bellator ab adoleſcẽtia
ſatis argumentoſe per conductas ad ciuitatem, qua curiam indictam præſcripſi=
mus, copias reſiſtere parabat, ipſe iuuenili nihilominus animoſitate ſuccenſus,
illo parua licet manu cinctus, ut cœperat ire, contendit. Qua de re pręmiſſis ccc.
uiris, qui pontem ſuper Maſam fluuiũ, loco qui Vuegeſar dicitur conſtructum,
obſeruarent: nam omnes eiuſdem fluminis tranſitus iam hoſtes interruperant,
dum rex in palatio Aquiſgrani cœnam Domini celebrat, dux Heinricus cum ex=
Heinricus dux Lotharingẽſis opprimit regios apud Maſam.
ercitu Cæſariano, regios ad pontem inuadit milites, nauiterq́ reſiſtentes, arte
quadam equitandi, qua gens illa plus cæteris utitur in altiora deductos, multi=
tudine legionum cingit, opprimit, ſternit atq; capit, nonnullos etiam cedentes
fluuius uorauit. Videtes fortiſſimos Machabæos in bello catholicæ pacis poſt
ſtragem plurimam apoſtaticæ genti illatam, fide magna & lætitia, ſuas animas

Chriſto

Hæreticos uocat Henricianos, Romanum Pontificem non agnoſcentes.

Expeditio contra Lotharingum.

Chriſto pro ſe paſſo cõmendantes, ac huiuſmodi pro tranſitu priorum delicto-
rum,ueniam in eadem indulgentiæ die conſecutos,inuicem cõſolantes. His for
tunæ fallacijs,immo ſummi diſpoſitione iudicis, mens hęreticorum tumeſcere,
nec tamen orthodoxorum ſpes decreſcere cœpit. Rex aũt inter ipſa Paſchalia fe-
ſta, quæ tunc pro euentu rei Bunno celebrabat, Heinricum ducem iudicio opti
matũ,reum maieſtatis & hoſtem: reipublicæ, ducatu priuat, ac generalem expe-
ditionem contra Lotharingiam, accepto à Principibus Sacramento, per totum
regnum indicit & præparat. Quo dehinc ſuperioribus ſe partibus conferente,pa

Henricus 4. Coloniæ

Henricus 5. Leodij.

ter ſe Colonienſibus reddit, & Epiſcopo pulſo, ciuitatem ipſam uallis & propu
gnaculis, omniq́ꝫ repugnandi genere permagnifice muniuit, ipſeq́ꝫ cum fidelisſi
mis ſuis Leodiũ ſe contulit. Igitur menſe Iunio iam ferè mediante, rex Heinricus
cum exercitu ſuo copioſo,id eſt xx. millium Coloniam Agrippinã obſedit. Sed
cum eſſet,ut dictum eſt,multus per omnem modum,tres aut quatuor inibi heb-
domadas caſſo pene labore conſumpſit,excepto ꝙ ut fieri ſolet,iuuentus, ut po-
temoreimpatiens, nonnunq̃ꝫ pro muris concurrens, ludo crudeli fugat alteru-

Colonia obſidetur.

trum uel ſternit. Ibi etiam Dietericus comes regi fidelisſimus infirmitate preſſus,
cõmuni fine migrauit, uir utiq́ꝫ nobilisſima Saxonum ſtirpe progenitus, & tam

Legati patris ad filiũ

omnigenę religioni q̃ꝫ catholicę defenſioni non mediocriter deditus, literis etiã
aliquantum inſtructus. Interea regi Heinrico patris legati de Leodio miſſi, præ-
ſentantur,literas tam ſibi q̃ꝫ principibus regni deferentes, quarum exemplar hic
inſeri non abſurdum duximus,ob probandam ſcilicet eiuſdem uiri multimodã
tergiuerſationé,qua ſe toto uitæ ſuæ tempore cunctis ſibi reſiſtentibus, ficta ſub-

Literæ Henrici 4.

Alb. Kr. lib. 5. ca. 22.

iectione eatenus feciſſet ſuperiorem. Heinricus Dei gratia Romanorum Impera
tor Auguſtus,Epiſcopis,Ducibus,Marchionibus,Comitibus, cęterisq́ꝫ regni prin
cipibus, gratiam & dilectionem, dignantibus eam recipere. Conquerimur Deo
omnipotenti,& dominæ ſanctæ Mariæ, & beato Petro, principi Apoſtolorum,
patrono noſtro,& uobis Principibus omnibus, ꝙ iniuſte & inhumane & crude
liter confiſi in illa fide, in qua dubitare non debueramus, tractati ſumus, & tam
honore regni q̃ꝫ prędijs,& omnibus quæ habebamus contra diuinum & huma
num ius,ad infamiam & improperiũ regni,ita expoliati ſumus, ut nihil penitus
præter ſolam uitam nobis relictum ſit. Vbi cum fermè omnibus cæteris magna
pars ueſtri uiſa eſt dolere & triſtari,ſed proh dolor,nihil nobis ueſtra contulit tri
ſtitia, quin de nobis ſibi ſatisfaceret uoluntas inimicorum noſtrorum odioſa. Et
quia cũ conſilio & rogatu filij noſtri,fide & ſecuritate uitæ & honoris ab eo pri-
mum accepta,fiducialiter & deſideranter Mogontiam in prẹſentiam legati Ro-

Hoc eſt ἀντιπελαργεῖν καὶ τιμᾶν τὸν πατέρα. Math. 15.

mani & Principum tenderemus, ut eorum diſpoſitione ageremus, tam de ſtatu
Eccleſiæ & honore regni, q̃ꝫ de ſalute animæ noſtræ, ipſe non eſt ueritus in hac
uoluntate & obedientia, nos contra datam fidem capere, & uſq́ꝫ ad articulum
mortis fermè ducere, non auſi ſumus ita nos illi credere, ut iniurijs & contume-
lijs nos pro uoluntate ſua, ſicut prius, ualeat tractare.

Quapropter multum rogamus uos & obnixe precamur,ut pro timore Dei &
honore regni, & honeſtate ueſtra dignemini ſtudere, quomodo de iniuria in
manibus ueſtris nobis illata, per uos poſsimꝰ recuperare iuſtitiã. Nos quoq́ꝫ pro
conſilio ueſtro & aliorũ qui nos odio non habent religioſorũ uirorum, parati
ſumus,tam filio noſtro,ſi in aliquo eum offendimus, q̃ꝫ alicui in regno libenter
emendare. Præterea ſicut domino Papæ in prẹſentia legati ſui,& ueſtra obedire
parati fuimus, ſic & nunc parati ſumus ei omné debitam reuerentiam & obedi-
entiã,ſincero corde & deuotione prẹſentialiter exhibere, & tam conſilio ueſtro,
q̃ꝫ ſpiritalis patris noſtri Hugonis Cluniacenſis Abbatis, ac aliorum religioſorũ
uirorum, de ſtatu Eccleſiæ & honore regni,quantũ in nobis eſt,diſponere. Cum
igitur ad hæc omnia parati ſimus, rogamus uos, & obnixe deprecamur, quate-
nus pro Deo, & honore regni & ueſtro, inſtãter moneatis filium noſtrum, cum
ſecundum præfatam ſententiã nulla ei aduerſum nos reſidua ſit occaſio, amodo
deſiſtat nos & fideles noſtros perſequi, & quiete & pacifice uiuere permittat, ut
ſupradicta integre cum tranquillitate perficiantur. Quod ſi noluerit, rogamus
uos per

nos per autoritatem Romanæ Eccleſiæ cui nos committimus, & honorem regni, ne ſuper nos & ſuper fideles noſtros ueniatis, quia manifeſtum eſt eum non diuinæ legis zelo, uel Romanæ Eccleſiæ dilectione, ſed concupiſcentia regni, patre iniuſte eo priuato, hoc incepiſſe. Apud quem ſi interpellatio ueſtra, nullaq́ alia interuentio ad præſens prodeſſe poterit, appellamus Romanum Pontificem & ſanctam uniuerſalem Romanam ſedem & eccleſiam. Poſt lectas coram multitudine, tam has quàm alias literas, parum uerbis, nihil autem ſenſu uel intentione prioribus diſſonantes, filij tamen perſonæ ſpecialiter directas, rex Heinricus, ex optimatum conſilio, legationem uicariam patri deſtinauit, quam tamen prius publice prędicari per Magdeburgenſem Archiepiſcopum Heinricum fecit, hocq́ facto, ſuorum animos ſecum ualde roborauit. Erat autem huiuſmodi. Poſt inueteratam, id eſt per annos circiter quadraginta, diſciſſionem imperij Romani, quæ tam diuinas quàm humanas iam penè leges aboleuit, & exceptis mortibus omnimodis, ſacrilegijs, periurijs, rapinis & incendijs ipſum regnum noſtrum non tantum in ſolitudinem, ſed etiam ad apoſtaſiam catholicæ fidei, ſiue in ipſum paganiſmum propemodum redegit, reſpiciente tandem ſuam Eccleſiã, diuina clementia, nos eiuſdem Chriſti ſponſæ filij per ſpiritum ſanctum in unitatem fidei æquanimes reſipuimus, ipſum incorrigibile ſciſmatum illorum caput, Heinricum ſcilicet, dictum Imperatorem noſtrum, zelo Dei & Apoſtolicæ fidei obedientia abdicauimus, catholicum nobis, licet ipſius de ſemine natum, regem eligimus. Cuius regni principium ſui finem eſſe cõſpiciens, etiam ipſe tanquam uoluntarius, ſed ut iam eius fatentur literæ, nimis inuitus collaudauit, regalia reddidit, filij curam cum regno noſtræ fidei lachrymando commiſit, de reliquo nullam ſe regni pompam, ſed animæ potius ſuæ medelam ulterius affectaturum ſpopondit. At nunc ecce priſtinis ſe reddens tergiuerſationibus, præiudicium ſe paſſum per orbem terrarum cõqueritur, Gallorum, Anglorum, Danorum, cæterarumq́ finitimarum gentium, gladios cordibus noſtris infigere ditatur, ſuper illatis etiam iniurijs recuperari ſibi iuſtitiam precatur, conſilijs quoq́ noſtris amodo promptum obedire ſe pollicetur. Re autem uera ſolitis argumentis, caſtra hæc domini diſpergere, Chriſti exercitum exarmare conatur, & ut in propatulo eſt, uineam Domini, quę iam ſero floreſcere cœpit, tam per ſe ſingularem utiq́ ferum denuo depaſcere, quàm per uulpes illos, nimirũ qui ſibi adhærent, peſtilentes homines, demoliri, ac per ſacrilegia ſacerdotũ Belial, anathemati reciduo reddere, immo quod dictu nephas eſt, Chriſtum iam iterum in Eccleſia ſua reſurgentem in omnium cordibus crucifigere meditatur. Quapropter placet tam regi quàm uniuerſis regni principibus, immo cuncto exercitui orthodoxo, quo ſenior idem, ne ulla ſibi pateat aduerſum nos iuſta querela, quácunq́ elegerit ſecuritate, quacunq́ maluerit ſtatione, coram præſenti ſenatu, ſimul & populo cauſam ſuam agat, iuſtitiam ſuſcipiat, iuſtitiam & reddat, quatenus ab ortu ſciſmatis, omnibus ſeditionum cauſis, ac ſi nil inde iam fuerit diffinitum, undiq́ diſcuſſit, tam filio quàm patri ſua iuſtitia reſpondeat, Eccleſiæ uero, regniq́ ſtatus, non ut ipſe more ſuo proponit, poſt longas inducias, ſed impræſentiarum his cõtrouerſijs diremptis, uacillare deſinat. Quam legationem probatæ ſingularis prudentiæ perſonę, Abbatis uidelicet ac Rihuuin presbiteri, una cum quibuſdã, laicali ſub habitu, uiris religioſis, tam à rege quàm uniuerſis principibus, immo toto exercitu ſuſceptam eximperatori ſæpe dicto, uix eius præſentiam, fandiq́ licentiam conſecuti, cum retuliſſent, horribile memoratu eſt, quàm ingenti uitæ ſuæ periculo per dies ſex, eo quòd nullo modo conuentui malignantiũ cõmunicare uoluerint, indigne tractarentur: tandemq́ ab irruente ſibi in eadem, qua manebant, cuſtodia, uulgo liberati, abſq́ omni ducatus præſidio, caſtris circa Coloniam poſitis, redderentur, id tamen præcipuum inter ſenioris reſponſa referentes, quatenus ad præſens armis diſcederetur, & in futurum ſuper huiuſmodi ſimultatibus, curiale colloquium indiceretur. Auditur preterea quia Heinricus eximperator, & Heinricus exdux, exercitum undecunq́ cõflant, & adhuc, uel ſemel tentare, fortunam omnimodis parant.

Appellat ad Ro. Pon & Romanã eccleſiã.

Legatio ad Hein. 4.

Præſidia Heinri. 4. ex Gallis, Anglis, Danis &c.

Legati Heinrici. V. in periculo uitæ.

Exercitus Heinrici exim pe. & Heinrici exducis, Lotharingum intelligit.

Qua propter

Expeditio contra Lotharingum.

Quapropter uniuerſa militia regis, immo Chriſti, ſaltem ferro rebus finem facere deliberans, ne forte, quod certiſſimum erat, Cæſarianis urbani cõtra auxilio forent, obſidionem ſoluunt, & contra Lotharingiam moti, munitiones ac cęteraque quæ rebellium erant, interim diripiunt, pręmittentes ad Heinricum ſeniorem ſecundos nuncios, qui ſibi deliberationem proponerent, aut cauſa pacis pacto pręſcripto cõponendæ, filio ad Aquiſgrani propediem occurrere, aut imminens ſibi bellum non dubitare. Quibus nimirum legatis cuſtodiæ nihilominus traditis, ad reſiſtendum omnimodis, occulte tamen pręparari molitur, ſed dimiſſos poſt aliquot dies miſſos eoſdem, inopinata, & qua nihil acceptabilius caſtris illis inferri poſſet, fama mortis ipſius Heinrici Imperatoris ſubſequitur. Miſerabile tamen dictu eſt tanti nominis, tantæ dignitatis, tantiq; animi uirum ſub profeſſione Chriſtiana mundum tanto tempore lucratum, nec ad inſtar cuiuslibet pauperis defuncti pium uel compaſſiuum luctũ à quauis inter tot Chriſtinanos perſona promeruiſſe, ſed potius uniuerſorum tam ibidem q̃ ibiuis uere Chriſtianorum corda ſimul & ora infinito nimis tripudio ſui oblitos rumore repleſſe. Non altius concinebat Iſrahel Domino Pharaone demerſo, nec auguſtiori ipſi Octauiano, ſiue ullo unq̃ Auguſtorum applaudebat Roma triumpho. Frenum quippe, quod erat in maxillis populorum, uerſum eſt illis in canticum, ſicut uox ſanctificatæ ſolennitatis. Igitur, quia ceſſante tandem exactore quieuit, & tributum, mox omnes qui quęſtus dumtaxat gratia, eidem Principi eatenus adhærendo, ſuas animas uenalitati propoſuerant, deditioni regis ſimul & cõmunioni catholicę ſubijciuntur. Leodienſis autem Epiſcopus, cęteriq; coepiſcopãtes hac, inter cętera recipiuntur in cõmunionem pœnitentię, cõditione, quo cadauer ipſius excommunicati, per ſe pridie in monaſterio tumulatum, effoderent: & abſq; ulla ſepulturæ uel exequiarum cõmunione in loco non conſecrato deponerent, cõprobantibus his, qui aderant Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quia quibus uiuis Eccleſia non cõmunicat, illis etiam nec mortuis cõmunicare poſſit. Quo facto, paulo poſt corpus ipſum Spirenſi ciuitati eſt in ſarcophago lapideo regis conſenſu delatum, ſicq; extra Eccleſiam ibidem per quinquenniũ manſit inhumatum. Hic finis, hic interitus, hęcq; ſors ultima Heinrici illo ſub uocabulo iiij. Romanorum Imperatoris à ſuis appellati, à catholicis uero, id eſt cunctis, beato Petro ſuiſq; ſucceſſoribus, fidem & obedientiam lege Chriſtiana conſeruantibus, archipirata ſimul & hęreſiarcha, necnon & apoſtata, perſecutorq; plus animarum q̃ corporum competenter dicebatur, ut pote, qui nec naturalibus, nec conſuetudinarijs contentus ſceleribus, noua & à ſęculis inaudita, ideoq; nonnulla incredibilia excogitaſſe, & exercuiſſe infamabatur. Quæ ſi quis illorũ arbitratu, qui tam perperam q̃ recte ab Imperatoribus geſta, literis digna iudicãt, ſcribere uelit, nos loco cedimus, maxime cum aliqua ex his obliuione potius q̃ memoria digna non dubitemus. Pluribus autem teſtibus cõprobare poterimus, ꝙ nemo noſtris temporibus, natu, ingenio, fortitudine & audacia, ſtatura etiam totaq; elegantia corporis uideretur faſcibus imperialibus ipſo aptior, ſi tamen in conflictu uitiorum homo non degeneraret, uel ſuccumberet interior. Porrò cum non pauci ſuperſint, ijdemq; in ſublimitatibus conſtituti, quos operum eiuſdem uiri cooperatio redarguit, unũ eſt, quod licet nimis timidi ſuggerimus, quatenus ipſum condemnationis eius exemplum ſibimet in remedium uertant, nec honoris praue conſecuti florem, ſed ſemen attendant, ſatiuſq; ducant malis plantarijs eradicandis inſudare, q̃ fructum inde perpetuæ mortis in futurum capere. Alioquin deſipere nimis eſt uulnus ferro plenum ſanari, credere Deo, ſimul & mammonę deſeruire uelle, monſtriq; ſimile eſt ex Phariſaicę elationis faſtigio, ipſoq;, ut dicunt, mercede ſacrilegiorum aſcenſo, Apoſtolicę humilitatis dignitatem uſurpare, ab apoſtaſię ſemine, fructum hierarchię ſperare. Hæc hactenus, Deo autem gratias, qui licet tarde, tamen permagnifice uictoriam conceſſit Eccleſiæ ſuæ, cui etiam eiuſdem Nabuchodonoſor quinquageſimum exactionis annum, id eſt Galilæus, qui Iulianum quondam uicerat, uertit in iubileum.

Fama mortis Heinrici 4. grata multis.

Adhærentes Heinrico.IIII.

Leodiẽſis epiſcopus.

Sæuitur in cadauer Hein.IIII. Vide Alb Crantz li.5.cap.24.

Heinricus.IIII. S. Petro & ſucceſſoribus, dictus Archipirata Hæreſiarcha iuxta illud 1.P.5. μηδ' ἐ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων.

Forte carpere.

Heinricus, Nabuchodonoſor, Iulianus & Aman.

Si quis uero tam zelotes eſt, cui quaſi diem interitus Aman, etiã Heinrici obitum &

tum, & eccleſiæ poſteritatem ignorare non libeat, vij. Idus Aug. hanc eſſe ſciat, quo ſcilicet die primo matrē ſuam eccleſiam apud Vnſtruot inuadens, innumeras animas ad inferos præmiſit: eademq́ꝫ die Martis, qua etiam cuncta ſua prælia Paganico nimirum auſpicio perpetrare conſueuit. Poſt hæc hebdomada iiij. Menſis Octobr. habitum eſt conciliū generale in prouincia Longobardia ſuper ripam Padi fluminis, loco qui Vuarſtallis nuncupatur, ubi præſidente uere per omnia Apoſtolico uiro Paſchali ij. coram multitudine maxima clericorum, nec non laicorum, qui de diuerſorum regnorum eccleſijs conuenerant, præſentibus etiā legatis domini Heinrici regis multa ſunt, prout canonica dictabat æquitas, de inimici zizanijs euulſa, multa de ſtructuris ſuper hatenam poſitis deſtructa, plura quoq; piſtici ſeminis plantaria profundius plantata ſimul & rigata, nonnulla etiā tutiſſimæ munitionis per eccleſias propugnacula ſunt ædificata. Nam cū eadem dominica, quę erat xij. kal. Nouemb. Iuuauenſibus Chunradum, Tridentinis Gebehardum, præſules conſecraſſet, enarrare longū eſt, ꝙ indeſeſſe prudens & fidelis ille ſummi patrisfamilias diſpenſator conſeruos ſuos uerbi Dei tritico lautiſſime quotidie reficeret, pſeudoepiſcopos deponeret, catholicos cōſtitueret, archiepiſcopis pallia, monaſterijs priuilegia conceſſerit, pręſentes ouium Chriſti paſtores melliſluis alloquijs, abſentes paternis commonitoriorum literis inſtruxerit, quędam olim abſciſſa membra eccleſiæ iterū incorporauerit, quędam etiam quæ inſanabilia uidebantur, anathematis abſciſione truncauerit. Super ordinationibus autē tempore ſciſmatis factis, unde permaxime uentilabantur quæſtiones, decretum diſcretione maternorum uiſcerū artificioſe meditatū, in hæc uerba promulgauit: Per multos iam annos regni Teutonici latitudo, ab Apoſtolicæ ſedis unitate diuiſa eſt. In quo nimirum ſciſmate tantum periculum factum eſt, ut (quod cum dolore dicimus) uix pauci ſacerdotes aut clerici catholici in tanta terrarū latitudine reperiantur: tot igitur filijs in hac ſtrage iacentibus, Chriſtianę pacis neceſſitas exigit, ut ſuper hos materna eccleſiæ uiſcera aperiantur. Patrum itaq; noſtrorum exemplis & ſcriptis inſtructi, qui diuerſis temporibus Nouatianos, Donatiſtas, & alios hęreticos in ſuis ordinibus ſuſceperūt, præfati regni epiſcopos ſciſmate ordinatos, niſi aut inuaſores, aut ſimoniaci, aut criminoſi ſint probati, in officio epiſcopali ſuſcipimus. Idipſum de clericis cuiuſcunq; ordinis conſtituimus, quos uita ſcientiaq́ꝫ cōmendat. His & huiuſmodi ſuper eccleſiam diuini luminis orientis autoræ iocundati ſplendoribus, quia nimirum tandem ueneral tempus miſerendi eius, pariterq́ꝫ Apoſtolicis macti benedictionibus, ad ſua quiq; conuertuntur: nos uero, id eſt, alpium tranſcenſores ſpeciali quodam prę cunctis efferebamur tripudio, eò quod certi eſſemus domni Apoſtoli profectionem ſic fuiſſe diſpoſitam, quatenus iter noſtrum ꝙ maturè ſubſequēs, natalem Domini Mogontię celebraturus eſſet, præſente cū uniuerſis regni principibus nouo rege noſtro. Hoc anno dux Saxoniæ Magnus obijt. Pro quo Lotharius ſurrexit. Item Vto Marchio de Saxonia obijt. Rupertus Vuirciburgenſis epiſcopus dum tendit ad concilium, eundo defungitur. Quo decedente, dominus Erlungus tam à clero, ꝙ à populo Vuirciburgenſium, ut uerus paſtor ſibimet dudum iniuſte ablatus, ſed iuſto Dei iudicio rurſum oblatus, ſummopere poſtulatur: conceſſusq́ꝫ tam à rege quàm papa per legatos Romanæ ſedis magna expectatione, & incredibili totius ciuitatis, ac multorum populorum tripudio ſuſceptus, nimis honorifice inthronizatur.

Concilium generale in Longobardia præſidente Paſchali.

Decretum Paſchalis ad padum fluuium.

Pro macti, aliàs dignati.

Magnus Saxoniæ dux moritur.

ANno domini mill. cvij. Rex Heinricus natalem Domini Ratiſponæ celebrauit, pręſentibus ſcilicet legatis domini Apoſtolici, uel cuius aduentum iam aliquandiu apud Auguſtam Alemanniæ metropolim, cæteraſq́ꝫ ſuperiores partes præſtolatus fuerat. Ille uero ſuorum conſilijs quaſi proteruiam Teutonicorum declinans, maxime propter ſeditioſum quendam tumultum, qui ſibi Veronæ hoſpitanti dudum occurrerat: inſuper ſuggerentibus quibuſdam, ꝙ non facile gens noſtra decretum illud recipiat, quod quamlibet eccleſiaſticam inueſtiturā laicis à manibus uetat; necnon et animoſum cor regis adoleſcentis, quod

Heinricus 5. Ratiſponæ celebrat natalem Domini.

Seditio Veronæ in Heinricū quintum.

Eccleſiaſticam inueſtituram laicis è manibus eripere, hæc ſu it illa Helena, propter quam cœlum terræ miſcendum fuit.

nondū per omnia dominico iugo ſit habile, hęc inquam, multaq; id genus uiſ Dei percepta conſiderans, necdum ſibi oſtium Germanicis in partibus apertum eſſe cum gemitu pronuncians, profectionem ſuam cum Hiſpaniarū legatis per Burgundiam ad Gallias conuertit, & natalis Dominici gaudium ſua præſentia Cluniacenſibus multum ampliauit. Inde ſecedens, ab uniuerſis finium illarum eccleſijs, ut uere Chriſti diſcipulus, & Apoſtolorum uicarius, ingenti honore ſuſcipitur, digna reuerentia tractatur, non aliter q̃ legifer de cœlo miſſus auditur.

Paſchalis ut legifer è cœlis miſſus ſuſcipitur.

Sic itaq; per menſes aliquot, ut fidelis diſpenſator & prudens, quotidianam ſollicitudinem omnium eccleſiarum gerens, tandem circa aſcenſionem Domini concilium non modicum apud Trecas habuit: ubi inter multa quæ pro tempore & neceſſitate corrigenda, correxit, ſentētia de libera paſtorum electione, & de coercenda laicorum in eccleſiaſticas dignitates præſumptione, iuxta prædeceſſorum ſuorum decreta promulgauit.

Conclium apud Trecas, de libera paſtorū electione.

At rex Heinricus peragratis Saxoniæ finibus, poſt paſchale feſtum Mogontiæ actum, eidem ſe concilio uicinum, nō tamen præſentem, cū nonnullis epiſcopis & optimatibus exhibuit: cum quibus etiam inito conſilio, legatos honorabiles ad Apoſtolicum tranſmiſit, per quos tam ipſi, quàm uniuerſæ ſynodo poteſtatem conſtituendorum epiſcoporū priuilegijs Apoſtolicis Carolo imperatori conceſſam notificarent.

Legati Henrici quinti ad concilium.

Super qua queſtione, quia in alieno regno quicquam diffiniri, utpote Romano iam incipiens potiri ſceptro H. non patitur, inducię ſibi totum ſequentis aňi ſpacium Romam ueniendi, & eandem cauſam generali concilio uentilandi conceduntur. Tunc etiam nonnullos noſtrates epiſcopos, eò quod eidem concilio non intererant, officij ſuſpenſione dominus papa multauit: quos tamen non multo poſt ſatiſfacientes, clementer abſoluit. Rurſum necdum humilitatem quam quęſiuit Germanicis in cordibus inuenire ſe, ſatis conqueſtus, nos nequaq; ut propoſuerat, uiſitare, ſed finibus Italicis ſe comitatumq; ſuum diſpoſuit referre.

Paſchalis non fidit ſe Germanis.

Quo licet moroſe perueniens, tantis Romani tam clerici quàm populi tripudijs, ſuis ſuſcipiebatur, ac ſi de mortuis rediuiuus crederetur. Rex uero orientalibus redditus, colloquium Ratiſponæ cum Baioarijs, in quo expeditionem uerſus Flandriam contra Rupertum inſtituit. Qua circa Octobrem mota, terram rebellium ingreſſus, non ſine graui exercitus ſui diſpendio, per unum & amplius menſem uaſtat, donec per internuncios res ad proximam curiam dilata, litem ſeparat.

Simultas inter Colomannum & almum.

Adherbal.

ANno Domini milleſimo cvij. Rex Heinricus Mogontię natalem Domini celebrans, præſcriptum Rupertum in gratiam recepit. Eo tempore orta ſimultate inter Colomannum regem Pannoniæ, germanumq́; eius uocabulo Almum, eò quod uterq; ſibi potius regiam competere dignitatem iure gentis illius cōtenderet, ſpoliatus tam rebus q̃ ducatu quo inter Vngarios clarus, et ut decuit fratrem regis, à rege ſecundus claruit, Almus regem Heinricum adijt, & in auribus totius Senatus haud ſecus q̃ ille quondā Adherbal miſerias ſuas deplorans, Romani imperij magnificentiā in compaſſionem & defenſionē ſui flectere curauit. His querelis motus rex Heinricus, inſuper etiam q̃ idem Colomannus fines regni noſtri, ſcilicet in locis maritimis, inuaſerit, Vngariam exercitu petit: ſed prę paratis multiformiter aduerſarijs, maximeq; per obſtructa fluminis undiq; uada, poſt moroſam & caſſam obſidionem caſtri Bresburg, penè inacte redit.

Henr. quintus Francofordiæ natalem Domini celebrat.

Sigifridus comes Palatinus capitur.

Gotfridus abbas Fuldenſium deponitur.

ANno domini milleſimo cix. Rex Heinricus natalem domini Mogontiæ celebrat: & paulo poſt Franckenfurt conuentu procerum habito, Sigifridum Palatinum comitem àpud Vuirciburgenſem epiſcopum cuſtodiæ deputauit, eò quod prodente Heinrico prius duce Lotharingiæ iam in gratiā regis receptο, in necem & regnum eius inſurgere conſiliatus ſit. Ibi etiam depoſito Gotefrido Fuldenſium abbate, Vuolfhelmum eis præfecit ex eadem congregatione. Poſt hæc ad Poloniam gentem longinquam mouit exercitum, multoq; ibi atq; diutino deſudans labore, diu negatum à terra illa tributi exegit debitum. Ruothardus Mogontinus archiepiſcopus obijt.

Anno

Anno Domini milleſimo cx. Rex Heinricus natalem Domini Babenberg celebrans, nuncijs excitatur inopine ſiniſtris, Bragam Boemię metropolim cum exercitu occupaſſe, ac ducatum illius gentis contra regis uoluntatem ſibimet uſurpaſſe. Qui mox efferatus animo, principes ſibi fideliſſimos illō cum manu ualida præmiſit, quæ mire & uelociter proſperata, ciuitatem cum hoſtibus intra deprehenſis capit, regiꝙ pedetentim ſubſequenti, cum triumpho occurrit.

Heinricus quintus Bragam Boemiæ capit.

In Epiphania Domini Ratiſponæ Heinricus colloquium cum principibus faciens, animi ſui propoſitum eis aperuit, ſcilicet, quod tranſalpinis partibus ſe exhibere uellet, quatenus & benedictionem imperialem à ſummo pontifice, Romana, quæ caput mundi eſt, in urbe perciperet, & latas Italiæ prouincias in ſocietatem regni Germanici fraterna pace, & iuſticijs ac legibus antiquis componeret: inſuper ad omnia quæ defenſio poſceret eccleſiaſtica, ad nutū patris Apoſtolici ſe promptum demonſtraret. Arrectis animis omnium ad uotum pie prouidi conſulis, & indubitati iam patriæ amatoris, uir eſſe non crederetur, ſi quis à tam uirilis negocij conſortio ſe ſubtrahere conaretur. Itaꝙ ſacramento nimis uoluntario in idipſum qui aderant, conſentiunt: rex alacer de huiuſmodi expeditione per ſingulas Germaniæ prouincias inſtanter tractare non ceſſat: & licet terrente quorundam animos ortu cometæ ſyderis infauſti, per vi. ferè menſium inducias regia munificus liberalitate datis ubiꝙ inæſtimabilis pecuniæ ſtipendijs, circa Auguſtum moueri undiꝙ exercitum imperat, alijs ſecum per monté Iouis, alijs per uallem Tridentinam alpes tranſcendentibus. Prouiderat autem rex nulli à ſeculo regum in omni prouidentia ſecundus, ſciens Romanā Rempublicam olim non tantum armis, quantum ſapientia gubernari conſuetam, ſe non ſolum armatis, ſed etiam literatis uiris neceſſario muniri, paratis ſcilicet ad rationem omni poſcenti reddendam. Inter quos claruit quidam Scotigena nomine Dauid, quem ſcholas Vuirciburg regentem, pro morum probitate rex ſibi capellanum aſſumpſit. Hic itaꝙ iuſſus à rege, totam huius expeditionis ſeriem, rerumꝙ in illa geſtarum, ſtilo tam facili, qui pene nihil à communi loquela differat, tribus libris digeſſit: conſulens in hoc etiam lectoribus laicis, uel alijs minus doctis, quorum hæc intellectus capere poſſit. Igitur iuxta præſcripti teſtimonium hiſtoriographi, ſuperata nimis laborioſe montium aſperitate rex cum ſuis lętus & incolumis Eboreium peruenit: alter uero exercitus captis antea quibuſdā caſtellis, apud Viruncalia uti condictum fuerat, pōſt expugnatam ab ipſo Nouariam, ipſum lætanter excepit. Paucis ibidem diebus moratus, Padum proſpere tranſit: Placentiæ caſtra metatus, munera copioſa, magnamꝙ fidelitatem à ciuibus accipiens, & per tres ſeptimanas in his partibus commoratus, Parmamꝙ perueniens, Mathildem comitiſſam per internuncios ſibi ſubiectam gratia ſua proprijs iuſticijs donauit. Poſt hæc aſperrima montis nimis adflictus hyeme, montemꝙ Pardonis cum maximo exercitus diſpendio, rerum & equorum miſerabili defectu tranſcendit, inceſſanter cadentibus ſuper ſe, iuxta qualitatem illius climatis, immenſis pluuijs. haſꝙ per vij. ſeptimanas paſſi, tandem Florentiam nimis adflicti pertingunt, inſtante feſto natiuitatis Domini.

Profectio Henrici 5. ut Romæ benedictionem Imperialem accipiat.

Literati uiri cum Henrico quinto.

Tres libri Scotigenæ Dauidis de profectione Hen. 5. Romam.

Placentia.

Parma.

Mons Pardonis.

Anno Domini milleſſimo cxi. Rex Heinricus poſtquam rebus proſpere per Longobardiam atꝙ Tuſciam diſpoſitis, apud Florentiam Dominicæ natiuitatis gaudia, cum ingenti ſuorum tripudio & mirando, ac eatenus illius patriæ ciuibus nunquam uiſo decore & honore percelebrauit. Moto inde aduerſus Ariciam exercitu, illoꝙ perueniens, à clericis beniuole, à ciuibus ſubdole recipitur|: quorū inſolentiam ſatis abundeꝙ perdomuit, ſcilicet, ciuitate illorum cum turribus quas ad repugnandum regi præparauerant, funditus euerſa, eccleſiæ tamen omni ſua iuſticia, quam ijdem ciues uiolenter abſtulerant, iuxta clericorum petitionem reſtituta. Inde ad Aquam pendentem progreſſus, legatos ſuos dudū ab Aricia miſſos, ab Apoſtolico boni nuncij baiulos repperit: remiſſiſꝙ alijs nuncijs cum Romanorum qui ſupplices illic ſibi occurrerant, paulatim Sutriam

Henricus 5 Florētiæ natalem celebrat.

Aricia.

Aquæ pendentes.

Sutria.

triam proceſſit. Ibi legati Apoſtolici cum miſſis regijs aduenié̃tes, promptum eſſe papam ad conſecrationem & omnem regis honorem & uoluntatem, ſi ta- men ipſe ſibimet annueret libertatem eccleſiarum, laicam ab illis prohibens in- ueſtituram, recipiendo nihilominus ab eccleſijs ducatus, marchias, comitatus, aduocatias, monetas, thelonea, cæterorumq́; regalium quę poſſident ſummam. Præbuit rex aſſenſum, ſed eo pacto, quatenus hæc tranſmutatio firma & autenti ca ratione, conſilio quoq; uel concordia totius eccleſię, ac regni principum aſſen- ſu ſtabiliretur: quod etiam uix aut nullo modo fieri poſſe credebatur. Qua con- uentione facta, dimiſſis legatis & obſidibus utrinq;, rex hilariter ad urbem pro- perat: dominus Apoſtolicus cum omni clero, immo tota Roma ſe in eius occur ſum adornat. Poſt hęc quæ geſta ſunt, longiſſimum eſt enarrare, utpote quàm immenſa honorificentia ſit receptus, & per argenteam portam uſq; ad mediam rotam, antiquo Romanorum inſtituto deductus, ibiq́; lectis publice priuilegijs, tumultuantibus in infinitum principibus præ eccleſiarũ ſpoliatione, ac per hoc beneficiorum ſuorum ablatione, quàm ingenti periculo, quàm uaria diſceptati- one tota dies illa conſumpta ſit, & poſtremo pater Apoſtolicus ab epiſcopis & alijs fidelibus regis ſit cuſtoditus, uſq; ad pacatam & eccleſiaſticam conſecratio- nem imperatoris, in exemplum patriarchæ Iacob, dicentis ad Angelum: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. His ita in dominica quadrageſimæ tranſa- ctis, Romani tota nocte congregati, ſummo mane impetum undiq; fecerunt in exercitum regis, adeo ut cõmiſſa aliquandiu pugna, regem per ſeipſum neceſſe eſſet exercitui ſuccurrere: quod & impigre fecit, & uſq; ad inclinatam iam diem fortiſſimi militis & optimi ducis opus agens, Dei gratia ſuis uictoriam, hoſtibus poſt multam ſtragem fugam incuſſit. Poſt triduum Roma ſecedens, dominum Apoſtolicum ſecum duxit, & eo quo potuit honore tenuit, donec cõpoſitis quæ res poſcebat per regiones negocijs, pacatis omnibus aduerſarijs, inſtans paſcha non longe ab urbe in caſtris celebrauit: ibiq́; ſedatis inter ipſum & Apoſtolicum, inter regnum & ſacerdotium diſſenſionibus inueteratis, poſt octauas paſchæ cum nimio populi Romani, immo totius eccleſiæ, ac inæſtimabilis exercitus tri- pudio ante confeſſionem ſancti Petri Auguſti nomẽ & imperium, à Chriſto ipſe chriſmate rite perunctus & ſacratus, & ſub auguſtiſſima pompa coronatus ſuſce- pit: dato ſibi præſenti per manum Apoſtolici, ſub teſtimonio aſtantis eccleſiæ priuilegio, inueſtituræ eccleſiaſticæ iuxta quod utriuſq; prædeceſſoribus placue- rat, & permanere conſueuerat, cuius inuulſibilem ſtabilitatem dominus papa mox ſub anathemate, confirmabat. Sic deniq; ea die, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis, ut ita dicam, eſt recuperata, dum tam inueterata & eatenus incorrigibilia de regno Chriſti ſciſmatum ablata ſunt ſcan dala. Nec multo poſt Heinricus imperatoria munificus liberalitate, tam ſpi- rituali patri ſuo Papæ, quàm ſingulis eius Epiſcopis, Cardinalibus, clericisq́; maioribus ac minoribus dona tot, tanta, & talia diſpartiuit, ut abſentibus om- nino memoratu incredibile ſit: ſicq́; tam ab Apoſtolico, quàm ab omnibus proſpera ſibi imprecantibus, & nimio amoris uinculo eum aliquandiu dedu- centibus per Longobardiam ad alpes, indeq́; ad terras Germanicas fœliciter eſt reuerſus.

Laica inueſtitura prohibebatur.

Papa cum omni clero obuius Henrico.

Pater apoſtolicus cuſtoditur.

Romani impetum fa ciunt in regios.

Henricus 5. Roma ſecedens, apoſtoli- cum ſecum ducit.

Paſcha in caſtris ce- lebrat.

Henricus quintus co- ronatur in Auguſtũ.

Nemo ex hoc nume- ro mihi non donatus, abibit.

Poſt reditum quoq; ſuum, nonnulla tam ipſo imperatore, quàm ab epiſcopis ſecum comitantibus, quę corrigenda uidebantur, iuxta quod ſummus pontifex conceſſerat unicuiq;, uel iniunxerat, ad planum ſunt expolita, uitiata quoq; ad purum excocta. Sic Chriſto reſpiciente in terram de cœlo ſancto ſuo, ſicut ubiq; deuotio & religio Chriſtiana, ita etiam rerum proſperitas, & copia frugum ac noua circumquaq; creſcere cœpit leticia.

Igitur Imperator Heinricus menſe Auguſto quamplurimos Epiſcopos at- que Abbates, nonnullos etiam principes Spiram uocat, quorum aſſenſu & cooperatione, patris ſui Anniuerſarium permagnifice celebrat. Nam toto quinquennio ſuſpenſa communio ſepulturæ & orationum, Apoſtolica au- thoritate ab eiſdem ſacerdotibus, qui & Romæ coram Papa, pœnitentiæ

Aniuerſariũ celebra tur Spiræ Hein 4. præſentibus epiſco- pis & abbatibus.

illius teſtimonium reddiderant,tunc teſtificantibus conceditur, & quibus nulli unquam imperatorum auguſtiores impenſę ſint exequijs, iuxta maiores ſuos in eccleſia ſepelitur. Habita poſt hæc Mogontię curia, Adelbertum cancellarium ſuum dudum ad eandem cathedram electum, baculo & annulo ueſtiuit.

Adelbertus Cancellarius Henrici quinti fit epiſcopus Mogōt.

ANno domini milleſimo cxij. Sigefridum Palatinum comitem diutina ſatis adflictum cuſtodia, iuxta principum conſilium atq; petitionem ſibi reconciliatum dimittens, benigne tractare cœpit, adeo ut eius filium baptiſmate ſuſciperet, & iniuriarum præteritarum obliuiſci ſe facturum ſponderet. Eo tempore dominus Apoſtolicus multas à Romana eccleſia paſſus eſt iniurias, obijcientibus ei, quod contra inſtituta totius eccleſiaſticæ diſciplinæ, regem Heinricū tyrannicum Reipublicæ uaſtatorem, & eccleſiarum deſtructorem, imperiali benedictione ſublimaſſet, inſuper priuilegio ſacrilego condonaſſet. Inde coactus in concilio xv. kal. April. habito Lateranis in eccleſia Cōſtantiniana, ultima die concilij, facta coram omnibus profeſſione catholicæ fidei, ne quis de fide ipſius dubitaret, dixit: Amplector omnem diuinam ſcripturam ueteris & noui teſtamenti, legem à Moyſe ſcriptam & ſanctis prophetis: Amplector iiij. Euangelia, vij. Canonicas, Epiſtolas glorioſi doctoris beati Pauli Apoſtoli, ſanctos canones Apoſtolorum, iiij. uniuerſalia concilia, ſicut quatuor Euangelia, Nicenum, Epheſinum, Conſtantinopolitanum, Calcedonenſe, & Antiochenum concilium, & decreta ſanctorum patrum Romanorum pontificum, & præcipue decreta domini mei papæ Gregorij vij. & beatæ memoriæ papæ Vrbani. Quæ ipſi laudauerunt, laudo: quę ipſi tenuerunt, teneo: quæ confirmauerunt, confirmo: quę damnauerunt, damno: quę repulerūt, repello: quę interdixerūt, interdico: quę prohibuerūt, prohibeo, in omnibus & per omnia, & in his ſemper perſeuerabo. Quibus expletis, ſurrexit Gerhardus Engeliſmenſis epiſcopus legatus in Aquitania, & cōmuni cōſenſu domini P. papę, totiusq; cōcilij, coram omnibus legit hanc ſcripturam. Priuilegium illud, quod non eſt priuilegium, ſed uere debet dici prauilegium, pro liberatione captiuorum eccleſię, à domino P. papa per uiolentiam regis Heinrici extortum: nam omnes hoc in ſancto concilio congregati canonica cenſura, & autoritate eccleſiaſtica, iudicio Sancti ſpiritus damnamus, & irritum eſſe iudicamus, & omnino ne quid autoritatis & efficacitatis habeat, penitus excommunicamus: & hoc ideo damnatum eſt, quia in eo priuilegio continetur, quod electus canonice à nemine conſecretur, niſi prius à rege inueſtiatur, quod eſt contra Spiritum ſanctum, & canonicam inſtitutionem. Perlecta charta, acclamabant omnes: Amen, amen. Archiepiſcopus Iohannes Patriarcha Veneticus, Sennes Capuanus, & alij fere centum epiſcopi ſubſcripſerūt. Ex hac occaſione Viennenſis archiepiſcopus cum ſuis cōplicibus nouum ſciſma noſtras in partes ſeminare, & gladium anathematis in imperatorem molitur extendere. Sed quia cœptum eius apoſtolica, indeq; omni eccleſiaſtica autoritate uidebatur carere, parum interim potuit uigere. Attamen eiuſdem diſſenſionis ſeminatę cauſa, circumquaq; cœpit inuidiæ ſerpere malum, adeo ut nonnulli quicquam contra Rempublicam intentantes, huius rei materiam in ſuæ commotionis arripere meditarentur clypeum. Inter quos & prædictus Adelbertus deſignatus Mogontiæ pontifex, qui per omnia ſecundus à rege ſemper fuerat, ſine cuius conſilio nihil facere ſolebat, aduerſus imperatorem (quod uix quiſquā crederet) conſpirare cum quibuſdam principibus infamatur, req; cognita, cuſtodiæ traditur. Moritur his temporibus quidam de Saxoniæ principibus, nomine Vdalricus, Ludouici comitis dudum gener, ſed iam propter filiæ eiuſdem repudium inuiſus. Cuius poſſeſſiones prædictus Sigefridus hæreditaria ſibi uendicabat ſucceſſione: ſed dominus imperator eaſdē in ius regni conabatur attrahere. Quæ cauſa recidiuę diſcordiæ fomitem cœpit miniſtrare. Nam idem comes priores miſerias ſuas ſequentibus exaggerans, totam pene Saxoniam, ſuam uideli cet patriam, tantis impleuit querimonijs, ut tam ducem Lotharium, quàm Rudolphum Marchionem, Fridericum Palatinum comitem, Vigbertum atq; Lu

Sigefridus Palatinus recipitur in gratiam.

Profeſſio fidei Heñ ſ.

Priuilegium.

Electus canonice à nemine conſecretur, niſi à rege inueſtiatur.

Archiepiſcopus Viennenſis contra Imp.

Adelbertus Mogōt. contra Imp.

Vdalrichus Saxoniæ princeps moritur.

douicum, nonnulloſq; alios ab obſequio traheret imperatoris. Sed & epiſcopus Halberſtatenſis, necnon Gertrudis illa præpotens per Saxoniam uidua, uiolentiam pati ab imperatoris præiudicijs inuaſione prædiorum ſuorum clamitabant. Hæc & his ſimilia ſcandalorum zizania, murmur infinitum in nuper pacato regno ſuſcitant. Altmannus abbas obijt.

Henricus quintus Erfordiæ natalem celebrat.

ANno Domini milleſimo cxiij. Heinricus imperator natalem Domini Erpheſfurt celebrauit. Illuc cum præſcripti Saxoniæ principes curiam non adiſſent, indignatione nimia commotus imperator, bona eorum diripi, poſſeſſiones incendijs deuaſtari etiam inter ipſa feſta præcepit: nec multo poſt caſtellum apprime munitum Hornburg, longa obſidione deleuit. Deinde relictis per præſidia fidelibus ſuis, contemptores ſuos inſidijs & congreſſibus adflixit: inter quæ ſępedictus Sigefridus Palatinus comes, uir nobiliſſimus, & ſuo tẽpore nulli in omni probitate ſecundus, occubuit. Vuigbertus capitur. Ludouicus ad deditionem compellitur, ſicq; rebus interim quies, licet modica, conceditur. Poſt hęc quidam Regimoldus prouinciæ Burgundiæ comes, &, ut aiunt, imperatoris conſanguineus, tyrannidem iuuenili actus inſolentia, contra Rempublicam orditur, qui tamen ſuperueniente ſibi cum manu ualida H. Auguſto, munitionem in qua maxime confidebat Monzun, ipſe captus amiſit: ſicq; lite cito dirempta cuſtodiæ traditur.

Hein. quintus Bombergæ natalem celebrat.

ANno Domini milleſimo cxiiij. Dominus imperator natalem Domini Babenberg cum ſumma magnificentia, copioſaq; principum multitudine celebrat: & hoc ſimpliciter, quia uirum Dei Ottonem inibi epiſcopum, propter quædam iam orientia in regno ſcandala, curiam frequentare renuentem ex parte ſuſpectum habebat. Ipſe uero tranſitorijs pro concordia eccleſiaſtica non parcens, beneficijs indeſeſſis animoſitatem regis glorioſe deuicit. Hinc indicto conuentu Mogontiæ, nuptias poſt Epiphaniam Domini auguſtiſſime inſtituit, ubi etiam uix aliquos, aut certe nullum de magnatibus abeſſe uoluit: quorum conſilio uel conſenſu regis Angliæ filiam Mathildem nomine, dudum deſponſatã, legitime ſibi coniungens, regni conſortem conſtituit. Deinde contra quoſdam in locis paluſtribus ultra Freſonum inſulas habitantes, imperator naualem expeditionem multo ſtudio inſtituit. Quò dum tendit, Coloniam Agrippinam ſibi rebellem, & in hoc q̃plures tranſrheninos atq; Vueſtfalos conſentientes inuenit, quorũ numerantur nominatiſſimi, Fridericus Colonienſis archiepiſcopus, Gotefridus dux, Heinricus quondã dux, & Fridericus de Arnesburg. Intermiſſa itaq; profectione, manum in hoſtes præſentes extendere cupiens, Coloniæ partibus aſſedit: ciuitati uero mirifice munitę nõ præualens, regionem circũquaq; uaſtauit: tandemq; ſoluto conuentu, recidiuam expeditionem contra eoſdem rebelliones indixit. Qua circa kalen. Octobr. congregata, Friderici poſſeſſiones aggreditur. Qua undiq; uaſtata, & in medio regionis illius caſtro firmo conſtructo, eoq; militibus, armis, atq; ſtipendijs inſtructo, hyeme ſuperueniente abarmis diſceditur.

Nuptiæ Henrici cum Mathilde regis Angliæ filia.

Rebelles Henrico V. Freſones & Colonienſes.

Saxonia deficit ab Henrico.

ANno domini mill. cxv. Conſiderans imperator Saxoniã manifeſte iam à ſe deficere, contra eam ut iratus, ita etiã armatus uenit: & tam ex his quos adduxerat, q̃ quos inibi ſibi uoluntarios inuenerat, caſtra nõ modica inſtituit. Saxones uero periculis ſuis rem agi cernentes, copias ſuas ex diuerſo locãt, nõ pugnandi cõtra dominũ ſuũ audacia, ſed defendendi ſe neceſſitate coacti, ipſi per internuncios imperatori confirmabant. Cumq; per aliquot dies pars utraq; alteri minaretur et parceret, quidã uir fortis nomine Hogiar, qui dudũ inter multa quę bellicoſe egerat, Sigefridi Palatini comitis nece ſe famoſiſſimũ in aula regis effecit, aſſumpta omni electa iuuentute quę ut ipſe morę fuit impatiens, Saxones ſuos nimirum compatriotas audacter inuaſit: ipſeq; leonina ferocitate dimicans, gloriæ cupiditatẽ qua flagrabat multis ſecũ cadentibus propria morte probauit

Hogiar.

Interfu-

Interfuit huic conflictui, immo, ut aiunt, quodammodo prefuit Epiſcopus Halberſtatenſis. R. qui dudum ab Imperatore non modice fuit iniuriatus, qui nimirum ſuis magnam prædicauit iuſtitię conſolationem, Imperatoris uero de parte ceſis etiam ſepulturę interdixit communiunem. Sic dominus Imperator non parum amaricatus, ad Rhenum conuertitur. Saxonum uero conſenſus ad reſiſtendum illi magis ac magis roboratur. Ad hæc quendam Cardinalem Romanum nomine Dietericum, legatione in Pannonias functum, per nuncios aſciſcũt, quo etiam pręſcripti concilij actionem, & per ipſam Imperatoris excommunicationem prędicante, tam Archiepiſcopus Magdeburgenſis, quàm cęterarum Eccleſiarum præſules reconciliationem recipiunt, ſicq; ſciſſo iterum regno, undiq; nouę res oriuntur, ſic contraria quælibet in inuicem partes utræq; moliuntur. Interea directi ab Italia nuncij, obitum illius inclitæ Mahthildis nunciant, eiusq; prædiorum terras ampliſſimas hæreditario iure poſſidendas, Cæſarem inuitant. Qua nimirum fœmina, ſicut nemo noſtris in temporibus ditior ac famoſior, ita nemo uirtutibus & religione ſub laica profeſſione reperitur inſignior: conuentus poſt hæc Imperator amicorum conſilijs, immo totius regni compulſus querimonijs, generalem in kalen. Nouemb. curiam Mogontiæ fieri inſtituit, ubi liberam omnibus audientiam de ſibi ſubiectis ſatisfactionem, de ſuis extraordinarie, uel iuueniliter geſtis correctionem, ad ſenatus conſultum repromiſit. Statuto itaq; tempore, dum ipſe Mogontiæ præſens condictum, fruſtra præſtolatur conuentum, nam præter paucos Epiſcopos nemo Principum aduentabat: Mogontini aptum ſibi tempus arridere perpendentes, ſubito palatium loricati & armati uallant, alij atrium furioſe irruentes, in turmas & cuneos ſe glomerant, omnia ſtrepitu, cuncta clamoribus implentes, aulicis horribile ſpectaculum demonſtrant. Quid multa? Dubium non eſt, quòd niſi datis ad præſens obſidibus Imperator, ea quæ ſibi imponebantur, facturum ſe citiſſime confirmaſſet, ipſum fortaſſe palatium cum uniuerſorum, qui in eo erant, crudeliſſima nece ilico corruiſſet. Ita ſedato uix militum, plebiſq; feruentiſſimo furore, Cæſar ab urbe ſeceſſit, & poſt paucos dies Adelbertum, quem iam per annos tres artiſſima mancipauerat cuſtodia, uix nimirum oſſibus hærentem, ut coactus promiſerat, cathedræ ſuæ remiſit. Hic igitur non multo poſt ſedis Apoſtolicæ legato Dieterico ſe nuncijs & literis ſubijciens, ipſum ſibi, cæteriſq; non paucis pręſulibus Coloniam occurrere poſtulauit, ubi & mandata Papę, quę ſibi detulerit, communiter percipi, & ille ſuam conſecrationem, diu ſcilicet interclusam, tanta autoritate conſequi poſſit. Qui conuentus, inſtante feſto Natalis Domini, factus eſt, non abſq; indignatione Imperatoris, qui necdum plene uoluntarius erat in conſenſu eiuſdem ordinationis.

Epiſcopus Halberſtatenſis cõflictui præeſt

Scinditur rurſus regnum ſub Heinr. V.

Mahthildis mors nunciatur.

Conuentus Mogont.

Ciues Mogont. Heinricum V. Imp. cogũt.

Adelbertus reſtituitur.

Anno Domini Milleſimo cxvi. Imparator natalem Domini Spirę cum paucis Epiſcopis & Principibus celebrans, ea quę interim Colonię gerebantur, grauiter tulit. Audiuit enim ꝙ plurimos ibi cõueniſſe, non ſolũ Metropolitanos, ſed etiam alios Epiſcopos, uel optimates regni, cauſa precipua uerbũ excõmunicationis in ſe manifeſtandi, ꝙuis ipſe Cardinalis, cuius hęc initiabantur autoritate in itinere defunctus, illo ad ſepulturã potius, ꝙ ad actionẽ delatus eſſet concilij Miſſus tamẽ ab eo illuc pręſul Vuirzburgẽſis, audientiã uel cõmunionem, ſe nõ niſi reconciliatus habere meruit, reuerſus poſt redditã legationẽ ei qui ſe miſerat, denuo cõmunicare renuit, ſed uitę periculo coactus miſſam coram rege celebrauit, indeq; uſq; ad mortem contriſtatus, latenter diſceſſit, ſicq; rurſum communioni priſtinæ, multis lahrymis reconciliatus, ultra Cæſaris aſpectu, ſimul & gratia caruit. Qua etiam commotione ſuccenſus Imperator, ducatum Orientalis Franciæ, qui Vuirziburgenſi Epiſcopo, antiqua regum ſucceſſione competebat, Chunrado ſororis ſuæ filio commiſit, ipſeq; ſcandala Principum declinans, in Italiam ſe una cum regina, totaq; domo ſua contulit, ac circa Padum negocijs inſiſtens regni, legatos ad Apoſtolicum pro componẽdis cauſis, quæ iterum regnum & ſacerdotium diſturbare cœperunt ſuppliciter deſtinauit,

Heinricus V. Natalẽ Domini Spiris celebrat.

Vuirtzburgen. præſul cogitur ad Miſſam coram rege celebrandam.

Ducatus Epiſcopij Vuirtzburgenſis Conrado datur.

Abbas Cluniacenſis Apocriſiarius.

Cuius legationis primatum Abbas Cluniacenſis conſanguineus, ut aiunt, domini Papæ tenuit, qui inter utranque partem pro componendis pacifice rebus fidelis & impiger apocriſiarius multis argumentis inuigilare ſtuduit. Eodem igitur anno, qui eſt xviij. ordinationis Domini Papæ. P. ſecũdi. ij. Non. Mart. Romæ in ſede Lateranenſi, in Eccleſia S. Saluatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, celebrata eſt Synodus uniuerſalis concilij, congregatis ibidem ex diuerſis regnis & Prouincijs, Epiſcopis, Abbatibus, Catholicis, Ducibus & Comitibus, Legatis uniuerſarum prouinciarũ quàm plurimis. Prima itaque die, quæ ſecunda feria tertię hebdomadę quadrageſimalis, inter Mediolanenſes Epiſcopos, Groſolanum & Iordanem in alterum de inuaſione, in alterum, quod Eccleſiæ ſuæ deſertor extiterit, uentilata eſt controuerſia: hanc cauſam dominus Apoſtolicus, Cardinalium Epiſcoporum conſilio tractandam diſtulit. Sequenti die in eandem cauſam plurima tractata ſunt, ſed res non finita. Quarta uero feria Lucenſis Epiſcopus, de inuaſione terrę iuris Eccleſię ſuę Piſanos impetebat. Econtra dum Piſanus ſuos defenderet, inter utranque ius partem utriuſque populi ſuffragio longo litigio diſcepta tur. Tunc quidam Epiſcoporum de medio concilij ſurgens, ita exorſus eſt: Dominum patrem Papam recordari decet, quare illius præſentis & generalis concilij multitudo ſancta, per omnia periculorum genera, mari, terraque conuenerit inuitata, ibi non de ſpiritualibus uel Eccleſiaſticis, ſed ſæcularibus ordine præpoſtero tractatur negocijs. Expediendum prius, propter quod principaliter conuenerint, ut euidentius pernoſcatur, quid dominus Apoſtolicus ſentiat, quicquid in Eccleſijs ſuis reuerſi, prædicare debeant. Tunc Apoſtolicus cauſam concilij, & animi ſui intentionem his uerbis expoſuit: Poſtquam Dominus de ſeruo ſuo fecit, quod uoluit, & me, populumque Romanum tradidit in manus regis, uidebam quotidie paſſim fieri rapinas & incendia, cędes & adulteria. Hæc & huiuſmodi mala cupiebam auertere ab Eccleſia & populo Dei, & quod feci, pro liberatione populi Dei feci. Feci autem ut homo, quia puluis ſum & cinis. Fateor me male egiſſe, ſed rogo uos omnes, orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum ſcriptum, quod in tentorijs factum eſt, quod pro prauitate ſui prauilegium dicitur, cõdemno ſub perpetuo anathemate, ut nullius unquam ſit bonę memorię, & rogo uos omnes, ut idem faciatis. Tunc ab uniuerſis conclamatum eſt, fiat, fiat. Bruno autem Signinus Epiſcopus altius exorſus eſt: Gratias agamus omnipotenti Deo, qui Dominum Papam Paſchalem, qui præſenti concilio pręſidet, audiuimus proprio ore damnantem illud prauilegium, quod prauitatem & hæreſim continebat. Ad hæc quidam cauillatorie ſubiunxit: Si priuilegium illud herεſim continebat, qui illud fecit, hereticus fuit. Iohannes autem Caietanus ad hæc commotus, Signino reſpondit. Tu ne hic & in concilio nobis audientibus Romanum Pontificem appellas hereticum? Scriptum quod fecit dominus Papa, malum quidem fuit, ſed herεſis non fuit. Et alter quidam adiecit. Immo nec malum dici debet, quia ſi liberare populum Dei bonum eſt, quod dominus Papa fecit, bonum fuit. Sed liberare populum Dei bonũ eſt, autoritate Euangelij, qua pręcipimur animas quoque pro fratribus ponere. Ad hæc patientia domini Papæ horrendo herεſis nomine pulſata, expergefacta eſt, & manu ſilentiũ indicens, diffidentium clamores & murmura tali ratione cõpeſcuit: Fratres & domini mei audite. Eccleſia iſta nunquam habuit hæreſim, immo hic omnes hæreſes conquaſſatæ ſunt. Hic Arriana herεſis, quæ per trecentos ferè annos uiguit, annullata eſt. Ab hac ſede herεſis Euthiciana, Sabelliana contrita: Fotinus, cęterique heretici deſtructi ſunt. Pro hac Eccleſia filius Dei in paſſione ſua orauit, cũ dixit, Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua. Quinta feria Papa in concilio non ſedit, multis & maxime regis negotijs per dominum Cluniacenſem, Iohannem Caietanum, & Petrum Leonis, & urbis prefectum, cęteroſque illius partis fautores impeditus. Sexta feria Apoſtolicus in generalem omniũ Eccleſiarũ cauſam animum aduertit, & Iohanne Caietano, cum Petro Leone, cęteriſque regis fidelibus, in faciem reſiſtentibus, predicto Cunoni Preneſtino, ſępius uerbum excommunicationis exponere cupienti, murmur huiuſmodi uerbis & manu ita com-

Synodus Romæ in Eccleſia Lateranenſi.

Oratio Epiſcopi in medio Concilij.

Prauilegium pro priuilegio.

Patientia domini Papæ horrendo hæreſis nomine pulſatur.

peſcuit. Eccleſia primitiua, martyrum tempore floruit apud Deum, & non apud homines. Dein ad finem conuerſi ſunt reges, Imperatores, Romani principes, qui matrem ſuam Eccleſiam, ſicut boni filij honeſtauerunt, conferendo Eccleſiæ Dei prædia & allodia, ſæculares honores & dignitates, regalia quoque iura & inſignia, quemadmodum Conſtantinus, cęteriq; fideles: & cœpit Eccleſia florere tam apud homines quàm apud Deum.

Eccleſia primitiua pauper.

Diues iam donatione regum.

Habeat ergo mater & domina noſtra, Eccleſia ſibi à regibus ſiue principibus collata, diſpenſet & tribuat ea filijs ſuis, ſicut ſcit, & ſicut uult. Priuilegium inueſtituræ, quod in tentorijs conceſſiſſe uidebatur, obliterare uolens, iterans ſententiam Papæ, Gregorij vij. inueſtituram Eccleſiaſticarum rerum à laica manu, rurſus excommunicauit ſub anathemate dantis & accipientis. Cardinalis uero dominus Cuno Prȩneſtinus, talem Papæ fecit inductionem legationis ſuæ, & contra diſturbatores præſentis negocij competentem. Domine pater, ſi tuæ placet maieſtati, ſi uere tuus fui legatus, & quæ feci tibi, placent eſſe rata, in auribus ſancti huius præſentis concilij ore tuo edicito, & legationem meam tua autoritate corrobora, ut ſciant omnes, quia tu me miſiſti. Ad hæc Apoſtolicus reſpondens, ait. Vere legatus ex latere noſtro miſſus fuiſti, & quicquid tu, cæteriq; fratres noſtri, Cardinales, Epiſcopi, Legati Dei, & Apoſtolorum Petri & Pauli, huius ſedis & noſtra autoritate fecerunt, confirmauerunt, probauerunt, ego quoq; probo & confirmo, quicquid damnauerunt, damno. Et dominus Prȩneſtinus conſequenter ſubiunxit, qualiter pro ſedis illius legatione, Hieroſolymis audierit regem Heinricum, poſt Sacramenta, obſides & oſcula, in ipſa beati Petri Eccleſia, dominum Papam tenuiſſe captum, indigne tractatum, potiora Eccleſiæ membra, Cardinales uidelicet exutos, tractos, & male tractatos, nobiles quoq; Romanos occiſos, & captiuos, & populorum ſtragem factam audiens, ingemuerit, & pro huiuſmodi facinoribus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, conſilio zelo Dei animatus, excommunicationis ſententiam in regem dictauit, & eandem in Grȩcia, Vngaria, Saxonia, Lotharingia, Francia, in quinq; concilijs, conſilio prædictarum Eccleſiarum renouando confirmauit: orare ſe demum, ut ſicut dominus Papa legationem ſuam confirmaſſet, ita præſentis concilij Patres & Epiſcopi cō corditer annuerent. Ad eundum modum legati, & literæ domini Viennenſis poſtulabant, dum tali ratione & ordine, tam uariæ & diſſonæ multitudinis aſſenſus exquiritur, à ſaniori parte ueritati, & apertæ rationi nihil contradictum, à paucis ſubmurmuratum, ab Epiſcopis uel Abbatibus nullo modo reclamatum.

Cuno Prȩneſtinus, legatus ex latere.

Sabbato deniq; inter Mediolanenſium Epiſcopos, controuerſia tali diſpenſatione terminata eſt. Apoſtolico P. docente, translationes Epiſcoporum, duobus fieri modis, neceſſitate uel utilitate. Huius autem rranslationis Groſolani, quæ uidebatur utilitatem in animarum & corporum damna conuerſam, Groſolanum quidem in locum, unde translatus fuerat, reſtituit: Iordanem uero Mediolanenſibus conceſſit.

Translaoiones Epiſcoporum duobus modis fiunt.
1. Neceßitate.
2. Vtilitate.

His autem, qui propter concilium, & animarum ſuarum remedium Apoſtolorum limina uiſitauerant, qui de capitalibus pœnitentiam agerent, quadraginta dierum pœnitentiam indulſit, & Apoſtolica benedictione concilij hexameron, laudabiliter abſoluit.

Scindebatur inter hæc & huiuſmodi, regnum Teutonicum, quod iam decennio, uel paulo plus concorditer quieuerat. Et quia rex abierat, uniuſquiſq; non quod rectum, ſed quod ſibi placitnm uidebatur, hoc faciebat.

Scißio regni Teuto.

Primo ergo pars utraq; conuentibus aſſiduis agros alterius uaſtare, colonos deſpoliare cœpit, maximeq; in Epiſcopio Vuirziburgenſi, per Cunradum fratrem ducis Friderici, lues iſta ſuccreuit.

Poſt hæc occaſione nacta, undiq; latrunculi pullulabant, qui nullam temporibus uel perſonis diſtantiam exhibentes, ut dici ſolet, rapere & deperdere, inuadere & occidere, nilq; per omnia uictis reliqui facere ſatagebant.

Latrunculi.

Longum eſt præſulis Mogontini machinamenta, contra regis fideles, eorumq; aduerſus illum inſidioſas diſcurſiones enarrare, ſeditiones nonnullorum urbanorum

Machinamenta Mogont. contra regem.

urbanorũ deſcribere,ciuitates aliquas ſuis pręſulibus per has peſtes orbatas,mu-
nitiones locis inſolitis conſtructas, caſtella quàm plurima inuicem deſtructa,re-
giones pręda flammaq; uaſtatas,congreſſiones & cędes mutuas,ab utriuſq; par-
tis equitibus factas,oppreſſiones pauperum & peregrinorũ,atq; captiuitates mo
re Barbarico à Chriſtianis in Chriſtianos exercitas, multaq; id genus literis trade
re. Nam neq; pax Dei, cęteraq; Sacramentis firmata pacta cuſtodiuntur, ſed uni-
uſcuiuſq; conditionis & ætatis, præter ſolos Eccleſiaſticæ profeſſionis homines,
quibus iam penè nihil pręter miſeram reſtat animã, cęteri inquam hoc tempore
beluino furore bacchantur. Hinc undiq; uaſtatis agris, uillis depopulatis, oppi-
dis ac regionibus nonnullis in ſolitudinem iam penè redactis, deficiente quoti-
diana clericis per Eccleſias prębenda, ceſſabant in quibuſdam Eccleſijs clericalia
nimirum officia,& ò effuſum calicem furoris Dei, locupletiſſimum illud, & per
totam Germaniam famoſiſſimum ac principale cœnobium Fuldenſe, uſq; ad
ultimam redactum eſt inopiam, uictus etiam neceſſarij.

Fuldenſe cœnobium deperit, de hoc uide Chronica parua Germaniæ.

ANno Domini Milleſimo cxvij. Dum cũcta per circuitum regna nationũ m,
ſuis limitibus,rebuſq; contenta, diu ſanguine madentes gladios,cęteraq; ua
ſa mortis iam in uagina cõcordię reconderent, uniuerſalis etiam Eccleſia mater,
poſt numeroſa perſecutionũ hęreſium ac ſciſmatum bella ,iam ſub uera uite Ieſu
laſſa oppido membra, per multas gratiarumactiones,mandatis diuinis inſerui-
tura , locaret:ſolus heu Teutonicus furor ceruicoſitatem ſuam deponere neſcius,

Teutonicus furor.

& q̃ multa ſit pax legem Dei diligentibus,immo qualiter per præſentis proſperi
tatis tranquillitatem ad æternę uiſionem pacis pertingi poſſit, ediſcere nequaq;
uoluntarius, ſolus inq̃ noſtræ gentis populus, dum præ omni terrarum orbe in
peruerſitatis inolitæ pertinacia,incorrigibiliter perſtitit,indeq; iam periurium &
mendacium, cęteraq; quæ uox lamentatur Prophetica inundauerunt,& ſanguis
ſanguinem tetigit, nec minus q̃ quondam Sodomorum & Gomorreorum cla
mor huiuſmodi in aures Domini Sabaoth introijt. Quapropter inter ipſa Domi
nicæ natiuitatis feſta,tertia Non. Ian. hora ueſpertina, ſuper tantis diuini iudicij
contemptibus commota eſt, & cõtremuit terra, ab ira nimirum furoris domini,
adeo,ut nemo inuentus ſit ſuper terram, qui tantum ſe unq̃ ſenſiſſe fateatur terrę
motum. Nam multa inde ſubuerſa ſunt ædificia,ciuitates etiam quaſdam ſubru
tas dicunt in Italia. Quinetiam tonitrua ualde terribilia iij kal. Feb. cum grandi
turbine ſunt audita,fulgura etiam eodem tempore crebro uiſa : Leodium Lotha
ringiæ ciuitas eſt beati Lamberti martyris ibidem quondam pontificis, patroci-
nio ſatis inclyta,ſtudijs etiam literarum prę cęteris apprime famoſa.In quo dum
in uigila Dominicæ Aſcenſionis, uniuerſus clerus x. uidelicet congregationũ in-
tra matrem Eccleſiam ex more conueniſſent, ad ueſpertinalem ſynaxin concen-
turi iam primum Pſalmum cõpleſſent , ſubito ſereniſſimus aer in turbinem uer-
ſus, tanta ſimul tonitrua terribiliter, & fulgura cum ſulphureis igneis excuſſit,ut
iam extremam,iam ultimi iudicij horam inſtare, nemo qui aderat, dubitauerit:
duobus nimirũ clericis , & uno de illuſtribus milite, hac tempeſtate intra ſacras
ędes abſumptis. xv. dehinc die, ex uicino quodã eiuſdem epiſcopij monte, qua
nunq̃ aqua pręter pluuiam uiſa eſt, fluuius ingens erupit, nõ modicam ciuitatis
partem diluens,cum maximo Leodienſium damno, Traiectenſium ſe finibus in
fudit xiiij kal. Mart. hora ueſpertina uidimus nubes, uel ſanguineas ab Aquilo-
ne ſurgere, & per medium firmamẽtum ſeſe extendendo , ipſi mundo terrorem
non modicum incutere. Nam ut poſtea didicimus,unicuiq; ciuitati tam uicinus
ipſe fulgor uidebatur,ut ibidem rerum omnium finem minari putaretur. His &
huiuſmodi cladibus rex Heinricus cordetenus ſauciatus , non ceſſat legationes
ſatisfactorias ad Apoſtolicam ſedem, licet ipſe multum infeſtationibus Italicis
inſudans,deſtinare,quas tamen conſtat minime profeciſſe. Nam dominus Apo
ſtolicus , propter ſecuritatem,quam regi, licet coactus fecerat, diffitetur illum ſe
anathematis uinculo colligaſſe, ab Eccleſiæ tamen potioribus membris excom
municationem connexam, non niſi ipſorũ conſilio denegat ſe poſſe diſſoluere,
conceſſo

Terræmotus ſubuertens ædificia & ciuitates.

Leodium Lotharingiæ ciuitas.

Veſpertinalis ſynaxis.

Fluuius inſolitus ex monte.

Nubes ſanguineæ.

Legationes Hein. V. ad Apoſtolicã ſedem.

conceſſo nimirum utrinq; Synodalis audientiæ iure. Ad hoc etenim ultramon-
tanis, affirmat ſe quotidie literis impelli, & maxime Metropolitani Mogontini.
Qua de re non deſinunt undiq; ſeditiones cœptæ per partes utraſq; bacchari, pręcipue tamen tranſrheninis in finibus, immo in ipſa Mogontia urbe multis ca-
dentibus, regiones nobiliſſimæ hinc inde uaſtari. Emicho comes a militibus
Friderici ducis occiditur.

ANno Domini Milleſimo cxviij. Dominus Apoſtolicus Paſchalis ſecundus,
diutina purificatus ægritudine, pręſentem in Domino uitam finiuit. Pro
quo Iohannes Caietanus, uir prudens & uenerandus in Romana ſemper Eccle-
ſia irrepręhenſibiliter eidem Apoſtolico collaborans eligitur, & cunctorum ca-
tholicorum unanimi conſenſu rite conſecratur.

Paſchal. Pont. moritur.

Ioh. Caietanus ſuccedit.

Baldeuuinus rex Hieroſolymitanus in expeditione contra Arabes poſitus, cũ
languorem, quo licet lenius, tamen diu uexabatur, ad uitalia perueniſſe ſentiret,
alterum Baldeuuinum de Rohas, pro ſe regem deſignauit, ipſeq; Chriſto domi
no, pro quo multa iam bella præliatus eſt, animam ſuam fide plena, & confeſſi
one bona tradidit. In dominica Palmarum, iuxta fratrem ſuum Gotefridum, lo
co Caluariæ, Mauſoleum, Germani Mauſoleo ſimillimum, cum maximo diuer
ſorum populorum planctu ſuſcepit. Valde mane Dominicæ Reſurrectionis die
cœlum à parte meridiana apertum, tantam lucis effudit abundantiam, ut Lunæ
quæ tunc clariſsima nimirum uidebatur, lumen inęſtimabili fulgore detergeret,
& per unam, uel amplius horam (quod multis teſtibus comprobamus) omni
Solis luce clarior permaneret. Ipſo tamen ſpatio crux non modica per idem fo-
ramen dependens, apparuit: cuius tam auri q̃ gemmarum uarietas, euidenter di
ſcerni potuit. Heinricus Imperator, dum Paduanis regionibus immoraretur, au
dito tranſitu Apoſtolici. P. Romã properauit, & primo quidẽ in electione Domi
ni Ioannis, qui & Gelaſius ij. dictus eſt, aſſenſum prębens, poſtea uero eodẽ à ſua
ſe cõmunione ſubtrahẽte, non ſine quorundã Romanorũ fauore alterũ quendã
Burdinũ ex Hiſpania ſuperuenientẽ, Apoſtolicę ſedi impoſuit, ſicq; ſciſma quod
iam ſperatur emortuũ, crudeliter reuixit. Nam eodẽ Romanę cathedrę libere po
tito, Gelaſius cũ his qui ſecũ abierant, Cardinalibus, cęteriſq; catholicis, quos con
gregare poterat, apud Capuã, iuxta quod literę ab ipſo circumquaq; tranſmiſſę te
ſtantur, Cęſarẽ una cum Idolo ſuo damnauit. Hinc per Campaniã cũ ſuis ad Bur
gundiam tranſmigrauit, ac Viennæ Synodum congregari conſtituit.

Baldeuinus moritur.

Crux apparet è nubibus.

Schiſma reuixit.

Gelaſius damnat Cæſarem cũ ſuo Idolo.

ANno Dominicę incarnationis Mcxix. Dñs Apoſtolicus Gelaſius ſecundus,
apud Viennã Synodũ cõgregauit, eaq; tranſacta, poſt paucos dies in mona
ſterio Cluniacenſi, uitã pręſentẽ in Dño finiuit. Quo, ut decuit, honorifica ibidẽ
ſepultura depoſito, qualiter dñs Milo, Viennenſis Archiepiſcopus in locum eius
ſucceſſerit; ipſe poſtea Adelberto Mogontino Archiepiſcopo literis hoc modo
deſignauit: Dñs noſter fœlicis memoriæ Gelaſius, à Vienna diſcedens, iniunxit
mihi, ut ad eius pręſentiã feſtinarem, poſtq; ipſe Cluniacum perueniſſet. Quod
cum poſt dies aliquot implere ſatagerem, in itinere de eius obitu mihi nunciatũ
eſt. Ego, ut fratribus, qui cũ dño eodẽ uenerãt, prout ratio exigebat, ſolatiũ exhi-
berem, Cluniacũ cum graui dolore perrexi. Dum aũt ſuper eorũ cõſolatione at
tentius cogitarẽ, ipſi grauiſsimũ mihi onus & uires meas omnino tranſcendens,
impoſuerũt. Cõgregati nanq; in unũ die altero poſt aduentũ meũ, Epiſcopi, Car
dinales, & centum clerici & laici Romanorũ, inuitũ me penitus renitentẽ, in Ro
manę Eccleſię Põtificẽ Caliſtũ, unanimiter aſſumpſerũt. His etiã tẽporib⁹ Cuno
Pręneſtinus adhuc legatione Gelaſij functus, ſynodũ Colonię cũ Teutonicis ha-
buit, ubi Imperatoris oĩmodis excõmunicationẽ propalauit. Huic cõcilio inter-
fuit Nortbertus, poſtea Pręmonſtratenſis ordinis inſtitutor, tũc aũt nouiter con-
uerſus in peregrino habitu, ibiq; ab oĩbus in multis accuſabatur, de quibus ſe pru
denter excuſabat. Vnde & ſcriptũ legitur de eo, quia manus horũ omniũ contra
eum, & ipſe contra hos omnes. Alterã quoq; Synodũ in Friteslar, eadẽ pro cauſa
indixit, qua & habita, eandem quam prius excommunicationem confirmauit.

Synodus Viennæ.

Aliàs Guido dictus.

Epiſtola Caliſti Papæ ad Adalbertũ Epiſcopum Mogontinum.

Synodus Colonien.

Nortbertus inſtitutor ordinis Præmon.

Synodus in Friteslar.

Imperator

Imperator his auditis, inſuper etiam quod principũ conſenſus generale uel curiale colloquium, non multo poſt apud Vuirtziburg inſtituere propoſuiſſet, ubi ipſe aut præſens ad audientiam exhiberi, aut abſens regno deponi debuerit, efferatus animo Italię ſuis copijs cum regina relictis, Germanicis ſe regionibus nimis inſperatus exhibuit. Cumq; ab emulorum ſuorum iniurijs manum abſtinere nimietas illum iracundię nullatenus permitteret, mox inuaſionum, deprædationum, atq; incendiorum furor, qui iam ſopiri poſſe ſperabatur, hoc exemplo rectoris ſcilicet uniuerſalis excitabatur. Qua nimirnm tempeſtate uniuerſæ prouincię adeo deuaſtationis continuę importunitate inquietantur, uti ne ipſa pro obſeruatione diuinę pacis profeſſa ſacramenta cuſtodiantur. Quapropter Heinricus totius regni ſacerdotum atq; procerum nuncijs compulſus, generalem fieri apud Triburium conuẽtum aſſenſit: ubi de omnibus quę ſibimet imponerentur, iuxta ſenatus conſultum ſe ſatisfacturum ſpopondit. Quo ſcilicet conuentu, Rheninis in partibus habito, tam aduerſariorũ, ꝙ amicorum Imperator concorditer uſus conſilio, unicuiq; per totum regnũ ſuis rebus ſpoliato, propria concedi pręcepit, cunctaq; regum antiquorum fiſcalia, ſuam in ditionem interim recepit, paxq; per uniuerſas prouincias ab omnibus haberi collaudatur, ſed parum profeciſſe res ipſa comprobatur. Aderant etiam legati tam Romanorum ꝙ Vienenſium, immo diuerſarum Eccleſiarum miſſi, cõfirmantes electionem domini Caliſti. Cui profecto, dum uniuerſi noſtrates Epiſcopi obedientiam profeſſi, Synodum, quæ ſibi iuxta feſtum S. Lucæ indicebatur, collaudaſſent fieri, ipſe rex ſemetipſum ibidem pollicebatur, ob reconciliationem uniuerſalis Eccleſiæ præſentandum iri. Id enim Catalaudenſis Epiſcopus, & Cluniacenſis Abbas, apud Argentinam ipſum conuenientes, multis ratiocinationum conatibus obtinuerunt, eiuſdem tamen actionem concilij ſi quis plenarie cognoſcere quærit, in literis cuiuſdam Scholaſtici nomine Heſſonis, eleganter enucleatum reperire poterit, id eſt qualiter rex inter regnum & ſacerdotium de cõcordia facienda conſenſerit, inſuper eidem concilio, cui uidelicet xiij. Kal. Nouemb. prædictus Papa Caliſtus ſecundus uallatus ccccxxvi. patribus coram innumera multitudine cleri ac populi præſedit, non adeo ſe præſentem uicinum tamen exhibuerit, ubi & colloquio ſuo domini Papæ legatis conceſſo, tandem inducias denuo quæſierit, propter generale colloquium cum Principibus habendum, pro inueſtituris ſcilicet Eccleſiaſticis, quas tantopere cogebatur amittere, ad ultimũ uero idem Apoſtolicus inacta inter ſe & regem concordia, Synodalia prędeceſſorũ ſuorum decreta confirmauerit, aliaq; nõnulla, quæ res exigebat, nauiter addiderit, ſicq; poſt dies ferè xij. in uirtute Spiritusſancti rite finito concilio, cũctos Apoſtolica benedictione cõfirmatos, ad propria redire permiſit, unũquenq; cum gaudio. Ipſe quoq; non multo poſt ad Italiam conuerſus, incredibile memoratu eſt, quanto tripudio, quamq; immenſa pompa, non ſolum totius Romæ, uerum etiam uniuerſarum prouinciarum quas pertranſierat, Chriſti uice ſit ſuſceptus. Ab illo tempore tam ipſe iam uere Apoſtolicus, ꝙ uniuerſus illum ſequens Chriſti grex de die in diem proficere cœpit, donec cuncta pars Burdini, quem aliqui Idolum cognominare ſolent, indies infirmata, conari contra Eccleſiam deſijt, regni tamen cœpta cõmotio ac ſcelus, nullatenus quieuit. Hoc anno Adelgoz Magdeburgenſis Archiepiſcopus, homo iuuenis, & tam Deo, ꝙ omnibus bonis acceptabilis, immaturo præuentus occaſu, uitam præſentem in Domino finiuit. Cui etiam Ruggerus Canonicus, Canonica electione ſucceſſit.

Conuentus apud Triburium.

Heinricus V. Argentorati.

Heſſonis literæ, de cõcordia, inter regnum & ſacerdotium.

Concilio 426. patrũ, præſidet Caliſtus.

Burdini pars Idolũ.

Adelgoz Archiepiſcopus Magdeburg. moritur.

ANno Domini Milleſimo cxx. Imperator Natalem Domini Vuormatiæ nõ imperialiter celebrauit. Poſtea ductu Friderici de Arnesberg, Saxoniam ingreſſus, ibiq; ab Epiſcopis, regionis illius, ab eius communione abſtinentibus, in Franciam conuertitur, ubi nonnullis acceptus, compluribus etiam inuiſus habebatur. Nec minus interea ſciſſionem inconſutilis tunicæ ſuæ, Dominus ipſe deteſtatus, inter multa, quibus pro ipſo orbis terrarum flagella pugnauit, in Epiſcopatu Treuirenſi, menſe Iunio ſuſcitata tempeſtate, glaciem miræ magnitudinis effudit.

Heinri. V. Vuormatiæ natalem habet.

Glacies Treueris.

effudit, quæ & ædificia euertit, & alia pericula intulit. Saxoniam quoq;, & maxime in epiſcopatu Halberſtatenſi, dira grandine flagellauit, in tantum, ut in nouem uillarum finibus non ſolum frumenta, ſed & beſtias agri cum uolatilibus innumeris conſumpſerit. Qua correptione ſtimulati Saxones, crebros conuentus ob concordiam facere, diffidentes inter ſe pacare, dextras inuicem dare, prædones exterminare, ſuppreſſaq; imperatoris perſona contra omnem hominem terras ſuas inuadere molientem, ſe unanimiter armare cœperunt, ac inter hęc etiam quoſdā milites cæſarianos Thuringiam uaſtantes, in caſtello Vuaſſenburg ſingulis præſidijs circuncludentes, tandem penuria adflictos expulerūt: ſicq; in breui pacem iocundiſſimam, licet alibi Vuerra ſolita graſſante, ſuis in partibus inſtituerunt. Literis etiam ac legationibus papæ roborati, uacantibus cathedris canonice paſtores elegerunt, quos mediante Mogontino, qui tunc illo regis declinauerat iram, probabiliter & eccleſiaſtica libertate conſecrari fecerunt.

Grando in Halberſtat.

Pax fit in Saxonia.

His temporibus Fridericus Palatinus comes, qui nuper ſe à cæteris diſſocians regis fidelitati deuinxerat, obijt, iam prouectus ætate: & ut cuidam ſeruo Dei euidenter reuelatum affirmant, ad loca pœnalia fertur deſcendiſſe.

Fridericus comes Palatinus.

Bonæ memoriæ Dieggerus, primum abbas cœnobij S. Georgij, indeq; per legatum Apoſtolicum Metenſi eccleſiæ ordinatus, poſt multas à regis fidelibus illatas ſibi iniurias, requieuit in Domino, in eccleſia Cluuiacenſium ſepultus, uir apprime literatus, & in ſancta conuerſatione uſq; ad ultimā ętatē cōſtantiſſimus.

Sunt in Saxonia duæ quædam munitiones, non longo à ſe interſtitio remotæ, quarum uocabula nunc minime occurrunt memoriæ, media ferè nocte uidebatur utriuſq; caſtelli uigilibus non imaginarie, ſed uere, perſona uiri à muro unius progrediens, & ad alterum per totam campi interiacentis latitudinem procedens, toto corpore in modum faculæ uel maſſæ cadentis exardens, quæ etiam prope caſtellum oppoſitum diſpatuit. Hæc uiſio non ſemel, ſed bis uel tertio ſimiliter apparuit.

Viſio.

Anno Domini milleſimo cxxi. Dominus Heinricus, qui Burchardo Ruſo dudum in legatione Heinrici imperatoris apud Conſtantinopolim defuncto, per electionem eccleſiaſticam in cathedrā Monaſterienſem ſucceſſerat, à ſuis indigne tractatus, Saxonicis principibus querimoniam iniuriarum ſuarum detulit. Et quia uir illuſtris natu, & uirtutibus famoſus extitit, per Lotharium ducem congregato exercitu, ſedem ſuam etiam contra regis uoluntatem repetijt.

Contigit autem occulto Dei iudicio, dum inimicas acies uidendo ciues terrerentur, ac pro imminenti periculo ſinguli ſua molirentur, caſas aliquas incaute ſuccendi, paulatimq; dominante flamma, etiam baſilicam maiorem, quæ ſedes illius erat eccleſiæ, funditus comburi. Sic quoq; miſerabili potiti uictoria, pontificem pulſum reſtituunt, multam autem pecuniam ad reſtaurationem eccleſiæ conferunt: interpretantes nonnulli cauſam tanti excidij non eſſe, niſi quod defuncti præſulis Burchardi, qui multā illic ex iniquitate cōportaſſet, oblatio, maniſeſtaretur Deo non placuiſſe. Auditur interea, nec non & nuncijs à Roma uenientibus approbatur, illum pſeudopapam Burdinū in caſtello Sutriæ, quò miſerrimo ſuo inſeruiens officio reſidebat, per Romani exercitus zelum deſtructo, captum, & poſt plures à uulgo ſibi contumelias & illuſiones illatas, uix à manibus eorum domino Apoſtolico illum eripiente, ob agendam pœnitentiam exilio relegatum. Sunt etiam qui talibus eum afferant deprehenſum flagitijs, quæ noſtris indignum duximus tradere ſcriptis. Igitur Heinricus Imperator, inito fidelium ſuorum conſilio, rebelles ſibi Mogontinos affligere tractauit: ac primo nauium commeatum omnibus modis intercluſit: deinde preſidijs circum circa munitis, huiuſmodi inſidijs nundinas ſiue mercatus fieri, ſiue quicq; uictualium in ciuitatem deferri inhibuit: ad extremum uero in obſidionem eiuſdem urbis publicam expeditionem undiq; indici conſtituit. His auditis, pręſul Adelbertus totam Saxoniam ubi tunc manebat, commouet: & quia legationem Apoſtolicam ab ipſo papa dudum acceperat, hac autoritate pontifices & principes ipſius

Burdinus antipapa.

prouinciæ pro utilitatibus matris eccleſiæ frequenter cōuocat: ubi uir eloquens
& primatum in ciſalpinis partibus multiformiter tenēs, ad defenſionem totius
Germaniæ metropolis, animos omnium, catholicam obedientiam profiten-

Epiſcopi Spirēſis & Vuormatienſis pulſi ſuis ſedibus.

tium accendit. Huc etiam acceſſit, quod epiſcopi Spirenſis & Vuormatienſis, &
ſi qui alij reſiſtere non ualentes, tamen Apoſtolicam obedientiam profeſſi, pulſi
ſuis ſedibus uagabantur extorres: quos proprio quenq; loco reſtituere diſpone
bant ijdem principes, pro domino Deo exercituum zelo zelantes. Deniq; circa

Duo exercitus, alter in Alſatia, alter in Saxonia cōra Mogont.

ſolſtitium ęſtiuale, cum caram iam ubiq; propter uaſtatas nimirum regiones an
nonam timet, geminos ó nobilis Mogontia conflatur exercitus: alter ſcilicet in
Alſatia, alter in Saxonia diſpari animo annoſæ dignitatis tuæ mœnia ſuperba
queritantes: alter deſtructionem tuam, alter defenſionem intentantes, ac ſi con
querendo dicenti tibi: Filij matris meę pugnauerunt contra me, rebus reſpon-
deret Chriſtus: Ecce iterum iſti congregati uenerunt tibi. Fiebant interim per om
nes eccleſias ieiunia, ſupplicationes, uel letaniæ: nec erat ulla filia Syon, quę ſe fa
ceret expertem tanti periculi matris ſuę. Quapropter reſpexit Dominus in ora-
tionem humilium, & non ſpreuit precē eorum, ſed miſſo principali ſpiritu ſuo,
ſpiritu conſilij, ſpiritu pacis, inter utriusq; principes populi, de uia non longe ab
inuicem uterq; cum conſediſſet exercitus, pro eo quod in alterutrum acies dirige
re diſpoſuerant, miſſis utrinq; quibuſdam ſapientiſſimis atq; religioſis proceri-
bus, de concordia ſua ſcilicet fraterna honorabiliter tractare cœperūt. Quid plu-
ra? Eousq; ſpiritus Ieſu pro precio ſanguinis ſui filijs ſponſæ ſuæ dimicans, ſpiri-
tui ſuperbię & maligno præualuit, ut mentibus uniuerſorum iam, immo diuinę
uoluntatis aſſenſu connexis, ipſorum conſilio, ſuaſione, ac obſecratione, regis in

Rex miteſcit.

dignatio in tantum mitigaretur, ut ipſe præſens negocium non ſuo, ſed optima-
tum utriusq; partis arbitrio terminandum decreuerit. Inde rerum omnium gu-
bernatori cunctis gratias agentibus, denominati ſunt ex utraq; parte duodecim

Duodecim Primates electi rebus cōponendis inter regnum & ſacerdotium.

primates, quorum corda timor dei poſſidens, inueteratā diſcordiam inter reg-
num & ſacerdotium, ſedare nemine reſiſtente ſufficeret. Ad hęc determinanda,
collaudantur conuentus totius regni principum curia Vuirciburg. tempus feſtū
ſancti Michaelis, & unoquoq; propria manu in alterius manum huiuſmodi pa
ctum quaſi ſub ſacramento firmante, cum pace & gaudio diſceſſum eſt. Euolutis

Hein. 5. Vuirizib.

poſthæc tribus ferè menſibus, Heinricus imperator uenit cum ingenti comitatu
in ciuitatem Vuirciburg, iuxta condictum: Saxonum uero principes, unà cum

Saxones & Mogontini caſtrametati iuxta riuum Vuerna.

Mogontino præſule cæteriſq; caſtra metati ſunt iuxta riuum qui Vuerna dici-
tur, unius diei iter habentes à rege interſtitium. Ibi ſecuritate per internuncios
utrobiq; compoſita, poſt triduum loco prænominato regem cōueniunt. A quo
pacifice extra muros propter nimiam utriusq; partis populi multitudinem re-
cepti, exinde per continuam ſeptimanam uni ſe quotidie curiæ colligunt, ibiq;
ſemper ſuper pręſenti ſciſmate, regni uidelicet & ſacerdotij, ſolerter tractare non
ceſſauerunt. Sed licet nonnulli pacem odientes, ſcandala noua ueteribus ſuper-
ſeminare tentauerint, tamē quia diuinę ordinationis propoſito unde tot capita
R.P. conuenerant, reſiſtere nemo præualet, tandem Heinricus imperator ſpon-
ſionis ſuæ non immemor, uniuerſas quęſtiones quæ uentilabantur, non ſuimet
arbitrio, nec ſuorum quorumlibet contentione, ſed iuxta ſenatusconſultum con
cludi per omnia in omnibus conceſſit.

Acta in hoc cōuentu.

Vnde quia multa quę tunc ibi magnanimiter diſpoſita ſunt, enarrare longiſſi-
mum eſt, ea tantū quę etiam cauſa maxima eiuſdem conuentus fuerunt, huc an-
notare ſufficiat: utq; pacem firmiſſimam, & ab omnibus uniuerſalem ſub uitæ
periculo legaliter inſtitutam, regalia uel fiſcalia regno, eccleſiaſtica eccleſijs, præ-
dia deprædatis, hæreditates hęredibus, omniq; perſonæ uel conditioni propri-
am adiudicatam eſſe iuſticiam. Ad hęc prędones fureſq; edictis imperialibus per
ſequendos, ſiue legibus antiquitus conſtitutis coercendos, unanimi coniuratio-
ne confirmatum eſt: & quicquid ſcandali, quicquid perturbationis uſquequaq;
per regna Germanię inimici ſeminario ſuccreuerat, omnimodis eradicari decre
tū eſt. De uerbo aūt excōmunicationis, unde ſcandala penè cūcta pullulauerant,

nihil eſt diffinitum, tamen ad Apoſtolici regiminis audientiam concorditer in timore diuino dilatum, denominatis in præſenti legatis, qui Romã hæc omnia deferrent, quatenus indicto per authoritatem Apoſtolicã generali concilio, quęcunq; humano non poſſent, Spiritus ſancti iudicio terminarentur. His ita reuerenter pro honeſtate ſimul & utilitate regni diſpoſitis, deſtinati ſunt in præſenti dominus Otto pręſul Babenbergenſis, dux Heinricus, comes Beringeñ· qui omnia Noricis principibus, qui tũc forte alijs occupati Reipub. cauſis, prædicto conuentui deerant, apud Ratiſponam kal. Nouemb. cõuocatis intimarent, quos & ad omnia hæc uoluntarios inueniebant atq; confirmabant.

De uerbo excommunicationis nihil definitum.

Eodem anno in Suuarzahenſi monaſterio ob honorem & reuerentiam pijſſimæ genitricis Mariæ perpetuæq; uirginis, & ſanctæ Fœlicitatis præclaræ martyris, ſeptemq; filiorum eius, in quorum honore idem monaſterium conſtructũ & dedicatum eſt, factum eſt quoddam ſignum memorabile. Sicut enim Dominus fecit ſalutẽ quondam in homine à natiuitate cæco, ſic iſtis tẽporibus perpetrauit in iuuene à natiuitate muto. Sed qualiter hoc cõtigerit, breuiter pandimus & notificamus. Ex alia quippe prouincia puer quidam pauperculus illuc ſuper, uenerat, qui à diſpenſatore fratrum pro miſericordia clementer ſuſceptus, deſeruiebat ibidem multis diebus, habens ſub ſe curam legenda & ſeruanda fratribus poma. Deliteſcens itaq; ſeruiens in tali ſeruitio plurimo tẽpore, contigit ut magna illa feſtiuitas omnium ſanctorum appropinquaret, & in ipſa uigilia idem ſeruiens, diem ieiunum ad ueſperum tranſiens, cum iam reſideret cibum ſumpturus, repente Dei nutu horror illum inuaſit nimius, totusq; in extaſi factus, in impetu perrexit in monaſteriũ, ubi iam hymnus: Omnes ſuperni ordines. ad ueſperas ſtudioſius decantabatur ab omnibus, & ſemel atq; bis in oratione, genu flexus, Deo ſanctisq; ſe commendabat attentius. Tum repente omnipotentis Dei reſpectu, hactenus clauſum laxatũ eſt linguæ illius uinculum: excreansq; ex ore quaſi carunculam crudam cum cruore, loquebatur ad circunſtantes clara uoce. Populis igitur omnibus in eccleſia commorantibus non modicum de tam ſubita mutatione Dei dexteræ excelſi mirantibus, urgebant illum qui curatus fuerat, chorum aſcendere, ſeq; in crucis modum coram principali altari ſternere, & pro inenarrabili miſericordia Dei, ipſi immenſas gratias referre. Quo facto, etiam ueſpertinali officio peracto, fratres pariter & populus cum compunctione cordis & ſpiritus, uoces attollunt ad ſydera, hymnisq; ac laudibus, Chriſti concrepant magnalia. Huius itaq; rei ſunt teſtes, pene omnes cõprouinciales, inſuperq; omnis familia, quæ ad eundem locum debita iugiter perſoluit ſeruitia.

Signum memorabile factũ in Suuartzach monaſterio.

Forte, tranſigens.

ANno Domini milleſimo cxxij. Erlungus epiſcopus Vuirciburgẽſis per iiij. annos elephantino morbo uexatus, iij· kalen. Ian. obijt: & prohibente ſciſmate, non in ciuitate, ſed in monaſterio Suuarzaha, ſepulturam obtinuit. Dominus autem imperator uacanti cathedræ conſulturus, illõ deuenit, & conſilio ſuorum uſus, quendam adoleſcentẽ nomine Gebehardũ bene quidem natum, ſed adhuc præ ſtudijs ſcholaribus nulla eccleſiaſtica promotione mancipatum, pontificali inueſtitura ſublimauit, nõ modica quidem, & ut dicunt, ſaniori parte cleri ac populi idipſum conſtanter renuente, alterum autem nomine Ruggerum eiuſdem eccleſiæ diaconum, inibi uidelicet nutritum, atq; canonicum canonice eligente. Hinc diſſentiones non paruæ oriuntur, in tantum, ut eidem parti fauentes, relictis quæ poſſidebant in ciuitate, cogerentur offenſam imperatoris declinare. Dux quoq; Fridericus, fraterq; eius Chunradus, electioni eidem dum fruſtra cõſentiunt, indignati, ab auunculo eodemq; domino ſuo diſceſſere. Qui tamen non multo poſt cum metropolitano Moguntino, nonnullisq; Saxoniæ principibus colloquium iuxta fluuium Vuitraha facientes, prædictum R· contra uoluntatem regis, per authoritatem eiuſdem archiepiſcopi A. cæterorumq; legatorum papæ, qui tunc nuper à Roma uenerant, præſulatus electione & inueſtitura confirmabant. Ipſo etenim tempore epiſcopus Spirenſis, & abbas Fuldenſis, legatione totius regni apud ſedem Apoſtolicã peracta, redierant, ducentes ſecũ

Erlungus epiſcopus moritur.

Gebehardus.

Ruggerus.

Colloquium regis cũ Mogont. & Saxon. apud fluuiũ Vuirrha

Oſtienſem epiſcopum,uicem domini Apoſtolici per omnia tenentem,cum duo
bus cardinalibus,qui nihilominus à ſede ſancti Petri ob reconciliationem regni
& ſacerdotij miſſi fuerant. Hac de cauſa iterum colloquium curiale per prouin-
cias indictum eſt,cui locus Vuirciburg: tempus feſtum ſancti Petri pręfinitũ eſt.
Quo propinquante,appropinquare cœperunt condictæ ciuitati, non ſine dam
no totius orientalis Franciæ, diuerſarum prouinciarum principes.Sed ubi nun-
cijs ueracibus dominũ imperatorem illó minime uenturum,utpote circa Rhenũ
alijs irretitũ negocijs, didicerant, unuſquiſq; in ſua redire diſponebant. Interim
Gebehardus fœderatis ſibi iam firmiterq; urbanis, intra muros copioſa cũ turba
dum reſidet,quadã die poſt meridiem,aſſumpta de his qui ſecũ erant manu ua-
lida,quoſdã qui iam uno pene miliario ab urbe caſtra poſuerãt,nihil mali ſuſpi-
cantes inuadere tentauit, & quaſi inimícos regni deputans, ſiue turpiter pellere,
ſiue incaũtos ſternere proponit. At illi clamore uenientiũ excitati, gemina cõtra
acie celeriter directa, nauiter reſiſtendo ſe ſuaq; caſtra defendunt:& ex utraq; par
te cæſis,uulneratis atq; captis nonnullis, die etiam adueſperaſcẽte,hi ad urbem,
iſti ad tentoria redeunt.Hinc efferati principes,ad ciuitatem,unanimiter conuer
tuntur, Ruggerum inthronizare contendentes: uerum id non ſine ſanguine fie-
ri poſſe perpendẽtes,ad monaſteriũ quod dicitur Suuartzaha diuertunt,ibiq; il-
lum coram omni concilio tam metropolitanus,q̃ cæteri legati Romani,præſu-
lem eccleſiæ Vuirciburgenſi conſecrantes, ad propria ſe quiſq; cõuertunt. Exin-
de idem R.eam partẽ epiſcopij, quę Necaro fluuio circuniacet, in proprios uſus
Necarus. tenuit.G.uero urbem, & quæ illi contigua ſunt, ſecure poſſedit. Interea præſul
Mogontinus ab indignatione Cæſaris,ſibimet undiq; proſpiciens,caſtrum anti-
quum etiam per multas generationes pene funditus dirutum, quod uel à riuo
Aſcafa, Aſca- alluente Aſcafa, ſiue ut quidã uolunt ab Aſcanio conditore Aſaſinbuch dicitur,
nius, Aſaſin- miro conatu cœpit munire: rex quoq; idipſum ob iniuriam ſui,& contra Remp.
burch, Aſci- fieri dijudicans,obſidionem econtrario ordinare decreuit. At benignus & ama
burgium, uel tor hominũ Ieſus per induſtram ſeruorũ ſuorum ſedis Apoſtolicę legatorũ, qui
Græce ἀσκι- tunc Moguntiæ morabantur,immo per inhabitantem in eis ſpiritum ſuum,ſpi-
βύργιον. ritum principum paci contraiuit aufer[...]e; charitatem quoq; nihilominus in eo-
Ptol.lib.2. rum cordibus diffundere cœpit, quia nimirum ut uere creditur,poſt tot Chriſti
tunicæ ſciſſuras, poſt tot Chriſtianorũ inteſtina bella, tempus miſerendi Syon,
id eſt,eccleſiæ,licet ſero,iam uenit. Facto igitur uniuerſari conuentu apud urbem
Vuangionum,quæ nũc Vuormacia dicitur,ſicut longũ,ita et incredibile memo
Pacta Henrici ratu eſt,q̃ prudenti,q̃ inſtanti,q̃q; per omnia ſollicito cunctorũ procerum con-
Imper. & Ca ſilio,pro pace & concordia per unã uel amplius hebdomadam certatum ſit,do-
liſti papæ. nec ipſe,in cuius manu cor regis eſt,omnẽ animoſitatem Auguſti, ſub apoſtolicę
reuerentię obedientiam cauſa matris eccleſię,etiam ultra ſpem plurimorũ,infle-
xit.Mox tamẽ ab apoſtolicę ſedis apocriſiarijs in cõmunionem receptus, tã ipſe
imperator q̃ uniuerſus ſibi ſubiectus exercitus, immo generali abſolutiõe cũctis
hoc ſciſmate pollutis,per authoritatẽ apoſtolicã facta,qualiter eccleſiaſticas inue
ſtituras,cæteraq; ſpiritalia negocia,quæ tanto tẽpore reges Teutonici adminſtra
Nota. uerãt,quęq; ipſe ne regni diminueretur honor, nunq; uita comite ſe dimiſſurum
REGES propoſuerat,humiliatus pro Chriſto coram multitudine maxima abnegauerit,
Teutonici. & in manus domini epiſcopi Oſtienſis,ac per ipſum domino noſtro Ieſu Chri-
ſto,ſuæq; in perpetuũ ius eccleſiæ dimiſerit,rurſumq; qualia ſibi ob honorem re-
gni obſeruãdum autoritas apoſtolica cõceſſerit, utriuſq; partis melius edocebũt
ſubter annotata ſcripta: Ego Heinricus Dei gratia Romanorũ Imperator Au-
Scriptum Hen guſtus,pro amore Dei & ſanctę Romanę eccleſię, & domini papę Caliſti,& pro
rici quinti. remedio animæ meæ,dimitto Deo & ſanctis eius Apoſtolis Petro & Paulo, ſan
ctę catholicæ eccleſiæ omnem inueſtituram per annulum & baculum,& conce,
do in omnibus eccleſijs fieri electionem, & liberam conſecrationem. Poſſeſſio-
nes & regalia beati Petri,quæ à principio huius diſcordię,uſq; ad hodiernam di
em,ſiue tempore patris mei,ſiue etiã meo ablata ſunt, quæ habeo,eidem ſanctæ
Romanæ eccleſiæ reſtituo: quæ aũt non habeo, ut reſtituantur fideliter iuuabo.

Poſſeſſiones

Poſſeſſiones etiam omnium aliarum eccleſiarum, & principum, & aliorũ tam clericorum quàm laicorum, concilio principum & iuſtitia, quę habeo, ut reddantur fideliter iuuabo: & do ueram pacẽ Caliſto, ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & omnibus qui in parte ipſius ſunt, uel fuerunt, & in quibus ſancta Romana eccleſia auxilium poſtulauerit, fideliter iuuabo.

Ego Caliſtus ſeruus ſeruorum Dei, Dilecto filio ſuo Heinrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto. Concedo electiones epiſcoporum & abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſq; ſimonia & aliqua uiolentia, ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, metropolitani & prouincialium conſilio uel iudicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his iure tibi debet, faciat. Ex alijs uero partibus imperij conſecratus, infra vi. menſes regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus uero mihi querimoniam feceris, ſecundum officij mei debitum auxilium meum præſtabo. Do tibi ueram pacem, & omnibus qui in parte tua ſunt, uel fuerũt tempore huius diſcordiæ. Data anno mill. cxxij. ix. kal. Octob.

Scriptum Caliſti papæ

Obſerua papæ ſermonem: De quibus mihi, non nobis.

Huiuſmodi ſcripta atq; reſcripta, propter infinitæ multitudinis conuentum loco campeſtri iuxta Rhenum lecta, ſunt data & accepta, poſtq; multimodas laudes rerum gubernatori redditas, celebratis à domino Oſtienſi diuinis ſacramentis, inter quæ dominum Imperatorem cum pacis oſculo, ſanctaq; communione, pleniſſime reconciliauit, diſceſſum eſt ab omnibus cum lætitia infinita.

Item uide in lib. 5. ca. 37. Al. Kr. de blandimentis papæ & ſecularium principum.

Alterum quoq; non multo poſt, id eſt, in feſto ſancti Martini, colloquium Imperator cum principibus qui priori non aderant, Babenberg habuit, ubi & cunctis in ſua uota concordantibus, inter multa quæ tam ad regni q̃ ad ſacerdotij congruebant honorem, more maiorum compoſita, legatos proprios cũ Romanis deſtinauit: & utroſq; nuncia ſimul & munera ferentes honorifica, domino Apoſtolico C. conſanguineo ſcilicet iam ſibimet unitiſſimo direxit.

Scripta Cæſaris & papæ loco campeſtri iuxta Rhenum lecta.

Colloquiũ Babẽberg.

Papa conſanguineus Imperatoris.

ANno Dominicæ incarnationis milleſimo cxxiij. Imperator Heinricus natalem Domini Traiecti celebrauit. Oritur in ipſis feſtis diebus quædam ſimultatio inter aulicos ſcilicet & epiſcopi miniſteriales, quę etiam eò proceſſit, ut uniuerſa curia ſimul ac ciuitate cõmota, utriuſq; partis armatę, cõcurrerent cohortes: fit clamor confuſus, quaſi à Traiectenſibus in Imperatorem coniuratio ſit facta: ſicq; illis irruentibus, & iſtis reſiſtentibus, acris committitur pugna, adeo ut multi caderent, plures de oppidanis caperentur, reliqui in turrim firmiſſimã quę illic erat, confugerent. Pontifex etiã ipſe quaſi praui conſilij particeps, & ob hoc maieſtatis reus habitus, cuſtodiæ traditur: à qua poſtea magna pecuniæ ſumma multatus, multis etiam primoribus illarum partium interuenientibus, & maxime Friderico Colonienſi archiepiſcopo, uix redimitur. Cœpit etiam tunc germinare diſcordiæ illius ſeminarium, quæ ſequenti ęſtate maximo illius regionis damno, quę uulgo Hollant uocatur, moroſe ac laborioſe, & uix tandẽ ipſo Imperatore copioſum illò exercitum ducente, terminabatur: ubi matrona quędã cuius nomen excidit, ſoror nimirum Lotharij ducis, cuius & patrocinio confiſa, Imperatori rebellare præſumebat. Eo itaq; tempore primo per Saxoniam, deinde per totam penè Germaniam, externis quieſcentibus, ciuilium ubiq; ſeditionum tempeſtas increuit, &, ut ait Propheta: mendacium & periurium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Prędones quippe, qui ſub nomine equitũ undiq; ſuperabundabant, uillas & agros eccleſiarum inuadebant, colonos domi foriſq; ſpoliabant: & ab ſcelus, ab his qui pane ſolo & aqua uictitare ſolebãt, delicias ſibimet miniſtrare tormentis exigebant: ſicq; prædijs & incendijs uno quoq; ſuas iniurias uindicante, cœpit undiq; caritas, immo raritas annonæ ſucreſcere. In pago Vuormacienſi uidebatur per aliquot dies nõ modica & armata multitudo equitum euntium & redeuntium, & quaſi ad placitũ colloquium, nunc hic, nunc illic turbas facere: circa nonã uero horã cuidam monti, à quo & exiſſe uidebantur, ſe reddere. Tandem quidã de incolis regionis illius non ſine

Hen. quintus natalem celebrat Traiecti.

Coniuratio Traiecti in Heinricum. 5.

Hollant.

magno timore huiuſmodi tam prodigioſæ concioni crucis ſignaculo munitus
appropinquat: mox quandam ex illis occurrenté ſibi perſonã per nomen omni
potentis Domini noſtri manifeſtare cauſam populi, qui ſic appareret, adiurat.
Cui ille inter cętera: Non ſumus, inquit, ut putatis, fantaſmata, nec militum ut à
uobis cernimur, turba, ſed animę militum nõ longe ante hac interfectorũ. Arma
uero & habitus atq; equi, quia nobis prius fuerant inſtruméta peccãdi, nũc nobis
ſunt materia torméti, & uere totũ ignitũ eſt, quod in nobis cernitis, quãuis id uos
corporalibus oculis diſcernere nõ poſſitis. In huiuſmodi comitatu dicitur etiam
Emicho comes ante paucos annos occiſus apparuiſſe, & ab hac pœna orationi
bus & eelemoſynis ſe poſſe redimi, docuiſſe. Referũt quidã, ꝙ nocte quæ diem
Dñicę cœnę pręceſſit, dũ ad uigilias more eccleſiaſtico properarét, uidiſſe ſe quaſi
ſtellas innumeras de cœlo cadere, in tm̃, ut pluuię guttas & multitudine & caſi
bus uiderentur imitari. Claruit hoc tẽpore Dietericus Sicenſis epiſcopus, literis
apprime eruditus, ſemper cõtra ſciſmata, quę ſuis téporibus nonnunq̃ pullula=
bant, propugnator catholicus, et in omni paſtorali ſolicitudine cõmiſſæ ſibimet
eccleſię deſudans utilitatibus. Hic itaq; nõ longe à ſuburbano uel territorio ſuæ ci
uitatis monaſteriũ ſiue abbatiã, ſummo conatu, magnoq; ſumptuũ ac ędificiorũ
impenſis per años aliquot inſtituebat, in colle, qué antiquitas Boſouua nomina
uerat. Quo loco iam fere ad unguẽ perducto, utpote nõ modica cõſecrata baſili
ca, cõgregatione quoq; monachorũ ibidẽ locata, inuenitur inter eos, quos cõuer
ſos fratres dicimus, quidam conuerſus ex eadem gente Saraborum progenitus,
nequaquam ſanctę regulæ, ſed proprijs deſiderijs per omnia ſubiectus. Hic pro
ſuis exceſſibus frequenter ab abbate corripitur: ſed nõ melioratus, epiſcopo prę=
ſentatur corrigendus. Quem ipſe frequenter acrius, ut dignum erat, corripuit.
Ille autem in tantam proteruiam erupit, ut epiſcopũ ante altare in oratione ſtan
tem, cultro perfoderit, unde poſt triduum uenerandus ad Chriſtum migrauit.

Animæ militum non longe ante hac inter=fectorum.

An animæ exutæ corporibus hic errare poßint, uide Chryſoſtomũ in Matth. ca. 8.

Dietericus Sicenſis epiſcopus. Alij Cicenſis.

Boſouua.

Frater conuerſus epiſcopũ cultro perfodit

ANno Dñicę incarnationis mill. cxxiiij. imperator Heinricus natalem Dñi
Aquiſgrani celebrauit. Eclipſis lunæ apparuit in Purificatione S. Marię, un
de etiã perterritus Chunradus conſobrinus imperatoris, conuerſioné morũ ſuo=
rũ profeſſus, Hieroſolymã ſe profecturũ, ibidemq; Chriſto militaturũ deuouit:
indeq; fauorem nõ modicũ ab omnibus qui hoc audierãt, acquiſiuit. Nonnulli
quoq; nequitię ſtudijs antea dediti, eidé ſe ſociari profitétur comitatui. Nõ mul=
to poſt imperator H. mouit expeditioné cõtra eos, qui ſibi in regione Holland
contrarij exiſtebant. Hiſq; licet tarde ſubactis, ad ſuperiores ſe partes contulit, re=
gina circa fines Lotharingiæ relicta. Circa mediam quadrageſimam colloquiũ
Vuormatiæ cum quibuſdam optimatibus habebat: cęteris uero qui aderant, id
eſt, Saxonibus, Baioarijs, atq; Boemis, ad curiam uenire Babenberg Non. Maij
indicebat, maxime propter Lotharij ducis inſolentiam, quę noua quędam moli
ri notabatur contra Rempub. ob ſororis ſuę pręſcriptę illatam ab imperatore iniu
riam. Factus eſt itaq; conuentus idem non modicus: nam ſingularũ prouincia=
rum duces aderant, pręter dictũ L. paucoſq; ſibi conſentientes de Saxonia princi
pes. Quibus ſingulis neceſſarios ſumptus uel ex toto, uel ex parte miniſtrabat ue
nerandus epiſcopus Otto, pręter publicum atq; conſtitutũ antiquitus imperato=
rię maieſtati, quod aulicis etiam importunius exigebatur ſeruitium. Ab ipſis de=
niq; pater idem notabatur rarius q̃ cæteri præſules palatium uiſitare: ipſe uero
monaſterijs conſtruendis & reſtaurandis, eleemoſynis diſpenſandis, orationi=
bus inuigilandis, cæteriſq; tam practicæ q̃ theoreticę ſtudijs inſinuandis, ſeſe ma
luit occupare. Nec deerant qui id inuidiæ cauſa muſſitantes publicis potius fun=
ctionibus impendendum iudicarent: ſicq; Cæſaris animoſitatem contra uirum
Dei cõmouere tentarent. Sed quia Dominus cuſtodit omnes diligentes ſe, & ui=
as peccatorũ diſperdit, iſte rebus tranſitorijs pro tempore non parcens, miro mo
do quãuis undiq; regiones ſtringente penuria, ſufficienter omnibus miniſtrando,
bonitate malitiam uincit, ac nõ fictę charitatis officijs, totius in ſe regni beniuolũ
affectũ cõmeruit. Vnde cõpoſitis cauſis eiuſdem cõuentus, inſinuat tã Auguſto,
quàm

Expeditio Henrici 5. contra Hallandos.

Otto Babenberẽgſis epiſcopus Pomeranis fidẽ Chriſti prædicat.

quàm primatibus uniuerſis, ſe literis atq; nuncijs & pluribus à duce Poloniæ Polizlao uocatum, inſuper etiam domini Papæ. C. permiſſione atq; benedictione directum, ad gentem ſcilicet Pomeranorũ, quam nuper idem dux ſibi finitimã ſubegerat, & ad Chriſtianitatis confugium impulerat. Annuit tota quæ conuenerat Eccleſia, annuit & aula proſperitatem pijs conatibus imprecantes, ſoli Babenbergenſis Eccleſiæ filij patrem dulciſſimũ inuiti deferunt, multis eum lachrymis ac ſi funus proſequentes. Poſtq; autem ſuper confirmatione pacis diuerſis iuſtitijs, regniq; negotijs, ſatis tractatum eſt: Indignatus Imperater his, qui præſentem curiã adire contempſerant, inſtituit expeditionem ſequente Auguſto generaliter fieri, ſpecie quidem contra Saxoniam, re autem uera cõtra Galliam in regnum regis Ludouici, prębituros nimirum auxilium ſocero ſuo Heinrico Anglię regi pro poſſeſſione Nortmãniæ prouinciæ, contra eundem regem Galliæ. L. contendenti. Cuius itaq; fines, poſtq; ſtatuto tempore iam iamq; Teutonicus exercitus cœpit attingere, exploratores quotidie affirmant Francigenas, maximo iam domi congregato exercitu, congreſſu m expectare, immo temere expetere. Imperator quippe tunc non multas ibi ducebat copias, quia Teutonici non facile gentes impugnant exteras. Nunciatur interim à tergo Vuormatienſes auxilio ducis Friderici, contra uoluntatem imperatoris, Buggonem ſuum Epiſcopum, ſedi ſuæ reſtituiſſe, ſeq; intra ciuitatis muros, ad rebellandum omnimodo muniſſe. Quo audito, reuerſi, urbem eandem maxima inuadunt feritate, nec obſidionem eius ſoluunt, donec multis, ut fieri ſolet, hincinde conatibus, expenſis multis, ante murum captis uel occiſis, ad ultimũ deficientibus alimonijs, quinq; millibus talentorũ urbani multati, relicto Epiſcopo, pactum ad arbitriũ Imperatoris faciunt. Domins papa. C. uir genere & moribus, ſapientia quoq; cunctiſq; diuinarũ humanarumq; rerum diſpoſitionibus pręcipuus, in Domino uitã finiuit. Poſt cuius deceſſum, pars aliqua Romanorũ Rauennatem Archiepiſcopũ, omni religionis teſtimonio ſatis cõmendatũ, Apoſtolicę ſedi pręficere nituntur. Item aliqui Lampertũ Oſtienſem, qui & uniuerſali poſtmodũ electione concordante uoti compotes efficiuntur. Nam uir idem & in Romana tam diu probatus Eccleſia, & in ea legatione, qua ipſe dudum in reconciliatione regni & ſacerdotij, Germanicis in partibus ſtrenue laborauerat, cis citraq; notificatus, tam illorum, qui longe, quàm qui prope erant ſacerdotum, unanimi fauore Canonice conſecratus, moreq; ſedis illius, ut uere tanto dignus honore, Honorius ſecundus eſt appellatus. Poppo Abbas obijt.

Expeditio Heinr. V. in Galliam.

Iã proh dolor, Cares ſunt, & in Care periculũ, ut habet Prou.

Buggo Epiſcopus Vuormatienſis.

Vuormatia capitur.

Laus Caliſti papæ qui obijt.

Honorius II. papa eligitur.

ANno Dominicæ incarnationis Milleſimo cxxv. Heinricus Imperator Natalem Domini apud Argentinam ciuitatẽ, quæ & Stasburg dicitur, celebrauit: frequentantibus ibi curiã Principibus Alſatię & Lotharingię, cęterarũq; tranſrheninarũ partium optimatibus. Quo tempore hyemem aſperrimam, uer tempeſtuoſum, fames ualidiſſima, ac mortalitas crudeliſſima ſecutæ, tantã ſtragem per uniuerſas prouincias, maxime tamen de uulgaribus dederunt, ut penè tertia pars populi notaretur occubuiſſe. Hoc tẽpore, ſcilicet in ipſo ſacroſancto Paſchæ ſabbato, deſiderantiſſimus, nobiſq; cœlitus prouiſus, prouiſor noſter Otto pręſul, poſt mutas pro Chriſto tribulationes emerſas, gregem ſibi commiſſum, reuiſit: nec aliter, quàm Chriſtus ipſe, Chriſtus Domini ſuſceptus, gauiſis diſcipulis gaudiũ Dominicæ reſurrectionis duplicauit. Idem tamen Chriſti fidelis diſpenſator & prudens, queſtum de commiſſo ſibi talento lucratum, ad fidei ſuæ deuotionisq; teſtimonium literis annotari præcepit, quas & nos ob ædificationem legentium hic ſubnectere non piguit.

Argentina. Straßburg.

Sub hoc tẽpus in uilla Rufach, Hein. V. ſatellites tumultũ excitarunt, coacti tandem fugere, unà cũ rege, quod iudiciũ iræ Dei erat, ut fugeret, qui patrem fugauit, & inſignia pderet, q patri abſtulit. Rubeacẽſes enim, fugiente Heinrico, inſignia regalia abſtulerunt, poſthac Rubeacũ diripitur et incenditur. Vide uitã Heinrici. 4.

ANno Dominicæ incarnationis Milleſimo cxxiiij. Indict. ij. Caliſto Papa ij. Romanæ ſedi præſidente, Otto Dei gratia, Babenbergen. Eccleſiæ Epiſcopus, diuino admonitus inſtinctu, prædicti Apoſtolici autoritate & aſſenſu roboratus, partes Pomeranorũ paganorum, cum quibuſdã ciuitatibus terrę Lutitię aggreſſus eſt, ut eos ab errore ſuo reuocaret, & ad uiã ueritatis, & ad agnitionẽ filij Dei perduceret. Quibus baptizatis & conuerſis, Eccleſias cõſtruxit & cõſecrauit,

Otto Pomeranis Chriſtũ pdicat.

Sexta feria. & hæc ſecundum ſanctorum Patrum inſtituta, eos ſeruare docuit, ſcilicet ut ſexta
Dies Dominica. feria abſtineant à carne & lacte, more cæterorum Chriſtianorum. Dominica die uacent ab omni opere malo, & ad Eccleſiam diuinum officium audituri ueniât, ibiq́; orationibus ſtudioſe inſiſtant, ſolennitates ſanctorum cum uigilijs, uel ſe-
Quadrageſima. cundum quod eis indicatum fuerit cum omni diligentia obſeruent, ſacroſanctã quadrageſimam, ieiunijs, uigilijs, eleemoſynis & orationibus, diligétiſſime ob-
Baptiſmus bis in anno. ſeruare ſtudeant, infantes ſuos in ſabbato ſancto Paſchæ & Penthecoſtes, cum candelis & cappa, quæ dicitur ueſtis candida, & patrinis comitantibus ad bapti ſmum deferât, eoſq́; ueſte innocentiæ indutos per ſingulos dies uſq; in octauum
Compatres. diem eiuſdem ſabbati, ad Eccleſiam deferant, & celebrationi diuini officij inter- eſſe ſatagant. Hoc etiam iniunxit, ne filios ſuos necarent, quod nephas maxime
Ne filios necarent. inter eos uigebat, ne etiam filios ſuos & filias ad baptiſmum teneant, ſed ſibi pa- trinos quærant, patrinis etiam fidem & amicitiam, ut carnalibus parentibus ſer
Vna uxor. uent. Indixit etiam, ne quis commatrem ſuam ducat in uxorem, neq; propriam cognatam ſuam uſq; in ſextam & ſeptimam generationem, & unuſquiſq; côten-
Sepultura. tus ſit una uxore, ne ſepeliant mortuos Chriſtianos inter Paganos, in ſiluis, aut in campis, ſed in cœmiterijs, ſicut mos eſt omnium Chriſtianorum, ne fuſtes ad ſepulchra eorum ponant, omnem ritum & prauitatem paganam abijciant, do- mos idolorũ non conſtruant, phitoniſſas non adeant, ſortilegi non ſint, ne quid immundum comedant, non morticinum, non ſuffocatum, neq; idolothytum,
Confeßio. neq; ſanguinem animalium, ne cômunicent Paganis, ne cibum aut potum cum eis, aut in uaſculis eorum ſumant, ne in his omnibus conſuetudinem paganam repetant. Iniunxit etiam eis, ut dum ſani ſunt, ueniant ad ſacerdotes Eccleſiæ, ut confiteantur peccata ſua, in infirmitate autem ſua uocent presbyteros ad ſe, ut confiteantur peccata ſua, & corpus Domini accipiant. Iniunxit etiam, ut de periu
Ciuitates Pomeraniæ rijs, de adulterijs, de homicidijs, & de cæteris criminalibus ſecũdum Canonum inſtituta pœnitentium agant, & in omni Chriſtiana religione & obſeruatione obedientes ſint. Mulieres poſt partum ad Eccleſiam ueniant, & benedictionem à ſacerdote, ſicut mos eſt, accipiant. Nomen ciuitatum, Pirizſtetin, Vulingamen, Colberch, Belgrado, Lubingreſch.

His temporibus per latitudiné imperij Romani, prodigia nonnulla, cladeſq́;
Prodigia. diuerſæ frequentabantur, adeo ut nec numerus eorum, nec ſpecies à cuiuſq; mor talium ſciétia colligantur. Porro pauca quæ noſtris auribus uolans intulit fama,
Frigus. ſtilo libuit exarare, ne exempla, & diuinum uerbum, quæ multiformibus plagis toleramus, occultare uideamur generationi ſubſecuturæ. Quarta feria hebdo-
Tempeſtas. madæ Penthecoſtes, diriſſimæ pruinæ, frigus, plagam magnam, tam nouellis ubiq; frugibus, q̃ uineis abũdantiſſimam iam fœtuum ſuorum ſpem turgendo
Nebulæ. promittentibus intulit, nec multo poſt, id eſt xvi. kal. Iulij, reſiduũ frigoris tem- peſtas tam immenſa, quæ diluuium minari uideretur alicui, crudiliter deuaſta- uit. Item nebulæ quędam ex locis paluſtribus, ultra ſolitum erumpentes, ſegetes
Tullifelt. contiguas, & maxime triticeas aurugine uel uredine deprauarũt. Alpium etiam fœtus, neſcio quo auſpicante incommodo, ex toto penè deperijt. Nonnulli in- ſuper in Sole & Luna, uel ſtellis, diuerſi diuerſo modo ſe uidiſſe ſigna teſtantur, adeo, ut etiam fidem excedere quibuſdã uideantur. Puero cuidam in pago Tul- lifelt nato, crus dextrum diutino liuore tum efractum, tãdem loco collecti puris crepuit, & pro ſanie, mirabile dictu, grana non pauca tritici, ſiliginis, farris, hor- dei, ac auenæ euidenter effudit.

Heinricus Imperator huius uocabuli quintus, apud Traiectum ciuitatem pen thecoſten celebraturus, ægritudine quam iam diu celauerat ſuperatus, ad extre- ma cœpit propinquare, uocatiſq; qui ſecum erant, id eſt regina Mathilde con-
Hamirſtein. iuge ſua, cęteriſq; primatibus, prout potuit, de regni ſtatu conſilium dedit, coro- nam, cęteraq; regalia uſq; ad conuentum Principum conſeruanda in caſtello fir-
Heinricus. V. Spiræ ſepultus. miſſimo, quod Hamirſtein dicitur, reponi diſpoſuit, ſicq; uiatico Chriſti, Sacra- mentorum communicans, diem clauſit extremum x. kalen. Iunij. Cuius corpus more regio curatum, Spiram eſt delatum, & coram multitudine nobiliũ, & infe

riorum

riorum clericorũ atq; laicorũ, iuxta maiorum ſuorum mauſolea honorifice conditum. Anno regni ſui xx. Imperij uero xiiij. Hic ut præſcriptũ eſt, primo ſub ſpecie religionis patrem excõmunicatũ imperio priuauit: confirmatus in honoribus mores mutauit: ſed poſt iniurias Apoſtolicę ſedi illatas, ſemper ſeipſo inferior fuit, iuſtitijs regni nõ multũ inuigilauit: acer fuit ingenio, fortis & audax, licet parũ fœlix in p̃lijs, nimius in appetẽdis alienis. Pecunias, ut aiũt, infinitas cõgeſſerat, quas ſecundũ ſcripturas, cui theſaurizaſſet, ipſe ſine liberis obiens, heu heu ignorabat. Hoc etiã anno nõnullos ex nobilibus, unà cũ innumera multitudine uulgariũ ſęuiens mortalitas abſumpſit. Inter quos Vdalricũ Eihſtatẽſem, ac Ruoggerum Vuirciburgẽſem, Arnoldũ quoq; comitis Arnoldi filiũ, bonę indolis adoleſcentẽ, pluresq; alios ſors ultima preſſit. Nam poſt uulgi ſtragẽ immenſam, tam fame q̃ peſtilentia, iudicio diuino, patrata, lues tanta tamq; indifferens per populos ubiq; graſſari cœpit, ut nulli conditioni, ſexui, uel ætati parcendũ fore, mors minitaretur pallida: uixq; uiui ſufficerent ad curanda defungentium cadauera.

Heinricus. V. Spiræ ſepultus.

Dotes Heinrici V.

Peſtis.

ANACEPHALEOSIS CHRONICI VRSPERGENSIS, DE Imperatoribus, Cunrado, Heinrico III. Heinrico IIII. Heinrico V.

MVLTIS dum ſua facta uel dicta placent, aliena diſplicent: rectius autem erat, ut nobiſmetipſis diſplicẽtes, dum alijs placere uelimus, ipſiq; nobis placeant. Quia uero omnis ætas in malum prona eſt, facilisq; deſcenſus auerni, rectũ contemnitur, & quod uitioſum eſt, frequentatur. Ideoq; tam ſcriptores ſingularum rerum, q̃ etiam interpretes linguarum, ſiue expoſitores librorum, contra æmulos & detractores & inuidos, in principijs operum ſuorũ uolentes aliqua deſcribere, plurima cõmentati ſunt. Cęterum ut rudes & imperiti noſtræ loquelę ſimplicitatẽ de medio uſu loquendi procedẽtem, et nullius dulcedinis ſiue eloquentię ſtylum redolentem credimus ab æmulis potius irridendum, q̃ liuido dente huic detrahendũ. Sane ſuper his fiat uoluntas Dei expleta. Nos uero, ſicut fuerit uoluntas in cœlo, de noſtro propoſito explebimus geſta regum, maximeq; Romani imperij, ſicut cœpimus, & de diuerſis regnis prioribus, ad id perduximus. In ſuperioribus uero geſta quatuor imperatorũ, uidelicet Cunradi, Heinrici III. & Heinrici IIII. & Heinrici V. ſub ſtylo hiſtoriographo non ſunt cõglutinata, ſed potius geſta temporũ ſub ſingulis annis ſunt deſcripta. Ideoq; ſeries hiſtorię de ipſis imperatoribus difficilius contexitur. Recapitulando igitur de eiſdem imperatoribus, quędã retexemus, ut ſeries & narratio noſtra melius ſtylo ſimplici procedat. Quia uero pręfati quatuor imperatores in Eccleſia Spirenſi, uſq; in pręſens euidentẽ habent ſepulturam, & tumulos de marmore fabricatos & politos, ſicut eoſdem oculis noſtris proſpeximus. Primũ ſuperſcriptiones eorundẽ mauſoleorum, ſicut meminimus nos ab eiſdẽ deſcripſiſſe, annotabimus: uidebitur enim pauliſper forte diſcrepare ab his quæ pręnotata ſunt. In quatuor igitur ſepulchris pręnominatorũ imperatorum continetur ſermo metrice factus, ad menſurã unius uerſus hexametri, hoc modo incipiens, à Septentrionali plaga, ſuper primũ ſepulchrũ cõtinentur duo uerba exarata in marmore, hęc ſcilicet, FILIVS HIC. In marmore ſecundi ſepulchri exarata ſunt hęc uerba. PATER HIC. Super marmore quoq; tertij ſepulchri ſcriptum eſt. AVVS HIC Et in quarto exculptum eſt. PROAVVS IACET ISTIC, Sicq; perficitur unus uerſus hexameter. Adiunguntur autem his duo mauſolea eiuſdem operis marmorei, & eiuſdem ſtructurę & eleuationis, in quibus deſcriptus eſt unus uerſus hexameter, à Septentrione in Auſtrum, qui in priori tumulo continent hęc uerba exculpta. HIC PROAVI CONIVNX. In ſecundo. HIC HEINRICI SENIORIS. Dies quoq; & annos, quibus præfati Imperatores obierunt, annotauimus, ſicut ibi annotati continentur, in hunc modum. In primo itaq; uerſus Auſtrũ, quod eſt nouiſſimũ in deſcriptione uerſus pręnotati, ſic ſcriptum reperitur. CVNRADVS II. IMPERATOR ROMANORVM. ANNO DONINICAE INCARNATIONIS MXXXIX. NON. IVNII OBIIT. In ſecundo, uerſus Septentrionem ſic deſcriptum erat.

Roma. 1 9.

Mos Scriptorum.

Geſta regum. maxime Rom. Imp. tractat.

Quatuor Imperatores Spiræ ſepulti.

Superſcriptiones Mauſoleorum Spiris.

Cunradus Imp.

HVIVS

Heinricus tertius, dictus Niger.
Heinricus quartus dictus Senior.
Heinricus quintus dictus Iunior.
Otto Friſingenſis lib. 6. cap. 28.

HVIVS FILIVS HEINRICVS TERTIVS, QVI DICTVS EST NIGER ROMANORVM IMPERATOR. ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS MLVI. NON. OCTOBR. OBIIT. In tertio, uerſus Septentrionem rurſum ſcriptum eſt. HVIVS FILIVS HEINRICVS IIII. DICTVS SENIOR, ROMANORVM IMPERATOR. ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS MCVI. VII. IDVS IVNII OBIIT. In quarto ſcriptum eſt. FILIVS EIVSDEM HEINRICVS V. DICTVS IVNIOR, ROMANORVM IMPERATOR. ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS MCXXV. X. KALEND. AVGVSTI OBIIT. De iſtorum generatione, Otto Frinſegenſis Epiſcopus, qui de eadem generatione deſcendit, dicit quod Chunradus proauus ex parte patris Chunrado Vuormacienſium duce, qui in prælio cum Vngaris ſub Ottone habito occubuit, proſapiam ducens ex parte matris à probatiſſimorum Gallorum principum genere, qui ex antiqua Troianorum ſtirpe deſcenderant, & à beato Remigio baptizati fuerant, qui Clodij ſiue Clodouei multotiens nominabantur, originem duxit: de quibus ſupra in geſtis Francorum ſatis eſt dictum. Quod ex eo quoq; probatur, quòd ijdem

Principes de Vuabilingen.

Principes de Vuabilingen oriundi dicebantur, apparet autem uſq; in præſens titulus monumenti iuxta præfatam uillam, in modum turris, miro ópere de quadris & ſculptis lapidibus conſtructus, quod uulgus Baienſtein denominat, in quo ſculptum literis reperitur, CLODIVS HOC FECIT VXORI SVAE

Monumentum in Baienſtein.

Hinc coniectura eſt, quicquid inter Rhenum eſt & Nicrum, uelut in Prouinciæ formam redactum, aliquot annos Romanis paruiſſe. Hinc tantum uetuſtatis reperias non ſolum in Nicri littore, ſed in intermedijs etiam locis. Hinc apud Etelingam, patriam meam, tabula lapidea fuit reperta, cui Neptunus erat inſculptus, de qua in Paralypomenis meis infra.

Prefatus. C. uxorem Giſelam nomine de antiquo & glorioſo Carolorum ſanguine oriundã habuit. Sicut quidam his uerſibus atteſtatur.

Quando poſt decimam numeratur linea quarta,
De Carolo magno proceſſit Giſela prudens.

Hæc primum Ernuſto duci Sueuorum, fratri Alberti Marchionis Pañoniæ nupta fuit, ex eoq; filios, Ernuſtũ & Hermannum ſuſcepit. Quo mortuo prefatus rex. C. eam accepit uxorem. Genuit ex ea Heinricum eius nominis tertiũ, qui dictus fuit Niger, ut prædictum eſt. In quo propter maternum genus poſt multa curricula annorum, redijt imperiũ ad illuſtrem & glorioſam progeniem Caroli Magni. Dictus uero Heinricus ex Agnete Imperatrice, ut ſupra deſcriptum eſt, genuit rurſus Heinricũ, eius nominis quartũ, qui dictus fuit Senior, & à plęriſq; nuncupabatur Malus, eo ꝙ multa mala terris & principibus propter ſuam excõmunicationem & uitam ſceleratam intulerit, de cuius tamen excommunicatione præfatus Otto Friſingenſis ſic ſcribit: Lego & relego Romanorum Regum, ſiue imperatorum geſta, & nuſq; inuenio quenq; eorum ante hunc à Romano Pontifice excõmunicatum, uel regno priuatum, niſi forte quis pro anathemate habendum ducat, ꝙ Philippus ad breue tempus à Romano Epiſcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodoſius à beato Ambroſio propter cruentam cędem à liminibus Eccleſiæ ſequeſtratus eſt. Licet præfatus Otto hęc ſcribat, conſtat tamen ex his, quæ ſuperius longe deſcripta ſunt in pluribus locis, ꝙ imperatoribus ſiue regibus quarundam nationum, uergentibus in multam peruerſitatem, uel nequitiam, ſiue in deſidiam, ut inutiles conferentur, multoties diuino iudicio reprobati ſunt, alijq; in locum eorum ſubſtituti ſunt, quod plęrunq; nulla accedente autoritate Romanæ Eccleſiæ factum eſt, ſicut frequenter de imperatoribus apud Conſtantinopolim poſitis legitur, ut ſupra deſcriptũ eſt. Quandoq; etiam acceſſit autoritas Romani Pontificis, ſicut in geſtis Romanorum Pontificum legitur, Quod Gregorius iij. fecit recedere totam Italiam de poteſtate Leonis Auguſti, & ipſum excõmunicauit, & regno priuauit, talia quoq; alibi plęrunq; leguntur, & noſtris temporibus facta fuiſſe cernũtur. Licet autem Romani Pontifices hæc ſibi aſcribant, & ſe feciſſe gloriẽtur, nos tamen animaduertimus hæc potius facta fuiſſe diuino iudicio culpis imperatorem exigẽtibus, animiſq; Principum ſiue gentium, ad reſiſtendũ ſe coadunantibus. Quis autem flectit mentes hominum, niſi illę de quo ſcriptum eſt: Sicut diuiſiones aquarum,

Henricus. III. Niger.
Heinricus IIII.
Vide Otton. Friſing. lib. 6. cap. 35.
Theodoſius.
Gregorius 3. excommunicat Leonẽ Imp.
Oblique in Papam.

ita co

ita cortegis,& corda hominum in manu Dei ſunt. In libro quoq; Regum non dicitur q Samuel Saulem reprobrauerit,ſed q à Deo fuerit reprobatus,& iubẽte Deo,per miniſterium Samuelis,Dauid fuit inunctus. Exemplis quoq; id ipſum approbatum cernitur. Sub temporibus nanq; noſtris,Fridericus primus, eius nominis Imperator Romanorũ,ab Hadriano papa,& Alexandro, alijſq; ſucceſſoribus excommunicatus (ut ipſi afferunt)nunq; perdidit imperium. Philippus quoq; filius eiuſdem Friderici,poſt mortem fratris ſui Heinrici vi. acquirens ſibi imperiũ,ſiue regnum Romanorũ,propter excõmunicationẽ Celeſtini Papæ iij. ſicut meminimus factũ fuiſſe,ſub temporibus noſtris nunq; perdidit illud. Hæc omnia in ſubſequentibus deſcriptionibus & annotationibus temporũ,plenius explicabuntur. Præfatus itaq; Heinricus.IIII. de uxore ſua Bertha nomine,duos filios progenuit,& unam filiam. Cunradus quoq; filius eiuſdem in Italia mortuus eſt,ſicut ſuperiora ſcripta demonſtrant. Heinricus uero eiuſdem nominis.V. poſtmodum factus Imperator Romanorum,patri in imperio ſucceſſit, & ſicut à patribus & auis ſiue proauis,quædam diſcordia ad eum deducta fuit ſuper inſtitutionibus Epiſcoporũ,hanc uiriliter tenuit, & propter hoc Papam Paſchalem captiuauit. Tandem ſicut in ſuperioribus annotatũ eſt,hæc diſcordia,anno Dominicę incarnationis Mcxxij. determinata eſt,ſicut ſuperius deſcriptum eſt. Præfatus uero Heinricus.V.anno Dominicæ incarnationis Mcxxv.obijt.

Fridericus.I.

Et Hein.V.ex cõmunicatur, opera Mogont. Saltz. & Colonien. Epiſcoporũ, Otto lib.7.cap.15.

In ciuitate Galliæ Spira,iuxta patrem, auum,proauum, Imperatores, cultu regio ſepelitur. Otto libro 7.cap.16.

LOTHARIVS SAXO, XVIII. GERM. IMP.

Huius laus eſt à uendicata religione & legibus.

ANno Dominicæ incarnationis Mcxxvi. ab urbe condita MDccclxxvij. Lotharius dux Saxonum,cuius mẽtio ſuperius facta eſt.lxxxix.loco ab Auguſto regnum accepit,regnauitq; annos xij. Fridericus dux Sueuorum,& Cunradus frater eius,qui ducatũ acceperat, pertinentem ad Herbipolenſem Eccleſiã à Heinrico iuniore,ſicut ſupra deſcriptũ eſt, nepotes fuerunt præfati Heinrici filij, uidelicet ſororis eius,filia nanq; Heinrici ſenioris,cuidã Friderico nobili de Stophen,matrimonio iuncta fuit,mortuoq; Rudolpho duce Sueuorũ in bello,qui ſibi regnum uendicauerat,dictus Heinricus ſenior,ducatũ Sueuiæ præfato Friderico genero ſuo cõtulit. Ipſe quoq; Fridericus,de præfata filia dicta Agnete duos filios progenuit,Fridericũ uidelicet & Cunradũ,quorum Fridericus ducatũ Sueuiæ tenuit,quem à quibuſdam audiuimus denominari monoculum. Cunradus uero ducatũ Frãconię,ut prędictũ eſt,accepit:penes hos, mortuo auunculo ſuo, Heinrico iuniore,inſignia imperialia remanſerũt. Ideoq; cũ quibuſdã Principibꝰ peregerũt, ut ſępe dictus. C. in regnum eligeret,in diſcordia cõtra Lothariũ,pluribus tamẽ fauentibus Lothario,iſti tamen bellũ habuerunt cõtra Lothariũ. Lotharius uero filiã Gerdrurdim unicã,quã habebat, dederat uxorem. H. duci Bauariorũ, fratri Vuelphonis nouiſſimi,quẽ nos uidimus,cuius generationis,quia inclyta fuit & nobiliſſima,& Deo ſemper deuota, Romanęq; Eccleſiæ ſemper aſſiſtens,& Imperatoribus ſæpe reſiſtens,quia mentio Vuelphonum ſuperius frequenter facta eſt,in hoc loco generationem illam latius deſcribamus.

Hic ab alijs dicitur Lutherus Saxo, ſub hoc Cæſare cœpit Europa denuo iure ciuili ſcripto in iudicijs paſſim uti.

Stauffen,Otto habet Stoyphe.

Frid.monoculus.

Author uidit Vuelphonem.

In hoc itaq; genere,ſex Vuelphones leguntur fuiſſe,non ſimul,ſed ſibi in generatione illa ſuccedẽtes. Creduntur aũt uiri illi inclyti fuiſſe de gentibus illis,quæ ſub Valẽtiniano Impatore de Scythia erũpentes,diuerſas partes Germanię occupauerũt,& dominatũ obtinuerũt. Licet aũt eiuſdẽ generis tyrãni & nobiles in genealogia pręceſſerint,utpote Vuarinus et Ruothardus,qui beatum Othmarũ in inſula Rheni relegarũt,in qua hodie cõſiſtit monaſteriũ monachorũ, quod uocatur Staine. Primus tñ,de quo legiẽ,eius generis fuit quidã inclytus dictus Ethicho,qui genuit filiũ nomine Heinricũ,& filiã nomine Hiltegardã, quã Ludeuuicus Imperator duxit in uxorẽ. Factũ eſt aũt,dũ pręfatus H. moreretẽ,in curia iã dicti Imperatoris L. perſuaſu ipſius Imperatoris,& quorundam aliorũ,ipſi imperatori fecit hominiũ & ſubiectionẽ,& ab eo accepit iiij. millia manſuũ pro beneficio in ſuperiori Bauuaria. Quod cũ pater eius percepiſſet,exiſtimãs nobilitatẽ & libertatem ſuam nimis eſſe declinatã,ualde conſternatus eſt animo,& dolorem

De generatione Vuelphonum.

Vuelphones Schytæ.

Staine monaſterium.

Hominium.

Manſuum.

ſuum

ſuum exponens amicis ſuis, faciē filij amplius uidere noluit. Ipſe uero Heinricus
patri ſuo, prout decuit, reuerentiam in omnibus exhibuit, & neceſſaria abundan
Amergauu. ter largiri fecit ei reſidenti in uilla, quę dicitur Amergou, ubi & cellam monacho
rum conſtruxit, quam poſt mortem patris ſępe dictus Heinricus tranſtulit in lo-
Altēmünſter. cum qui dicitur Altenmunſter, à nomine S. Altonis ibi quieſcentis. Idem uero
Heinricus uxorem duxit de Bauuaria Beatam nomine, ex qua tres filios proge-
Conradus. nuit, uidelicet S. Chunradum, qui poſtmodum Conſtantienſis eccleſiæ Epiſco-
pus fuit, & eam multis prędijs ſuæ proprietatis ampliauit, & Ethiconem qui le-
Ethicho. gitimo matrimonio carens, ex quadem de miniſterialibus ſuis unam filiam pro
genuit. Tertium quoq; filium, uidelicet Rudolphum, habuit ſępe dictus Heinri-
Rudolphus. cus, qui Rudolphus accepit uxorem de Vningin, Itham nomine, cuius pater Cu
no nobiliſſimus comes fuit, mater eius extitit filia Ottonis Magni Imperatoris,
Richilint nomine. Dictus itaq; Rudolphus de præfata Itha uxore ſua duos filios
Lunun. progenuit, uidelicet Vuelphonem, qui primus hoc nomen accepit, & Heinricū,
qui apud uillam Lunum in uenatione ſaxo percuſſus, interijt. Gennit & filiam,
Richardam nomine, quæ poſtmodum moriens, in monaſterio Ebersberck ſe-
pulta eſt. Maritus nanq; eius ditiſſimus comes Bauuariorum, cum non haberet
Abbatiæ tres. hęredem, tres Abbatias conſtruxit, uidelibet Ebersberck, Giſenuelt, & Chubach.
Eberſberck. Vuelpho uero filius pręfati Rudolphi, duxit uxorē de gēte Salica, de caſtro Gliz-
Giſenfelt. berck, Imiza nomine. Hic eſt ille Vuelpho comes, qui aliquādo Imperatori Cun
Chübach. rado ſecundo, auxiliante ſibi duce Ernuſto, rebellauit. Auguſtenſem quoq; Epi-
ſcopatum, & Friſingenſem, in prælio quod habebat cum Brunone Anguſtenſi
Epiſcopo, attriuit, & plurimum comminuit: pro qua re tamen in fine ſatis fecit,
Nota. & uillas plurimas eiſdē Epiſcopatibus tribuit, in tantū quòd iudicio frigidę aquę
Iudicio aquæ frigidæ innocentiam ſuam probauit. Hic de præfata uxore ſua Imiza, genuit filium, cui
innocentiam probare nomē ſuum impoſuit Vuelpho, genuit & filiam Chunzam nomine, quam Az-
zoni ditiſſimo Marchioni Italiæ dedit in uxorem, in dote quoq; dedit eidem cu
Centum manſus. riam nobiliſſimam, quam habebat in Italia, Elſinam nomine, quam & ipſe ab
uxore ſua in dotem acceperat. Cuius curiæ mille & centū manſus ſunt, uno ual-
lo compręhenſi. Cuius filius Vuelphonis ſecūdi, Vuelpho tertius, uir per omnia
probatus, ducatum Carinthiorū, & Marchiā Veronenſem acquiſiuit, & ſtrenue
Vuelphonis faſtus cō rexit. Dicitur de eo ꝙ contemptum exhibuerit Heinrico Imperatori tertio, eo ꝙ
tra Imperatorem. cum idem Imperator conuocaſſet exercitum ſuum in Lombardiā, apud locum
qui uocatur Rungalle. Iſte tertius Vuelpho cum armatis militibus ſuis, quos ad-
duxerat cōtra uoluntatem imperatoris receſſit ab eo, & neq; minis, neq; promiſ-
ſionibus potuit detineri ab eo, quod ideo factum eſt, quia præfatum imperatorē
expectauerat in eodem loco per triduum ultra ſtatutum tempus, & neq; nunciū
neq; literas ſuas acceperat, quibus abſentiam ſuam excuſaret. Alio quoq; tempo-
re pręfatum imperatorē uerbis ſuis coegit, ut Veronenſibus remitteret mille mar
Vuelpho quartus, pri cas, quas ab eis contra iuſticiam extorquere uoluit. Iſte Vuelpho tertius, immatu
mus Bauariæ dux. ra morte pręuentus, ſine hærede deceſſit, & omnes poſſeſſiones ſuas eccleſijs diſ-
tribui mandauit. Sane mater eiuſdem hanc diſtributionem fieri non permiſit,
ſed potius de Italia reuocauit filium pręfati Azzonis nepotem ſuum Vuelphonē
quartum, eumq; hęredem omnium poſſeſſionum eiuſdem generis inſtituit. Hic
eſt ille Vuelpho quartus, qui primū ducatum Bauuariorum adeptus eſt, & mul-
ta magnifica peregit.

Temporibus quippe Heinrici imperatoris quarti hic extitit, & bona fide ei ad
hęſit, donec idem imperator multis facinoribus reus habitus, ſedi Apoſtolicæ ſe-
oppoſuit, et in mortem pręfati Vuelphonis, ut dicitur, quędam machinatus fuit,
Sifridus Aug. Epiſco extunc receſſit ab eo, & cum alijs Principibus Saxoniæ & Sueuiæ, eum impugna
pus capitur, uit. Hic etiam propter ſciſma, quod eiſdem temporibus extitit, Siphridum Au-
guſtenſem Epiſcopum ſciſmaticum captiuauit, & compręhenſum in uincula ie-
Ciuitates Auguſt. Fri cit, & in caſtro ſuo Rauensburg multo tempore cathenatum conſeruauit. Ciuita
ſingen. deſtruuntur. tes quoq; Auguſtenſem & Friſingenſem deſtruxit.

Accepit autem reginam Angliæ, tunc uiduam, filíam ſcilicet Balduuini nobi-
liſſimi

liſſimi comitis Flandriæ Iudithamin uxorem. Ex qua duos filios, Vuelfonem ſcilicet & Heinricum, quorum uterq; ducatum Bauuariæ alter poſt alterum poſſe derat, progenuit. Hic eſt ille qui primus eò quod fautoribus ſuis in tot commotionibus bellorum prædia ſua diſtribuendo paternos redditus comminuit, manus ſuas epiſcopis & abbatibus præbuit, & beneficia non modica ab eis recepit. Omnes poſſeſſiones Luitoldi comitis, quas in partibus iſtis habuit, præter illas quas in Zuuiuiltum ſanctæ Mariæ contradidit, cũ duobus caſtris, Achalmen & Vulnelingen, ipſo donante poſſedit. Patrimonium quoq; comitis Ottonis de Buochorn eo uiuente & bona uoluntate tradente, recepit & obtinuit. Deniq; cũ ad ſenilem ętatem perueniſſet, & Rattinbuochenſem eccleſiam conſtruere cœpiſſet, & ſatis copioſe ditaſſet, Altorfenſe quoq; monaſteriũ prædijs, decimis & mancipijs, necnon & eccleſiaſticis ornamẽtis abundantiſſime ditaſſet, alias etiã eccleſias ad ſe pertinentes aliquo modo melioraſſet, uolens Deo de exceſſibus ſuis difficiliorem ſatisfactionem exhibere, Hieroſolymitanũ iter arripuit. Quod in maximis perſecutionibus & periculis Vngariam & Græciam tranſiens, perſoluit. Sepulchrum enim Domini & alia ſancta loca, omnibus ſuis pene amiſſis uiſitauit: deinde ad reuerſionẽ ſe parans, Cyprũ adijt, ubi de hac uita decedens ſepultus eſt. Oſſa rũ eius poſtea inde ſublata, ad Altorfenſe monaſterium tranſlata & repoſita ſunt. Socij autem peregrinationis & laborum eius, uel interfecti, uel uiui Sarracenis, machinante perfidiſſimo Alexio imperatore, traditi ſunt. Inter quos Thiemo Iuuauienſis archiepiſcopus comprehenſus, & regi Memphеorum præſentatus, ad idololatriam angariatur. Ille fanum ingreſſus, animi & corporis uiribus robuſtiſſimus, idola quæ adorare debuit, non Deos, ſed opera manuum oſtendens, in fruſta comminuit. Ob hoc productus, exquiſitisq; ſupplicijs affectus, martyrio coronatus eſt. Itham marchioniſſam, matrem Luipoldi marchionis orientalis, quæ ſimiliter in eodem comitatu fuit; unus de principibus Sarracenorum rapuit; & impuriſſimo matrimonio ſibi copulauit, ex eaq; Sanguinum illum ſceleratiſſimum progenuit. Igitur Vuelfo V. eius nominis, ſenior inter filios præfati Vuelfonis, mortuo patre accipit ducatum Bauuariorum, & tam curiæ ſuæ largitate & honeſtate, q̃ finitimarum gentium, maximeq; Italiæ, bellis & honeſtatibus multa magnifice peregit. Accipit autem Mathildam nobiliſſimi ac ditiſſimi Italici marchionis Bonifacij filiam in uxorem, fœminã uirilis animi, quę ad inſtar fortiſſimi principis totam terram illam dominio ſuo ſubiugauit. Quam tamen poſtea, neſcio quo interueniente diuortio, repudiauit. Deniq; omnibus bene compoſitis, morbo correptus in uilla Chufringin, diem clauſit extremum: & in Altorf deportatus, iuxta patrem & matrem ſepultus eſt. Heinricus frater eius ducatum & omnia quę illius erant, obtinuit, & potenter ditioni ſuæ ſubiugauit. Accepit autem uxorem de Saxonia, filiam Maginonis ducis & Sophiæ ſororis regis Vngariæ Colomanni, Vulfhildem nomine. Ex qua præter illos quos infra annos ſinus cœleſtis patriæ ſuſcepit, tres filios, Chunradum, Heinricum, Vuelfonem, & quatuor filias, Iuditham, Sophiam, Mathildam, Vulfhildam progenuit. Iuditha nupſit Friderico Sueuorum duci, quę Fridericum imperatorem noſtrum, & uxorem Mathæi ducis Lotharingiæ progenuit. Sophiam Bartholdus dux de Zaringin, & eo mortuo Luipoldus marchio de Stiria in uxorem accipit. Mathildis primo Diepoldo filio Trepoldi marchionis de Voheburch, poſtea eo mortuo, Gebehardo de Sulzebach copulata eſt. Vulfhildim Rudolphus Bregantinus comes duxit. Chunradus in clericum ordinatus, cum ſub puerilibus annis domi literarum ſtudijs informaretur, tempore maturo Colonienſi archiepiſcopo altiori ſtudio & diſciplina clauſtrali educandus committitur. Vbi in utroq; tantum profecit: ſed & alijs uirtutibus uitia declinans, tantum exornauit, ut ab omni & clero & populo amaretur, ab omnibus ſummo honore dignus iudicaretur. Ipſe uero honores, diuitias, laudem humanam fugiens, quibuſdam ſe monachis ſociauit, cũ quibus omnibus ſuis ignorantibus, Clareuallenſe monaſterium adijt, ibiq; ſe monachum fecit. Deinde procedente tempore Hieroſolymam petijt, ubi cuidam ſeruo Dei in heremo

Vuelfõnis quarti filij; Vuelfo, et Heinricus.

Zuuiuiltum.

Patrimoniũ comitis Ottonis de Buochorn.

Vuelfõnis 4. profectio ad ſepulchrum Domini.

Thiemo archiepiſcopus martyr.

Itha marchioniſſa.

Vuelfo quintus.

Heinricus frater Vuelfonis quinti.

Bertholdus de Zeringen.

Hohenburg. Sulzbach.

Nota. A pud epiſcopos clauſtralis diſciplina.

manente adhæſit, eiq́ cum omni humilitate neceſſaria adminiſtrauit. Tandem ſentiens ſe quadam infirmitate tactum, de reuerſione cogitauit: & ingreſſus na-
Alij Pataram. uem, Baram ciuitatem ſancti Nicolai peruenit. Vbi beato fine diem ultimum clauſit, honorificeq́ ſepultus, ibidem requieſcit.

Circa idem tempus pater quoq; eius & mater, pater in caſtro Rauensburch, mater in Altorf XVI. die poſt mortem mariti, obierunt, & in monaſterio ſancti
Nuptiæ Henrici cum filia Lotharij. Martini ſepulti ſunt. Heinricus uero, defuncto patre, ducatum eius adeptus eſt. Hic eſt Heinricus ille, de quo ſupra dictum eſt, frater Vuelfonis nouiſſimi, qui filiam Lotharij accepit uxorem, & nuptias cum ea apud Auguſtam ciuitatem, con
Concio Legum, locus Auguſtæ. uocatis ferè omnibus principibus, magnifice celebrauit, in loco qui dicitur concio legum. Quo facto, uenit ad imperatorem Lotharium ſocerum ſuum apud ciuitatem Nurenburg, & ibi ducatum Saxoniæ, & omnia beneficia quæ imperator ab epiſcopis & abbatibus habuit, in beneficio ſuſcepit: & ibidem pollicetur eidem imperatori auxilium, contra præfatum F. & Chunradum fratrem eius. Licet autem in Bauuaria haberet bellum contra quendam nobilem Fridericum, Ratiſponenſis eccleſiæ aduocatum; cuius etiã caſtrum fortiſſimũ Falchenſteyn obſidione cinxit: relictis tamen in obſidione militibus, feſtinauit ſocero ſuo uenire in auxilium.

Lotharius Spiram obſidet. Imperator quippe Lotharius eo tempore obſederat Spiram ciuitatẽ, eò quod ciuitas illa faueret Friderico & Chunrado ducibus; ad cuius auxilium adduxit milites DC. aut amplius, quos tamen ultra Rhenum apud ſe prope collocauit, ut impetus & irruptiones F. ducis præcaueret. Fridericus tamen dux, utpote uir armis ſtrenuus, quadam nocte in caſtra ipſius irruit. Sane Heinricus premonitus fuerat, armis, & equitaturis inſtructus, ad fugam illum compulit, & ita fugientẽ
Spirenſes redeunt in gratiam imperatoris illum uſq; Gruoningin inſequitur. Deinde mediante Mogontino archiepiſcopo, Spirenſes in gratiam imperatoris redeunt. Caſtrum quoq; ſupradictũ Falchenſteyn à duce H. in Bauuariam regreſſo capitur. Non multo poſt F. dux me-
Altorff. mor priſtinæ iniuriæ, Altorf & Rauensburg armata manu inuaſit, ubi quoſdam
Rauenſperg. captiuauit, & uillas circunquaq; & Memingin incendio uaſtauit. Sequenti uero
Memmingen æſtate H. dux cum exercitu copioſo fines F. ducis ingreſſus, à uilla Tuogendorf,
Tügendorff. quæ eſt in ripa Danubij, incipiens, & ultra Stouphen perueniens, omnia circun
Stauffen. quaq; in tranſitu & in reditu incendio & præda deuaſtat. Poſt hæc rediens in Bauuariam, bella plurima peregit, uidelicet, contra epiſcopum Ratiſponenſem Heinricum nomine, unum de nobiliſſimis Bauuariæ, patruum Ottonis comitis de Vuolfratehuſen, & contra ſupradictum Fridericum aduocatum Ratiſponen-
Luipoldus Marchio orientalis. ſem & dictum Ottonem de Vuolfratehuſen. Hi quoq; in auxilium ſuum habuerunt Luipoldum Marchionem orientalem: qui omnes, congregato copioſo exercitu, caſtra iuxta Iſaram fluuium poſuerunt, ut attentarent ducem de finibus
Otto Palatinus de Vuitilinsbach. illis expellere: cæterum dux acies ſuas ordinauit econtra. Cumq́ pugnam inire debuiſſent, Otto Palatinus de Vuitilinsbac conſiderans periculum utriusq; partis, mediatorem ſe interpoſuit: & ſiue minis, ſiue promiſſionibus ſæpe dictum Fridericum aduocatum conſobrinum ſuum, & Ottonem comitem generum ſuum ad hoc induxit, ut in poteſtatem ducis ſe traderent, & caſtrum Vuolfratehuſen, quod milites ducis dudum obſederant. Dux itaq; ipſum Ottonem comitem cuſtodiæ militum deputatum abduxit, & caſtrum cum ædificijs incendit. Poſtmodum quoq; epiſcopus Ratiſponenſis in gratiam ducis redijt, & comitatum quem habet epiſcopatus Ratiſponenſis circa Enum fluuium, ei in beneficio conceſſit: ſicq; factum eſt, ut bella quieſcerent in Bauuaria. Lotharius quoq; imperator eo modo confortatus eſt in imperio: nam & ſupradictus C. qui ei aduerſabatur in imperio, à facie eius ierat in Italiam, ut aduerſitates ſibi ſuſcita-
Cunradus et Fridericus duces, interuentu beati Bernhardi redeunt in gratiam imp, ret ibidem. Sane interuentu beati Bernhardi abbatis Clareuallenſis, dicti duces C. & F. in gratiam imperatoris recepti ſunt, in generali curia Babenberg habita, ſicq; pax firmata eſt. Eo quoq; tempore ſedes Apoſtolica malis non caruit: nam Petrus Leonis contra Innocentium papam ſecundum ſe erexerat. Ideoq́ Innocentius de ciuitate egreſſus, in Francia & partibus Galliæ plærunq;

demoraba-

demorabatur,habensin comitatu ſuo præfatum Bernhardum,ſicut legitur in uita eiuſdem abbatis. Eo quoq; tempore ipſe papa adijt imperatorem Lotharium apud Leodium,petens ab ipſo fauorem & auxilium contra prædictum Petrum & ſuos fautores.Sane imperator uſus conſilio ſuper huiuſmodi reſponſo, cœpit à papa repetere inueſtituras epiſcoporum,quas multo tempore imperatores ante ſe habuerunt. Ideoq; apoſtolicus non modicum eſt turbatus,& de aduentu ſuo eſt contriſtatus,de reditu quoq; anxius effectus.nam petitionem principis exaudire non poterat ſuper tali articulo,pro quo eccleſia tot mala ſuſtinuerat. Interueniente tamen conſilio & orationibus beati Bernhardi,ſecurus receſſit ab imperatore.Poſt hæc imperator mouit expeditionem in Italiam iam ſecunda uice:in qua expeditione præfatus Heinricus dux mille quingentos milites duxit in Italiam:& cum imperatore in citeriore Italia Gardam & Gariſtallum caſtra cepit, quæ etiam in beneficio ſuſcepit.Eo tempore Mediolanenſes et Cremonenſes diuturnum bellum inter ſe habentes, cauſam Vuerræ coram imperatore exponunt.Cremonenſes uero,à principibus Italiæ,tanq; habentes iniuſtam cauſam hoſtes iudicantur,proſcriptiq; diſcedunt:quos ipſe imperator ſub ſequutus,territoria eorum ac uillas ſeu caſtella deſtruxit. Indeq; Papiam ueniens,ciues illos pactione pecuniæ in gratiã ſuſcepit:ubi & Otto comes de Vuolfratehuſen uita priuatus occubuit.Bononienſes quoq; & Aemilienſes ſupplices, duce interueniente,recepit.Poſt uſq; ad Taurinum progrediens,totam citeriorem Italiam ſine ferro ſubegit.Inde Appenninũ tranſiens imperator,Anconam, Spoletum,cum alijs urbibus ſeu caſtellis ulterioris Italiæ in deditionem accepit. Deinde contra Rogerium aciem dirigens.Campaniam & Apuliam peragrauit. Porro H.per Thuſciam exercitum duxit,quam & ab imperatore in beneficio obtinuit.Romamq; ueniens,ſummo pontifici Innocentio uſq; ad imperatoré conductum præbuit:Suburbia Albæ ciuitatis ſibi reſiſtere nitentis,expugnauit ac deſtruxit. Beneuentum cepit ac papæ reſtituit.Imperatori non longe à Barra cum ſummo pontifice obuiam uenit,ibiq; caſtrum quoddam,ubi præſidia Rogerij fuerant,artificioſe ualde expugnauit:militesq; in eo repertos,& præcipue Sarracenos,patibulo ſuſpendit. Poſt eiecto de Campania & Apulia Rogerio,Reginaldo uero uiro forti ac nobili ducatu Apuliæ commiſſo,de reditu diſponunt. Igitur de Italia per Tridentinam uallem redeuntes,imperator morbo correptus in ſylua quæ eſt inter Enum & Licum ſub uiliſſima caſa xiij. regni ſui anno obijt: ac inde per Auguſtam & oriontalem Franciam in Saxoniam deportatus,in monaſterio ſuo Luther honorifice ſepelitur.

Imp. Lotharius à papa repetit inueſtituras epiſcoporum.

Mediolanenſium & Cremonenſiũ bellum

Lotharius Italiam ſine ferro ſubegit.

Barra.

Lotharius Imperator obijt, & in Luther ſepelitur.

Luther monaſterium Saxon. Otto Friſin. lib. 7. ca. 20. Actusq; eius in plumbeis laminis deſcripta, iuxta eum reconduntur.

Huius Lotharij quidam ſcriptor mores his uerbis deſcribit. Erat,inquit,uir ille ſtrenuus belli ductor,precipuus in armis,prouidus in conſilio,terribilis inimicis Dei & ſanctæ eccleſiæ,ueritatis amicus,iuſtitiæ ſocius,iniuſtitiæ inimicus, cuius probitas patuit in Sicilia,uiguit in Saxonia: qui quamdiu uixit,totum Romanum imperium,quod eius cuſtodiæ deputatum fuerat,titubare non potuit. Hic expulſo Petro Leonis, Innocentium papam manu forti,inuitis hoſtibus & aduerſarijs,in ſede ſancta reſtituit:ab eo quoq; reſtituto, conſecrationem imperialem accepit. Huius temporibus magiſter Gratianus canones & decreta,quæ uarijs libris erant diſperſa,in unum opus compilauit,adiungensq; eis interdum autoritates ſanctorum patrum,ſecundum conuenientes ſententias, opus ſuum ſatis rationabiliter diſtinxit.Eiſdem quoq; temporibus dominus Vuernerius libros legum,qui dudum neglecti fuerant,nec quiſquam in eis ſtuduerat,ad petitionem Mahthildæ comitiſſæ renouauit.& ſecundum quod olim à diuæ recordationis imperatore Iuſtiniano compilati fuerant,paucis forte uerbis alicubi interpoſitis,eos diſtinxit.in quibus continentur inſtituta prefati imperatoris,quaſi principium & introductio iuris ciuilis.Edicta quoq; prætorum & ędilium curulium,quę rationem & firmitatem pręſtant iuri ciuili, hęc in libro Pandectarum,uidelicet,in Digeſtis continentur. Additur quoq; his liber Codicis,in quo imparatorum ſtatuta deſcribuntur. Quartus quoq; liber eſt Autenticorum,quẽ prefatus Iuſtinianus ad ſuppletionem & correctionem legum imperialium ſu-

Gratiani decreta.

Vuernerij libri legũ.

Inſtituta Iuſtiniani.

Libri pandectarum.

Codex.

Autentica.

b ij peraddidit

Bernhardus. *Norbertus.*

peraddidit. Claruerunt etiam illis temporibus uiri uenerabiles, ſanctus Bernhardus Clareuallenſis abbas, qui in multa facundia poſtmodum librum ad Eugenium papam conſcripſit, & contra Petrum Baiolardum hæreticum firma diſputatione contendit. Beatus quoq; Norbertus inſtitutor Præmonſtratenſis ordinis, in eccleſia Magdeburgenſi, quam Parthenopolim uocant, archiepiſcopus extitit: ipſeq; cum imperatore in expeditione Romam iuit, indeq; reuerſus infirmitate correptus, breui tempore poſt, curſum præſentis uitæ compleuit.

ANNI LOTHARII.

Honorius papa. *Innocentius papa.* *Petrus Leo ſeptē annis apud Germanos.* *Auguſta combuſta.* *Vrſpergenſis eccleſia.*

ANno Domini mill.cxxvi. Lotharius electus rex eſt. Maxima quoq; inundatio aquarum facta eſt circa Romã in feſtiuitate ſancti Eleutherij. Anno Domini milleſimo cxxvij. Chunradus inſurgit contra Lotharium. Anno Domini milleſimo cxxviij. Chunradus in Italiam fugit. Anno domini milleſimo cxxix. Anno Domini milleſimo cxxx. Honorius papa ij. obijt, cui Innocentius ij. per electionem canonicam ſucceſſit: ſed propter intruſionem Petri Leonis, cui fauebat multitudo Romanorum, ſedem ſuam obtinere nõ potuit, ideoq; in Franciam ſe contulit, ubi concilio Remis habito cum multis epiſcopis, præfatum Leonem & ſuos fautores excommunicauit, ſicq; in partibus Germaniæ uſq; ad ſeptimum annum permanſit. Sedit autem annos xiij. menſes vij. Sub iſto papa uigere & creſcere cœperũt ordines Ciſtercienſis & Pręmonſtratenſis. Anno Domini milleſimo cxxxi. Anno Domini milleſimo cxxxij. Auguſta combuſta eſt. Anno Domini milleſimo cxxxiij. Eclipſis ſolis facta eſt. Anno Domini milleſimo cxxxiiij. Norbertus archiepiſcopus obijt. Anno Domini milleſimo cxxxv. Huch abbas Præmonſtratenſis primus poſt Norbertũ, hoc anno accepit priuilegium ab Innocentio ij. papa. Hoc etiam anno Vrſpergenſis eccleſia, quæ iam x. annis fundata conſtiterat, accepit priuilegium ab eodem papa. Anno Domini mill.cxxxvi. Lotharius iuit in Apuliam, in qua expeditione H. dux frater Vuelfonis duxit mille quingentos milites. Eodem anno Heinricus filius eiuſdem ducis, pater Ottonis, poſtmodum per breue tempus regnantis, in Pentecoſte baptizatus eſt. Anno Domini mill.cxxxvij. Innocentius papa reſtitutus eſt in ſede ſua. Anno Domini milleſimo cxxxviij. Lotharius rex obijt in autumno ſine filijs. Dux uero H. in cuius finibus obierat, regalia reſeruauit, ut in generali conuentu principum, qui in proxima pentecoſte Mogontiæ condictus fuerat, præſentaret. Quidam autem ex principibus timentes, ne forte in generali curia H. dux, qui tunc præcipui & nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam pręualeret, circa mediam quadrageſimam conſilio habito in oppido Rheni Confluentia, conuentum celebrant, ibiq; Chunradum fratrem F. de quo ſupra diximus, præſente Theodeuuino epiſcopo cardinali regem creant.

Chunradus Friderici frater in regem eligitur Conſtantiæ, ubi Moſella in Rhenũ influit. Otto lib. 10. ca. 22. de geſtis Friderici

HISTORIA CHVNRADI REGIS.

Comitia Babẽbergæ. *Heinrici caſtra ſuper Licum.*

ANno Domini milleſimo cxxxix. Ab urbe condita mill. Dccccxci. CHVNRADVS pręfatus xc. loco ab Auguſto regnum accepit, regnauitq; annis xiiij. Huic primum Saxones & dux Heinricus, alijq; qui eius electioni non interfuerunt, reſiſtunt, calumniantes eum non legitime, ſed per ſurreptionem electum fuiſſe. Quibus omnibus in proxima pentecoſte generalis curia Babenberg indicitur. Quo Saxones omnes ſimul cum uiduata imperatrice Richinza uenientes, ultro ſe Chunrado regi ſubdidere. Heinricus dux regalia ſeruans aberat, ad quæ reddenda in feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli dies ei Ratiſponę præfigitur. Quo ueniens, regalia quidem multis illectus promiſſis reddidit: ſed ad ea quæ ulterius inter eos tractanda erant, dies ei breui poſt Auguſtæ præſcribitur. Quo ex condicto aſſumptis fidelibus ſuis & milite non modico uenit, ac ſuper Licum ex oppoſito ciuitatis, rege ciuitatem tenente, caſtra poſuit.

Internuncij

Internuncij autem ac mediatores ad hanc cauſam prenominati, per triduum huc ac illuc ſępius tranſmeantes, nihil profecerunt: rex enim non aliter compoſitionem fieri uoluit, niſi dux quędam de his quę à Lothario imperatore ſucceperat ac poſſederat, reſignaret. Quod cum dux renuiſſet, ac ſe potius dubię ſorti ſupponi elegiſſet, colloquium infecto pacis negotio diſſolutum eſt. Rex ergo metuens aliquid in ſe machinari, dum peracta cœna, cubitum ſe ire ſimularet, adductis clam equitaturis cum paucis ciuitatem, nulli de principibus ualedicēs, exiuit, ac militem ſuum reliquū in magno diſcrimine relinquens, Herbipolim peruenit, ubi iudicio quorundam principū dux proſcribitur, ac in proxima natiuitate Domini in palatio Goslarienſi ducatus ei abiudicatur. Dux quoq; in ſubſequenti die poſt egreſſum regis de Auguſta, ſuis, prout poterat prope diſpoſitis non multis comitatus in Saxoniam properat. At rex ducatum Saxonię Alberto Marchioni conſobrino eiuſdem ducis, Noricū uero poſt in Bauuariam ueniens, Luipoldo filio Luipoldi Marchionis fratri ſuo ex parte matris tradidit.

Chun. fugit Herbipolim.

Heinricus ergo dux Saxoniam ingreſſus, cū caſum & miſerias ſuas fidelibus & amicis ſuis exponeret, ad rebellandum eos imperatori & Alberto excitauit. Vnde in breui eundem Albertum auxilio eorum, necnon & ſuorum qui de Bauuaria & Sueuia occulte eum inſecuti ſub ſpecie peregrinationis terram intrauerant, adeo humiliauit, ut caſtris eius dirutis, terris circunquaq; uaſtatis, ad regem auxilij gratia ire compelleret. Interea Luipoldus Marchio ſuſcepto à rege ducatu Norico, omnibus pene baronibus ad ducatum pertinentibus, amore ſeu terrore ad ſe confluentibus, primo Ratiſponam ditioni ſuæ ſubdit. Poſt collecto milite, ſuperiores partes Bauuariæ uſq; ad Licum pertranſiens, amiſſis aliquot de ſuis, feſtinanter reuertitur. Non multo poſt Heinricus dux dum in Saxonia omnibus ſuis rite diſpoſitis, in Bauuariam redire diſpoſuiſſet, morbo correptus diem clauſit extremum, ac in monaſterio Luther iuxta ſocerum humatur. Quo mortuo, Saxones amore filij ſui paruuli, quem eis adhuc uiuens commendauerat, regi denuo rebellant. Luipoldus uero ducatum Noricum exhinc ſe potenter habere cōfidens, dum in obſidione caſtri Valeia, duorum fratrū, qui in parte ducis H. ſteterant, incaute moraretur, Vuelfo ducis eiuſdē frater, collecto milite ſuperueniens, fortiſſime pugnando, cæſis ex utraq; parte pluribus, multis captis, Luipoldum ignominioſe fugere coegit. Ipſe enim Vuelfo præfatum ducatū iure hæreditatis ad ſe ſpectare proclamans, dum iuſtitiam apud regem impetrare nō poſſet, ad rebellionem ſe parat. Ob hoc rex circa idem tempus caſtrum eius Vuinesſberg obſedit. Quem Vuelfo collecto milite, in proxima hebdomada natiuitatis Domini, dū incaute pugna aggredi attentat, amiſſis aliquot, multis captis, cum paucis fugitē prælio. Non multo poſt Luipoldus moritur, eiq; in marchiam frater ſuus Heinricus ſucceſſit. Cui rex Saxoniam ingreſſus, pacemq; cum Saxonibus faciens, uiduam H. ducis in uxorem dedit, eiq; ducatum Noricum conceſſit. Quæ res maximæ diſcordiæ ſeminarium fuit. Vuelfo enim, ut dictum eſt, eundē ducatum impetens, extemplo armata manu ſub oculis eiuſdem Henrici partes illas ingreditur: cunctiſq; circunquaq; uaſtatis, regreditur. Ob hoc Henricus ille inflammatus, coadunato milite, fines illorum, qui Vuelfonis fautores erant, ingreſſus, munitiones illorum & uillas deſtruxit. Cui dum Vuelfo, reſtaurato milite, occurrere parat, audito quod rex ſuberuenturus eſſet, ceſſit. Porro Henricus ille ſimul cum rege caſtrum Tachouue, ſcilicet comitis Chunradi, qui ex parte Vuelfonis erat, obſidione claudit: uaſtatiſq; in circuitu uniuerſis, adiutorio regis ad deditionem coegit, ac igne ſuccendit. Sic tota illa prouincia in maximo bellorum diſcrimine laborabat. Interea Rogerius rex Siciliæ audiens huiuſmodi conflictationes inter Vuelfonem & regē, timens ne forte ceſſante Vuerra, Cunradus rex Italiam intraret, ac eadem quæ à Lothario, ab eo quoq; perpeſſurus eſſet, Vuelfonem aduerſus eundem muneribus illectum incitat: ſingulisq; annis mille marcas ſe ob hoc daturum iuramento confirmat. Item quoq; rex Vngariæ eundem Cunradum metuens, Vuelfonem ad ſe accerſiuit: dataq; pecunia non modica, ac deinceps omni anno dandam pollicens, ad rebellandum nihilomi-

Henr. cōtra Albertū.

Henr. dux moritur, et in Luther ſepelitur.

Vuel. fugat Luipoldum.

Vuineſperg Otto libro 7. cap. 5.

Bellum inter regem & Vuelphonem.

Seminarium maximæ diſcordiæ.

Rogerius Siciliæ rex Vuelfonem muneribus cōtra regem prouocat.

Idem agit rex Bohemiæ.

nus inſtigat. Vuelfo itaq; ſtrenui militis exercens officium, modo in Buauaria, modo in tranſalpinis partibus Sueuiæ, modo circa Rhenum, tot tempeſtates bellorum mouit, ut regem potius ad defenſionem ſui, quàm ad exteratũ nationum inuaſiones excitaret. Circa has tempeſtates gens Francorum cum rege ſuo Ludouico, gens quoq; Teutonicorum cum rege ſuo Chunrado, ac alijs principi-

Profectio Hierosolymitana

bus, Friderico duce Sueuiæ, poſtea imperatore, epiſcopis, comitibus, ſeu alijs cuiuſcunq; conditionis hominibus, querimonia tranſmarinæ eccleſię Hieroſolymitanum iter aggrediuntur. Quod & Vuelfo ducẽ, licet nondum ſedata guerra, ire compulit. Bernhardus nanq; ſupra nominatus Clareuallenſis abbas, &

D. Bernhardus inſtigator huius profectionis.

alij uiri religioſi, ad prædicationem eiuſdem itineris firmiter inſiſtebant. Egreſſi itaq; anno Dominicæ incarnationis milleſimo cxlvij. per Vngariam & Græciam innumerabilem exercitum ducunt. Qui totus pene, exceptis principibus, ſeu alijs plus cautis, uel inedia, uel aeris intemperantia, uel ciborũ inſolentia, uel

Cõradus Vuelfoni benefacit.

Sarracenorum inuaſione, infecto negocio, interierunt. In hoc ergo laborioſo itinere Chunradus rex commilitoni ſuo Vuelfoni (ſic enim eum nominare ſolebat) ſæpiſſime in neceſſitate ſubueniebat: ac de omnibus quæ à regio fiſco Conſtantinopolitani imperatoris ſibi offerebantur, partem illi tradebat.

Vuelfo redit.

Deniq; Hieroſolymam ueniẽtes, cum alij procinctum ſub rege C. contra Damaſcum mouerent Vuelfo infirmitate captus, ac in deſperatione poſitus, ad reuerſionem ſe parat. Tranſito igitur mari, conualeſcens Siciliam attingit, ubi Rogerius eum cum magno domus ſuæ tripudio ſuſcipiens, ac honorifice dimittens, iterum ad rebellandum regi maximis muneribus illectum incitat. Igitur reuerſus in proxima hyeme circa Purificationem ſanctæ Mariæ, collecto milite, fines regis inuadit, ac caſtrũ eius Flochberg forti impugnatione ſollicitans, dum in reuerſione militem nimis diffuſe & incaute duceret, à militibus regis circumuentus, ac congreſſione inita cum paucis, alijs circunquaq; diffuſis, plus ex infortunio quàm ex inſtantia belli, milites Vuel. fugam arripiunt, plurimisq; captis,

Guerra inter Vuelfonem & regem finitur.

nullo occiſo, ignomsnioſe reuertuntur. Ac ſic guerra diu anxie inter ipſum & regem agitata, finita eſt. Nam F. qui poſtmodum fuit imperator, fratruelis regis & filius ſororis prędicti Vuelfonis, medium ſe ad compoſitionem faciendam interpoſuit: captiuosq; duci reddi, ac regem de cætero ſecurum penes illum eſſe, prouida deliberatione cõfirmauit. Rex ergo accepto conſilio Vuelfoni aliquos

Conradus in monaſterio Lorch ſepultus.

redditus de fiſco regni cum uilla Merdingen conceſſit: ac ſic firmata pace, ipſe rex relicto filio paruulo Friderico, in breui poſt uita deceſſit, ac in monaſterio Loracenſi eſt ſepultus, & F. fratrueli ſuo ſedem regni reliquit. Statuens cum eodem ut filio ſuo cum ad annos perueniret, ducatum Sueuię concederet.

ANNI CHVNRADI.

Innocentius.

ANno Domini milleſimo cxxxix. qui eſt primus Chunradi regis, Innocentius papa, facta plenarie ſynodo, ut quidam dicunt ferè mille epiſcoporum, mediante quadrageſima, totam partem Leonis condemnauit, cum ordinatione illius.

Eodem anno idem papa perrexit contra Rogerium Siculum ducem Apuliæ, cum exercitu Romanorum: ſed cum ſuis, præter quos fuga cepit, captus eſt ab eo, menſe Iulio, die xxiiij. Eodem anno Heinricus dux in Saxonia moritur, & in Luther ſepelitur. Anno Domini milleſimo cxl. Dedo Reatinus epiſcopus

Vuelfo uincit Luipoldum.

effectus eſt. Eodem anno Vuelfo dux Luipoldum ducem Bauariæ in Idibus Auguſti pugna iuxta caſtrum Valeium aggreſſus uicit. Ipſe uero in eodem anno in feſto ſancti Thomæ à rege Chunrado apud Vuinsberg deuictus eſt. Anno Domini milleſimo cxxi. Anno Domini mill. cxxij. Reatę maxima mortalitas fuit. Anno Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo tertio, Innocentius papa obijt, cui Celeſtinus ſecundus ſucceſſit, genere Tuſcus, ſedit menſes v. dies xiij. Anno Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo quarto, Celeſtinus papa obijt, cui Lucius ij. ſucceſſit: ſedit menſes v. dies xij. Anno Domini milleſimo

centeſimo

centeſimo quadrageſimo quinto incipiente, in ipſa ſacroſanctę natiuitatis Chriſti ſolennitate, lugubre & miſerabile ex peccato Chriſtiani populi accidit in Oriente piaculum. Sanguinus enim Halapenſis Syriæ ac Meſopotamiæ, excepta Antiochia & Damaſco princeps, Perſarum uero & Medorum regis, ſeu Soltani ſubditus, Ediſſam quæ nunc Rohas dicitur, unicum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ pro magnitudine ac abundantia ſui refugium, cum infinita Sarrecenorum multitudine circundedit, ac in ipſa, ut dixi, natiuitate Domini irrupit, cunctis ibidem cum urbe Chriſtianis in ore gladij occiſis, uel miſerabili captiuitate in ſeruitutem redactis, Eccleſias Chriſti, & præcipue beatæ Mariæ ſemper uirginis baſilicam, & eam, in qua Thomę Apoſtoli corpus recõditum eſt, ad ſaluatoris noſtri ignominiam intro ferens ea quæ non licebat, fœde polluit, noſtriſq; penitus exterminatis, Sarracenos ibi ad habitandũ collocauit. Eodem anno Lucius Papa obijt. Cui Eugenius tertius, natione Piſanus ſucceſſit: ſedit annos octo, menſes quatuor, dies uiginti & unum. Anno Domini Milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto. Anno Domini Milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo. Expeditio magna facta eſt Hieroſolymam, in qua, ut prædictum eſt, Cunradus rex, & rex Francorum Ludouuicus, & Vuelpho, & Fridericus tunc dux Sueuorum, qui poſtmodum factus eſt imperator, cum multis alijs iuerunt. Anno Domini Milleſimo centeſimo quadrageſimo octauo. Anno Domini Milleſimo centeſimo quadrageſimo nono. Anno Domini Milleſimo centeſimo quinquageſimo, quarto Nonas Semptembris. Reatina ciuitas, poſt longam obſidionem à Rogerio rege Siciliæ deſtructa eſt. Anno Domini Milleſimo centeſimo quinquageſimo primo. Anno Domini Milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo. Cunradus rex obijt.

Lugubre martyrium Chriſtianorũ in Ediſſa ciuitate.

Expeditio Hieroſolymitana.

FRIDERICVS PRIMVS, DICTVS BARBAROSSA. XX. Germanorum Imperator.

ANNO Domini Mclij. ab urbe condita, MDccccv. Fridericus huius nominis primus xci. loco ab Auguſto regnum accepit, magis ex delegatione patrui ſui, ꝗ ex electione Principũ. Erat aũt uir armis ſtrenuus, acer animo, exercitatus in bellis, corpore robuſtus, in conſilijs prouidus, in negocijs peragẽdis uirilis, affabilis manſuetis, ſuperbis reſiſtens, ingenio ſubtilis, memoria excellentiſſimus. Quorumcunq; enim hominum uultus uel perſonas ſemel agnoſcebat, etiam poſt multa interſtitia temporum, ſi ad eum rurſus ueniebãt, citiſſime eos nominatim ſalutauit, ac ſi quotidie cũ eo morati fuiſſent. Erat quoq; ſtatura mediocris, magis tamẽ longa ꝗ breui, pectore plenus, & ut dictũ eſt, corpore robuſtus, facie ſatis elegãti, barba & capillo rufo. Huic imperiũ ceſſit, eo ꝙ prefatus Vuelpho, auũculus eius, & alij Principes Alemannię, proxima linea conſanguinitatis eum attingerẽt. Et ideo ꝙ cũ ex nominis ſui interpretatione, pacis diues uocitaretur, inter Principes Alemanniæ ſtuduit pacem potiſſimũ reformare, ut ad expugnandas maxime Italicarũ gentium uirtutes bellificas, poſſet efficacius inſiſtere. Regnauit aũt annis xl. parum minus. Hic in tribus annis primis pacẽ reformauit inter principes Alemannię, quę ualde turbata fuerat, propter ducatũ Bauuarię & Saxonię, ſicut ſupra deſcriptũ eſt. Fuit aũt Heinricus iunior de Saxonia fratuelis Vuelphonis filius auunculi ſui. Heinricus uero de Auſtria, frater Luipoldi, de quibus ſupra dictum eſt, filius patrui ſui. Auia quippe ipſius, cuius mentionẽ ſupra fecimus, cum in Sueuia genuiſſet duos filios, Conradũ uidelicet regẽ, & Fridericũ ducẽ, mortuo marito, nupſit Luipoldo Marchioni Auſtriæ & Styrię, ex quo tres filios, ſiue quatuor, ut quidã dicunt, ſuſcepit, uidelicet Luipoldũ, qui primus inijt certamen pro ducatu Norico, ſed hic immatura morte præuentus eſt, & fratri ſuo Heinrico idem certamen reliquit. Genuit quoq; Conradum, qui poſtmodum fuit Archiepiſcopus Iuuauiæ, quam uocãt Saltzburg, & Ottonem, qui fuit epiſcopus Friſingenſis, qui & Chronicam conſcripſit, & uſq; ad tempora huius Friderici perfecit.

De hoc Fride. Aeno barb. ſcripſit Otto li. 2. & Radeuicus Canonic. Friſing. lib. 2.

Dotes Friderici.

Vuelpho auunculus Friderici.

Fridenreich, pacis diues.

Regnauit Auguſtiſſime 37. annis.

Luipoldus.

Heinricus.

Conradus.

Iuuauia, nunc Saltzburga dicta, Baioariæ Metropolis.

Otto.

Hæc libuit ex Ottonis Friſingenſis Chronico adijcere in uſum lectoris candidi.

ALBERTVS FRATER ERNESTI DVCIS
Sueuorum, hic Auſtriam ab Hungarorum armis uendicauit:

Leopoldus in nuptijs Heinrici tertij Imperatoris mortuus, & ſepultus Treueris eſt.

Erneſtus occiſus in bello contra Heinricum IIII.

LEOPOLDVS SECVNDVS
Itha filia Heinrici Imp. uxor.

LEOPOLDVS TERTIVS.
Agnes filia Heinrici quarti, & ſoror Heinrici quinti, quæ prius Friderico Sueuorum duci nupſit, ex eoq; Fridericum & Conradum genuit.

LEOPOL. IIII. *factus à Conrado rege dux Baioariæ, ſepultus in Auſtria, in Monaſterio S. Crucis, ordinis S. Bernhardi.*	*Heinricus natu maior, recepit Gertrudim filiam Lotharij ſecundi Imp. relictam Heinrici ducis Baioariæ. Hic fuit creatus primus dux Auſtriæ, à Friderico primo, & monaſterium Viennæ erexit, quod uocatur Scotorum.*	*Conradus Epiſcopus Saltzburgenſis.*	*Otto Friſingen.*	*Gertrudis uxor ducis Bohemiæ.*	*Bertha uxor ducis Poloniæ.*	*Iuditha uxor Marchionis montis Ferrati.*

LEOPOLDVS QVINTVS,
Auia eius fuit Agnes, filia Heinrici quarti, Proauia Itha.

Mediante igitur Imperatore, cōpoſitio ſuper ducatu Norico facta eſt. Hoc modo, ut Heinricus de Saxonia ducatum Bauuariæ reciperet, quem & pater & auus ſuus habuerant. Heinricus uero de Auſtria, cum ante ſuſceptū ducatum eſſet tantum Marchio, modo dux efficeretur, quæ beneficia ſæpe dictus imperator cōceſſit utriſq;, ſicq; terminata eſt hæc diſcordia, quæ præcipua erat in Alemannia. Vuelphoni quoq; auunculo ſuo, ut eius fauorem plene obtineret, contulit in beneficium Marchiam Tuſciæ, ducatum Spoleti, principatum Sardinæ, & totam terrā Mathildis comitiſſæ. Habebat autem dictus imperator fratrem, Cunradum nomine, ex parte patris. Nam pater ipſius, mortua Iuditta matre ipſius imperatoris, duxit aliam uxorem de genere comitum illorum, qui dicebantur de Zuuainbruck, & de Sarbruck, ex qua genuit præfatum Chunradum, & filiam quandam, quam duxit in uxorem Langrauius de Thuringa, & ex ea genuit illum Langrauium, qui poſtmodum proximæ conſanguinitatis immemor, Philippo regi rebellauit. Imperator itaq; prædictum Cunradum fratrem ſuum Palatinū Rheni effecit. Hæc ideo aliquantulum diffuſius ſcripſimus, ut pateat quomodo nobiliſſimi Principes Alemanniæ, proxima linea conſanguinitatis imperatori adhærebant. At ipſe potius gloriabatur ſe de regia ſtirpe Vuaiblingenſium progenitum fuiſſe, quos conſtat de duplici regia proſapia proceſſiſſe, uidelicet Clodoueorum, de quibus legitur ſupra in geſtis Francorum, & Carolorum, de quibus nihilominus eorundem ſupra narrant hiſtoriæ.

Comites Zuuaibruk, & Sarbruk.

Nobiliſſimi Principes Germaniæ, conſanguinei Friderico.

Fridericus gloriabatur ſe de familia Vuaiblingenſiū. Vide Otonem lib. 2. ca. de famoſis familiabus Galliæ et Germaniæ, una Heinricorū de Vueibelinga, altera Guelphorū de Altdorffio.

Sedatis igitur diſcordijs in Alemannia, diſpoſitisq; negocijs imperij, & rebus pacatis, aggreſſus eſt iter arripere in Italiam, quatenus & diſcordias ibidem ſedaret, & more auito diadema imperatorium in Romana Eccleſia reciperet. Eo itinere inuenit Terdonenſes ſibi rebelles. Eſt autem Terdona uilla permaxima in Lombardia, per quam Mediolanenſes iter habent uſq; ad Genuam, & ideo hāc

De itinere Romano, & reditu.

Terdona.

quaſi

quaſi portum maris magni ſibi eſſe uolunt. Hanc in ipſo itinere aggreſſus imperator expugnauit, & ſolo adequauit, nihil eis ualente auxilio Mediolanenſium, in quo plurimum confidebant. Indeq; progreſſus, Romam peruenit, & ab Hadriano papa conſenſu totius cleri, cum diademate regio, imperialem benedictionem accepit in Eccleſia beati Petri, ubi à ciuibus urbis ſeditio contra imperatorem commota eſt, ubi multi Romanorum interfecti, occubuerunt.

Fridericus coronatur ab Hadriano Papa.

Imperator uero rediens inde, in itinere Spoletanorum, diras & inopinatas pertulit incurſiones. Quarum impulſu Spoletum applicuit, quam dimicando ſuccendit, & funditus euertit, paruulis tamen ac mulieribus, iuſſu imperatoris, ſine leſione libertatis.

Spoletum funditus euertitur.

Clementia Cæſaris in paruulos & mulieres.

Dehinc per totam Italiam & Lombardiã, multis edomitis rebellionibus, cum perueniſſet, comitante exercitu ſuo, apud Veronam, ad quædam itinera angusta, quæ Lombardi uocititare ſolent clauſuras Volerni, ubi ex utraq; parte itineris mons præruptus, quaſi paries ſaxeus eminet in immenſum, ibi Veronenſes collocauerunt ſuperius in planitie eiuſdem montis quoſdã malignos homines, quatenus in tranſitu Imperatorem cum exercitu ſuo, demiſſis lapidibus interficerent.

Clauſuræ Volerni.

Veronẽſium inſidiæ in Imp. Fridericum.

Imperator uero ſolertiſſimus, quoſdam aduocauit terre illius prudentiſſimos, qui illecti promiſſionibus & muneribus per loca uix alicui hominum peruia, milites imperatoris deduxerunt ad prefati montis collem quendam ſupereminentem. Qui inde conſurgentes, in præfatos malefactores irruerunt, & eos in fugam uerterunt. Ex eis quoq; penè ſexcenti capti ſunt, qui omnes triſtia pœnarum tulere diſcrimina. Deinde Imperator redijt in Alemanniã, ubi tunc duxit uxorem. Nam antea iudicio Eccleſiæ in Synodo Conſtantienſi, inter ipſum & Adilam filiam Marchionis Diepoldi de Hochburg, quam habuerat uxorem diuortium celebratum eſt, obiectu conſanguinitatis. Quam poſtea Dietho de Rauensburg miniſterialis ipſius habuit uxorem.

Diuortiũ inter Frid. & Adilam filiam Marchionis Hochb.

Imperator uero dominam Beatricem de genere Burgundionum nobiliſſimam, filiam comitis Biſuntini, quæ illi unica erat, hæres omnium bonorum ipſius, duxit uxorem, cuius opulentiſſima dote, ut fertur, etiam quinq; millia militũ eius ſubduntur imperio.

Beatrix de genere Burgundionum.

Eodem tempore, ducem Boemorum regio decorauit nomine & dignitate, regium ſibi conferens diadema.

Fridericus Ducem Bohemiæ regẽ facit.

Item diſcordias ſedauit, ſi quæ erant in Alemannia, inter Principes uel Barones, & redire parat in Lombardiã, quæ maximis diſcordijs tunc efferbuerat. Nam Mediolanenſes imperatori reſiſtere ſe parant, & in auxiliũ ſuum multas ciuitates Lombardie aſciſcunt, Brixiã uidelicet & Placentiam, & alias q; plures. Cremonenſes uero & Papienſes imperatori fideliter adherebant, & Laudenſes & Cumani, ſuo ſubdebãtur imperio. Ideoq; bella frequentia totã cõmouebant Lombardiam.

Mediolanenſes contrarij Friderico.

Mediolanenſes enim ſuperbi, rebelles conſueuerunt eſſe imperatoribus exortis de Sueuia. Illis uero qui de Saxonia erant, deuotius aſſiſtebant. Eo quòd, ut ſupra dictum eſt, Lotharius Imperator pro ipſis tulit ſententiam contra Cremonenſes. Cum ſint etenim ſuperbiſſimi, ſolent occupare terminos uicinarum ciuitatum, & ipſas, quas poſſunt, ſuo ſubdere imperio. Quocirca contra imperatoris edictum, Terdonam ab ipſo erutam, eximijs reædificarunt muris. Quodq; hoc deterius fuit, illarum urbium reliquias, quas ante deiecerãt, Cumarum ſcilicet atq; Laude, ad imperij contemptum funditus exterminauere. Papiam quoq; atq; Nouariã urbes egregias, ad eiuſdem imperij deſpectũ pariter appoſuerunt depopulare. Ac ſic hanc regni portionem ſcilicet Lombardiã, ſuo imperio paulatim ſubijcere ſatagebant. Ad quod patrandum omnes penè Lombardiæ urbes conſentientes habuerunt. Placentia nempe Cremonenſes à prædictarum urbium ſolitis amminiculis indigne prohibuit, atq; iter ad eas, eis omni modo denegauit. Brixia quoq; ſe itidem eiſdem cum exercitu adiecit Mediolanenſibus. Quarum opitulationibus immania auſi ſunt ſcelera, partimq; potiti ſunt auſis. Nam Vegeualum & alia Papienſium oppida munitiſſima, prædictarum urbium præſidijs funditus deſtruxerunt. Cremona uero ciuitas egregia, pro ſummi Imperatoris maieſtate, contra Mediolanenſes ſummi imperij contemptores, ſeſe audacter ingeſſit. Quæ & eorum munitiſſima oppida, magnis euertit uiribus, & eorundem plæroſq; coartauit compedibus.

Cremona pro Imperatore contra Mediolanenſes.

Eo tem-

Cõſilium Friderici componendi motus Longobardicos.

Eo tempore Imperator his diſcordijs opitulari cenſuit, ad quod diſcretiſſime pa trandum uiros præmiſit induſtrios, cancellarium ſcilicet nomine Reinaldum, & cum eo Ottonem comitem Palatinum de Bauuaria. Qui à Cremonenſibus, & ab Oberto Epiſcopo eorundem, & à quodã Arderico ſacerdote, qui tunc magni nominis floruit, cum tota plebe eiuſdem ciuitatis magnifice ſuſcepti ſunt. Interea cum Imperator ſuum protelaret aduentum, Cremenenſes pro tam beniġniſſimis ſubiectionibus, ab alijs Lombardis indigniſſima tulere conuitia, & quod deterius eſt, in ipſum Imperatorem indigna relatu proferebant uerba.

PRIMVM BELLVM FRIDERICI IMP. contra Mediolanenſes.

Primum bellum Imperatoris cõtrà Mediolanenſes.

Quamobrem Imperator, cum ingenti exercitu Italicas appetijt oras. Cui prę uius fuit Boemorum rex acerrimus, ab imperatore eodẽ in regiam dignitatẽ primo ſublimatus. Et iſte Brixienſes oppreſſit, & damnificauit, quem ſubſecutus eſt Fridericus dux, ſupradicti Cunradi regis filius. Poſt hos Imperator aduentauit.

Brixienſes oppreßi.

Territi igitur tanto exercitu Brixienſes, imperatoris iuſſa iurati ſe facturos promi ſerunt. Adualens tamẽ ſexaginta millia marcharũ, ante tulerunt incommodum. Poſtmodũ imperator iuxta flumen Padũ tentoria fixit, ubi quidã Mediolanenſi um ex altera parte fluminis exiſtentes, in ipſum imperatorẽ conuitia indigna rela tu uociferati ſunt. Propter quas iniurias imperator ſuos milites arma capere iuſſit. Ipſe quoq; ſicut erat acer animo, ad ſubuehendũ ſe, non nauẽ acquiſiuit, neq; uadum fluminis acquiſiuit, ſed quadã trabe lignea, haſtis hincinde ſuſtentatus, fluuiũ tranſiuit, & paucis ſe comitantibus in hoſtes proſilijt, qui territi à conſpectu ipſius, fugam arripuerunt, & uſq; ad Trecium quoddã caſtrum Mediolanenſium fugerunt. Vbi imperator Mauortius uix decem ſe comitantibus, fixit uexillum ſuum ante portas caſtri, ubi exercitus ſuus continuo aduentauit, trepidantibusq; ciuibus eos in deditionem accepit, ſicut uti uellet. At ipſe ſicut erat aſſuetus de regia benignitate, mulieres & paruulos conſeruari cenſuit, prædam uero caſtri militibus ſuis diſtribuit, & in pręſidijs milites ſuos collocauit. Cæterum ex hinc tranſiens, ciuibus Laudenſibus ad conſtruendam nouam ciuitatem locum deſignauit, ſuper Padum fluuium, in quodã colle, ubi ex utroq; latere collis ſunt loca paludinoſa. Collis quoq; idem, ex antiqua conſuetudine Lombardorum mons Guezionum appellatus eſt. In quo eis uexillo regio urbem deſignauit decoram. Poſt hæc cum exercitu Melegnanum ſe contulit, ubi Mediolanẽſium diu expectauit ſatisfactionem, & ipſi ſatisfacere contempſerunt.

Conuitia in Imperat.

Fridericus trabe lignea Padum traijcit.

Mauortius Imperat.

Clæmẽtia Cæſaris in paruulos et mulieres.

Aduocat igitur imperator exercitus de ciuitatibus Lombardiæ, cui aduenium Cremonenſes cum xxx. millibus armatorum, & Epiſcopo ſuo Oberto. Papienſes quoq; & Nouarienſes cum copioſo & ſplendido exercitu iunguntur. His imperator circundatus, ad mœnia urbis Mediolani iter arripuit. Sane Mediolanenſes cum multo exercitu, egrediuntur contra ipſum in pugnam. Cõmittiturq; pugna, ubi Mediolanenſes fugam arripiunt, tendentes ad urbis ſuę mœnia. Cremonenſes uero & alij Lombardi, eos uiriliter inſequuntur. Appropinquantes uero urbi ſuæ, equos reflectunt, & rurſus pugnã ineunt. Vbi regius exercitus aliquantiſper retrouerſus eſt. Imperator uero confidentiſſimus, cum tanti belli uiciſſitudines ita alternari cõſpiceret, continuo ſe in hoſtes inuexit, & eoſdem moribun dos urbis ſuæ mœnia ſubire coegit. Poſt talem belli gloriam ſuburbia fecit incendi, relicta ſola turri, quam coram porta Romana, Romani conſtruxiſſe feruntur, quæ erat ſublimis, quatuor ſubnixa columnis, à uallo diſtans, partim plus quàm ſit iactus lapidis, quæ uſq; ad oſtium erat ſolida, & ſaxis compaginata quadris. Hæc ad urbis tuitionem fortibus erat repleta uiris. Poſtea imperator urbem cingit obſidione, & coram porta Romana ſua fecit figi tentoria, alijs quoq; ſingulis in obſidione ſolertiſſime loca pręuidit oportuna. Paucis diebus effluxis, iam hoſtibus intra mœnia clauſis, ad pręditam turrim expugnandam bella fecit inire. Cumq; uiri qui in turri erant, cernerent columnas eius infringi martellis, & alijs inſtrumentis ferreis, territi formidare cœperunt, & ſe in deditionem imperatori obtulerunt.

Pugna Friderici & Mediolanenſium.

Suburbia Mediolani incenduntur.

Mediolanum cingitur obſidione.

obtulerunt. Quibus Imperator interuentu quorundam uitam conceſſit, & per funem ab alto demiſſos, urbis mœnia incolumes intrare permiſit. Moxq; ex imperatoris edicto, Teutonici cum tubicine Cremonenſium turrim conſcendunt, exoriturq; undiq; in caſtris clamor uirorum, & clangor tubarum. Ex quo euentu inopinato, ciues concluſi, ualde ſunt territi, & quid conſilij caperent, aut quo ſe uerterent, titubare cœperunt. Seſe tandem tubarum clangore & ſignorũ, ad ineundum conuocant conſilium. Petitaq; pace, ad conſilium Principes Imperatoris aſſumunt, regem uidelicet Boemorum, & ducem Luipoldum de Auſtria, Colonienſem quoq; Archiepiſcopum Fridericum, & Babenbergenſem Epiſcopum Eminhardum. Aderat quoq; cancellarius Reinaldus, et Otto comes Palatinus. Iſti mediatores utriuſq; partis communicatis conſilijs, & imperatori Mediolanenſium iuſtas ſubiectiones, & Mediolanenſibus dignas imperatoris præceptiones uiciſſim referebant. Poſtremo ciues ad id deuenere conſilij, ut ſe & ſua imperatoris traderent uoluntati: Gladios itaq; denudatos, ſuper colla ponentes, cruces quoq; & alia inſignia præferentes, nudis plantis ad pedes Imperatoris miſerabiliter ſe proſtrauerũt. Quibus imperator, precibus Principũ uix flexus, uitã donauit. Et qui prius erãt maligni, facti ſunt ſubiecti. Ideoq; more regio ſubditis factus eſt mitis. Poſt tantos triumphos in die natiuitatis beatæ Mariæ uirginis diademate imperiali proceſſit inſignitus, & cum eo rex Boemorum, corona regia decoratus. Alij quoq; Principes cum ipſo proceſſerunt, & facta eſt laus in cœlum, & exultatio non modica, reſonantes ſimul tinnitu ſignorum. Exinde ubi proxima peragrauit loca, ubi quæ à Mediolanenſibus perperam fuerant conſtituta, iuſtitiæ redegit ad normam. Acceptis igitur obſidibus, ſpes reſiſtendi ablata eſt omnibus Lombardis. Ideoq; cunctas ciuitates & caſtella & oppida Lombardiæ peragrauit, & uades ab eis accepit, quòd iuſtitiam ſuam reciperent, & conſeruarent.

Conſilium in quo de pace danda Mediolanenſibus agitur.

Mediolanenſes proſternunt ſe ad pedes Imperatoris.

Triumphi Friderici.

Pro reparando itaq; iuſtitiæ uigore omnibus Lombardis & Italicis, Rongaliam, ubi mos Lombardorum eſt iuſtitiam ſuam requirere, & ab Imperatoribus recipere diem certam, & curiam publicam ad præſentiam Principum, qui tunc aderãt, eis deſignauit. Edictumq; eſt ab imperatore, ut de ſingulis Italiæ urbibus, uiri idonei Rongaliã conuenirent, & Barones, & alij qui cauſas haberẽt. Cumq; ibidem conueniſſent, aſſumptis nobilibus & prudentibus uiris, cauſa ſingulorum determinare ſtuduit, primo pauperum, deinde baronum, & poſtremo ciuitatum.

De curia apud Rongaliam.

Otto habet lib. 2. c. 11. in campo Rancoliæ ſuper Padum.

Nota.

Cauſæ pauperum primo determinãtur, poſtea Baronum & ciuitatum.

Exhinc pactum pacis inſtituit, ſecundum quod Principes Alemaniæ facere conſueuernnt, & ne quis contra illud attentaret uenire, bannum, id eſt pœnam pecuniariam conſtituit, ita, ut ſi qua urbs pacis uiolaret iura, centum marchas auri perſolueret. Marchio uero quinquaginta, comes quadraginta, capitaneus uero, ſeu alius inuaſor maior uiginti, alij uero decem, & uſq; ad tres marchas, prout eis facultas ſuppetit, Imperatori perſoluere deberent. Quod ſi quis nullum poterit exoluere præmiſſorum, uerberibus diris in patria diu afflictus, per quinquẽnium deberet fieri exul, quinquaginta milliarijs à patria ſeiunctus. Alias quoque leges, ſecundum prudentiſſimorum uirorum conſilia ibidem inſtituit, in quibus inter cætera, & hoc cautum eſt, ne feudorum iniuſte fieri poſſint diſtractiones. Iudices quoq; præfecit ſingulis ciuitatibus Lombardiæ, qui ex parte Imperatoris banna ſupradicta reciperent, & læſis iuſtitiam facerent, ſuper quo contra nouas inſtitutiones imperatoris murmurare cœperũt Lombardi. Non eſt enim eorum conſuetudo banna ſoluere, ſed ut ſecundũ leges Romanas iniuriã paſſis ſatisfaciant, ſecundũ quod iurauerint læſi, ſe talem uelle pati iniuriã. De quibus acquiſitis, iudex tantũ uiceſimã, uel minorem, ſecundũ quod ab eis decretũ eſt, recipit portionẽ. De damnis quoq;, ſiue ſpoliationibus, ſicut lege ſtatutũ eſt, ſatisfaciũt. Tunc Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus obijt. Cui Reinaldus Cancellari9 ſucceſſit in Epiſcopatu. Diſſolutaq; itaq; curia, imperator paterna uiſione Lõbardię loca uiſitare cœpit. Multis uero peragratis locis, Aſtenſiũ urbẽ tandem aduẽtauit. Aſtenſes uero cõſiliũ de munimine arcis nouæ, opponere ſe ſtuduerũt.

Pactum pacis.

Bannum imperiale.

Leges.

Iudices.

Aſtenſium urbs.

At ipſe eorum urbe cito potitus eſt, & his quæ infra muri ambitum continebantur. Tandem ad inexpugnabilem arcem nouam, iter arripuit. Quæ licet eſſet ſita in ſcopulo eminentiſſimo, habens aditum tantum per iter anguſtiſſimum: Imperator ſolertiſſimus ipſam tamen fortiter expugnauit: gentemq́ꝫ frenauit ſuperbam. Demum Aſtenſibus captiuis, tam uiris ꝙ mulieribus ultro miſertus eſt.
Scurij. Deinde Scurij & Marteſiæ appetijt prouincias Mediolanenſibus contiguas: ubi
Marteſiæ. plurima reſtaurauit oppida, & noua caſtra conſtruxit, in quibus Mediolanenſi-
Cumæ. um poſſit incurſus propellere. Cumas quoqꝫ adijt, & ciues illos à proprijs expulſos ſedibus per Mediolanenſes, ſentẽtia imperiali ad ſuam reuocauit ciuitatem:
Inſula caſtrum. nec inde prius receſſit, ꝙ Cumanorum & Inſulanorum ſedaret diſcordiam. Erat autem Inſula caſtrum quoddam in quadam inſula laci Cumani, quod nunc penitus exterminatum eſt.

Patarellum caſtrum. Supra ciuitatem quoqꝫ Cumanam caſtrum conſtruxit, muris & turribus munitũ, quod Patarellum Teutonici uocant, ubi Mediolanenſium declinare poſſit incurſus: & in præſidijs milites Teutonicos collocauit. Deinde cum uellet adire
Luciaria. Cremonam, & uſqꝫ ad quoddam caſtrum, Luciariam uidelicet, perueniret, nunciatum eſt ei quod Mediolanenſes periuri, & imperialium decretorum rebelles
Lauda. & obſtinati cum magno apparatu, magniſq́ꝫ tam militum ꝙ peditum turmis ad expugnandam urbem Laudam eſſent progreſſuri, ut nouiter ſurgentia mœnia diruerent: & homines ibidem habitantes, aut interficerent, aut in captiuitatem deducerent. Quod poſtꝙ Imperatoris inſonuit auribus, agiliter properat ad auxilium nouæ urbis, quam tunc foſſatis & muris munire cœpit: in quo opere Cremonenſes & Papienſes & Nouarienſes ſibi auxilium præbuerunt. Vrbem quoqꝫ conditam priuilegijs libertatis decorauit.

Poſt tantos itaqꝫ triumphos, & iudicia in Lombardia diſpoſita, licet ad plenitudinem pacis non proficerent, decreuit Imperator ſuæ coniugis, & ſuę patriæ reuiſere terram.

DE SECVNDA REBELLIONE MEDIOLANENSIVM.

MEDIOLANENSES poſtꝙ perceperunt à ſuis partibus imperatorẽ longe eſſe remotum, ad reſiſtendum ſe erigunt: & ſupra nominatum caſtrum
Mediolanenſes inuadunt Trecium. Vide Radeuicum lib. 3. cap. 30. Trecium inuaſerunt: ubi mangos & alia inſtrumenta conſtruxerunt, quibus lapides in caſtrũ iactarent. ad portas quoqꝫ arietantes, ipſas tandem confregerunt caſtrumq́ꝫ improuiſum ceperunt. Milites quoqꝫ Imperatoris, qui erant in præſidijs, ergaſtulis manciparunt. Quo audito tota penè Lombardia rebellare cœpit
Frid. perdit Mediolanenſibus ſegetes, uites, arbores. & decretis Imperatoris contradicere. Quocirca magnanimus Imperator audita Mediolanenſium perfidia, cum Teutonicorum & Lombardorum gente ad eorum rediuit loca urbi proxima: eorumq́ꝫ ſegetes in menſe Iunio cũ iam maturæ ſunt, partim ſuccidit, partimq́ꝫ pedibus equorum contriuit. Arbores quoqꝫ penitus decorticauit: & uites ſuccidit: ſicq́ꝫ maximũ damnum Mediolanenſibus intulit. Poſt hæc ad urbem Laudam redijt: quoniã brachij unius, & cruris infirmitate debilitabatur, ut ibidem membra lęſa refocillaret. Tunc ad eum Cremonenſes conuenerunt: eiq́ꝫ iniurias expoſuerunt, quas ipſius ciues Cremæ uillæ contra inſtituta imperatoris facere præſumpſerunt. Nam cum apud Rongaliam decreuiſſet imperator exquiſita iuſticia, quatenus Cremenſes cuiuſdam caſtri muros, quos in præiudicium Cremonenſium erexerant, deijcerent: & decurſus aquarum, quos eodem modo conſtrinxerant, ad proprios riuos redire permitterent:
Cremenſes inobedientes Friderico. Cremenſes id facere recuſarunt, Mediolanenſium & Brixienſium uſi conſilio perfidiſſimo, & confiſi auxilio imbecillo. Erat enim Crema oppidum firmiſſimum continens unius miliaris Lombardici ſpatium, foſſatis & aquarum decurſionibus & locis paludinoſis & muris fortiſſimis undiqꝫ munitum. Spe-
Cremonenſes. rabant itaqꝫ Mediolanenſes tam firmiſſimum caſtrum imperatorijs poſſe reſiſte-
Cremenſes. re decretis & prælijs. Aſt imperator, audita querimonia Cremonenſium, permiſit eis, & conſuluit, bellifica uirtute Cremenſes rebelles ſuperare.

DE OB-

DE OBSIDIONE ET EXPVGNAtione Cremæ.

IGitur imperator Cremonenſibus remiſit quadringentos milites, quos hi Cremonenſes ſpoponderant, ad ſecundam obſidionem & uaſtationem Mediolanenſium. Inſuper cōceſſit eis tres nobiles principes de parte ſua, qui exercitum eorum conducerent & regerent: uidelicet Cunradum fratrem ſuum Palatinum Rheni, & Bertholdum ducem de Zaringia, Rubertum quoq; comitem Baſilæ quem Vuilelmus conſanguineus eiuſdem de patria ſua procul expulerat. Itaq; pariter iuncti properant ad obſidionem Cremę: quibus Cremenſes ad pugnam occurrunt, confiſi de auxilio Mediolanenſium & Brixienſium: quorum milites ꝗ plurimos apud ſe habebant. Committitur pugna: ſternūtur hincinde uiri & captiuantur: tandem Cremenſes compulſi ſunt ad urbis ſuę mœnia confugere, & ibi ſe portis concludere, cœperuntq́; obſideri, Cremonenſibus cohortantibus eos ad unam portam, & præfatis principibus ad alteram. Interea aduentauit imperatori magnus exercitus de Alemannia, uxor uidelicet ipſius, domina Beatrix multa militū corona ſtipata. Conſanguineus quoq; eius Heinricus dux Saxonū, & Bauuariorū, qui ſimul procedentes adduxerunt plus ꝗ duo millia armatorū: qui dum caſtra ponerent in planitie apud Gardam arcem munitiſſimā, caſtrenſes oppidi Peſenę utriq; exercitui damna intulerunt, quocirca efferati oppidum illud oppugnarunt, & ſpolia eius diripuerunt, & ipſum incendio conflagrarunt: poſtmodum imperatoris exercitus reliquias eiuſdem oppidi funditus deſtruxit, his exceptis, quæ amicos contingebant imperatoris. Innotuit interim, quod Papienſes uellent cum exercitu ire ſuper Mediolanenſes, eò quod terras eorum plurimas depopulauerant. Imperator igitur conſilio ducis Bertholdi de nocte conſurgens, nemore medio inter Papiam & Mediolanum, latenter ſe cum multis militibus ad inſidias collocauit, denūciauitq́; Papienſibus, ut Mediolanenſium urbi audacter appropinquarent, & ſpolia diriperent. Quod cum feciſſent, Mediolanenſes è portis erumpentes, inſecuti ſunt eos. Commiſſumq́; eſt prælium, pugnatumq́; eſt uaria ſorte belli, hincinde à mane uſq; ad meridiem. Papienſes quoq; & Laudenſes debiliores bello effecti, fugam inire decreuerunt. Tunc talis euentus nunciatus eſt imperatori, ubi manebat in latibulo: qui conſurgens cum exercitu Teutonicorum, uexillo ſuo commiſſo duci Zaringę, ex improuiſo ſuper hoſtes irruit, & eos in fugam uertit. In quo conflictu captiuati ſunt Mediolanenſium plus quàm trecenti, & occiſi fere ſexcenti. Quorum corpora miſerabiliter per dies aliquot iacuerunt in campo, beſtijs & auibus dilaceranda & comedenda. Poſtmodum ſecedente aliquantulū imperatore, multa de ipſis corporibus delata ſunt ad urbem, & cum maximo planctu & lamentatione totius urbis ſepelierunt. Interim imperator ad obſidionem Cremę iter reflexit, & captiuos Mediolanenſes ſecum adduxit, quibus oſtenſis, ſuis fautoribus magnam lætitiam contulit, & inimicos contriſtauit. Indeq́; progreſſus, coniugem ſuam, & ducem H. cum exercitu ipſorum honorifice ſuſcepit. Tunc relictis Lombardis in obſidione Cremæ, cum exercitu Teutonicorum iam ſecunda uice proceſſit, ad uaſtandam omnem ſegetem Mediolanenſium, & arbores extirpandas, & oppida quæ remanſerant, funditus deſtruenda. In obſidione autem Cremę plures de principibus Alemanniæ remanere permiſit, præfatum uidelicet C. fratrem ſuum, & Vuelfum auunculum ſuum, qui præter alias diuitiarum & militum opulentias, ex poſſeſſione comitiſſæ Mathildæ, habebat militum duo millia: Boemorum quoq; regem nepotem ſuum, & ducem de Auſtria. At ipſe ſecum in expeditione adduxit H. ducem cum Bauuaris, & militibus uxoris ſuæ, cum quibus hanc deuaſtationem perfecit.

Exercitus magnus de Alemannia aduentat.

Dux Zaringæ.

Principes Alemanniæ Cremam obſidentes.

INTERPOSITIO.

EO tempore conſpiratio facta eſt contra imperatorem, ut aſſerit quidam ſcriptor Cremonenſis, de cuius editione hęc quæ narramus, excerpſimus. Idem quoq; ſcriptor teſtatur, hæc ſe audiſſe à uiris probatiſſimis, & ueraciſſimis, & ual

Conſpiratio contra. Imp.

de religioſis, Mediolanenſibus & Brixienſibus, qui ſe huic conſpirationi interfuiſſe dixerunt. In qua conſpiratione ſe aſtrinxerunt maxima pars cardinalium ſedis Apoſtolicæ. Vuilelmus quoq; rex Siciliæ, & pene uniuerſæ ciuitates Italiæ, cum multis baronibus & uiris potentibus: dataq; eſt immenſa pecunia domino Hadriano papæ, ut ipſe imperatorem excommunicaret.

Hadrianus papa pecunia magna emptus ut Fridericum excommunicaret. Huius papæ improbitatē compendio collectā habes apud doct. R. Bar·

REDITVS AD PROPOSITVM.

POſt hæc imperator cum exercitu ſuo uerſus Cremam iter arripuit: & primū legalibus innitens ſtatutis, pactionem ſupradictam à Cremenſibus fecit expoſci. At illi confidentes in ſui caſtri firmitate, eò quod olim Lotharius imperator uiribus ſuis diffidens, non auſus fuerat idem caſtrum obſidere. De auxilio quoq; Mediolanenſium & Brixienſium præſumentes, præceptis imperatoris ſuperbe contradixerunt.

Cantilena mulierum in Fridericum.

Mulieres quoq; caſtri, choros ducentes per plateas, cantionem decantarunt, in qua continebatur, quod ſicut olim Lotharius, ſic & iſte imperator recedere cogeretur inglorius. Ideoq; prouocatus imperator, ferocius accinxit ſe ad expugnationem caſtri, & ex omni parte murorum in circuitu machinas conſtrui iuſſit diuerſi generis, quæ lapides iactarent in caſtrum, & ipſum inceſſanter impugnarent. In ea quoq; parte quæ ſibi aptior uidebatur, à magiſtris operum fecit turrim ligneam erigi,

Gatti.

& alia inſtrumenta, quæ gattos, ſiue alijs nominibus nuncupant, præparari. Quæ repletis foſſatis de terra, uel lignis, ſeu ſtipula, ſiue rebus quibuslibet ad muros poſſent propelli. Quibus præparatis primum uades illorum caſtrenſium, uidelicet filios & nepotes nobiliſſimorum de caſtro, ad crates ligneas, quæ in turri erant appenſæ, fecit alligari, & ſic turrim ad caſtrū propelli. Tunc illi immites, & omnis iuſtitiæ & fœderis naturalis obliti,

Tormenta Mediolanenſes uulgo mangas uocant, hic mangones habet.

de caſtro lapides iacientes, mangonibus ſeu aliјs inſtrumentis illos crudeliter peremerunt· Cumq; nec adhuc expaueſcerent, quoſdam captiuos eorū in loco eminenti quodā in uiſione ipſorū fecit in patibulis ſuſpendi. At ipſi econtra iam in miſeria palpitantes, & tamen more canino furentes, quoſdam captiuos in iniuriam imperatoris ſupra muros ſuos erectis patibulis ſuſpenderunt.

Captiui in patibulo ſuſpenſi. uide Radeuicum lib. 4. cap. 50.

Interea dux H. progrediens, decem de militibus Mediolanenſium captiuauit, & eos imperatori tradidit. Imperator uero prædictis & aliјs quamplurimis prouocatus iniurijs, eoſdem in conſpectu conciuium ſuorum patibulis appendit· Tunc appulſis machinis, & diris habitis conflictibus, miſeri ciues deſperare cœperunt, & ad deditionem ſe offerre, ut tantum perſonas ſaluarent.

Clemētia Frid· imp.

Quibus imperator mitis effectus, utpote uir timens Deum, miſericorditer permiſit, ut de caſtro & de terra cū mulieribus & paruulis exirent: nec de rebus uel facultatibus ſuis quicq̃ aſportarent, niſi quantum quiuis eorum una uice in humeris ſuis aut ſcapulis deportare potuiſſet. Mediolanenſes quoq; & Brixenſes abire permiſit, ut equos & arma ibi relinquerent. Nec dubium eſt imperatorem Chriſtianiſſimum, ob hoc talia permiſiſſe, ne maximam ſtragem cæde hominum iudicaretur feciſſe.

Vi. Cal. Febr. egreſſa quaſi xx. mil. hominum diuerſi generis· uide Rad. li. 4. ca. 66

Perpendat iam quilibet prudens lector, quanta miſeria ibi fuerit, ubi mulier paruulos ſuos, greſſu uti non ualentes, potius q̃ res exportauit: uir quoq; mulierem febricitantem, aut mulier uirum pro fide coniugij exportarunt: pręgnans quoque iam parturiens ſemiuiuum puerum eduxit. O quanta miſeria, caſtrum & præda hoſtibus relinquitur, quia perfidiſſimi ciues hoc meruerunt· Præda itaq; militibus diſtribuitur, & caſtrum funditus diruitur. Anno Domini milleſimo clx. acta ſunt hæc.

Vuelfi militia in Tuſciam.

Tunc Vuelfus totam militiam ſuam in Tuſciam mouens, maximum conuentum apud ſanctum Geneſium habuit. Vbi baronibus terræ vij. comitatus, cum tot uexillis conceſſit: cæteris quoq; de ciuitatibus ſeu caſtellis ad ſe confluentibus unicuiq; quod ſuum erat, tribuit. Sed & ipſe ſua quæ ſingulæ ciuitates ad ſe iniuſte contraxerant, recepit.

Deniq; conuentu ſoluto, à Piſanis & Lucenſibus & aliјs ciuitatibus, ad quaſcunq; declinauerat, honeſtiſſime ſuſcipitur. Sicq; terra illa & Spoletana, plena poteſtate potitus, & ſuos ibidem collocans, filio ſuo Vuelfoni iuniori commiſit

eandem

eandem, ſtrenuiſſimos de ſuis militibus, & optimos apud ipſum relinquens, ipſe per uallem Tridentinam rediјt ad propria. Vuelfo uero iunior excellentiſſime terras poſſedit, rexit, atq; defendit, ita ut etiam multotiens militibus imperatoris uolentibus terram lædere, uiolenter reſiſteret: propter quod maximum fauorem populi acquiſiuit, & imperatoris offenſam nonnunquam incurrit.

Vuelfus iunior.

DE SCISMATE SVBORTO.

Iohannes ſacerdos ſcriptor Cremonen.

Conſpiratio in Fridericum.

REfert ſupradictus ſcriptor Cremonenſis, uidelicet, Iohannes ſacerdos, ꝙ ſupradictis teſtimonijs bonorũ uirorum didicerit, qui interfuerunt, quod illa conſpiratio cum Apoſtolico Hadriano iuramentis adeo firmata ſit, ut nullus ab altero recedere poſſet, uel imperatoris gratiam ſine omnium cõſenſu requirere. Quod ſi mortuus eſſet papa ille, de numero conſpiratorum alium eligerent cardinales. Sanè Deus qui per os Pſalmiſtæ Dauid clamauit contra excommunicationem papæ per pecuniam corrupti, declarauit illud propheticum eſſe uerum: Maledicent illi, & tu benedices: qui inſurgunt in me, cõfundantur, ſeruus autem tuus lætabitur. Cuius uerſus tres articuli in hoc negocio euidentiſſime ſunt adimpleti. Primum autem articulum de maledictione ſeu benedictione Dei, ipſi Deo relinquamus: cęterum ex duobus conſequentibus conſtabit, primum non ex Deo, ſed ex diabolo proceſſiſſe. Vt enim adimpleretur illud propheticũ: Qui inſurgunt in me, confundantur. Factum eſt, ut cum præfatus Hadrianus apud Anagniam denunciaret excommunicationem contra imperatorem, paucis diebus euolutis, cœpit procedere refrigerandi gratia cum ſuis. Cumq; ueniſſet ad quendam fontem, hauſit de potu illius, & continuo, ut dicitur, muſca os eius intrauit, & gutturi eius adhæſit, nulloq; artificio medicorum auelli potuit, quoadusq; ſpiritum exhalaret. Tunc cardinales in electione ſummi pontificis diſſentire cœperunt: nouem ſiquidem de numero ipſorum elegerunt Octauianum, uirum per omnia religioſum & probatum: inter quos fuit Tuſculanenſis epiſcopus, & Vuido Cremenſis, & alij. Pars uero aduerſa elegit Rolandum Cancellarium. Factaq; eſt pactio inter electores, ut neutra pars ſuum publice denominaret, aut inthronizaret, donec diſcordia inter partes ſopiretur. Interim pars Rolandi, utpote maior, ſuam electionem promulgauit, & ipſum attrahens, quoddam inſigne quod mantum uocant, exhibuit. At ipſe manu hoc accipiens, longius à ſe abiecit, & papam fieri ſe denegauit. Pars uero aduerſa cernens talia, ſuũ Octauianum inthronizauit, & mantum ei appoſuit. Cumq; turbatio facta eſſet, Octouianus in promotione appellatus eſt Victor, & obedientias recepit eorum qui ad ſe uenire uolebant: eiuſq; electioni populus Romanus aſſenſit plęrunq;. Erat enim uir bonus, humilis, & manſuetus. Rolandus quoq; cum ſui fautores ei facere uellent obedientiam, reppulit eos à ſe, dicens: Eatis ad illum quem uidetis immantatum, & plurimum fauorem populi obtinere: ſicq; Rolandus ſeceſſit ab urbe, & in uico quem caſtrum ſancti Petri nuncupant, permanſit. Sicq; factum eſt, ut Octouianus, qui & Victor, undecim diebus reſideret in urbe. Interim multi cœperunt, qui prius fauerant, ab eo diſſentire, inſtinctu cardinalium, qui in parte ſua erant, maximeq; Vuilelmi regis Siciliæ, & plurimarũ ciuitatum Italiæ. Tunc præfatus Rolandus duodecima tandem die mantum accepit, & inthronizatus eſt ſecundũ morem ſedis Apoſtolicæ, & Alexander nominatus eſt. Conſtat igitur, quoniam graue in eccleſia Dei oportuit fieri ſciſma. Tunc imperator Fridericus tali turbatione comperta, Romanæ ciuitati condoluit, & qualiter ſubuenire poſſet, excogitauit. Tandem de conſilio bonorũ uirorum utroſq; electos ad ſe uenire ſtatuit, apud Papiam, nõ ut eos iudicaret, aut cauſam ſedis Apoſtolicæ, ſed ut à prudentibus uiris addiſceret, cui electo potius obedire deberet.

Hadrianus apud Anagniam muſca cruciatur.

Diſſidium in electione ſummi pontificis Vide Radeuicum lib. 3. cap. 55.

Mantum inſigne quo electus induitur. Hinc Immantare apud Radeuicum lib. 4. ca. 56

Octauianus Victor.

Rolandus accip mantum.

Fridericus utrũq; electũ Papã ad ſe uocat. Autoritatem congregandi Concilij exemplo antiquorũ imperatorum, Theodoſij, Caroli, ſibi congruere reputat. Radeuicus lib. 4. capite. 58. & cap. 68.

Quo Octauianus, qui & Victor, cum ſuis fautoribus aduentauit. Rolandus uero qui & Alexander, frequenter admonitus accedere cõtempſit. Tunc coram imperatore, & patriarcha Aquileienſi, & epiſcopo Cremonenſi, & alijs ꝗ pluribus, epiſcopis, & eccleſiarum prælatis, cauſa Octauiani diſcuſſa eſt: & adhibitis teſtibus qui præſentes fuerunt, probatũ eſt, quod ſicut ſupra deſcriptum eſt, facta

eſt utraq; electio. De iure quoq; ſatis adiectum eſt, ut reprobata electione Rolandi, Octauianus uerus præſul Romanæ eccleſiæ iudicaretur. Tunc patriarcha Aquileienſis, alij quoq; epiſcopi & eccleſiarum prælati, ad pedes eius ſe proſtrauerunt, imperator quoq; idipſum fecit, ut ab eo indulgentiam acciperent, & ſibi obedientiam facerent. Quem exinde imperator deſtinauit in Alemanniam, ut cuncti ei obedientiam facerent, quod & factum eſt: nam Reinaldus Colonienſis archiepiſcopus eum deuote recepit. Mogontienſis quoq; Maidburgenſis ipſi Victori papæ ſe ſubdidere cum ſuis ſuffraganeis. Manſitq; Roma cum ſuis conſpiratoribus in confuſione, ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetā: Qui inſurgunt in me, confundantur. & tertium dictum adimpleretur: Seruus tuus lætabitur. Sequenti æſtate imperator cum magno exercitu ſegetes Mediolanenſium iam tertio uaſtauit, & Brixienſes arcem ineruium obſidentes, fortiter fugauit. Cumq; rediret, Mediolanenſes & Brixienſes, prout ante ſe iactauerant, cum eo bellum inire ſimulabant: quos ubi conſpexit propius accedere, ilico de equo proſilijt, ibiq; ſecurus cibum ſumpſit. Illisq; territis pontem deſtruxit, per quem Mediolanenſibus Brixiam, & econuerſo iter eſſe conſuerat: & dum poſt hæc Placentinorum perfringere uellet pontem, illi propius ciuitati aduexere ripam, ubi propter inſultum ciuium pons infringi non poſſet.

Ad pedes Octauiani papæ proſternunt ſe cardinales & imper.

Fridericus tertio uaſtat ſegetes Mediolan.

DE INFORTVNIO IMPERATORIS.

QVoniam ut ait Scriptura: Ante ruinam exaltabitur cor. Mediolanenſes poſt hęc ad expugnandum Carcanum quoddam caſtrum, cum ingenti multitudinę, tam Brixienſium, quàm Placentinorum militum proceſſerunt. Quod poſtquam imperatori innotuit, collecto itidem exercitu de Papienſibus, & Nouarienſibus, & Laudenſibus, & Teutonicis, intrepidus inter Mediolanum & Carcanum expedite iuit, ibiq; tentoria fixit. Vbi Mediolanenſes doctiſſimos uiros & facundos ad eum miſerunt, ſupplicantes, quatenus ſine bello ad urbem ſuam eos redire permitteret: quod ipſe facere denegauit. Illi igitur tanquam in periculo mortis poſiti, uiaticum acceperunt. Econtra imperator acies ſuas diſpoſuit, & inito conflictu, primo certamine de peditibus Mediolanenſium multos proſtrauit & fugauit: & carociam, quod ſuum uexillum uocant, eis abſtulit. Poſt hæc laſſato exercitu imperatoris, iam uſq; ad meridiem aut amplius, irruerunt ſuper eos de nouo ſub introducti milites Placentinorum & Brixienſium, & aliorum. Qui multos de exercitu Imperatoris & captiuauerunt, & peremerunt: ipſe quoque imperator cum paucis ad ſe collectis, in gyro ſe congeſſerunt, ut ſpicula aduerſantium poſſent effugere.

Tandem Deus ex alto proſpectans, ut ſeruum ſuum liberaret, eo tempore pluuiam denſiſſimam & tempeſtuoſam de nubibus emiſit, ut nullus alium diſcernere poſſet aut cognoſcere. Sicq; factum eſt, ut imperator ſupplicatione ſuorum deflexus, à campo certaminis cederet: & Mediolanenſes cum captiuis & ſpolijs tabernaculorum tanquam uictores ad ſua mœnia læti redirent.

Carcanum.

Carocia uexillum Venetorū

Pluuia tempeſtuoſiſſima dirimit bellum.

DE REVERSIONE MEDIOLANI.

POſt hæc, ut ſuperbos Deus euerteret, innoteſcente tali infortunio parentibus & amicis imperatoris, & ſuis fidelibus, ad auxilium ipſius properarunt, uidelicet, F. Chunradi regis filius, & dux Boemorum ſupradicti regis filius. Pragenſis quoq; epiſcopus nomine Daniel, et Reinaldus Colonienſis achiepiſcopus, & imperialis aulæ cancellarius: hi cum magna multitudine nobilium et procerum ad auxilium imperatoris aduentarunt. Cumq; imperator Mediolanenſes aſſiduis infeſtaret bellis, contigit circa ueſperas unius diei, inter eos cōmiſceri prælių. In quo F. Cunradi regis filius, regis uexillifer iuxta Mediolanenſium portas turmas induxit imperiales, & tunc imperator ſuper ponte

Auxilium mittitur Friderico, infeſtante Mediolanēſibus bello

ponte munitiſſimæ urbis pedes remanſit, equo multis uulneribus interempto. Tandem ſupra Mediolanenſes plena potitus eſt uictoria: multisq; fugatis & interemptis, circiter mille captiuos ad Laudam remiſit, ubi in hyemali tempore in compedibus nudi & ęrumnoſe conſeruati ſunt.

Captiui hyemali tẽpore nudi conſeruati

His attriti Mediolanenſes terroribus, fame quoq; & inedijs perculſi, ſine omni conditione ſe & ſua, & ipſam urbem in manns imperatoris tradiderunt. Egreſſi igitur ſeorſum nobiles, & ſeorſum populares, proceſſerunt uſq; ad Laudam: plebei uero uexillum ſancti Ambroſij ſuper carociam ſuam adduxerunt, ut ſic facilius ad miſericordiam animum imperatoris inflectere potuiſſent. Cumq; in tempore aduentus eorum imperator reſediſſet in prandio, & imber grauiſſimus irrueret ſupra Mediolanenſes ante portam aduentantes, diſtulit aliquantulum eos intromittere, ut fatigati diſcerent ſe deliquiſſe. Deniq; intromiſſis eis, cum carocia per portas introire non poſſet, fecit imperator tranſtrum carociæ auferri, & ipſam in quatuor partes ſecari; & ita cum uexillo inferri, & homines ad ſe intromitti. Cumq; ſine omni conditione iurata & tradita eſſet ei poteſtas ſuper urbem Mediolanenſium, noluit tamen facere ſtragem ſuper homines perfidos & periuros, ſed permiſit eis potius tempus pœnitentiæ, ita ut muros ſuę ciuitatis ab antiqua gente Barbarorum conſtructos, penitus diruerẽt. Turres quoq; & ędificia ciuitatis funditus ſubuerterent, & de ciuitate exirent, nec ulterius eam ſine licentia inhabitarent.

Mediolanũ traditur in manus imperatoris ſine omni conditionẽ.

Cumq; ad ſubuerſionem urbis ipſi ciues non ſufficerent, aut forte diſſimularent, adiunxit eis imperator in huius rei auxilium Cremonenſes & Papienſes, & aliarum ciuitatũ ciues, qui in auxilio ſuo fuerant, ut eam uiriliter diruerent. Sicq; factum eſt, ut in urbe beſtiæ & feræ, & ſicut in Prophetis ſcriptum eſt, diuerſa dæmonum genera inhabitarent & ferarum. Ciues uero extra urbem in quatuor uicis aliquantulum longe ab urbe remotis collocati ſunt: ubi in tugurijs & mapalijs & uilibus ædificijs multo tempore permanſerunt.

Subuertitur Mediolanum.

Imperator uero nobili potitus triumpho, in oliuarum feſto, in beati Ambroſij baſilica, unà cum oliua triumphalem geſtauit uictoriæ palmam. Proinde imperator tanto ditatus trophæo, Ticinenſium urbem gratanter reuiſit. Vbi in paſchę feſto cum coniuge ſua Beatrice multis ſtipatus principibus, coronatus proceſſit ſecundum decus imperiale, & ad conuiuium ſuum omnes tam ciues quàm aduentantes conuocari præcepit.

Triumphus Friderici in feſto oliuarum cum oliua.

Tunc amputato capite perfidiſſimorum Lombardorum, Placentini & Brixienſes, & alię ciuitates reſiſtentes, imperatori omnino ſe ſubdiderunt. At ipſe Placentinis & Brixienſibus, ſecundum iuramenta ipſorum, pręcepit muros & foſſata deijcere, & turres ciuitatis euertere: & quatenus in una corte non cõſiſtat plus ędificiorum quàm una domus: ſicq; diſpoſuit omnes ciuitates quæ ſibi rebelles extiterant, & ſecundum hæc decreta iuſtitiarios ſuos in eiſdem inſtituit. Ipſeq; partem Octauiani, qui & Victor, ubiq; firmaturus in quantũ poterat, proceſſit. Multi igitur de archiepiſcopis & epiſcopis, & alijs eccleſiarum prælatis propter fauorem imperatoris eidem Octauiano adheſerunt, & forte propter hoc, quia apparebat ualde religioſus homo.

Placentini & Brixienſes ſe dedunt.

Victorem papam firmat Fridericus.

Audiuimus eo tempore apud Mediolanum in quadam baſilica annotatos inueniri duos uerſus, excriptos in quodam lapide ex antiquiſſimo tempore, qui hanc deſtructionem credebantur prenunciaſſe his uerbis.

REX EST VENTVRVS MEDIOLANVM TIBI DVRVS:
REX TIBI CRVDELIS, PER QVADRVM DIMINVERIS.

Hęc de bellis imperatoris plenius deſcripſiſſe ſufficiat exẽpli gratia, ut pateat, quàm uirilem & animoſum ſe exhibuerit in alijs bellis, quæ in annotationibus annorum, ſiue ex deſcriptionibus, ſiue relationibus, prout potuimus inuenire, breuiter explicabimus. Cuncta ſiquidem plene deſcribere, opus faceret immenſum. Annos igitur denotemus.

ANNI FRIDERICI IMPERATORIS.

ANno Domini milleſimo clij. Fridericus rex efficitur, ut ſupra dictū eſt. Anno Domini mill.cliij. Eugenius papa moritur, cui ſuccedit Anaſtaſius natione Romanus, ſedit annū unum, menſes quatuor. Eo anno capta eſt à Chriſtianis ciuitas Aſcalona. Diuortium quoq; factum eſt Conſtantiæ inter F. regem, & Aldam filiam Diepoldi marchionis. Anno Domini milleſimo cliiij. Anaſtaſius papa obijt. Cui Hadrianus iiij. genere Anglicus ſucceſſit, ſedit annos quinq;, menſes tres. Eo anno Reatum ciuitas cœpta eſt reædificari. Et in kalendis Octobris ſol obſcuratus eſt per totam diem, ita quod ſicut luna uidebatur. Tunc F. rex expeditionem Romanam aggreſſus eſt. Anno Domini milleſimo clv. Fridericus imperiali benedictione ab Hadriano papa ſublimatur. In feſto ſancti Michaelis recedens, & poſt annū eodem tempore reuertens. Anno Domini milleſimo clvi. Imperator ueniens in Lombardiam, contra Mediolanenſes cœpit pugnare. Anno Domini milleſimo clvij. Nix magna, & frigus inſolitum circa paſſionem Domini inhorruit: quod mortalitas hominum ad tempus, & exuſtio maxima per totam æſtatem eſt ſubſecuta: & in kalen. Iulij maxima ſeueritas grandinis, & tanta concuſſio uentorum inualuit, ut non ſolū ſegetes conſumeret, & arbores euelleret, ſed etiam ædificia, caſtrorum munitiones humo proſterneret, & in aliquibus eccleſijs campanaria cum campanis deiecta confringeret. Anno Domini milleſimo clviij. Imperator ſecundam expeditionem mouit in Italiam, propter ſecundam rebellionem Mediolanenſium. Tunc Laudam muris firmauit, & Mediolanenſes obſidere cœpit & uaſtare. Anno Domini milleſimo clix. Principes qui relicti fuerant, imperatorē ſubſequuntur. H. uidelicet, dux Saxonum, circa Pentecoſten cum Imperatore in mille ducentis loricis: Vuelfo uero circa feſtum ſancti Michaelis cum trecentis loricatis. Eo anno Hadrianus papa obijt, cui Alexander iij. natione Tuſcus ſucceſſit. Et ſciſma oritur, quod ferè per xx. annos durauit. Omnes autem anni Alexandri ſunt circiter xxiiij. Anno Domini mill.clx. Imperator iam tertio rura Mediolanenſibus uaſtauit, & Cremam expugnauit. Vbi quidam principes ab imperatore ad ſua negocia receſſerunt. Anno Domini mill.clxi. Imperator à Mediolanenſibus fugatus eſt. Anno Domini milleſimo clxij. Imperator Mediolanū deſtruxit. Eodem anno apud Conſtantiam in feſto ſancti Clementis factū eſt diſſidium inter H. ducem, & uxorem ſuam Clæmentiam, filiam C. ducis Zaringiæ. quod de conſilio imperatoris dicunt factū fuiſſe. Duxit quoq; præfatus dux uxorem filiam regis Angliæ H. qui Thomam Cantuarienſem epiſcopum occidit, & dignum martyrem Deo effecit: de qua genuit tres filios, H. qui poſtea fuit Palatinus Rheni: & Ottonem, qui modico tempore fuit imperator: & quendam Vuilelmum. Anno Domini milleſimo clxiij. Imperator redijt in Alemanniam. Eo anno Hugo comes Palatinus de Toingen, in comitatu quem à duce Vuelfone habuit, quoſdam milites Vuelfonis pro ſuis exceſſibus captiuatos ſuſpendit, & caſtrum eorum Moringen deſtruxit. Pro quo dux Vuelfo querimonia eum impetens, pro ſatisfactione debile reſponſum accepit. Cumq; patienter ſuſtinuiſſet, nec à querimonia ceſſaret, procedente tempore, pater dux, filium de Italia reuocauit. Ipſe illò iturus, & negocia terræ per ſe tractaturus, filio omne patrimonium, & poſſeſſiones quas ex parte matris habiturus erat, ex integro tradidit. Anno Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto factum eſt, ut Vuelfo iunior propter præfatam diſcordiam cum multis principibus & baronibus terræ, exercitum deduceret ad caſtrum Toingen: in quo exercitu fertur habuiſſe militum, ſiue armatorum, duo milia ducentos, uel amplius. Hi omnes octauo Idus Septembris, circa ueſperam ſabbati, non longe à Toingen caſtra poſuerūt, & diem dominicum in quiete & otio deducere ſtatuerunt. Cumq; die dominico multi de nobilibus & principibus de facienda concordia & pace plus laborarent & orarent, quidam proterui & minus cauti de caſtris Vuelfi eruperunt, & caſtro Toingen appropinquare cœperunt: quibus alij de caſtro obuiā proceſſerūt.

Nix magna.

Mediolanum ſecundo oppugnatur.

Sciſma eccleſiæ 20. annis.

Mediolanum deſtruitur.

Forte Tubingen.

Bellum Hugonis cum Vuelfone.

Vuelfo iunior obſidet Tubingen.

Sicq;

Sicq; inito conflictu, ortus eſt tumultus in caſtris utrinq;, & ueloces aduolarunt, quod factum eſt circa horam nonam diei. Comes quoq; Heinricus de Veringen uexillifer fuit Vuelphonis, & in comitatu ſuo fuerunt cum pręfata turma militũ tres Epiſcopi, Auguſtẽſis, Spirenſis, Vuormacienſis. Bertholfus dux de Zaringẽ, & alij Marchiones & comites q̃ plurimi. In auxilio uero Palatini erat. F. Cunradi regis filius, & Zolrenſes, & alij q̃ plurimi, multum tamen impares tantæ aduerſariorum multitudini. Inito itaq; conflictu de caſtro ſuper aduerſarios acclamatum eſt, & ex firmioribus locis contra eos pugnatum eſt, ita ut in fugam tanta multitudo uerteretur, ſed neq; fugere potueruut, nam diſperſi ſunt, & confuſi, ita ut ex eis nongenti ferè in captiuitatem traherentur, & alij nemoribus uel ſpeluncis aufugerent. Ipſe quoq; Vuelpho ad caſtrum Achalin, duobus uel tribus comitatus aufugit. Anno Domini Mclxv. Vuelpho ſenior audito tali infortunio filij ſui, de Italia redijt, & cum imperatore hoc egit, ut captiui remitterentur. Facta eſt pax quæ tamen uno tantum anno durauit. Anno Domini Mclxvi. Vuelpho memor iniuriæ priſtinæ, terram Palatini rurſum depopulatur, & duo caſtra ipſius, Kelmunz ſcilicet & Vuilar deſtruit, in quibus lx. de ſuis captiuauit. Tunc Palatinus fractus animo. F. ducem, qui Vuelphoni plęrunq; aduerſabatur, interpellauit. Qui eius conſilio ducem Boemorum cum gente ſua ſæuiſſima eduxit, qui totam Germaniam à nemore Boemiæ, per Bauuariam & Sueuiam, uſq; ad lacum Lemannum immaniter uaſtauerunt, & ſuis ſpurcitijs fœdauerunt. Tandem tamen de prouidentia imperatoris factum eſt, ut dictus Palatinus in manus Vuelphonis & poteſtatem ipſius omnino ſe traderet apud Vlmam, coram imperatore & Principibus. Imperator nanq; exercitum contra Romanos mouere decreuerat, & ideo in Alemannia pacem reformauit. Eo nanq; tempore imperator præmiſerat ad pugnandum contra Romanos Reinaldum Cancellarium, Archiepiſcopum Colonienſem, & Chriſtianum Archiepiſcopum Mogontinum, quos & ipſe cum exercitu conſecutus eſt. Anno Domini Mclxvij. Vuelpho ſenior, circa Epiphaniam iam ſecundo iter Hieroſolymitanum aggreditur, & in Italia imperatorem reperiens, ac filium ſuum cum omnibus ad ſe ſpectantibus gratiæ eius commendans, Paſcha ſanctum apud ſepulchrum Domini peregit. Interea imperator Vuelphum iuniorem multis illectum promiſſionibus, ad ſe in Italiã reuocat, cum alijs Principibus, qui poſt eum remanſerant, qui ſtipendijs acceptis ad ipſum peruenerunt, non longe à Roma. Eo anno expugnati ſunt Romani apud montem Porcum, ab exercitu Reinaldi Colonienſis, & Chriſtiani Moguntini Archiepiſcoporum, ubi alij mortui ſunt, & multi captiuati: & extunc cœpit imperator Romam obſidere, & terras inimicorum ſuorum uaſtare. Multi ſiquidem Romanorum, propter exortum ſciſma, in parte ipſius fuerunt. Cumq; menſe Iulio, circa Romam magnam uaſtationem, & ſtragem populorum faceret, & Vuelpho ſenior reuerſus eſſet ad ipſum, hæc tanq̃ deteſtabilia aſpicere non potuit, ſed ad propria redijt, filium ſuum relinquens ibidem. Mox ultio diuina ſubſecuta eſt, maxima enim pars exercitus Imperatoris mortalitate interijt. Epiſcopus Colonienſis ille, qui totius mali huius, necnon & ſciſmatis diutini incentor fuit, Spirenſis, Ratiſponenſis, Bragenſis, Verdonenſis, Leodienſis, ac cæteri Principes, Fridericus ſcilicet Dux, filius Cunradi regis. Vuelpho Dux filius Vuelphonis Ducis, Berengarius Comes de Saltzbach, Heinricus Comes de Toingen, cum pluribus regni huius maioribus occubuerunt. Quorum omnium pene oſſa, carnibus per excoctionem conſumptis, ad propria reducta ſunt. Tranſlata ſunt autem & oſſa Vuelphonis, & in monaſterio Steingademo à patre ſuo fundato, repoſita ſunt. Anno Domini Milleſimo centeſimo lxviij. & ſequentibus annis, prout oportunitas temporum conceſſit, cœpit imperator in partibus Tuſciæ & terræ Romanæ, caſtra ad ſe ſpectantia, ſuæ poteſtati uendicare, & quædam noua conſtruere, in quorum præſidijs Teutonicos præcipue collocauit. In monte ſiquidem Radicophino, eminentiſſimum caſtrum ipſe primus conſtruxit. Ex quibus Romanos adeo perdomuit, ut Alexander Papa

Comes de Veri

Achalin.

Germania à Bohemis uaſtata.

Chriſtianus archiepiſcopus Mogontinus.

Romani expugnati apud montẽ Porcum

Exercitus Imperatoris mortalitate perit.

Alexander Papa fugit Roma.

coactus ſecederet ab urbe, & in partes Franciæ, ſeu Angliæ, uel Aquitaniæ, ſiue Hiſpaniarum ſe conferret. Nam exortum ſciſma, durabat in tantũ, ut mortuo Octauiano, Vuido in Papam eligeretur: quo defuncto, ſucceſſit tertius Iohannes Frumenſis, quos imperator fouit, & manu tenuit in Apoſtolica dignitate. Milites quippe Teutonicos in dignitatibus Italiæ conſtituit, nam quendã liberum Bideluphum, ducem Spoleti effecit. Marchiam quoq; Anconæ, & principatum Rauennæ, Cunrado de Luzelinhart contulit, quem Italici muſcam in cerebro nominabant, eo ꝙ plerunq; quaſi demens uideretur.

Conradus de Luzelinhart muſca in cerebro.

Per ſingulas quoq; ciuitates iudicibus conſtitutis, receſſit ab Italia, cepitq; in partibus Alemanniæ multa prædia, nunc emptione, nunc procerum donatione, ſeu quacunq; ſucceſſione fiſcali, uel hereditaria, conquirere. Rudolphus quippe comes de Phullendorff, omnia ſua prædia contulit imperatori.

Rudolphus de Phullendorff.

Iiſdem quoq; temporibus, mortuo Adelgozo de Suabegge ſine herede, qui fuit aduocatus Auguſtæ, ipſe imperator tam aduocatiam, ꝙ alia prædia ipſius ſibi uendicauit, ſiue ex conceſſione Epiſcopi, qui tunc erat, ſiue ſucceſſione fiſcali, aut hæreditaria. Sane, quia ciuitatis Auguſtæ mentionem fecimus, quod ſupra omiſimus, in hoc loco de ea latius deſcribamus.

Adelgozus de Suabeg.

DE AVGVSTA VINDELICORVM, uel Rhetiæ.

SICVT ex ſcriptis ueterum colligitur, hæc ciuitas tria nomina accepit. Germanorum quippe gentes primum conſidentes in partibus Rhetiæ, quæ nunc eſt pars Sueuiæ, non longe ab alpibus in planitie, loco tamen munito, propter concurſum duorum rapidorũ fluminum, hanc urbem conſtruxerunt, & non muris, ſed foſſatis eam firmauerunt, & ex nomine Deæ Zizæ, quam religioſiſſime colebant, Zizerim eam nominabant.

Zizeris dicta à Ziza dea.

Huius quoq; Deæ templum, ex lignis Barbarico ritu conſtructum, etiam poſtꝙ Romani eam incolere cœperunt, inuiolatum permanſit, at uetuſtate collapſum, nomen colli ſeruauit, in quo poſtmodum in lapide exculpti, hi uerſus ſunt reperti:

QVEM MALE POLLVERAT CVLTVRA NEFARIA DVDVM,
GALLVS MONTICVLVM HVNC TIBI ZIZA TVLIT.

Zizemberg.

Vnde uſq; in præſens ab incolis idẽ monticulus Zizenberg nominatur. Apud hanc urbem Romani deleti ſunt magna cæde. Nam Titus Annius prætor, ad arcendas Barbarorum excurſiones cum exercitu in kal. Auguſti eam circundedit, ipſeq; ad Meridianam oppidi partem, quæ ſola patebat, caſtra ſua cum legione Martia, operoſiſſime communiuit. Ad Occidentem uero ultra fluuium, ubi Sueuis aut Barbaris aditus patebat, Auar Bogudis regis filius, cum omni equitatu & auxilio Macedonico cõſedit. Igitur quinquageſimo nono die, ꝙ eò uentum eſt, cum is dies Deæ Zizæ apud Barbaros celeberrimus eſſet, ludum ad laſciuiam, magis ꝙ formidinem ciues oſtentarunt. Tunc etiam immanis Barbarorum multitudo, quæ de partibus Sueuiæ illuc conuenerat, de proximis ſyluis repente erumpens, ex improuiſo caſtra irrupit, & Auaris exercitum deleuit. Ipſum quoq; Auar regio habitu indutum, uiuum comprehendentes, crudeliter in modum pecoris mactauerũt. A quo in loco, ubi mactatus eſt, uicus uſq; hodie appellatus eſt, Crieches Aueron, in quo hi uerſus reperti ſunt.

Crieches Aueron.

HIS NOMEN TERRIS BOGVDIS DAT REGIA PROLES
GRAECVS AVAR, PECVDIS DE SVEVIS MORE LITATVS

Oppidani uero non minori fortuna, ſed maiori uirtute pretorem in auxilium ſocijs properantem inuadunt, quibus Romani haud ſegniter reſiſtunt. In quo cõflictu, duo principes oppidanorum, Habino & Caccus, in primis pugnantes cadunt, & inclinata iam res eſſet oppidanorum, ni maturaſſent auxiliũ ferre Sueui in altera ripa uictoria iam potiti. De nominibus autem illorum Principũ interfectorum, extant adhuc loca denominata, nam ruſtici de Habinone uocant, monticulum Habinoberg, in quo hi uerſus reperti ſunt.

Habino. Caccus.

Habinoberg.

PRAEFECTVS HABINO SE VICTVM ATQVE SEPVLTVM, PERPETVO MONTIS NOMINE NOTIFICAT.

A Cacco uero dicunt Geggiuen denominari. Deniq; coadunatis Sueuis & oppidanis, caſtra irrumpunt: & prętorem, qui paulo altiorem tumulũ fruſtra ceperat, Romana ui reſiſtentem obtruncant: legionemq; diuinam, ut nec nuncius cladis ſupereſſet, funditus delent. De hac perdita legione adhuc Perlaich, quaſi perdita legio nominatur ubi poſtmodum hi uerſus ſunt reperti.

Gegginen.

Perlaich, quaſi perdita legio.

INDICAT HIC COLLIS ROMANAM NOMINE CLADEM, MARTIA QVO LEGIO TOTA SIMVL PERIIT.

Solus Verres tribunus militum, amne tranſmiſſo, in proximis paludibus ſe occultans, honeſtam morté ſubterfugit: lacui Vernſe hucuſq; nomé dedit. Verſus.

DAS NOMEN LACVI VERRES QVO TV LATVISTI.

Hic tamen non multo poſt Siciliæ proconſul effectus, turpem mortem promeruit. Nam cum ſe magiſtratui abdicaret, iudicio ciuium damnatus eſt. Propter hunc Verrem tradunt Auguſtenſes hanc cædem fuiſſe eandem, quam ſub Auguſto factam quidam deſcribunt: ſed Varum illum nominant his uerbis. Ea tempeſtate cum tribus legionibus Varus, Romano more, ſuperbe & auare erga ſubditos ſe gerens, à Germanis deletus eſt. Quam militis Romani cladem in tantum ęgre tuliſſe fertur Auguſtus, ut ſępiſſime caput parieti collideret, ac per uim doloris diceret. Quintili Vare redde legiones. Grauiſſimum & atrociſſimum hoc Romanorum ac Germanorum bellum, & poſt Africanum maximum, tribus annis cum quindecim legionibus geſtum, ſcribit Suetonius. Vnde notari poteſt quanti roboris prædicta gens Germanorum fuerit, quæ in ſumma authoritate Romani imperij, tantam ſtragem Romani militis dederit. Vrbs eadem poſtmodum Vindelica à fluuio eſt nominata. Tandem ex nomine Auguſti, per Claudium Druſum, qui eam reparauit, ſeu muniuit, Auguſta eſt dicta. Idem enim Druſus apud Rhenum, ut ſupra dictum eſt iiij · ab Auguſto imperator Mogontiam conſtruxit: ubi adhuc monumentum eius monſtratur in modum pirę.

Lacus Vernſe.

Cædes Auguſtæ, ſub Auguſto per Varum facta.

Quintili Vare legiones redde.

Suetonius in Octauio Auguſto.

Robur Germanorũ.

VINDELICA AVGVSTA.

D. *Georgius Spalatinus in hiſtoria Arminij, quam ex Plinio, Strabone, Cornelio Tacito, Velleio Paterculo, Paulo Oroſio, Lucio Floro, Tetmaro Epiſcopo Mersburgẽſi, & D. Alb. Kr. collegit diligẽter, probat cædem legionũ Vari factam in ducatu Bergẽſi, uel Iuliacenſi, intra Rhenũ & Vuiſarã, ubi Milætus Heros Germaniæ, Brutus Arminius, uel Hermañus habitauit. Cornelius Tacitus lib.1. Annalium ſcribit, oſtendens inter Albim & Rhenum, imo inter Luppiam & Amiſiam amnes in Teutoburg· ſaltu Varum cum copijs cecidiſſe· Verba eius ſunt: Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumq; Amiſiam & Luppiam amnes inter uaſtatum haud procul Teutoburgienſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari legionũq; inſepultæ dicebantur. hæc ille. Sunt qui putãt, inter Caſſulam Heßiæ urbem & Padebornam Vueſtphaliæ Romanorũ ſtragem factam. Eius oræ cultores digito monſtrare poterũt ſaltum Teutoburgienſem & pugnæ locum. Aeneas Siluius putat Mogonciaci geſtam. Strabo libro 7. in Cheruſcis æditam affirmat. Recentiores hiſtorici, Otto Friſingenſis lib.3. cap.4. Picus in Stauroſtico, Nauclerus, Huttenus, et noſter Vrſpergenſis apud Auguſtam Rhetiæ Vindelicorũ. Iudiciũ eſto apud lectorem.*

Sed iam redeamus ad propoſitũ, ut ulterius annos deſcribamus. Anno Dñi Mclxix. Año Dñi Mclxx. Terrę motus maximi facti ſunt, & ingens inũdatio aquarum, menſe Sept. Anno Dñi Mclxxi. Anno Dñi Mclxxij. Anno Dñi. Mclxxiij. Anno Domini Mclxxiiij. Ciuitas Interamme deſtructa eſt, menſe Martio.

DE TERTIA REBELLIONE MEDIOLANENSIVM.

ANno Domini Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto, Alexandria obſeſſa eſt ab Imperatore Friderico, Mediolanenſes quippe priſtinam renouantes perfidiam, conſpirationem inierunt cum alijs ciuitatibus Lombardiæ. Quæ omnes uno die ſtatuto, iudices imperatoris cum ſuis fautoribus à ſe expulerunt, quoſpam ſuſpendentes, quoſdam nudos relinquentes. Quod factum eſt propter multiplices inſolentias, quas Teutonici in partibus illis exercebant. Accepta quoq; occaſione à ſciſmate Romanæ Eccleſiæ, & ab excommunicatione imperatoris, & ut creditur de autoritate Alexandri Papæ, ſpretis iuramentis, cœperunt rebellare, & ideo Mediolanenſes reædificantes quandam ciuitaté ab imperatore prius deſtructã, ob honoré Alexandri Papę uocauerũt eã Alexandriam.

Alexandria obſeſſa à Friderico.

Alexandria dicta in honorem Papæ Alexandri.

Cremonenſes

Alexandria dicta Palea.

Heinricus dux Saxoniæ perfide agit cum Friderico.

Iordani officialis argute dictum.

Fridericus Imperator ſeruit.

Conſpiratio Henrici contra Fridericum.

Teutonicorum mos.

Lex Duellionum.

Ducatus Noricus cōceditur Ottoni Palatino de Vuitilinſ.

Ducatus Saxoniæ datus Bernhardo de Anhalt.

Cremonenſes uero & Papienſes, & alij fautores imperatoris, in deriſionem Mediolanenſium, & ob utilitatem ędificiorū, nominauerunt eam Paleam, quaſi de ſtramine factam. Erat tamen circūdata foſſatis, & muris firmiſſimis, in quam plurimi Mediolanenſium ſe contulerunt, alij uero, prout poterant, ſuam ciuitatem reædificabant. In hac obſidione imperator non profecit, nam dux Heinricus de Saxonia, nepos ſuus perfide ab eo receſſit, ſumpta occaſione de excōmunicatione, & forte accepta pecunia. Quem, ut referunt homines, ſecutus eſt Imperator, & ad ipſum ueniens ſuper lacum Cumanū, cum magna humilitate poſtulauit, ut ſe nō deſereret: ita, ut uideretur pro tali petitiōe ad pedes eius ſe uelle demittere, quod dux diſcrete recuſauit. Quidam autem Officialis ipſius Ducis, Iordanus nomine, narratur ſuperbe dixiſſe. Sinite domine, ut corona imperialis ueniat uobis ad pedes, quia ueniet & ad caput. Tunc imperator compulſus exercitum ſuum dimittere, cum maximo labore, auxilio pręcipue Taurinenſium & Nouarienſium, egreſſus eſt de Italia, per montem Iouis, tendens in Burgundiā, terram uxoris ſuæ, in quibuſdam etiam locis adeo anguſtiatus, ut accepta tunica ſeruientis, ſeruum ſe eſſe ſimularet, & equos tanq̄ ſeruus procuraret. Tandem ueniens in Alemanniam, præfatum ducem de traditione & crimine lęſæ maieſtatis impetiuit. Dux ſiquidem ipſum pręueniens, in Sueuia fecerat conſpirationem contra imperatorem, & pręcipue cum Zolrenſibus & Veringenſibus, & quibuſdam alijs comitibus. Aſt imperator ipſum ducem frequenter euocat ad curiam, ad obiecta reſpōſurum. Vbi quidam Principes & Barones, fautores ducis, more Teutonicorum, qui ſine lege & ratione uoluntatē ſuam pro iure ſtatuentes, contra imperatorem hoc ius tenere uolebant, ut imperator ducem cōdemnare non poſſet, uel terras ſuas abiudicare, niſi infra terras ducis placitum ſtatueret. Porro quidam nobilis exurgens in medium, propoſuit ꝙ lege duellionū, quod & lege & ratione firmatur, hoc uellet obtinere, contra quemlibet ſecum pugnare uolentem, ꝙ imperator quemlibet Principē poſſet euocare pro iuſticia ad locū quemcunq; uellet, infra terminos ſui imperij exiſtentem. Cunq; nullus iſti ſe offerret ad pugnam, edicto imperatoris pręfata ſententia pro iure perpetuo ſtatuta eſt, quā non dubium eſt autoritate & ratione firmari. Cumq; imperator pręfato duci abiudicaſſet ducatus ſuos, & alia bona, ſingula conceſſit his, quibus apta erant ad retinendum. Sicq; factum eſt, ut ducatum Noricum concederet Ottoni Palatino de Vuitilinſpach, cuius & ſupra mentionem fecimus. Qui fretus auxilio fratrum ſuorum, Conradi uidelicet Saltzburgenſis Archiepiſcopi, qui poſtmodum fuit etiam Mogontienſis Archiepiſcopus, Ottonis quoq; fratris ſui, quem effecit Palatinum, cuius filius poſtea Philippum regem interfecit, necnon & Friderici, qui dicebatur Barbatus. Horum inq̄ auxilio ducatum uiriliter obtinuit, & ducem de partibus illis expulit. Ducatum uero Saxoniæ contulit cuidam nobili Bernhardo de Anhalde, filio ſupradicti Alberti, qui etiam uſq; ad tempora noſtra ſuperuixit. Huic auxiliū prębebat Colonienſis Archiepiſcopus Philippus, & Mogontienſis, et Lantgrauius de Thuringia, qui impugnantes ipſum ducem in Saxonia infra unum menſem, de caſtris ipſius firmiſſimis, ſicut relatu didici xvi. expugnauerunt, & ipſum de terra uſꝙ Brunſuig expulerunt, de qua ciuitate nec ipſe, nec eius progenies adhuc potuit expelli. Imperator uero bona ipſius multis diſtribuit, præter ea quæ Vuelphoni patruo eiuſdem, & ſuo auunculo dereliquit, quę tn̄ omnia poſtmodū ceſſerunt imperatori, ſiue hæreditaria ſucceſſione, ſiue fiſcali.

Papa Caliſtus.

ANno Domini Mclxxvi. Imperator rurſus impugnare cœpit Lombardos, cōmiſſumq; eſt pręlium inter eos pridie kal. Iulij. De quo tamen ſine uictoria receſſum eſt. Eodem anno ix. kal. Auguſti, reformata eſt pax inter Alexandrū papam, & imperatorem apud Venetias. Nam pars Alexandri cœpit præualere tam in ciuitate Romana, q̄ in tota Italia, propter fauorem Vuilelmi Siculi. Vnde poſtmodum v. kal. Auguſti, Iohannes Frumenſis, qui dicebatur papa Caliſtus, renunciauit ſciſmati, & iuit ad pedes Alexandri, ſicq; diutinum ſciſma quieuit, & bella duriſſima cœperunt tepeſcere. Imperator quippe iam uergens in ſenium,

nium, quieti cœpit operam dare, & utilitatibus filiorum ſuorũ intendere: quinq; enim iam genuerat filios, Heinricum uidelicet, quem deſignauit fieri imperatorem. Fridericum quoq;, quem effecit ducem Sueuorum, & Ottonem, qui poſtmodum habuit terram matris ſuæ, necnon Cunradũ, qui mortuo prædicto Friderico, fuit dux Sueuorum, ſed & minimum Philippum, qui mortuo Heinrico, ſucceſſit in regnum.

Filij Friderici Barbaroſſæ. 1. Heinricus. 2. Fridericus. 3. Otto. 4. Conradus. 5. Philippus.

Eo tempore iam bellis nimis fatigatus imperator, Lombardis omnibus condixit curiam apud Conſtantiam, ubi Principes & poteſtates eorum ſe repræſentauerunt, & pacta quædam de faciendo ſeruitio imperatori, de ſingulis ciuitatibus Lombardię ibidem ſtatuta ſunt, quæ adhuc dicunt ſe tenere in ſcriptis, nec ad ſeruiendum ultra hæc compelli uolunt. Sicq; pax reformata eſt. Anno Domini Mclxxvij. Anno Domini Mclxxviij. Anno Domini Mclxxix. Anno Domini Mclxxx. Idus Sept. hora ix. Sol Eclipſim paſſus eſt. Anno Domini Mclxxxi. Imperator apud Mogontiam maximũ feſtum & conuiuium celebrauit, conuocatis ibidem Principibus & Baronibus totius regni, ſed & de alijs regnis q̃ plurimis. In quo conuentu duo de filijs ipſius, uidelicet. H. rex. & F. dux, gladios accinxerunt. Deſponſauit quoq; poſtmodũ prędicto. H. filio ſuo dominã Conſtantiã filiam Rogerij, quondã regis Sicilię, quã tunc in poteſtate habebat, Vuilelmus patruus eius, qui eam enutriuit, & ipſius nomine regnum gubernauit. Alteri quoq; filio ſuo. F. duci deſponſauit filiam regis Vngariæ, qui tamen morte præuentus, ipſam non tranſduxit. Anno Domini Mclxxxij. Alexander Papa celebrauit concilium generale in baſilica Lateranenſi. xiiij. kal. April. licet alibi reperiatur, quòd ipſum celebrauerit anno Domini Mclxxix. Sed poteſt eſſe q̃ tunc cum aliquibus Epiſcopis Italiæ Synodum habuerit. Anno Domini Mclxxxiij. Alexander obijt. Cui ſucceſſit Lucius iij. natione Tuſcus. Sedit annos vi. men. & diem. Hic rurſus contra imperatorẽ quaſdã controuerſias excitauit, pro quibus ſedandis, condicitur placitum, apud Veronam, ubi cum eſſent ambo, Lucius mortuus eſt, & ibidem ſepultus. Super cuius tumulum hi uerſus annotati referuntur.

Gladios accingere.

Heinrico deſponſatur Conſtantia, Rogerij filia.

Friderico deſponſatur regis Vngariæ filia.

Lucius Papa.

LVCI LVCA TIBI DEDIT ORTVM, PONTIFICATVM
HOSTIA, PAPATVM ROMA, VERONA MORI.

Fuerat enim Epiſcopus Hoſtienſis, anteq̃ eſſet Papa. Anno Domini Mclxxxiiij. Anno Domini Mclxxxv. Lucius Papa obijt, ut dictum eſt Veronæ. Tunc Cardinales qui cum ipſo erant, de reditu ſuo plurimũ ſunt anguſtiati, timebant enim ab imperatore aliquam uiolentiam ſibi inferri, ſuper electione ſummi Pontificis. Sane Mediolanẽſes Archiepiſcopus ipſos ſecure deducit, uſq; Rauennam, quem & ipſi in Papam elegerunt, dictusq; eſt Vrbanus iij. quem multi Turbanum uocauerunt, eo q̃ cum eſſet Mediolanenſis natione, in odium imperatoris uolebat turbare Eccleſiam, quę iam pauliſper quietem acceperat, ſed nutu Dei percuſſus, interijt. Sedit enim annum unum, menſes x. & dies xxv. Anno Dñi Mclxxxvi.

Vrbanus tertius Papa, Turbanus dictus.

ANno Domini Mclxxxvij. Eclipſis ſolis facta eſt, in feſto S. Iohannis Baptiſtæ, in hora vi. diei. Eodem añо Vrbanus Papa obijt. Saladinus quoq; rex Perſarũ, ciuitatem Hieruſalem cepit, & crucem Domini aſportauit. Factaq; eſt cędes magna ex merito populi Chriſtiani, & penè tota terra Hieroſolymitana extirpatis Chriſtianis in poteſtatem Sarracenorum deuenit, quam tunc incolebãt Latini. Quomodo autem terra eadem in poteſtatem Latinorum deuenerit, aut tunc perdita fuerit, breuiter deſcribemus, ſicut in ſcriptis cuiuſdam inuenimus, & qualiter mundus totus ad eius ultionem ſe armauerit, dicamus.

Saladinus rex Perſarum Hieruſalẽ capit.

Cum olim terram Hieroſolymitanam Græci, ſub quorum ditione fuerat, perdidiſſent, & longo tempore in poteſtate Sarracenorũ extitiſſent, Latini de perditione terrę cõmoti, collecto exercitu uenerunt, & partes Antiochenas intrantes, auxiliante Domino, terrã recuperauerunt. Horum Principes erãt hi. Goteſridus de Bulion, qui poſtmodũ dñs fuit terrę Hieroſolymitanę, & Baymont, qui princeps extitit Antiochiæ, & quidam alij. Cumq; poſt modum ſemen Gotfridi in tertia generatione defeciſſet, perſonæ terræ Iſrahel, & Barones apud Principes

ultramari-

ultramarinos miſerunt, rogantes ut principem deſtinarent, qui eos regeret, & fu
Fulco Andegauenſis. rentibus reſiſteret Sarracenis. Qui, habita deliberatione, elegerunt quendam Ful
conem Andegauenſem uirum ſtrenuum, regis Angliæ proxima linea conſangui
neum: & miſerunt eum ad terram Hieroſolymitanam. Hic rex coronatus, ſtre-
nuiſſime rexit terram: duosq; filios reliquit, Baldeuuinum & Almericum. Quo
rum primogenitus Baldeuuinus patri ſucceſſit in regnum, uir ſtrenuus & ſapi-
ens. Quo ſine liberis decedente, ad fratrem ſuum Almericum regni poteſtas de-
uoluta eſt. Qui ex uxore ſua ſibi plurimum conſanguinea duos habuit liberos: ſci
Baldeuuinus. licet Baldeuuinum & Sibiliam. A qua uxore cum fuiſſet iudicio eccleſiæ ſepara-
Sibilia. tus, accepit neptem Emanuelis Imperatoris Conſtantinopolis, Pollinam: ex
Yſabel. qua habuit filiam, nomine Yſabel. Mortuo uero Almerico, Baldeuuinus filius
eius regnauit pro eo, uir ſtrenuus & ſapiens & iuſtus: ſed, occulto Dei iudicio, le
Guilelmus de Longa ſpe. proſus fuit. Hic ſororē ſuam Sibiliam Vuilelmo de Longa ſpe cognomine, Mar
chioni de monte Ferrato, tradidit in uxorem: & ipſum comitē Ioppenſem con-
ſtituit: qui uidelicet Vuilelmus ex ea filium genuit, etiam nomine Vuilelmum.
Poſtea mortuus eſt pater eius de Longa ſpe cognomine, uir probus in armis, &
placidiſſimus. Rex uero Baldeuuinus, cum eſſet leproſus, & nollet uxorem acci-
Baldeuuinus moritur. pere, nepotem ſuum Vuilelmū, filium Sibiliæ & marchionis, coronauit regem:
relinquēs eum in tutela Raymundi comitis Tripolitani. Mortuus eſt autem rex
Baldeuuinus: & ſepultus eſt ad patres ſuos. Sibilia uero ſoror eius comitiſſa Iop
pæ, iam nupſerat cuidam militi Vuidoni de Liſignano, uiro ſatis armis ſtrenuo,
ſed fortuna & ſcientia inferiori. Sibilia uero mater pueri comitiſſa Ioppæ, cum
patriarcha Eraclio, & alijs terræ perſonis procurauit ꝙ ſibi & uiro ſuo Vuidoni
regnum daretur: qui coronati ſunt ignorante & irrequiſito comite Tripolitano
qui fuerat à rege Baldeuuino regni procurator, & baiulus conſtitutus: ob quam
cauſam cœpit ea machinari, quę poſſent in regis redundare dedecus: & tā ipſo,
ut dicitur, procurante, q́; etiam noſtris peccatis exigentibus: culpa quoq; Reinal-
di principis de Moreal, qui Treugas, quas regnum Hieroſolymitanum cum Sar-
racenis habebat in perpetuū, maxima præda capta, confregit. Irruerunt Sarrace
ni in regnum Hieroſolymitanū: & capto rege & baronibus & populo intruſo
ligno quoq; dominicæ crucis, & Hieruſalem hæreditate Dei, & ciuitatibus & ca
Tyrus. ſtellis uniuerſis, anno dominicæ incarnationis M. clxxxvij. totum regnum uſq;
ad internitionē contriuerunt. In quo regno ſola Tyrus, urbs in medio cordis ma
ris ſita, & fere à mari circundata, excidio perpetrato, remanſit. Quā poſtmodum
Cunradus de mōte Ferrato Cunradus marchio de monte Ferrato, frater Vuilelmi, quem ſupra memoraui-
mus, laudabili ſtrenuitate defendit: & Sarracenis, tam in mari q́; in terris, reſtitit
glorioſe. Prædicti namq; excidij dato paſſim rumore per orbem, fremuerunt
gentes, & commota ſunt regna: uenerunt à finibus terrę tribus domini, liberare
ſacrificium eius de manibus ipſorum qui portant iniquitatem in cubilibus ſuis:
& de ſua uirtute deceptorie præſumunt. De Italicis ergo primi iniuriæ Chriſti
occurrunt homines bellicoſi, diſcreti: & regula ſobrietatis modeſti, prodigalita-
tis expertes, parcentes expenſis cum neceſſitas non incubuerit: & qui inter o-
mnes gentes ſoli, ſcripta legum ſanctione regūtur. Hi ducem proprium non ha-
Obſidio urbis Acon. bentes, cum ſuis, quos elegerant, tribunis ad obſidionem urbis Acon, cum ipſo
rege Vuidone, qui fuerat à captiuitate liberatus, perrexerunt.
Ciuitas Acon, quę antiquitus Ptolomaida uocabatur, in littore maris eſt poſi-
ta: & eſt ipſo mari à meridie & occidente percluſa: ab oriente uero & ſeptentri-
one tota patet. Ex qua parte rebellantibus terris, refertam Italici urbem obſede-
runt. Quos poſtmodum ueniens Saladinus cum multitudine infinita obſedit,
Daci, Normāni, Goti, Franci gentes bellicoſæ. credens illos propter paucitatem plenius poſſe delere: ſed, miſericordia fauente
diuina, ei in contrarium ceſſit. Nam diebus paucis euolutis, uenerunt Daci, Nor-
manni, Gothi, Franci, & cæteræ gentes inſularum, quæ inter occidentem & ſe-
ptentrionem ſitę ſunt, gentes bellicoſę, procerę corpore, mortis intrepidę: naui-
Naues rotundæ Hilnachiæ bus rotundis, quæ Hilnachiæ dicuntur, aduectę. Hi, ſi non ſuperueniſſent, Chri-
ſtiani funditus eſſent demoliti. Iſti cum ipſis Italicis ciuitatem obſederunt. Dum

hæc apud Acon geruntur, Fridericus imperator Romanorum, cum exercitu perſpicuo de Teutonica egrediens, per Vngariam & Bulgariam tranſiens, in manu forti & brachio extento in Licaoniam tranſuectus eſt: ibiq; de Philomena & Iconio & alijs ciuitatibus glorioſe triumphans, Soldano & Turcis rebellantibus domitis, deuenit in Armeniam: ubi peccatis noſtris promerentibus, dum in æſtu maximo in flumen, quod Serram incolæ appellant, lauandi gratia, deſcendiſſet, mortuus eſt: & acceſſit damnum inæſtimabile Chriſtianis.

Fuit autem Fridericus imperator uir Chriſtianiſſimus, bellorum omnium triumphator, animoſus, manſuetus, familiaris, quibuslibet uictis clementiſſimus, obliuioſus iniuriæ, ſtatura mediocris, corpore rufus, ætate longæuus: & qui corporis ſtrenuitate non erat inferior quolibet ducatu regiminis. Huic in regendo exercitum ſucceſſit filius eius nomine patris ſui Fridericus dux Sueuię, armis ſtrenuiſſimus, quo per Armeniam ducente exercitum, in confinio ipſius Armeniæ & Syriæ, nō longe à nobilitate Antiochiæ ingens plaga deſęuit in Alemannorū exercitum: ut uel propter intemperiem aetis, uel ciborum abundantiam à quibus ſe temperare neſciuerunt, fere omnes mortui ſunt, ac ſi nollet Deus membra ſuo capiti ſuperuenire. Ipſe autem dux Sueuiæ cum paucis ad obſidionem Acon deuenit: ibiq;, paucis diebus euolutis, mortuus eſt. Fuerunt autem in exercitu imperatoris iſti principes & barones, dux Sueuiæ, dux Bertholdus Meraniæ, Epiſcopus Herbipolenſis, archiepiſcopus Tarantaſianus, Epiſcopus Monaſterienſis Epiſcopus Patauienſis, Epiſcopus Oſſiburgenſis, Epiſcopus Miſniēſis, Hermannus marchio Badenſis, Fridericus de Bergilen, Cunradus de Dombach, & Fridericus frater eius, Gobertus & Poppo, & multi alij quos labor eſſet nominare. Interea ueneratad obſidionem Acon, Philippus comes Flandriæ, Theodebaldus & Stephanus comes Campaniæ, Heinricus eorum nepos, qui poſtea dominus Hieroſolymitanæ urbis remanſit, & dux Burgundiæ, & Ludouicus Langrauius Thuringię, & plures alij principes & barones. Cœperunt potius omnes in exercitu operam dare, q̄ expugnare ciuitatem. In diebus illis fames ualida facta eſt in exercitu ita quòd ueſtes & arma cogerentur milites ob uictum diſtrahere, & mactare equos: una enim galina marſupium magnum euacuabat. Immo, quod deterius eſt, auro cibaria non poterant inuenire.

Fridericus amne ſuffocatur.

Dotes Friderici.

Fridericus dux Sueuiæ.

Alemānorum exercitus moritur.

Forte Morauiæ.

Fames in exercitu.

Eodem tempore Cunradus marchio, quem ſupra memorauimus, homo ſagaciſſimus, habens ciuitatis Tyri dominium, cœpit ad regni Hieroſolymitani gubernaculum aſpirare: & in tantum ſua aſtutia proceſſit, q; Yſabel filiam regis Almerici à uiro ſuo auferendo, qui regionis ultra fluuium dominus fuerat, fecit eccleſiaſtico iudicio ſeparari: ipſamq; in uxorem accepit.

Cūradus marchio.

Eiſdem temporibus Philippus Francorū rex peruenit ad obſidionem Acon: poſt cuius aduentum, aliquantis diebus tranſactis, Richardus rex Anglię deuicta inſula Cypri, & bonis omnibus ſpoliata, ad eandem obſidionem peruenit. Venit autem cum eiſdem regibus, omnium innocentia malorum, filia diaboli potentiſſima, regina inferni, diſcordia: & ſedit in medio eorum, cum ſorore ſua pri mogenita macilenta & liuida, inuidia ſcilicet: & tam ipſos reges q̄ etiam totum Chriſtianorū exercitum, in diuerſas uoluntates & actiones diſtraxit. Cum enim Francorum regi pugna contra ciuitatem placeret, Anglico diſplicebat: & quod placebat Anglico, diſplicebat Franco: & in tantum huiuſmodi aucta eſt diſcordia, q; fere inter ſe inteſtinum mouerent bellum: & inter omnes alios Principes & barones duorum regum effuſa eſt diſcordia. Cum rege Franciæ iſti fautores erant, dux Burgundiæ, comes Clarimontis, marchio Cunradus, cuius potentia magna erat in exercitu, Templarij Ianuenſes, Langrauius de Thuringia, comes Rupertus, et Beluacenſis epiſcopus. In parte regis Anglię fuerunt iſti, comes Flandrenſis, comes Campaniæ, rex Vuido, Hoſpitalarij, Piſani, & plures alij.

Diſcordia in exercitu, comite Inuidia.

Anglicus.

Francus.

His diebus Sibilia uxor regis Vuidonis cum duobus filijs ſuis mortua eſt: & marchio magis & magis ad regnum aſpirauit. His etiam diebus mortui ſunt comites, Stephanus & Tibaldus frater eius, milites ſtrenui & ſapientes: mortuus eſt comes Flandriæ, & Langrauius de Thuringia, uir per omnia ſtrenuiſſimus, &

celebri fama in perpetuum nominandus. Erectis igitur machinis & caſtellis contra mœnia ciuitatis Acon urbem fortiter expugnare cœperunt, & Sarraceni non minus fortiter reſiſtere, cōburentes ædificia, quę Chriſtiani erexerant. Tandem uolente Domino, muri ciuitatis cœpere frangi, propter utriuſq; regis ædificia, & turris quę dicitur Maledicta, iactis lapidibus conquaſſari. Vnde Chriſtianorum animi eriguntur, Sarracenorū deprimuntur. Iam enim poterāt Chriſtiani fractis muris ingredi ciuitatem. Tunc Sarraceni pacta quærunt, reddere ciuitatē promittunt, & crucem dominicā, & captiuos Chriſtianos, ſi ipſis tantummodo uita ſaluaretur. Pacta placent, per manus marchionis in poteſtate regū reddunt ciuitatem, & inter ipſos reges diuiduntur Sarraceni, qui fuerunt intra inuenti. Poſtea uero cū pacta ſeruare nequiſſent, quoniam crux dominica nullo modo potuit inueniri, omnes decollati ſunt. Rex Franciæ nacta occaſione receſſit, loco ſui milites duci Burgundiæ cōmiſit. Anglorum uero rex in terra Hieroſolymitana remanſit, & reædificauit Ioppen, & Aſcalonam. Saladinū & exercitum eius bello confregit. Mercatores Saladini ad Damaſcum euntes, ſpoliauit & cepit. Ioppen poſtea à Sarracenorum inſultibus liberauit ſtrenuiſſime. His diebus Cunradus marchio dn̄s eſt terræ Hieroſolymitanæ factus, & poſt paucos dies ab Aſſeſſino interfectus fuit in Tyro. Quæ fuerit cauſa interfectionis eius, plus in opinione, q̄ in ueritate repertum habeo. Quidam dicunt, quod rex Angliæ mortem eius procurauit, propter hoc quod ſororem ſuam noluit in uxorem accipere. Alij dicunt quod Honfridus dominus de Moreal fecit eum occidi, propter hoc quod ſibi uxorem ſuam Yſabel abſtulerat. Alij dicunt, quod propria uoluntate motus eſt Aſſeſſinus ad ipſum interficiendum, propter hoc quod quoſdam mercatores terræ ſuæ apud Tyrum clam interfici fecit.

Conradus marchio dominus terræ Hieroſolymorum.

Conradi dotes.

Fuit autem Cunradus uir armis ſtrenuus, ingenio & ſcientia ſagaciſſimus, animo & factu amabilis, cunctis mundanis uirtutibus prǽditus, in omni conſilio ſupremus, ſpes blanda ſuorum, & hoſtium fulmen ignitū: ſimulator & diſſimulator in omni re, omnibus linguis inſtructus: reſpectu cuius facundiſſimus reputabatur elinguis: quē in hoc ſolo plurimū fuiſſe culpabilem reputo, q alterius uxorem, marito uiuente, ſeduxit, & fecit à uiro ſuo ſeparari, ipſamq; uxorem accepit: ſed inuidiæ ſpiritus plurima contra eum cōfinxit. Idem Vuido rex Hieruſalem, ſub cuius infortunio ſanctum regnū deceſſit, factus fuit rex Cypri à rege Angliæ. Mortuo uero Cunrado marchione, Heinricus comes Cāpaniæ accepit Yſabellā filiā regis Almerici in uxorē, quę fuerat uxor marchionis, & dominiū terrę Hieroſolymitanę ſuſcepit. Rex uero Anglicus inter Sarrac. & Chriſtianos quinquennalibus treugis cōpoſitis receſſit. Qui captus in Teutonica Auſtrię & traditus imperatori Heinrico cc. millia marcarū argenti in ſua redēptione perſoluit. Liberatus uero, in patriam propriā deuenit, ibiq; poſtmodū fuit à quodam milite occiſus.

Vuido rex Hier.

Rex Anglicus captus in Teutonia Auſtriæ.

Fuit autem Richardus rex Angliæ homo ferociſſimus, fauorabilis, gloriæ cupidus, pecuniæ liberalis, quocunq; ipſum trahebat ſequens impetus, & quem ipſi Sarraceni & populus Chriſtianus & alij timuerunt. Treugis ergo ſic diſpoſitis, & ab utraq; parte conſeruatis, pax habita eſt in terra ſancta.

Situs terræ ſanctæ & ciuitatis Hieruſalem.

Gregorius VIII. papa.

De diſpoſitione uero terræ ſanctæ, & ſitu ciuitatis Hieroſolymitanę omittimus interponere, ne ſeriem rerum geſtarum uideamur interrumpere. in anno prænotato, uidelicet mclxxxvij. ſucceſſit Vrbano in ſede apoſtolica Gregorius viij. natione Beneuentanus: ſedit menſes duos. Hic primum literas tanſmiſit in orbem pro liberatione terræ ſanctę, multa ſtatuens de correctione morum, tam in clero q̄ in populo, utpote de ſuperfluitate ueſtium, & choreis, & alijs uanitatibus uitandis. Cui ſucceſſit Clæmens iij. natione Romanus, ſedit annos duos. Eo anno Fridericus imperator, iam cruce ſignatus, conuentum principum apud Nurimberc coadunauit: ubi de pace terræ diſpoſuit, & in literas redigi iuſſit: quas literas Alemanni uſq; in pręſens Fridebrief, id eſt literas pacis, uocant nec alijs legibus utuntur tanq̄ gens agreſtis & indomita. Quarum tenorem huic operi duximus inſerendum, quatenus ſaltem lex tam decurtata non pereat de hominum memoria.

Literæ pacis.

Frid brief.

Lex

LEX FRIDERICI IMPERATORIS.

FRidericus Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Decet fidelitati noſtrę, tempora generali populorum prouinciarum tranquillitati circumſpectionis noſtræ ſtudio prouideri, ut dum in ſubiectis dominationis uirtute pollemus, reprobos quoslibet ac ſcelerosos à ſubditorum iniurijs arceamus æquitatis noſtrę correctione. Conſiderantes quippe quę damna, quantæq; deſolationes hominum & prouinciarum, per ſeditiones & incendia prouenerint, & quantos præterea futurorum timores reportent ea quæ de conſcientia & conſilio principum, & aliorum fidelium noſtrorum, tam liberorum, quàm miniſterialium, ad reprimendos incendiariorum inſolentias, imperialis noſtra ſanxit autoritas: uniuerſalis imperij fidelibus nota fieri uolumus, & ſicut in caſtro noſtro Nurinberc, hęc ordinata & confirmata ſunt, firmiter indicimus obſeruanda.

Inſolentiæ incendiariorum.

Primum igitur de incendiarijs demandamus generaliter, ut ſi liber homo, ingenuus, miniſterialis, uel cuiuſcunq; conditionis fuerit, incendium commiſerit pro uuerra propria, pro amico, pro parente, uel cauſæ cuiuſquam alterius occaſione, de ſententia & iudicio imperiali, proſcriptioni ſtatim ſubiectus habeatur.

De incendiarijs in cõmuni.

Hic excipiuntur, ſi qui forte manifeſta uuerra caſtra manifeſte capiũt: & ſi qua ibi ſuburbia, aut ſtabula aliá ue tuguria præiacent, igne ſuccendunt. Excipiuntur & iudices quos in malefactores pœnam iuſticia exigente exercere contingit. Quod ſi aliquis in ducatu alicuius incendium fecerit, ipſe proſcriptum pronunciet, ac deinde iuſticiæ ſuæ autoritate eum proſcribat. Idipſum faciant marchiones, palatini comites, lantgrauij, & comites alij, nec alicui eorũ liceat talem abſoluere, niſi domino imperatori. Quicunq; etiam incendiarium in domo ſua ſcienter receperit, & conſilium auxiliumue ei impenderit, damnum & iniuriam paſſo pro facultate ſua reſtituat. Iudici uero x. libras monetæ de illa dioceſi in qua commiſſum eſt, perſoluat, ac domino Imperatori pro uoluntate & gratia ſua diſponat. Si quis autẽ ſuper hac culpa innocentiam ſuam probare uel oſtendere uoluerit, cum duobus uiris uera culpa in præſentia iudicis ſe expurget. Si quis autem cuiquam impoſuerit, quod incendiarium receperit, & de hoc ipſum iure uoluerit conuenire, hoc nequaquã ei fieri liceat, niſi præſtito primo calumniæ ſacramento. Dominus etiam imperator proſcriptorum neminem à ſententia proſcriptionis abſoluat, niſi de illicitis primo damnis cum iniuriato cõponat, & niſi conſciente iudice hoc faciat. Proſcriptum uero, quẽ pro incendio ſententiam proſcriptionis incurriſſe omnibus notum fuerit, Dioceſianus epiſcopus, ſi ad ſatisfactionem inobediens exiterit, à communione eccleſiæ Dei & fidelium Chriſti abijciat, & extraneum eum reddat, nec eum abſoluat, quoaduſq; læſo damnum reſtituat: & econuerſo, quem epiſcopus legitimis inducijs citatum iuſticia dictante excommunicauerit, & hoc iudici inſinuauerit, iudex eum banno proſcriptionis condemnet, & nec prius eũ abſoluat, quàm coram epiſcopo de his pro quibus condemnatus eſt, ſatisfaciat. Quod ſi à proſcriptione illa prædicto modo fuerit abſolutus, & epiſcopo ſuo uoluerit obedire, incendium primo abiuret. deinde ſit in arbitrio epiſcopi, qualem ei pœnam iniungat, ad uiſitandum ſepulchrum Domini, aut limina Iacobi Apoſtoli.

Pœna iniungenda incendiarijs.

Si autem proſcriptus eo, ut dictum eſt, modo abſolui deſiderauerit, domino imperatori fines imperij per annum & diem abiuret. Si quis autem à proſcriptione & excommunicatione ſimiliter non fuerit abſolutus infra annũ & diem, uniuerſo iure, honore, & legalitate priuatus habeatur, ita ut ferendo teſtimonio, uel ad iudicandum, de cætero nequaquam ſit admittendus. Omni quoq; feudali iure carebit perpetuo. Item ſi in reiſa alicuius domini, cum ipſo domino cuius eſt reiſa, aliquis fuerit, qni incendium (ut ſæpius contingit) faciat, dominus ipſe, cuius eſt ipſa reiſa, iurabit ſuper reliquias, quod non fecerit conſcientia, uel mandato, uel uoluntate ſua.

Reiſa domini.

Reum autem abijciet à ſe, & nunquam recipiet. Quod ſi illum poſt ſatisfactionem receperit, tenetur uniuerſum damnum quod ille commiſit, reſtituere. Item ſi contingat dominum aliquem in uilla aliqua hoſpitari uiolenter, & fortuitu euenerit domũ aliquã incendi, & ille cui fit damnũ,

dominum impetierit, quod mandato ſuo, uel uoluntate uel conſcientia ſua factum ſit, damnum damnificato reſtituat. Item ſi incendiarius captus fuerit, & coram iudice negare uoluerit incendium ſe commiſiſſe, ſi forte notorium non fuerit, per prouinciam iudex ſi poſſet eum cum vij. idoneis teſtibus conuincere, capite plectatur. Sed ſi notorium fuerit, nullius requirendum eſt teſtimonium, ſed ſtatim decollandus. Item ſi Caſtellani cuiuſquam domini deſcendentes à caſtro domini ſui, incendium fecerint domino abſente à prouincia, caſtrum domini propter hoc non erit comburendum, ſed bona incendiariorum quæcunq; extra caſtrum fuerint reperta, comburantur. Poſt reuerſionem uero domini, ſi dominus incendiarium retinere uoluerit, & à ſe non repulerit, caſtrum eius ſimiliter erit comburendum. Item ſi proſcriptus propter incendium in aliquam domum confugerit, de qua non poſſit haberi, niſi domus incendatur, propter hoc incendium non erit quis incendiarius, ſed damnũ pro incendio reſtituere debet. Item ſi incendiarius ſuper caſtrum aliquod agitatus confugerit, & dominus, cuius eſt caſtrum, fortaſſis dominus, uel uaſallus, uel conſanguineus fuerit, dominus ille non debet eum perſequentibus repræſentare, ſed iuuabit eum à caſtro in ſyluam, uel aliàs ubi ſecurus ſibi uideatur. Quod ſi nec dominus uel uaſallus, nec cognatus fuerit, perſequentibus eum ſtatim repræſentet, uel cum eo in eadem culpa ſit.

Statuimus etiam, & eodem firmiter edicto ſancimus, ut quicunq; alij damnũ facere, aut lædere ipſum intendat, tribus ad minus ante diebus per certum nuncium ſuum diffiduciet eum. Quod ſi læſus diffiduciatum ſe fuiſſe negare uoluerit, nuncius idem ſi uiuus eſt, iuret quod contradixerit ei ex parte domini ſui, loco & tempore diſignato. Si mortuus eſt nuncius, iuret dominus iunctis ſibi duobus uiris ueracibus, quod contradixerit ei ne dolo mediante de fide uiolata quis ualeat inculpari. His ſancientes adijcimus, ut quicunq; treugas alicui dederit, niſi ibi determinatum & exceptum fuerit, quo tenore ſeruet uel non ſeruet eas, contradicere eis ante terminum ſtatutum nequaquam poſſit. Quod ſi fecerit, ut uiolator fidei iudicetur. Item qui nuncium aliquem, pro eo quod contradicturus mittitur, læſerit, fidem ſuam uiolauit, & de cætero omni honore ſuo carebit, & in poſterum nullus ei contradicet.

Filij ſacerdotum non aſſumant cingulũ militare.

De filijs quoq; ſacerdotum, diaconorum, ruſticorũ, ſtatuimus, nec cingulum militare alequatenus aſſumant: & qui iam aſſumpſerunt, per iudicem prouinciæ à militia pellantur. Quod ſi dominus alicuius eorum eum in militia contra iudicis interdictum retinere cõtenderit, dominus ipſe iudici in x. libras condemnetur, ſeruus autem omni iure militiæ priuetur. Statuimus etiam, ut ſi quis uineas aut pomeria exciderit, proſcriptioni & excommunicationi incendiariorum ſubijciatur.

Si quis uineas aut pomeria exciderit.

Vt autem hæc tam utilis ordinatio omni tempore rata permaneat, & eo quo dicta eſt tenore inconuulſa conſiſtat, eam legibus prædeceſſorum noſtrorum imperatorum atq; regum iuſſimus interſeri, & perpetuo iure ſeruari. Cui ſi quis auſu temeritatis contraire præſumpſerit, Dei omnipotentis & noſtræ perpetuo indignationis ſit reus. Fiat, fiat. Actum Nurenberc in præſentia principum, conſilio & conſenſu eorum. Año incarnationis M.clxxxvij.iij.kal. Ian.

Anno Domini M.clxxxviij. Multi cruce ſignantur. Anno Dñi M.clxxxix. Imperator iter Hieroſolymitanũ arripuit, & multi cũ eo tendentes per Vngariam, ut ſupra deſcriptum eſt. Hunc annum quidam uerſificator denotauit tali uerſu:

ANNIS VNDENIS DEMPTIS DE MILLE DVCENTIS,
IT PATER ET NATVS, DVX ET RECTOR FRIDERICVS.

Annum uero quo olim Chunradus rex iuit, denotauit his uerſibus:

ANNO MILLENNO, CENTENO, TESSERADENO,
SEPTENO PARITER COEPERAT ISTVD ITER.

Annus uero quondã quo dux Gotefridus obtinuit terrã, his uerſib. annotatur:

ANNO MILLENO, CENTENO, QVO MINVS VNO,
IERVSALEM FRANCI CAPIVNT VIRTVTE POTENTI.

Anno Domini milleſimo cxc. Fridericus imperator obijt, ut ſuperius deſcriptum eſt. Cui ſucceſſit Heinricus filius eius.

Anni

ANNI HEINRICI SEXTI.

ANno Domini milleſimo cxci. Ab urbe cōdita milleſimo Dccccxliiij. HEINRICVS huius nominis ſextus, uel ſecundum Chronicam Romanorum, quintus: ipſi nanq; Heinricum primum patrem Ot-
tonis primi non connumerant in catalogo Imperatorū, ſed ducem
Saxonum ſcribunt. Hic itaq; Heinricus xcij. loco ab Auguſto regnū
accepit: prius tamen à patre rex deſignatus fuerat, & de conſenſu principum co-
ronam Aquiſgrani acceperat. Regnauit autem poſt patrem annis vij. Contra
hunc à principio rebellare parant Colonienſes, & quidam alij principes, & qui
dam comites Burgundiæ. Cumq; propter talem cauſam interfectus fuiſſet epi-
ſcopus Leodienſis, quieuit rebellio, & Colonienſes cum ſatisfactione ad gratiā
redeunt, ſimiliter & alij. Eo anno Clemens iij. obijt. Cui ſucceſſit Celeſtinus iij
qui prius Iacinctus fuerat dictus. Sedit annos vij.

HENRICVS ſextus, XXI. Ger. Imperator.

De Heinricis quinto & ſexto uariant.

Anno Domini milleſimo cxcij. Heinricus Romę à Celeſtino papa coronatur.
Sed Romanis rebellantibus, non potuit adipiſci coronam, quin prius traderet
eis Tuſculanum. Erat autem Tuſculanum firma ciuitas, ultra Romam in monti-
bus ſita. Hęc Romanis rebellauerat, & damna grauia intulerat. Huius itaq; ciues
audito aduentu imperatoris, ipſius auxilium contra Romanos poſtularunt, &
ciuitatem ſuam in poteſtatem ipſius tradiderunt, ubi imperator milites ſuos col-
locauerat in pręſidio. Hi accepta legatione imperatoris, incautam ciuitatem Ro-
manis tradiderunt, qui multos peremerunt de ciuibus, & ferè omnes ſiue pedi-
bus, ſiue manibus, ſeu alijs membris mutilauerūt. Pro qua re imperatori impro-
peratum eſt à multis. Accepto itaq; diademate imperiali, progreditur imperator
in fines Apuliæ. Nam regnum Sicilię & Apuliæ, iam mortuo Vuilelmo, iure hæ-
reditario ad dominam Conſtantiā uxorem ipſius deuoluebatur, ꝗuis illud qui
dam Dancredus nepos reginę occupauerit, quo mortuo, quidam alij diuerſa lo-
ca & caſtella occupauerant. Progrediens igitur imperator cum exercitu, Neapo
lim ciuitatem munitiſſimam obſedit. Vbi in æſtiuo tempore multi Teutonico-
rum perierunt, & ab obſidione receſſit imperator inglorius. Miſſis autem nun-
cijs de Alemannia, fecit adduci uxorem ſuam cuius, ut dictum eſt, erat terra. Hęc
in ipſo itinere apud Cumas à quibuſdā latronibus inhoneſte tractata eſt, & à Sa-
lernitanis capta. Imperator uero reuerſus eſt in Alemanniā, relinquēs in Apulia
Diepoldū quendā fidelem ſuū, ut medio tempore cōtra hoſtes ipſius pugnaret.

Tuſculanum.

Dancredus.

Henricus ſextus Neapolim obſidet.

Anno Dñi mill. cxciij. Richardus Rex Anglię in Auſtria captus à duce Lupoldo,
traditur imperatori. Imperator uero c. millia marcarum ſibi ab eodem data, fe-
cit militibus dari in ſoldum, & magnum adunauit exercitū in Apuliam, & Saler
num manu armata expugnauit, de cuius præda ditatus eſt exercitus. Anno Dñi
mill. cxciiij. Tota Apulia, & Sicilia, & Calabria, eius ſubduntur imperio: & de
ſubiectione & fidelitate, uades accepit, quoſdam nobiles & potētes terrę: inter
quos erant archiepiſcopus Salernitanus, & duo comites germani fratres eiuſ-
dem, & quidam Margaritus, qui potens fuerat in mari pirata. Anno Dñi mill.
cxcv. Ruſus quidam comites & barones in Apulia rebellant imperatori: quo-
circa imperator miſſa legatione, uades quos acceperat in Alemannia iuſſit ocu-
lis excæcari: quod & factum eſt, præter epiſcopum. Rebelles quoq; captiuatos
diuerſis ſupplicijs & horrendis fecit interimi. Eo tempore Imperator Mar-
quardum de Anninuuilir dapiferum & miniſterialem ſuum libertate donauit,
& ducatum Rauennæ cum Romania, Marchiam quoq; Anconæ ſibi conceſſit:
præfato etiam Diepoldo quaſdam prouincias Apuliæ cōmiſit, ponens eum in
quodā caſtro, quod uocabatur Rocca de arce. Hi duo bella imperatoris ſtrenue
peregerunt. Philippo quoq; fratri ſuo dedit uxorem dominam Erinam, filiam
regis Gręcorum, quam repperit in palatio Panormitano: deſponſata ſiquidem
fuerat filio præfati Dancredi, tradens ei dominium totius Tuſciæ, & terram do-
minæ Mathildæ. Anno Domini mill. cxcvi. Natus eſt imperatori filius Frideri-
cus, qui poſtea tenuit imperium. Anno Dñicę incarnationis mill. cxcvij. Heinri-
co imperatore procurante, Alemanni in terram promiſſionis uenerūt, bellicoſi,

Richardus Angliæ rex capitur.

Comites in Apulia rebellant imperatori.

Erina filia regis Græcorum.

Fridericus Heinrici ſexti filius.

crudeles, expenſarum prodigi,rationis expertes,uoluntatem pro iure habentes, enſibus inuicti. In nullis niſi hominibus ſuæ gentis confidentes: ducibus ſuis fideliſſimi,& quibus uitam potius quàm fidem poſſis auferre. Hi cum ueniſſent in terram promiſſionis, treugas fregerunt, quas rex Angliæ, ut dictum eſt, in receſſu ſuo ſtatuerat. Vrbem Berentim recuperauerunt, Ioppen perdiderunt. His diebus comes Heinricus, qui dominus terræ Hieroſolymitanæ extiterat, de quadam feneſtra ſui palatij cecidit,& mortuus eſt.

Comes Heinricus de feneſtra cadit & moritur.

Huius uxorem nomine Yſabellam, quæ regnum hæreditabat,accepit Americus rex Cypri, & coronatus eſt in regnum Hieroſolymitanum. Alemanni uero ad obſidionem Tetoni caſtelli acceſſerunt, ibiq; menſibus aliquot commorati, audita morte imperatoris Heinrici, receſſerunt. Quorum principes fuerunt iſti: Chunradus Mogontinus archiepiſcopus, Chunradus cancellarius imperatoris, Heinricus dux Saxonię, Luipoldus dux Auſtrię, dux Brabantię,Hermañus Lantgrauius de Thuringia, frater Ludouici, quem ſupra memorauimus, Patauienſis epiſcopus, Ratiſponenſis epiſcopus,Cicenſis epiſcopus,Halberſtatenſis epiſcopus, Marchio Chunradus, Albertus comes, Heinricus Caladinus, Marſcalcus, & plures alij, quos memorare non curo. Nulla eſt enim ambitio memorandi, quos cõſtat plurimos fuiſſe & nullos. Nil ualet, niſi ſubſequatur effectus. In tempore illo in Alemannia Chunradus frater imperatoris, dux Sueuorum, mouit exercitum contra Bertholdum ducẽ Zaringię de uoluntate imperatoris. Cumq; maneret in quodam oppido Durlaich nomine,obijt, & ſepultus eſt in monaſterio Loricenſi. Multi afferebant eum fuiſſe interfectum à quodam, cuius uxorem adulterauit uiolenter, ſiue ab ipſa uxore. Erat enim uir totus inſeruiens adulterijs,& fornicationibus, & ſtupris quibuslibet,luxurijs & immundicijs. Strenuus tamen erat in bellis & ferox, & largus amicis: & tam ſui quàm extranei tremebant ſub eo. Tunc imperator ducatum Sueuiæ contulit præfato Philippo fratri ſuo. Qui relictis partibus Italię, tranſiuit in Alemanniam,cum uxore ſua, ponens eam in caſtro Suainhuſen. Tunc etiam de mandato imperatoris regium diadema impoſuit regi Boemorum Otakero. Sequenti quoq; anno in tempore paſchali maximum feſtum nuptiarum celebrauit, cum multis principibus & baronibus apud Auguſtam in campo magno, qui dicitur concio legis.

Conradus cõtra Bertoldum ducem Zaringiæ.

Durlachum.

Suainhuſen.

Campus Auguſtæ, concio legis.

His etiam temporibus procurante imperatore, factũ eſt, ut principes Alemanniæ pene omnes filium paruulum ipſius, adhuc in cunis uagientem,aſſumerent in regem, & ei fidelitatem iurarent, & literas de hoc facto cum ſigillis ſuis tranſmitterent imperatori. Anno Domini milleſimo cxcviij. Heinricus imperator obijt in Sicilia,& in eccleſia Panormitana magnifice eſt ſepultus. Erat autem imperator H. prudens ingenio,facundus eloquio,facie ſatis decora,plus tamẽ macilenta,ſtatura mediocris, corpore tenuis & debilis, acer animo. Ideoq; inimicis ſuis erat pauendus & terribilis, uanitatibus deditus,maxime uenationum & aucupiorum. Multi afferebant eum interiſſe ueneno, procurante uxore ſua,pro eo quod nepotes ipſius ſupplicijs interfecerat, quod tamen non eſt ueriſimile. Et qui cum ipſo eo tempore erant familiariſſimi, hoc inficiabantur. Audiui ego idipſum à domino Chunrado, qui poſtmodum fuit abbas Præmonſtratenſis, & tunc in ſęculari habitu cõſtitutus, in camera imperatoris extitit familiariſſimus.

Fridericus Heinrici filius adhuc in cunis uagiens eligitur in regem.

Dotes Heinrici.

GESTA PHILIPPI.

PHILIPPVS frater Imperatoris eo tempore exierat de Alemannia, ut ueniret ad ipſum in Sicilia: proceſſeratq; uſq; ad montem Falconis, caſtrum quoddam apud Viterbium, ubi de morte imperatoris nunciatum eſt ei, ortaque eſt ſeditio in partibus illis, maxime contra Teutonicos, qui tunc in partibns Italiæ demorabantur: unde in caſtro eodem quidam de familia ducis occidebantur. Inter quos erat Fridericus nobilis miniſterialis eius,de Tanne, frater dapiferi, qui nunc eſt. Et ipſe dux in magno diſcrimine ab Italia receſſit, & laborioſe peruenit in Alemanniam. Vbi iam principes

PHILIPPVS Barbaroſſæ filius, XXII. Ger. Imp.

Mons Falconis

Viterbium.

Fridericus de Tanne.

Principes iuraméta ſua poſtponentes, de electione noui Imperatoris tractare cœperunt, cupientes diripere hęreditates, quæ ad præfatam generationem pertinebant. Sed Deus conterens omnem impietatem, & perfidiam ipſorum, hoc fieri non permiſit, inſpirans cordibus hominum, ut ſuos natiuos dominos non derelinquant, & alienis adhęreant. Ideoq; prefatus Philippus ad partes Rheni ſe contulit in continenti, & natalem Domini in caſtro Haginou celebrauit. Vbi uenerunt ad eum & officiales & miniſteriales, & quidam de Principibus & Baronibus terræ, cum quibus habuit myſterium cõſilij ſui. Vbi etiam aderat Cunradus Argentinenſis Epiſcopus, qui etiam promiſit fauorem et auxilium ſuum duci de obtinendo imperio. Volebat enim tenere imperium, cum in poteſtate ſua haberet inſignia imperialia, utpote coronam & crucem, & alia quæ attinebant. Non enim cautum eſſet ſibi, ut ad alium tranſiret imperium, & ſic tam ipſe quàm fratruelis ſuus, licet tunc paruulus, omni hęreditate ſua priuarentur, quod etiam nõ placuit altiſſimo, ſicut adhuc euentus rerum manifeſte demonſtrat, quamuis multa cœperint interuenire impedimenta.

Philippus natalem domini in Hagenauu celebrat.

Cunradus Argentinenſis Epiſcopus.

Innocentius ſiquidem Papa tertius, tunc de nouo in ſede Apoſtolica ſublimatus, omni ſtudio cœpit aduerſari eidem. Hoc agens, ut ipſum impediret, ne ad ſublimitatem culminis imperialis poſſet aſcendere, improperans ei, quæ frater ſuus & parentes crudeliter peregerant, quæ tamẽ multa nequitia hominum impulſi creduntur peregiſſe, in quo ſalua reuerentia ſedis Apoſtolicæ non uidetur ſecundum æquitatem iudicaſſe, cum Dominus teſtetur per Prophetam, ꝙ nec peccata parentum filijs imputentur, quanto minus peccata fratrum aut aliorum propinquorum. Ezechias quoq; & Ioſias, reges religioſiſſimi, iniquiſſimos habuere parentes. Quinimmo in generatione ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti connumerantur multi iniqui. Extat adhuc epiſtola præfati Innocentij directa ad Bertholdum ducem Zaringię, in qua contra Philippum multa abſurda, & quędam falſa deſcribuntur, quam fecit interſeri in compilatione Decretalium ſuarum, quas magiſter Petrus Beneuentanus, Subdiaconus ipſius, poſtmodum in uno uolumine compegit, diſtinguens eas ſub certis titulis, & librorũ differentijs, ſecundum conuenientes ſententias. Tunc cœpit Papa friuolis inſiſtere obiectionibus & exceptionibus, quatenus ipſum impediret, ſententiam obijciens ei excommunicationis. Nam cum in Tuſcia gereret adhuc principatũ, dicebatur ꝙ Celeſtinus pr ędeceſſor ſuus ipſum excommunicauerit. Sane, ut plus indeuotum poſſet eum comprobare, ſi non eius monitis acquieſceret, miſit Epiſcopũ Sutrinum ad repetendum ab eo uades de Apulia, quos olim frater ipſius Heinricus Imperator iuſſerat exoculari. At ipſe Philippus, ut erat manſuetus & benignus, cũ audiſſet de ſententia excommunicationis, petiuit humiliter ab eodem legato abſolui. Inſuper uades pręfatos domino Papę remiſit. Quocirca Papa, ut odioſum plus redderet Philippum, comites illos cęcos, & uiros nobiles & perſonatos fecit demonſtrari, multis in curia Romana exiſtentibus.

Innocentius tertius aduerſarius Papæ.

Religioſiſſimi habent iniquiſſ. parentes.

In genealogia Chriſti, iniqui.

Decretalium compilator Petrus Beneuentanus.

Celeſtinus excommunicat Philippum.

Ego quoq; in minori ætate & ſæculari uita conſtitutus adhuc, eo tempore, Romæ uidi eoſdem.

Epiſcopum quoq; prædictum Sutrinum, pro eo quod illicite abſoluerit Philippum, excedens fines mandati, ſicut in prætaxata Epiſtola ſua expreſſit, priuatum Epiſcopatu relegauit in quandam inſulam maris, quodam monaſterio diſtricto, ubi ille fœliciter uitam finiuit.

Audiui etiã eo tempore, quod tamen difficile eſt relatu, & uix credendũ, quia dixerit idem papa, quoniam ablaturus eſſet Philippo diadema regium, aut ipſe ſibi Papæ inſigne Apoſtolicum. Cæterum, quamuis non ſit credẽdũ, quòd uoluntatem ſuã diuinę uoluntati prętulerit, conſtat tamen, quia omni tempore aduerſabatur eidem. Deus aũt ex alto proſpiciens, non permiſit, ut per totam Alemanniã deperiret cultus diuini officij, & Eccleſiaſticæ dignitatis, quæ duo honeſtius ibi cõſiſtunt, q̃ in alijs gentibus: licet ubiq; per incẽtiua uitiorum, maximeq; luxuriæ deprauata ſint. His interpoſitis, de oppoſitione ſedis Apoſtolicæ, ut regium genus deperiret, redeamus ad deſcribendũ labores quos iniquiſſimorum

Aut Pontifex Philippo diadema regium, aut Philipus Pontifici inſigne Apoſtolicum.

Laus Germaniæ à religione.

Fauor, quem Philippus apud Germaniæ Principes habet.

Principum machinatione ſuſtinuit in Alemannia. Primum quidem de prudenti conſilio, cum uideret imminere ſibi aduerſitates & bella, acquiſiuit ſibi fauorem Principum & Magnatum. De Saxonia quidẽ habuit ducem Bernhardum, Marchionẽ Mœſiæ, & alios Principes ſæculares potentiſſimos, inſuper Archiepiſcopos Magdeburgenſem, & Bremenſ. & Suffraganeos eorũdem. Sed genitrix & nutrix omnium malorum diſcordia noluit quieſcere, quin potius Alemãnos qui omnem iuſtitiam deteſtantur & odio habent, & tantũ bonis & honoribus ſuis inſidiantur ad inuicem: & quod deterius eſt, his deficientibus execrabilibus

Conuentus in Andernah.

ſe occidunt uulneribus, ad hoc cõmouit, ut in præiudiciũ dominationis antiquę & generationis in regno diuturnæ, condicerent curiam apud Andirnach oppidum Rheni, quatenus ibidem eligerent Imperatorem. Quo audito Philippus trãſmiſſis illuc legatis, efficit, ut nulla ibidem celebraretur electio. Tum propter ſui, & quorundam Principum abſentiam, tum propter regiæ generationis non deſtituendam proſapiam, cum propter iuramenta Principum eidem generationi exhibita. Ideoq́ plus confidentes in diuitijs, & potentia Colonienſium, illuc

Conuenticulus in Colonia.

conuenticulum ſuum condicunt. Vbi rurſum dominus Philippus nuncios ſuos tranſmiſit impediens, ne in præiudicium ſuum quælibet fieret electio. Afferunt

Pecuniæ nerui rerũ.

etiam quidam, ꝙ propter hoc promiſſa fuerint Archiepiſcopo Treuirenſi duo millia marcarum. Attamen Bertoldus, dux Zaringiæ, tunc denominatus fuit

Bertoldus dux Zaringiæ, eligitur in regem, quia pecunioſus.

in regem, nõ propter hoc, ꝙ iuſtus poſſet eſſe uideri, aut diligere ueritatem, cum ſcriptum ſit, honor regis iudicium diligit, ſed propter hoc, quia pecunioſus uidebatur cum eſſet auariſſimus & omni iniquitate plenus. Videns autem Philippus, ꝙ à tali inſolentia nollent ceſſare Alemanni, ipſe cum Principibus ſibi fauentibus,

Conuentus in Milhuſen, ubi Philippus eligitur in regem.

conuentum adunauit in oppido Milhuſen, ubi à Sueuis, & Saxonibus, & Bauuaris, & Boemis, & Principibus q̃ pluribus Rheni eligitur in regem. Tunc cœperunt multiplicari mala in terris. Ortæ ſiquidem ſunt in hominibus ſimultates, doli, perfidiæ, traditiones, ut ſe inuicem tradant in mortem & interitum.

Lamentatio Autoris

Rapinæ, deprędationes, depopulationes, terrarum uaſtationes, incendia, ſeditiones, & bella & rapinæ, ſiue in ſtratis ſiue in latrocinijs, iuſtificatę ſunt, ut omnis homo iam ſit periurus, & prędictis facinoribus implicatus, ut uix excuſari poſſit, quin ſit in his, ſicut populus, ſic & ſacerdos, tribulatio magna prohibuit & hoc, ut nec quis de uilla ſua poſſet procedere ſecure, ſaltem in proximam uillam. Exaltatum eſt cornu iniquitatis, de quo multi delibuti ſunt. Quos cõtra Dominus loquitur per Prophetam: Dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu, hoc cornu impletum eſt iam adulterino unguẽto. Non eo de quo ſcriptum eſt in lege: Non faciés tibi unguentũ alterius compoſitionis, oleum quoq; peccatoris, de quo iuſtus precatur, ut non impinguet caput ſuum. Iam procul eſt cornu, de cuius oleo unctus eſt Dauid in regẽ. Quid igitur fiet in mẽbris, niſi quod & in capitibus? Quid recipiat barba, niſi quod habet caput? Sic deriuantur tam mala quàm bona. O Deus aſpice, quia ſicut unguentum eſt in ca-

Etiã Clauſtrales & Religioſi hypocritæ ſunt.

pite, tale deſcendit in barbam. Et utinam in barbam tantum, & reprobos, deſcendit etiam in barbam Aaron. Nam qui in monte fortitudinis fundamentum poſuerant, ut pote clauſtrales, & uitas quaſcunq; religioſas agere, ſe ficte demonſtrantes, alienati ſunt à uulua ſanctæ matris Eccleſiæ, qua concepti ſanctum Baptiſma perceperunt. Errauerũt ab utero, quo monitis ſalutaribus calefieri debuerunt, & nutriri, nunc tantum locuti ſunt falſa. Principes quippe, qui Philippo aſ-

Zaringis redit in gratiam cum Philippo.

ſiſtere debuerant, ei pręſenti, bona uerba dederunt. Attamen cum pręfatus Dux Zaringiæ diffidere cœpiſſet de expenſis, ad obtinendum imperium neceſſarijs, redijt ad gratiam regis Philippi. Accepitq́ ab eo beneficia, quæ ſibi conferre curauit, & hominium ſibi fecit, & fidelitatem & uades, ſcilicet nepotes ſuos, quos apud Coloniam pro expenſis obligauerat, non abſoluit. Qui oppido compulſi,

Comes de Vrach.

ſeipſos q̃ plurimi abſoluerũt, ut pote dominus Cunradus & Bertoldus, filij Eginonis comitis de Vrach, quorum Cunradus, poſtmodum conferens ſe ad ordinem Ciſtercienſium, fuit Abbas Ciſtercienſis. Indeq́ per ſedem Apoſtolicã tranſlatus, fuit Romæ Epiſcopus, Cardinalis Portuenſis uidelicet, & ſanctæ Ruffinæ.

Alter uero

Alter uero Bertoldus,uidelicet fuit Abbas in Luzirach, nam in periculo captiuitatis conſtituti, ambo Deo repromiſerunt, ꝙ ſi eſſent liberati, ad monachicam uitam ſe conferrent.

Iam tunc Colonienſes & Argentinenſes cum Epiſcopis ſuis,et alij quidam cogitauerunt & machinati ſunt nequitiam. Miſeruntq; nuncios ſuos, Albertum uidelicet de Tagisburg, & de Liningen comites in Angliam, ut inde aduocarent & adducerent Ottonem, pro eo ꝙ ſuperbus & ſtultus, ſed fortis uidebatur uiribus,& ſtatura procerus. Præſumentes nihilominus auxilio præfati Richardi regis Angliæ,quia fuit auunculus eiuſdem. Hunc igitur apud Coloniā elegerunt in regem. Facta eſt hæc abuſio, ut fieret quaſi portentum multarum abuſionum,quæ ſubſecutæ ſunt in terris. Vix enim remanſit aliquis Epiſcopatus, ſiue dignitas Eccleſiaſtica,uel etiam parochialis Eccleſia,quæ non fieret litigioſa,et Romā deduceretur ipſa cauſa,ſed non manu uacua. Gaude mater noſtra Roma,quoniā aperiuntur cataractę theſaurorum in terra,ut ad te confluant riui & aggeres nummorum in magna copia. Lætare ſuper iniquitate filiorū hominū,quoniā in recōpenſationē tantorum malorū datur tibi precium. Iocundare ſuper adiutrice tua diſcordia,quia erupit de puteo infernalis abyſſi,ut accumulētur tibi multa pecuniarum pręmia. Habes quod ſemper ſitiſti,decanta canticum,quia per malitiam hominum,non per tuam religionem orbem uiciſti. Ad te trahit homines,non ipſorum deuotio,aut pura conſcientia,ſed ſcelerum multiplicium perpetratio, & litium deciſio,precio comparata. Hæc hactenus de exortu ſciſmatis in regno, dicta ſufficiant. Nunc de bellis propter hoc geſtis dicamns.

Colonienſes, Argentinenſes, Ottonem capiunt regem.

Nota.

Quæſtus Romanæ curiæ.

Roma uicit orbem nō religione, ſed malitia

DE BELLIS PHILIPPI.

PROPERANT electi reges, uterq; ut occupet ſedem regni Aquiſgrani. Sane Philippus prior oppidū illud obtinuit,et ibidem uiros ſtrenuos,& nobiles in præſidio conſtituit, inter quos fuerūt, Vualranus,filius ducis de Limburg,& H. dapifer de Vualburg,& alij ꝗ plures. Superuenit autem Otto cum Coloniēſibus, & alijs fautoribus ſuis,et obſederūt ciuitatē. Cūq; interiores concluſi,reſiſtere nō potuiſſent,accepta pace et ſecuritate perſonarū,dederunt ciuitatem. Tunc dominus Adulfus, qui tunc erat Coloniēſis Epiſcopus,in ſede regni coronauit Ottonem in regem. Huius quoq; facti mentionē habet pręfatus papa Innocētius in epiſtola ſua. Tota uero curia imperialis,et Oiffcialis imperij,adhęſerūt Philippo cū Principibus ꝗ pluribus. Interim quippe redierat de ultramarinis partib9,Cunradus Herbipoleñ. Epiſcopus,qui fuit Cancellarius. Hic declinauit in partem Philippi, Pręfatus quoq; Hermānus Langrauius de Thuringia, hic cœpit aduerſari Philippo(dirū facinus)cū eſſet filius amitę ſuę, ſperās ad ſe poſſe deuolui ius imperij. Philippus itaq; prudēti uſus cōſilio,cenſuit primū eos, qui uiciniores erāt bellis atterere, & ſuo dominio ſubiugare. Quocirca adunato exercitu Alſatiā petijt,in qua prouincia terras inimicorū uaſtauit. Primū uero diuertit ad quoddā caſtrū Haldinburg prope Argentinā,in planitie terrę ſitum, ſed foſſatis & ędificijs ualde munitum. Quod cū cinxiſſet obſidione,paucis diebus euolutis expugnauit illud manu bellica,& funditus euertit,deducens eos captiuos, qui in illo erant. Poſtea caſtra in Rufach,& in Aphich expugnauit & cōfregit. Anno ſequēti ad obſidinē Argentinenſis ciuitatis properauit,ubi ſuburbia prius incendit,& terras ciuium uaſtare cœpit. Tunc uidentes ciues ſe non poſſe reſiſtere,Philippum tanꝗ dominū proprium,in ciuitate receperūt,& ei fidelitatē iurauerunt. Epiſcopus quoq; in gratiā ipſius redijt. Inter hęc in partibus Rheni bella ubiq; peraguntur. Otto quoq; una uice cum exercitu aſcendit uſq; ad Spirā,ſed cōpulſus redijt ad inferiores partes. Frequenter commiſſæ ſunt pugnæ inter eos,maxime circa Moſellam fluuium, & Otto ſemper fugatur. Inter hæc deſponſauit Otto filiam ducis Brabantię,ſed eam poſtea repudiauit. Quocirca Principes terrarum, & Barones arte diabolica edocti,nec curabant iuramenta infringere,nec fidem uiolare, & ius omne confundere,nunc recedentes ꝗ plurimi à Philippo, Ottoni adhęrentes,& econuerſo. Præfatus quippe Langrauius,multotiens decepit Philippum, doloſe ipſum circumue-

Aquiſgranum obſidetur.

Otto coronatur in regem.

Philippi conſilium.

Philippus rex, Alſatiam uaſtat.

Otto ſemper fugatur.

Iuramenta non curantur.

circumue-

Bellum Philippi, & Lantgrauij in Thuringia.

circunueniens, & rurſum rebellans. Deniq; compulſus neceſſitate Philippus aſſumpſit bellum cõtra pręfatum Langrauium in Thuringiam: ubi obſidere cœpit caſtrum Vuizinſe. Langrauius in auxilium ſuum aduocauit regem Boemorum Odoacar, qui cum multis uenit in Thuringiam. Aſt Philippus cum exercitu obuiam pergit eidem, pugnaturus cum ipſo. Cumq; prope iuncti fuiſſent exercitus utriq;, Boemi de uiribus aduerſariorum territi, relinquentes caſtra ſua, nocte fugerunt: quos iſti ſubſequuti, damna cædium, & alia ipſis intulerunt.

Philippi ſynceritas.

Tunc cernens Langrauius ſe uiribus deſtitutum, uenit ad pedes Philippi, & ſe in poteſtatem eius tradidit, ut gratiam inueniret. Quem Philippus puro corde, ſicut erat benigniſſimus recepit: & ille poſt hæc non impugnauit eum manifeſte.

Bellum Philippi in Colonienſes.

His igitur bellis fœliciter peractis, & tranſacto ſpatio duorum annorum, ut uires populi recuperaret, decreuit agere bellum contra Colonienſes. Cum magno igitur exercitu uenit in fines illorum: fiuntq; incendia & uaſtationes terrarum. Capiuntur oppida quædam in partibus illorum, multi ſiue compulſi ſiue muneribus aut promiſſionibus illecti, recedunt ab Ottone: & adhærent Philippo. Inter quos præfatus Adulfus Colonienſis Archiepiſcopus, cum rege reconciliatus, ſecum uenit Aquaſgrani: & ipſum coronauit in regem.

Conradus Epiſcopus Moguntinus obijt.

Interim quoq; redierat de ultramarinis partibus Cunradus archiepiſcopus Moguntinus, qui callide propter timorem domini papæ ſe geſſit in hoc facto, latenter tamen aduerſatus Philippo potius q̃ fauens: timebat enim eum. Sed hic in breui uitam finiuit. Rex itaq; Philippus ad ciuitatem Moguntienſem acceſſit, cupiens efficere, ut idoneus illi Eccleſiæ præficeretur Epiſcopus:

Luipoldus Vuormatienſis.

factumq; eſt in ipſa electione, ut omnium uota conuenirent in Luipoldum Vuormatienſem, tunc Epiſcopum, tribus tantum exceptis, qui accepta occaſione de præſentia regis, allegabant non poſſe liberam fieri electionem:

Sciſma in Epiſcopi Magunt. electione.

Sifridus apud Bingen eligitur.

potius, quia ſciebant Papam contrarium eſſe regi, appellantes exierunt de ciuitate. Electoq; ab uniuerſis præfato Luipoldo, hi tres apud Bingen oppidum conſtituti, unum ex ſe elegerunt, Sifridum uidelicet, qui uſq; hodie manet Epiſcopus. Nam dominus Papa multis uolens uti rationibus, caſſata electione omnium de Luipoldo factam electionem, quæ uullo iure ſubſiſtere poterat, confirmauit.

Nota. C. Bonæ memoriæ, de electis, quam iuſtũm, nouit Deus.

Sicut exprimit in ſua Decretali, quæ ſic incipit. Bonæ memoriæ. Vbi quoq; exprimitur, qualiter pro iſto negotio, & alijs, Præneſtinus Epiſcopus uenit Coloniam. Super hac electione fecit non iudicium, ſed iniuriam. Inſuper, quia ciues Coloniẽſes adhuc cum quibuſdam alijs adhærebant Ottoni, ut ex hoc poſſet prædictus legatus iniurias multiplicare.

Adulfus Epiſcopus Colonien. deponitur, quia Philippum coronauerat.

In iniuriam quoq; Philippi depoſuit Adulfum Epiſcopũ, pro eo quòd Philipum coronauerat, & in locum eius fecit inſtitui Brunonem, qui fuerat Præpoſitus Bunnę, & ipſum in Epiſcopum ordinauit. Sed tamen propter Philippũ regem, & fautores alios iuſtitiæ, nec iſte, nec præfatus S. Moguntinus, potuerunt acquirere temporalium adminiſtrationem, uſq; ad mortem Philippi. Ipſe quippe rex, medio tempore, de præfata uxore ſua genuerat quatuor filias, quarum unam deſponſauit filio regis Boemorum, alteram filio duci Brabanzię, propter quod confortatus eſt in regno, paucis in Saxonia, & inferioribus partibus, cum ciuibus tantum Colonienſibus, fauentibus adhuc Ottoni.

Fulco prædicator crucis.

Ea tempeſtate ſurrexit in Francia quidam prędicator Fulco nomine. Ad cuius prædicationem multi ſunt cruce ſignati, non ſolum in Francia, ſed etiam audita fama in alijs gentibus. Inter quos duo comites de Brana, nobiles quidẽ, ſed pauperes uenerunt in Italiam ad dominum Papam, quorũ unus Vualtherus, alter Iohannes uocabatur. Miſit igitur Papa dictum Vualtherum bellare contra Diepoldum de Rocca, de arce, in Campania. Aſt Diepoldus de nocte quadam irruens in caſtra illius, ipſum interfecit, & terrã uiriliter obtinuit: ſed Papa quæcunq; poterat, contra ipſum machinabatur. Alter uero, Iohannes uidelicet, cum exercitu Chriſtianorum, in quo multi erãt proceres, tam de Francia, q̃ de Alemãnia,

Veneti expugnant ciuitatem chriſtianam.

necnon ex Italia, & ciuitatibus, puæcipue Venetis, iter tanq; Hieroſolymitanum aggrediuntur. Attamen nauigio tendunt in Græciam. Quod multi aſſerebant de conſilio & autoritate domini Papæ factum fuiſſe. In quo itinere Veneti expugnauerunt

gnauerunt quandam ciuitatem, Satiram nomine, in inſula maris ſitam, in confinio Dalmatiæ & Macedoniæ, quæ tamen Chriſtiana fuit, in qua ſpolia multa diripiunt. Totus uero ille exercitus nauibus tranſuectus, applicuit ad ciuitatem Conſtantinopolim, ubi iam rex non erat, pro eo quòd Principes illius terræ patrem præfatæ dominæ Erinæ, uxoris Philippi, oculis erutis, regno depulerunt: pro qua re filius eiuſdem, frater uidelicet reginæ uenit ad Philippum in Alemanniam. Venerat autem ante eum quidam nobilis Princeps Græcorũ, uolens percipere regnum, nomine reginæ, quem cum deprehendiſſent fraudulenter laborare, primum iuſſit eum rex captiuum teneri, ſed interuentu reginæ, cito abſoluit eundem. Qui ueniens in Græciam, cœpit regnum ſibi uendicare, quem poſt hæc in breui Græci ſtrangulatum ſuffocauerunt. Legatione itaq; accepta à ſorore, & rege Philippo, præfatus redijt in Græciam, & regnum accepit. Quem nihilominus poſtmodum in breui interfecerunt. Inter hæc aduentauit præfatus exercitus, & cœpit expugnare ciuitatem Conſtantinopolim in ea parte, qua curia regis eſt ſita, & templũ Sophiæ. Feceruntq; ſuper naues turres ligneas, & machinas contra turrim quæ mari adiacebat. Tandem appulſis machinis, de ſuperiori parte in turrem illam uiriliter & non ſine periculo quorundam ſe iactauerunt: Expugnataq; ea parte ciuitatis, magnam prædam tulerunt. Multasq; reliquias ſanctorum auro & gemmis decoratas inde tulerunt, quarum poſtmodum uidimus quaſdam. Quidam etiam Abbas Ciſtercienſis ordinis de loco, qui uocatur Pariſius, in nemore Voſego conſtitutus, plurimas reliquias ad monaſterium ſuum detulit, quæ adhuc retinentur ibidem. An furtiuæ ſint, iudicet qui legit. An uidelicet dominus papa talem rapinam in populo Chriſtiano factam potuerit iuſtificare, ſicut furtum Iſrahelitici populi in Aegypto, iuſtificatur autoritate diuina. Tunc Comes Flandriæ conſtituitur rex Græciæ. Multi de exercitu illo remanſerunt in Græcia, multi redierunt ad propria. Quidam enim ad ultramarinas partes peruenerunt. Inter quos ſupradictus Iohannes, Comes Brannæ, illuc aduenit.

Conſtantinopolis expugnatur.

Abbas Pariſienſis.

Comes Flandriæ fit rex Græciæ.

Huic iungitur in matrimonio regina terræ illius Yſabella, mortuo præfato Heinrico. Hic filiam unam genuit ex ea, quam poſtmodum Fridericus Imperator accepit uxorem. Sed nunc redeamus ad propoſitum.

IAm Principes diuturnis bellis fatigati, decreuerunt ad concordiam rebelles inter ſe reges reuocare. Sane, quia iam maximum impedimentum huius rei fuit dominus Papa, cum iam pars Ottonis ualde fuerit infirmata. Decretum eſt igitur, quatenus nuncij mitterentur Romam, qui Philippum in gratiam ſummi Pontificis reducerent. Miſſi ſunt igitur uiri nobiles & auctorabiles, Vuolfgerus, Patriarcha Aquileienſis, & Geboardus Burgrauius Magdiburgenſis, cum quibuſdam miniſterialibus Philippi regis. Qui aſſumptis de Cremona quibuſdam uiris peritis, ueniunt ad curiam Romanam. A quibus inducitur Papa, ut uelit permittere, quatenus regnet Philippus.

Legatio Romam pro reconciliatione Philippi.

Aſt propter hoc (ut retulerunt nobis uiri ueridici) promittitur Papæ, quòd filia regis daretur in uxoré filio fratris ſui Richardi, qui iam comes fuerat effectus Papæ ſuffragio, nec ſtatuit Papa repetere terras, quas multotiens ab Imperatoribus repetere conſueuerunt anteceſſores ſui, in Tuſcia & Spoleto, & Marchia Anconæ, ſperans, quòd in poteſtatem nepotis ſui, propter prædictas nuptias poſſent deuenire. Mittuntur igitur Legati ſedis Apoſtolicæ in Alemanniam, ad reformandam pacem, uidelicet, Dominus Hugolinus Hoſtienſis, & Veletenſis Epiſcopus, & Dominus Leo, tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem, Diaconus, Cardinalis. Ante hos ſupradictos, Patriarcha uenit ad Philippum regem, nuncians aduentum iſtorum, quibus rex obuiam mittit, præſtans eis conductum uſq; ad ſe. Iunguntur itaq; regi apud Spiram. Vbi habito concilio, condicit curiam Principum apud Northuſin, in confinio Thuringiæ & Saxoniæ, ubi Philippus deduci fecit legatos. Ipſe quoque cum Principibus peruenit illuc. Otto quoque prope erat, ibidem in quodam caſtro. Vadunt & redeunt Legati & Patriarcha, cum quibuſdam alijs Principibus, inter utroſq; reges pacem

Filia regis, filio fratris Papæ in uxorem danda.

Spira.

Northuſen.

compoſituri,

compoſituri: ſed ibidem compoſitio fieri non poterat: unde procedunt in Saxoniam. Rex in Kutilimberg recipitur. Otto prope manet in caſtro. Ibi tandem taxata eſt forma compoſitionis.

Kutilinberg.

In qua ſtatutū fuit inter cętera, quod etiam poſtea completum fuit, uidelicet ut Otto filiam Philippi accipiat uxorem:

Otto filiam Philippi uxorem accipiat.

quæ tamen quarto gradu conſanguinitatis ſibi attinebat: fieretq; diſpēſatio per ſedem apoſtolicam pro bono pacis. Tunc legati redeunt Romam. Anno itaq; ſequenti ſtatuit Philippus cum exercitu uenire in Saxoniam contra quoſdam qui adhuc ibidem ſibi rebelles extiterunt: uenit itaq; in Babenberg. Aduenerat quoq; illuc nefarius Otto ille Palatinus de Vuitiliſbach.

Otto Palatinus de Vuitiliſpach occiſor Philippi.

Rex uero minutionem ſanguinis fecit ibidem de uenis utriuſq; brachij: plurimi quoq; de ſuis minuebant ſanguinem. Tunc ſceleratus Otto, aſſumptis militibus Epiſcopi Eggiberti & marchionis de Andehſe Heinrici fratris pręfati epiſcopi, uenit in palatium. Ille uero impius acceſſit ad oſtium cameræ in qua rex quieſcebat, pulſabat ut intromitteretur,

Vide Alb. Krantz fuſe hoc latrocinium enarrantem lib. 7. cap. 28

quem rex iuſſit intromitti, nihil mali ſuſpicatus. Cumq; cerneret neminem eſſe in camera præter regem & cancellarium, & H. dapiferum, qui erant in conſilio, rediens aperuit ianuam cameræ, accipiens gladium à ſeruiente, quem uibrare cœpit in collum regis. Sed, dapifero exclamante, territus uix plagam perfecit: & paruulum uulnus in collo regis dedit: ſed uenam unam organicam amputauit. Cumq; præfatus dapifer exitum ianuæ ſibi intercludere uoluiſſet, maxillam ipſius eodem gladio uulnerauit, quam laudabilem cicatricem uſq; ad mortem habuit. Oritur undiq; tumultus, rex quoq; paululum procedens expirauit. Ille uero malignus ad pręfatos epiſcopum & marchionem confugit. unde & illi rei habiti ſunt de tali mordo.

Mordo, id eſt, latrocinio.

Fuit autem occiſus x. kalen. Iulij, hac ſola cauſa, quia cum deſponſaſſet unam de filiabus ſuis præfato ſceleroſo, idem quendam liberum familiarem ducis Bauuariæ perfide interfecit: de qua perfidia coram principibus notatus fuit: & ideo rex filiam ſuam ſibi tradere denegauit. Poſtmodum breui ſpatio temporis interiecto, cùm regnaret Otto, facinoroſus ille à Heinrico de Kalindin, præfato Marſalco, ob uindictā domini ſui, glorioſe fuit interfectus in quadam grangia, non longe à Ratiſpona.

Heinricus de Kallidin, occidit Ottonem.

Corpus uero regis primum humatum fuit apud Babinberg. Sane poſtmodū cum Fridericus II. Imperator regnū accepiſſet, patrui ſui corpus noluit in Babinberg eſſe ſepultum, ſed fecit illud extumulatum in Spiram deferri, & de conſilio Heinrici de Sarphinberg, Epiſcopi Spirenſis, & Cancellarij imperialis aulæ, ibidē ſepeliri cum progenitoribus ſuis,

Philippus Spiram defertur.

& ob cōmemorationem tanti regis, canonicis Eccleſiæ Spireñ. in augmentum prębendarum ſuarum cōtulit Eccleſiam in Ezilingen, cum pertinentijs ſuis.

Eſſelinga datur Canonicis Spiren.

Hunc Philippum nolunt Romani, maximeq; qui de curia ſunt ſcribere in catalogo Imperatorū, ſed ducē Sueuię eum deſcribunt. Licet conſtet ex prędictis, ꝙ potēter regnaturus fuiſſet, ſicut & alij de parentela eiuſdē, ſi nō impediſſet mors.

Philippi dotes.

Erat autem Philippus animo lenis, mente mitis, eloquio affabilis, erga homines benignus, largus ſatis & diſcretus, debilis quidem corpore, ſed ſatis uirilis, in quantum confidere poterat de uiribus ſuorum, facie uenuſta & decora, capillo flauo, ſtatura mediocri, magis tenui quàm groſſa. Hic cum non haberet pecunias, quibus ſalaria ſiue ſolda præberet militibus, primus cœpit diſtrahere prædia,

Solda.

quæ pater ſuus Fridericus Impatator late acquiſierat in Alemāniā: ita, ut cuilibet Baroni, ſiue miniſteriali uillas, ſeu prædia ruſticana, uel Eccleſias ſibi contiguas obligaret.

Philippus primus obligat prædia & Eccleſias.

Sicq; factum eſt, ut nihil ſibi remaneret præter inane nomen dominij terræ, & ciuitates ſeu uillas, in quibus fora habentur, & pauca caſtella terræ. Ea tempeſtate, idem Philippus Eccleſiam Vrſpergenſem obligauit titulo pignoris, nobili uiro Bertholdo de Niſen & filio eius Heinrico, quam poſtea Præpoſitus, qui tunc fuit, & fratres de poteſtate eorundem tyrannorū liberauerunt, cum tantam cœpiſſent ibidem exercere tyrannidem, ut nequaꝗ poſſet Eccleſia conuentualis exiſtere.

Eccleſia Vrſpergenſis obligata.

Pro liberatione uero ſoluerunt cc. marcas argenti. Hic modus obligetionis & ſolutionis Eccleſiarum, maxime Ciſtercienſis & Præmonſtratenſis ordinis hactenus inuſitatus fuit, & libertatibus priuilegiorū ipſorum ualde contrarius. Cum conſtet, ꝙ priores Imperatores nullum tale ius ſibi uendicabant in

Obligatio Eccleſiarū

Eccleſijs prædictorum ordinum. Occaſio autem huius rei dicitur fuiſſe, & narratur, quod olim præſidente Grimone præpoſito in eccleſia Vrſpergenſi, regnante Cunrado rege, & ſibi ſuccedente nepote ſuo imperatore Friderico, propter reuerentiam & autoritatem præfati Grimonis, ipſi imperatores nihil huiuſmodi iuris præſumpſerunt ſibi uendicare, præter quam illud quod pertinet ad dominium totius terræ, ut ſub protectione ſua eas ſuſciperent, & priuilegijs ſuis munirent, & fideliter defenderent. Contingit autem quod mortuo prædicto Grimone, canonici Vrſpergenſes elegerunt ſibi in rectorem quendam de fratribus ſuis hominem nullius intelligentiæ aut ualentiæ, & adeo hebetis eloquentiæ, ut nec uerbum de ore ipſius, niſi cum difficultate poſſet intelligi. Cumq; talis prælatus coram inclytæ recordationis imperatore Friderico comparuiſſet, ipſe cum tota curia ſua ſpreuit eundem, odioq; ſui, nobili uiro Degenhardo de Hellinſteyn, procuratori ſuo per omnia regalia prædia Sueuiæ iniunxit, quatenus perſonaliter accederet ad eccleſiam Vrſpergenſem, & de uoluntate fratrũ in prædijs ipſorum ſtatueret extra abbatiam, & grangias ſtatutis apponeret, annuum quod ſibi pro aduocatia & defenſione ſolueretur, ut uidelicet quilibet manſus ruſticanorum prædiorum ſolueret maltare unum auenæ, ut officiales ſui equis ipſorum ex hoc haberent annonam, & ipſa eccleſia ſine præiudicio omnis grauaminis, imperialem haberet defenſionem. Hinc nacta occaſione, cum præfati tyrannide Niſen tantillam penſionẽ ab imperatoribus petere uiderentur, ipſam eccleſiam omnino ſubegerunt, & deſtruere ſtuduerunt. Cæterum Deus ultionum Dominus in primum huius ſceleris autorem, præfatum uidelicet Philippum, uindictam exercuit, ut ſub gladio tyranni caderet, qui primus eccleſias in poteſtatem tyrannorum contradidit.

Grimon præpoſitus Vrſpergenſis.

Canonici Vrſpergenſes.

Degenhardus de Hellinſteyn.

Manſus

Maltare.

Niſen.

ANNI PHILIPPI.

Anno Domini milleſimo cxcix. ab Vrbe condita milleſimo Dcccclij. Philippus xciij. loco ab Auguſto regnum accepit. Regnauit autem annis x. multa ſuſtinens bella, & perfidias multorum. Eodem anno ſuper Moſellam Ottonem fugauit & ſuos, cæterum ſedem regni non obtinuit. Eodem anno Celeſtinus papa menſe Februario obijt: & Innocentius iij. qui prius uocabatur Lotharius, papatum accepit. Sedit annos xviij. menſes iiij. Anno Domini milleſimo cc. Philippus Alſatiam uaſtauit, & quaſdam munitiones expugnauit. Anno Domini mill. cci. Philippus Argentinam obſedit, & eam in poteſtatem accepit. Anno Domini mill. ccij. Ego præsbyteratum accepi à uenerabili epiſcopo Conſtantiæ Diethalmo. Anno Domini mill. cciij. Philippus Thuringiam uaſtauit, & Lantgrauium in deditionem accepit. Anno Domini mill. cciiij. Anno Domini mill. ccv. Philippus cum exercitu in partes Coloniæ aduenit, ubi quàm plures fautores acquiſiuit, & ab epiſcopo Adulfo coronam Aquiſgrani accepit. His temporibus Cunradus Herbipolenſis epiſcopus imperialis aulæ cancellarius, qui de Hildensheym illuc translatus fuerat, impiorum gladijs occiſus occubuit, uidelicet quorundam miniſterialium de caſtro apud Herbipolim, quod uocabatur Rauensburc, quod tamen poſtmodum à ciuibus Herbipolenſibus eſt deſtructum, illi quoq; homines nefarij de terra ſunt expulſi. Huic in officio cancellarij ſucceſſit epiſcopus Aihſterenſis, frater comitis de Tollenſteyn, quo tamẽ in breui ab eo officio pulſo, epiſcopo Ratiſponenſi illud eſt collatum. Eodem anno ego ad religionem ueni.

Philippus Alſatiam uaſtat.

EGO. Autor Chronicæ, Anno M. CCII.

Cunradus Herbipolenſis epiſcopus occiſus.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexto, Legati in Alemanniam adueniunt. His etiam temporibus Conſtantinopolis expugnatur. Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptimo, Ego ad ordinem Præmonſtratenſem ueni. Anno Domini milleſimo ducenteſimo octauo, Eclipſis ſolis facta eſt, menſe Februario, hora diei nona. Eodem anno Philippus in Babenberg occiditur, menſe Iunio.

ANNI OTTONIS.

OTTO *quartus* XXIII. *Germanorum imperator.*

Otto propter ſuperbiã à regno pellitur.

ANno Domini milleſimo ccix. ab urbe condita milleſimo Dccccl xiij. OTTO huius nominis iiij. ex parte patris de Sueuia & Saxonia, ex parte uero matris de Anglia, ubiq; nobiliſſima ſtirpe progenitus, xciiij. loco ab Auguſto regnum accepit, & regnauit annis iiij. & à regno pellitur, quod propter illius ſuperbiam pręcipue contigiſſe creditur. Primum ſiquidem in Franckenfurt adueniens, conſenſum principum accepit. Veniuntq; ad eum præfati legati, Hugelinus & Leo.

Philippus Rechb.

Henricus de Scarfenberg.

Eo tempore Sifridus Auguſtenſis epiſcopus muros caſtri in Suuabecke deiecit, & ipſum caſtrum deſtruxit, propter inſolentias quas urbani in prædijs eccleſiæ ſuæ in Menchingin & alibi conſueuerant exercere. Vnde ipſe poſtmodũ ſemper timuit imperatorem, & quia ſuos ueros dominos plus dilexit: erat enim miniſterialis Philippi de Rechberc oriundus. Heinricus uero de Scharphinberc Spirenſis epiſcopus, qui fuerat protonotarius in curia Philippi, in poteſtate habebat in caſtro Triuels coronam & crucem, & inſignia regalia, quæ nec etiam reſtituere uoluit, niſi fieret cancellarius imperialis aulæ: quod & factum eſt, perdurauitq; in eo officio uſq; ad finem uitæ ſuæ, cũ tamen poſtmodũ habuiſſet duos epiſcopatus, Metenſem, & Spirenſem. Timens autem Otto, quod miniſteriales

Otto Philippi filiam uxorem accipit.

ſpectantes ad Philippum, non facile ſuo ſubderentur imperio, ſed ad ſuos natiuos dominos redirent, filiam Philippi tanquam dominam omnium rerum quę ad generationem illam ſpectabant, accepit uxorem. Tunc itaq; rex peragratis partibus Rheni, aduenit in Sueuiam: cœpit autem prædonibus & facinoroſis terrorem incutere, & iudicia ſuper eos exercere, potius indignans ſuper eos per ſuperbiam, quàm amans iuſticiam. Vnde etiam contra morem gentis comites ſeu barones uel principes ad ſe uenientes, rebus & uerbis inhoneſtauit. Feuda quoq; quæ Philippus habuerat ab eccleſiaſticis principibus, etiam contra uoluntatem illorum obtinere uoluit, & tam ipſos, quàm Eccleſias opprimere cœpit, ſimulans zelum iuſticiæ, cum potius ageret ſuperbe. Vnde à pauperibus & monachis & clericis tanquam defenſor collaudabatur iuſticiæ, ſed Deus aliud reſpexit in corde. Habebat autem famulos ſuos de Saxonia & Anglia, ſeu clericos, ſeu laicos, quibus omnia beneficia quę contigit uacare, ſtuduit conferre. Fuerat autẽ conſuetudo principum, ut hilariter & prompte beneficia ſeu eccleſias conferrent primis petentibus, quod iſte nequaquam facere uoluit. Cumq; ueniſſet Auguſtam eodem anno in natiuitate Domini, multiq; principes & milites conueniſſent ad curiam, præcepit Imperator Marſcalco de Callindin, & militibus

Otto precipit malefactiones inueſtigari & iudices ſiſti.

ſuis, quatenus malefactores inueſtigarent, & ſibi eos exhiberent in iudicio. Vnde quamplurimi milites in nocte fugerunt: comes quoq; de Grafiſbach uiolenter ante imperatorem attractus eſt, & cappa qua indutus erat, turpiter laniata.

Prædones Alemãniæ

Vnde timor ipſius cecidit ſuper barones et milites. Hi nanq; in Alemãnia plęrũq; ſolent eſſe prædones. Fauorem uero maximum à popularibus & clauſtralibus acquiſiuit. Inde itaq; progrediens terras peragrauit, accipiens eas in poteſtatem, & exercitũ congregauit, quatenus ueniret Romam coronandus. Eo anno tempore uernali & æſtiuo, expediens ſe imperator, & proficiſcens circa feſtum ſancti

Otto coronatur ab Innocentio tertio.

Michaelis, Romæ coronatur ab Innocentio papa iij. Cumq; exercitus imperatoris maneret extra ciuitatem, quidam milites & alij laſciuientes gratia ſpectandi decreuerunt uenire in ciuitatem, cũ quibus erat etiam dominus Sifridus Auguſtenſis epiſcopus. Aſt occaſione, neſcio qua, nacta, ciues inſurrexerũt contra illos, interfectiq; ſunt quidam miniſteriales nobiles de Auguſtenſi dioceſi, & plurimi uulnerati. Heinricus quoq; de Bobingen miniſterialis uulneratus, domum quidem redijt, ſed poſt in breui uitam finiuit: & curias quaſdam in loco qui dicitur ſuper Egge, eccleſię noſtræ contradidit. Imperator itaq; coronatus, dimiſit exercitum: & ipſe cum paucis in Italia permanſit, accipiens terram in poteſtatem.

Otto inuadit terras ſancti Petri.

Inſignia quoq; imperialia apud Mediolanum commiſit, unde magnum fauorem à Mediolanenſibus acquiſiuit. Inde peragratis partibus Tuſciæ & Marchiæ contra iuramentum quod fecerat domino papæ, manu hoſtili cœpit inuadere

terras

terras ſancti Petri,ad eccleſiam Romanam pertinentes. Prætereaiuramenta quę fecerat de reformanda pace cum Philippo rege Francię, & Friderico rege Sicilię, ut ſuper his ſtaret mandatis domini pape,quatenus eccleſia tota non perturbaretur,omnino reſpuit obſeruare. Quinimmo manu hoſtili Apuliam intrauit & multas ciuitates ad regem Siciliæ pertinētes, in ſuam poteſtatem redegit,& principatum Capuæ cum palatio eiuſdem ciuitatis accepit, & in eodem permanere cœpit. Cumq; ſuper his ad reſipiſcendum frequenter admonitus à papa fuiſſet, tandem contumax & rebellis exiſtens, ab eo fuit excommunicatus, & ubiq; denunciatus.

Otto excommunicatur à papa.

Anno Domini milleſimo ccx. Otto excommunicatus denūciatur. Tunc principes Alemanniæ, rex uidelicet Bohemiæ, dux Auſtriæ, dux Bauariæ, & Lantgrauius Thuringiæ, & alij quamplures conuenientes, Fridericum regem Siciliæ elegerunt in imperatorem coronandum, cui etiam olim cum adhuc in cunis eſſet,iurauerant fidelitatem.

Fridericus ſecundus eligitur in Imp. Hic πολυγλώττατος dictus, nouit enim Latine, Teutonice, Græce, Sarracenice.

Nuncios itaq; acquirunt,qui hanc ſuam electionem tam in ciuitate Romana, quàm apud præfatum Fridericum regem Siciliæ promoueant, & ipſum in Alemanniam perducant. Mittūtur in hac legatione nobilis uir Heinricus de Niſen, & Anshelmus de Iuſtingen, uir ingenuus: promittunturq; eis pro expenſis & itinere, quindecies centenæ marcæ, de redditibus imperij ſoluendæ. Cumq; hi ſimul uſq; Veronam perueniſſent, præfatus Heinricus remanſit ibidem,quatenus fauorem Lombardorum acquireret præfato regi, & præcipue Veronenſium. Dictus uero Anshelmus magno labore & periculis plurimis Romā uſq; peruenit, ibiq; conſilio & interuentu domini Innocentij papæ obtinuit, ut à ciuibus & populo Romano Fridericus imperator collaudaretur,et de ipſo factam electionem papa confirmauit. Tunc itaq; præfatus Anshelmus progreſſus uenit ad ſępedictū Fridericū regem Siciliæ,uixq; obtinuit apud illum,ut iret in Alemanniam. Vxor nanq; ipſius, filia regis Aragonenſis,quam prius uxorem habuerat rex Vngariæ, plurimū ſtuduit eum reuocare ne iret. Similiter & multi potentes Siciliæ timentes euenire ſibi periculum propter fraudem Alemannorum. Aſt ipſe cum paruulum iam ex coniuge haberet filium,Heinricum uidelicet, poſtmodum regem factum,relictis uxore & filio & terra, uiriliter iter arripuit ad accipiendum imperium, & primo Romam applicuit. Vbi accepto fauore & conſilio domini papæ, Ianuam peruenit. Huius itaq; ciuitatis ciues iter ſibi parant ſecurum: timebant enim incurſus Mediolanenſium, & ipſum Papiam uſq; perducunt. Tunc Papienſes & Cremonenſes coadunati, uſq; in uallem Tridentinā ipſum conducunt.

Legati qui adducant electum.

Anshelmus.

Fridericus uenit Romam.

Anno Domini mill. ccxi. Otto in Apulia quaſdā ciuitates accepit, & Capuam peruenit, ubi & hyemauit. Eo tempore cum ueniſſemus ad curiam Romanam, uidimus ibidem uirum religioſum abbatem de Morimunt,qui à feſto ſancti Michaelis,ſicut ipſe aſſerebat, uſq; ad quadrageſimam, quinq; uicibus tranſierat à Roma uſq; Capuam,iuſſu domini papę,quatenus pacē reformaret inter papam & imperatorem. Cæterum imperator Otto nulla ratione flecti potuit, quin uellet expellere de terra præfatum Fridericū regem Siciliæ,& de Philippo rege Franciæ ultionem quærere,eò quod terras auunculi ſui regis Angliæ, uidelicet, Normaniam,& alias quaſdam ſubegiſſet, & cōtra ipſum quædam uerba temere protuliſſet. Sane ne tanta turbatio fieret in eccleſijs & populo Chriſtiano,uoluit dominus papa ſuſtinere omne damnum quod ſibi imperator in terris eccleſiæ Romanæ intuliſſet aut inferret. Hanc formam compoſitionis cum recuſaſſet imperator admittere, dominus papa tanquam uir animoſus, & confidens in Domino, tria ardua negocia ſimul explere diſpoſuit, quæ deſcribemus in ſequentibus.

Otto hyemat in Apulia.

Studium papæ,ut Ottonem et Fridericum concordet.

Anno Domini mill. ccxij. Laborauit papa ſuper depoſitione Ottonis imperatoris,quod fuit arduum negocium. Secundo tranſmiſit literas per omnem Chriſtianitatem pro ſucceſſu terræ Hieroſolymitanæ,quarum exemplar hic ſubijciemus. Tertio pro coadunando generali cōcilio literas per orbem tranſmiſit. Sed iſtarum exemplar ponemus. Delatæ fuerunt iſtæ literæ, anno Domini milleſimo ccxij. tempore Paſchali. Quarum exemplaria ſunt hæc:

Tria ardua negocia papæ.
1. Depoſitio Ottonis.
2. Profectio Hieroſolymitana.
3. Concilium.

BVLLA INNOCENTII III. AD CHRISTIAnos, pro reparanda terra ſancta.

INnocentius papa tertius omni populo Chriſtiano. Quoniam maior nunc inſtat neceſſitas, quàm unquam inſtiterit, ut terrę ſanctæ neceſſitatibus ſuccurratur, & de ſucceſſu ſperatur, maior quàm unquam prouenerit utilitas, prouentura. Ecce reſumpto clamore clamamus ad uos, & pro illo clamamus, qui uoce clamauit in cruce ſpiritum emittendo, factus obediens Deo patri uſq; ad mortem crucis, ut nos ab ęternę mortis eriperet cruciatu, qui clamat etiam per ſe ipſum dicens: Si quis uult poſt me uenire, abneget ſemetipſum &c. Ac ſi diceret manifeſtius: Qui uult me ſubſequi ad coronam, me quoq; ſubſequatur ad pugnam, quæ ad probationem præponitur uniuerſis. Poterat enim Deus terram illam omnino defendere, ne in manus traderetur hoſtiles: poſſet & illam ſi uellet de manu hoſtium facile liberare, cum nihil poſſit eius reſiſtere uoluntati. Sed cum iam ſuperabundaſſet iniquitas, refrigeſcente charitate multorum, ut fideles ſuos à ſomno mortis excitaret, & ad uitæ ſtudium agonem illis propoſuit, in quo fidem illorum uelut aurum in fornace probaret, occaſionem ſalutis, immo cauſam ſaluationis præſtando, ut qui fideliter pro ipſo certauerint, ab ipſo fœliciter coronentur: & qui noluerint, in tantæ neceſſitatis articulo debitæ ſeruitutis impendere famulatum, in nouiſſimo diſtricti examinis die, iuſtę mereantur damnationis ſententiam ſuſtinere. O quanta iam prouenit utilitas ex hac cauſa? quàm multi conuerſi ad pœnitentiam pro liberatione terræ ſanctæ, mancipauerunt ſe obſequio crucifixi, & quaſi per agonem coronam glorię ſunt adepti, qui forte in ſuis iniquitatibus periiſſent, carnalibus uoluptatibus, & mundanis illecebris irretiti. Vetus eſt hoc artificium Ieſu Chriſti, quod ad ſuorum ſalutem fidelium diebus iſtis dignatus eſt innouare. Si enim aliquis rex tēporalis à ſuis hoſtibus eijceretur de regno, niſi uaſſalli eius pro eo nō ſolum res exponerēt, ſed perſonas, nonne cū regnū recuperaret amiſſum, eos uelut infideles damnaret, & excogitaret in eos inexcogitata tormenta, quibus perderet male malos? Sic & rex regū Dñs Ieſus Chriſtus, qui corpus nobis & animā contulit, de ingratitudinis uitio, & infidelitatis crimine uos damnabit, ſi ei quaſi eiecto de regno, quod precio ſui ſanguinis comparauit, neglexeritis ſubuenire. Sciat ergo ſe culpabiliter durum, & dure culpabilem, quicunq; in hoc neceſſitatis articulo ſuum negauerit obſequium redemptori. Nam ſi quis ſibi uel modicum quid hæreditatis paternæ ſentiret dure ablatum, mox ſecundum morem mundanum totis uiribus laboraret, ut ſuam uindicaret iniuriam, & uiolentiam propulſaret, nec rebus parceret, nec perſonis, donec ex toto recuperaret amiſſum. Quomodo ergo poterit excuſari, qui nec mediocriter laborare ſtuduerit, pro punienda ſui redemptoris offenſa, & eius iniuria ulciſcenda, dum parcendo rebus & perſonis, impedit ne locus recuperetur paſſionis & reſurrectionis dominicæ, in quo Deus rex noſter ante ſęcula ſalutem in medio terræ dignatus eſt operari? Quomodo etiam ſecundum præceptum diuinū diligit proximum ſuum ſicut ſe ipſum? ſicut ſcriptum eſt. Qui ſciens fratres ſuos fide ac nomine Chriſtianos, apud perfidos Sarracenos ergaſtulo carceris detineri, ac iugo deprimi ſeruitutis, et ad liberationem eorū efficaciter operam non impendit, illius naturalis legis mandatū tranſgrediens, quod Dominus in Euangelio declarauit: Quęcunq; uultis ut faciant uobis homines, & uos eadē facite illis. An forte neſcitis, quod apud illos multa millia Chriſtianorum in ſeruitute ac carcere detinent, qui tormentis innumeris cruciātur? Equidē omnes fere Sarracenorū prouincias uſq; poſt tempora beati Gregorij Chriſtiani populi poſſederunt. Sed ex tunc quidam filius perditionis pſeudopropheta ſurrexit, qui per ſæculares illecebras, & uoluptates carnales, multos à ueritate ſeduxit, cuius perfidia & ſi uſq; ad hęc tempora conualuerit, confidimus tamen in Domino, qui fecit iam nobiſcum ſignum, quod numerus huius beſtiæ, quæ ſecundum Apoc. Iohannis infra DCLXVI. clauditur, in proximo finietur per operationem ſpiritus ſeptiformis, qui charitatis igne corda fidelium hactenus frigeſcētia, reaccendet.

Nomine Chriſti exhortatur

Comparatio terreni regis.

A precepto charitatis in proximum.

Certe própter priores iniurias grandes & graues redemptori noſtro, pro noſtris offenſis à perfidis Sarracenis illatas, nuper in monte Thabor, ubi diſcipulis futuræ glorificationis ſpeciem domonſtrauit, ijdem perfidi Sarraceni quandam munitionis arcem, in confuſionem Chriſtiani nominis erexerunt, per quam ciuitatem Acon ſibi ualde uicinam, de facili cogitant occupare, ac deinde ſine omni contradictionis obſtaculo, reſiduum huius terræ inuadere, cum ſit uiribus & opibus deſtituta. Ea propter dulciſſimi filij, diſſenſiones & æmulationes fraternas in pacem ac dilectionis fœdera commutantes, accingimini ad obſequium cruci fixi, non dubitãtes pro illo, & perſonas, & res exponere, qui pro nobis animam ſuam poſuit, & ſanguinem ſuum fudit, certi pariter & ſecuri, quod ſi uere pœnitẽtes fueritis, per hunc temporalem laborem, quaſi quodam compẽdio, ad requiem peruenietis æternam. Nos enim de Dei omnipotentis miſericordia, & autoritate beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli confiſi, ex illa, quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atq; ſoluẽdi poteſtatem tradidit, omnibus, qui laborem iſtum in proprijs perſonis ſubierint, & expenſis, plenam ſuorum peccatorum, ſi cordis & oris egerint pœnitentiam, ueniam indulgemus, et in retributione iuſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in proprijs perſonis illud acceſſerint, ſed in ſuis tantum expẽſis, iuxta facultatem & qualitatem ſuam, uiros idoneos deſtinarint, & illis ſimiliter, qui, licet in alienis expẽſis, in proprijs tamen perſonis, aſſumptæ peregrinationis laborem impenderint, plenam concedimus ſuorum ueniam peccatorum. Huius quoq; remiſſionis uolumus eſſe participes, iuxta qualitatem ſubſidij, & deuotionis affectum, omnes qui ad ſubuentionem ipſius terræ, de bonis ſuis congrue miniſtrabunt. Perſonas quoq; ipſorum, & bona, ex quo crucẽ ſuſceperint, ſub beati Petri, & noſtra ſuſcipimus protectione, necnon & Archiepiſcoporum, & omnium prælatorum, Eccleſiæ Dei, defenſione cõſiſtant, ſtatuentes, ut donec de ipſorum obitu uel reditu certiſſime cognoſcatur, integra permaneant, & quieta conſiſtant. Quòd ſi quiſq; cõtra præſumpſerit, per cẽſuram Eccleſiaſticam appellatione remota compeſcatur. Si qui uero proficiſcentium illûc ad præſtandas uſuras iuramento tenentur aſtricti, creditores eorum per Eccleſiarum prælatos, ut remittant eis præſtitum iuramẽtum, & ab uſurarum exactione deſiſtant, eadem præcipimus diſtrictione compelli. Quod ſi quiſq; creditorum eos ad ſolutionem coegerit uſurarum, eum ad reſtitutionem earum ſimili cogi animaduerſione mandamus.

Iudæos quoq; ad remittendum eis uſuras, per ſecularem compelli præcipimus poteſtatem, & donec illas remiſerint, ab uniuerſis Chriſtifidelibus, tam in mercimonijs quàm in alijs, per excommunicationis ſententiam, eis omnimodo communio denegetur.

Vt autem terræ ſanctæ ſubſidium diuiſum in plurimos facilius impendatur, obſecramus omnes & ſingulos per patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, unũ ſolum uerum, unum æternum Deum, poſtulantes uice Chriſti pro Chriſto, ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus & Prioribus, & tam cathedralium quàm Eccleſiarum conuentualium capitulis, & clericis uniuerſis, necnon ciuitatibus, uillis, & oppidis competentem numerum bellatorum, cum expenſis ad triennium neceſſarijs, ſecundum proprias facultates, & ſi ad hoc unum quodlibet non ſuffecerit, plura cõiungantur in unũ, quia perſonæ nõ deerunt, ſi expenſæ non deſint. Similiter à Regibus, & principibus, & Comitibus, & Baronibus, alijſq; magnatibus, qui forſitan per ſeipſos perſonaliter non acceſſerint ad obſequium crucifixi. Ne autem alijs onera grauia & importabilia imponere uideamur, quæ digito noſtro mouere nolimus, proteſtamur coram Deo, quia quod ab alijs exigimus faciendum, hoc ipſi prompto animo faciemus.

Clericis autem ad hoc negotium neceſſarijs & idoneis indulgemus, ut omni contradictione ceſſante, beneficiorum ſuorum prouentus, propter hoc ualeant uſq; ad triennium obligare. Quia uero ſubſidium terræ ſanctæ multum impediri, uel retardari contingeret, ſi ante ſuſceptum crucis, examinari quemlibet oporteret, an eſſet idoneus & ſufficiens ad hoc uotum perſonaliter proſequendum,

Arx Sarracenorum in monte Thabor.

Hortatur ad unitatẽ.

Pollicetur remißionẽ omnium peccatorum.

Petit ſubſidium à ſpiritalibus & prophanis.

quicunq; uoluerint,indifferenter accipiant ſignum crucis,ita, quòd cùm urgens neceſſitas, aut euidens utilitas poſtulauerit, uotum ipſum de Apoſtolico poſſit mandato commutari, aut redimi, uel differri.

De proceßionibus in menſe quouis.

Verum cum longe plus de diuina clementia, quàm de humana potentia con fidere debeamus, oportet in tali conflictu, non tam corporalibus armis, quàm ſpiritualibus dimicare. Ideoq; ſtatuimus & mandamus,ut ſingulis menſibus fiat generalis proceſſio ſeorſum uirorum ac mulierum, in humilitate mentis & corporis; cum deuota orationum inſtantia poſtulantium, ut miſericors Deus hoc à nobis auferat opprobrium confuſionis, liberando terram illam in qua uniuerſa noſtræ redemptionis Sacramenta peregit, de manibus Paganorum, & reſtituendo eam, ad laudem & gloriam nominis ſui, populo Chriſtiano.

Verbum crucis prædicetur.

Vbi ſemper cum diligenti exhortatione uerbum crucis populo proponatur. Orationi uero ieiunium & eleemoſyna coniungatur,ut his quaſi alis facilius & celerius ipſa uolet oratio ad piiſſimas aures Dei, qui nos clementer exaudiat in tempore oportuno. In ſingulis quoq; diebus intra miſſarũ ſolennia, poſt pacis oſculum,cum iam pro peccatis mundi offerenda ſit hoſtia ſalutaris, omnes tam uiri, quàm mulieres humiliter proſternantur in terram, & à clericis Pſalmus iſte: Deus uenerunt gentes,cantetur alta uoce. Quo cum hoc uerſu finito: Exurgat Deus, & ſacerdos qui celebrat, orationem iſtam alta uoce ſuper altare decantet: Deus qui admirabili. In illis autem Eccleſiis, in quibus conuenit proceſſio generalis,

De trunco.

truncus ſtatuatur concauus tribus clauibus conſignatus. Vna penes honeſtum præsbyterum, alia apud laicum deuotum, tertia penes aliquem regularem fideliter conſeruandis,in quo uiri & mulieres eleemoſynas ponant, in terræ ſanctæ ſubſidium conuertendas, ſecundum diſpoſitionem eorum, quibus fuerit hæc ſollicitudo commiſſa. Porrò ſuper proceſſu & tranſitu modeſto, & ordinato, congruo loco & tempore faciendo,nondum oportet aliquid diffinire,donec exercitus Domini cruce ſignetur: Sed tunc penſatis undiq; circũſtantiis, quæcunq; uiderimus oportuna, de prudentium uirorum conſilio ſtatuemus.

Ad hæc ergo exequenda,dilectum filium noſtrum deſtinamus,qui aſcitis ſibi ad conſilium & auxilium, uiris prouidis & honeſtis, autoritate noſtra ſtatuat & diſponat quæcunq; ad hoc negotium promouendum uiderit expedire,faciens quæ ſtatuerit, ſingulis diœceſibus per uiros idoneos, ad hoc ſpecialiter deputatos, fideliter ac ſollicite procurari. Quocirca uniuerſitatem ueſtrã rogamus, monemus, & obſecramus in Domino, per Apoſtolica ſcripta mandãtes, & in uirtute Spiritus ſancti iniungentes,qua ei pro Chriſto legatione fungenti,tales uos exhibere curetis,quòd per uos, & in uobis fructum faciat exoptatum. Idem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis,Abbatibus & Prioribus, Decanis & Archidiaconibus per Teutonicas prouincias conſtitutis.

Vinea Domini demolitur à multiformibus beſtiis.

Vineam Domini ſabaoth,multiformes ſatagunt beſtiæ demoliri. Quarum incurſus adeo inualuit cõtra ipſam,ut ex parte non modica, pro uitibus ſpinæ ſuccreuerint, & quod gementes referimus,ipſæ iam uites proferant pro uua, labruſcam,infectæ multipliciter & corruptę. Illius ergo teſtimonium inuocamus,qui teſtis eſt in cœlo fidelis,quod inter omnia deſiderabilia cordis noſtri duo in hoc ſæculo principaliter affectamus, ut ad recuperationem uidelicet terræ ſanctæ, ac reformationem uniuerſalis Eccleſiæ ualeamus intendere cum affectu. Quorum utrumq; tantã requirit prouiſionis inſtantiam, ut abſq; graui & grandi periculo, ultra diſſimulari nequeat uel differri. Vnde ſupplicationes & lachrymas effundimus,coram Deo humiliter obſecrantes,quatenus ſuper his ſuum nobis beneplacitum reuelaret, inſpiraret affectum, accenderet deſiderium, & propoſitum confirmaret,facultatem & oportunitatem præſtando,ad ea ſalubriter exequenda. Quapropter habito ſuper his cum fratribus noſtris,& aliis uiris prudentibus, frequenti & diligenti tractatu, prout tanta ſollicitudo exigebat, hoc tandem ad

Generale concilium.

exequenda prædicta de ipſorum conſilio prouidimus faciendum. Vt quia hæc uniuerſorum fidelium communem ſtatum reſpiciunt, generale concilium iuxta priſcam conſuetudinem ſanctorum patrum conuocemus, propter lucra ſolum

animarum

animarum, oportuno tempore celebrandum. In quo ad extirpandum uitia, & plantandas uirtutes, corrigendos exceſſus, & reformandos mores, eliminādas hæreſes, & roborandam fidem, ſopiendas diſcordias, & ſtabiliendam pacem, comprimendas oppreſſiones, libertatem fouendam, inducendos Principes & populos Chriſtianos ad ſuccurſum & ſubſidium ſanctæ terræ, tam à clericis quã à laicis impendendum, cum ceteris, quæ perlongum eſſet per ſingula enumerare, prouide ſtatuantur inuiolabiliter obſeruanda. Circa prelatos & ſubditos regulares, quæcunq; de ipſius approbatione Concilij uiſa fuerint expedire, ad laudem & gloriam nominis eius, ad remedium & ſalutem animarum ueſtrarum, ac pro fectum & utilitatem populi Chriſtiani. Quia uero ante biennium uniuerſale nō poſſet concilium commode celebrari, diſpoſuimus interim per uiros prudentes in ſingulis prouincijs plenius explorare, quæ Apoſtolicæ prouiſionis limam expoſcant, & præmittere uiros idoneos ad terræ ſanctæ negotium procurandum, ut ſi exigente neceſſitate ſacrum concilium approbauerit, nos ipſum negotium perſonaliter aſſumamus efficacius promouendum. Credentes igitur hoc ſalutare propoſitum ab illo deſcēdere, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Vniuerſitati ueſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipimus, quo uos taliter præparetis, quòd à præſenti dominicæ incarnationis Mccxiij. anno uſq; ad duos annos & dimidium, præfixis uobis pro termino kalen. Nouemb. ad ſedem Apoſtolicam accedatis cū modeſtia & cautela, ita ꝙ in ueſtra prouincia, ſi neceſſitas poſtulauerit, duo uel tres de ſuffraganeis Epiſcopis ualeant remanere, pro Chriſtianitatis miniſterijs exequendis, & tam illi ꝗ alij, qui canonica prepe ditione detenti, uenire nequeunt, idoneos pro ſe dirigant reſponſales. Perſonarum & euectionum mediocritate ſeruata, quam Lateranenſe Concilium definiuit, ut nullus omnino plures aut pauciores ſecum deducere poſſit. Nec quiſꝗ faciat ſuperfluas & pompoſas, ſed neceſſarias tantū & moderatas expenſas, oſtendendo ſe actu & habitu uerum Chriſti cultorem, cum nō ſecularis applauſus, ſed ſpiritualis profectus in hoc negotio ſit requirendus. Interim autem per uoſipſos, & per alios uiros prudentes, uniuerſa ſubtiliter inquiratis, quæ ſtudio correctionis aut reformationis indigere uidentur, & ea fideliter conſcribētes, ad ſacri concilij præfati examen, erga ſubuentionem terræ ſanctæ neceſſaria, ubi Deus noſter rex ante ſecula ſalutem in medio terræ operari dignatus eſt, opem & operam efficaciter impenſuri, aſſiſtendo fideliter & prudenter, his, quos ad hoc negocium duxerimus, ſpecialiter procurandum deſtinare. Nullus itaq; fallaciter ſe excuſando ab executione tam ſancti operis ſubtrahat, ſi Canonicam uult effugere ultionem. Nemo diſſenſionum obſtacula, uel itinerum impedimenta cauſetur, quæ Domino faciente ſignum in bonum, ex bona iam parte ceſſare cœperunt. Nam & quanto maiora imminent pericula, tanto potiora remedia cōuenit abhiberi. Nunꝗ enim nauigabit per equora, qui ſemper expectat, ut mare non excitet in ſe fluctus. Propter hæc autem ad uos dilectum filium N. cum iuſſione Apoſtolica deſtinamus, quem habeatis pro noſtra reuerentia commendatum.

Eodem modo ferè ſcribetur Regibus & Principibus uſq; Fluctus, poſtea poni tur hæc clauſula. Cum ergo deceat & expediat, ut tua regalis ſublimitas ad Synodum tam ſolennem nuncios dirigat ſpeciales, ſerenitatem tuā monemus & exhortamur in Domino, quatenus uiros idoneos uita comite, præſcripto termino dirigere non poſtponas, per quos tuæ nobis aperias beneplacitum uoluntatis, quia quantum poterimus cum honeſtate, ad tuum libenter & efficaciter intendemus commodum & honorem. Hæc ultima clauſula. Quia quantum &c. apponitur domino meo regi Arragon. & Regi Francorum.

Eo tēpore, mundo iam ſeneſcēte, exortę ſunt duæ religiones in Eccleſia, cuius ut aquilę renouatur iuuentus, quę etiā à ſede Apoſtolica ſunt cōfirmatę, uidelicet Minorum fratrum, & Prędicatorū. Quę forte hac occaſione ſunt approbatę, quia olim duę ſectę in Italia exortę, adhuc perdurāt, quorū alij humiliatos, alij pauperes de Lugduno ſe nominabant. Quos Lucius Papa quōdā inter hęreticos ſcribebat, eo ꝙ ſuperſtitioſa dogmata, & obſeruationes in eis reperirētur. In occultis *Religio Minorum & Prædicatorum.*

quoq;

quoq; prędicationibus quas faciebant, plerunq; in latibulis Eccleſiæ Dei, & facer
dotio derogabāt. Vidimus tūc temporis aliquos de numero eorū, qui dicebant

Pauperes de Lugduno

pauperes de Lugduno, apud ſedē Apoſtolicā cum magiſtro ſuo quodā, ut puto
Bernhardo, & hi petebāt ſectam ſuā à ſede Apoſtolica cōfirmari, & priuilegiari.
Sane ipſi dicentes ſe gerere uitam Apoſtolorum, nihil uolentes poſſidere aut cer
tum locum habere, circuibant per uicos & caſtella. Aſt dominus Papa quædam
ſuperſtitioſa in conuerſatione ipſorum eiſdem obiecit, uidelicet quòd calceos
deſuper pedem præcidebant, & quaſi nudis pedibus ambulabāt. Præterea cum
portarent quaſdam cappas, quaſi religionis, capillos capitis non attondebant
niſi ſicut laici: hoc quoq; probroſum in eis uidebatur, quòd uiri & mulieres ſi-
mul ambulabant in uia, & plerunq; ſimul manebant in una domo, & de eis dice
retur ꝙ quandoq; ſimul in lectulis accubabant. Quę tamē omnia ipſi aſſerebant

Pauperes minores.

ab Apoſtolis deſcendiſſe. Cęterū dominus Papa in loco ipſorū exurgētes quoſdā
alios, qui ſe appellabāt pauperes minores, cōfirmauit: qui prędicta ſuperſtitioſa
& probroſa reſpuebāt, ſed pręciſe nudis pedibus tā ęſtate ꝙ̄ hyeme ambulabāt &
neq; pecuniam nec quicꝗ̄ aliud præter uictum accipiebant & ſi quando ueſtem
neceſſariam quiſꝗ̄ ipſis ſponte conferebat, non enim quicꝗ̄ petebāt ab aliquo.
Hi tamen poſtea attendentes quòd nōnunquam nimię humilitatis nomen glo

Minores fratres.

riationem importet, & de nomine paupertatis cum multi eam fruſtra ſuſtineant
apud Deum uanius inde glorientur, maluerunt appellari minores fratres quàm
minores pauperes, apoſtolicę ſedi in omnibus obedientes. Alij, uidelicet prædi-

Humiliati.

catores, in locum humiliatorum ſucceſſiſſe creduntur. Humiliati quippe, nulla
habita autoritate aut licentia Prælatorum, mittentes falcem in meſſem alienam
populis prædicabant, & uitam eorum plerumq; regere ſatagebant, & confeſſio-
nes audire, & miniſterijs ſacerdotum derogare. Quæ uolens corrigere Papa or-
dinem prædicatorum inſtituit & confirmauit. Illi quippe rudes & illiterati cum

Prædicatores

eſſent, operibus manuum inſtabant, & prędicabant, accipientes neceſſaria à ſuis
credentibus. Iſti uero ſtudio, & lectioni ſacræ ſcripturæ iugiter inſiſtentes, tan-
tum in ſcribendo libros opus faciebant: & eos diligentiſſimè à magiſtris ſuis au-
diebāt, ut cū ſagittis & arcu & omni armatura fortiū poſſent ingredi, & ſtare pro
defenſione ſanctæ matris Eccleſię: & ex aduerſo aſcendere, & ponere ſe murum
pro domo Iſrael, dum fidem roborāt, uirtutes inſtruant, ſtatuta Eccleſiæ docent
& collaudant, uitia hominum & prauitates redarguunt & caſtigant. Nihilomi-
nus ſedi Apoſtolicę in omnibus obediunt, à qua autoritatē præcipuam trahunt.

Otto contra Lantgrauium de Thuringia bellum mouet.

Pręſcripto anno, uidelicet M. ccxij. Otto Imperator ueniens in Alemanniam
congregauit exercitum, & contra Langrauium de Thuringia & alios iam rebel-
les effectos, toto tempore uernali & ęſtiuo bellum mouit. Interim Fridericus Im
perator electus, cum non poſſet directo itinere uenire in Alemanniam, de ualle
Tridentina per aſperrima loca alpium, & inuia, & iuga montium eminentiſſi-

Rhetia Curienſis.

ma, obliquando iter ſuum, uenit in Rhetiam Curienſem: ibiq; receptus ab Epi-
ſcopo Curienſe & Abbate ſancti Galli & nobili uiro Henrico de Sacco perdu-

Conſtantia.

ctus eſt uſq; ciuitatem Conſtantiam. Audito uero aduentu ipſius, Otto Impera-
tor interim uenerat de Thuringia, uolens comprehendere aut interficere aduer-

Vberlingen.

ſarium ſuum, ipſeq; manebat in oppido Vberlingen: ſed à multis derelictus non
poterat occurere ſæpe dicto Friderico ad pugnam. Vnde factum eſt ut auxilio
Comitis de Quiburc & aliorum, quibus ipſe prædia imperij & paterna large di-
ſtribuit, & obligauit, uſq; Baſileam perueniret: ubi tunc Heinricus de Veringen
Argentinenſis Epiſcopus cum quingentis militibus ſibi occurrit: quorum & a-
liorum fretus auxilio, per partes Rheni deſcendit, & ciuitates, terras, exceptis qui
buſdam caſtris paucis, in poteſtatem accepit. Otto uero nihilominus attentus,
ſi poſſet reſiſtere, ex altera parte Rheni deſcendit, uenitq; ad quoddam caſtrum

Briſach.

nomine Briſacū, quod in poteſtate ſua habebat, ubi cū maneret, ciues eiuſdem
caſtri, neſcio qua occaſione commoti, & ex fama rerum audaciores effecti, con-
tra eum & ſuos inſurrexerunt: ubi quidam uulnerati & interfecti ſunt, ipſeq; pro
fugus effectus uix receſſit ab eis. Qua fama diuulgata, laborioſe ſatis in Saxoni-
am redijt

am rediјt, & ſic de regno pellitur: & Fridericus Aquiſgrani coronatur. Anno do
mini mill. ccxiij. præſcriptæ epiſtolę à domino Papa per orbẽ mittuntur. Anno
domini mill. ccxiiij. Otto Imperator, adiuncto ſibi rege Angliæ, & comite Flan
drenſe, & comite Boloniæ, & alijs ꝙ plurimis, coadunauit exercitum, ut pugna-
ret contra Philippum regem Franciæ, quem plurimum habebat culpabilem de
omni ſuo labore. Quocirca rex Franciæ omnem populum terrę ſuę obuiam ſibi
pergere præcepit ad pugnam. Habebatq; in exercitu ſuo quoſdam milites ſtre-
nuiſſimos, & ad pugnam exercitatiſſmos, quorum conſilio regebatur. Exerci-
tus autem uterq; quodam flumine interfluente diuidebantur, ſicut quorundam
religioſorum uirorum relatione didicimus. Tunc præfati milites accedentes ad
regem Franciæ, alloquebantur eum in hunc modum: Domine, noſti quàm for-
tis ſit in pugna Otto Imperator: habet quoq; in auxilio ſuo uiros in pugna pro-
batiſſimos, uidelicet, comitem Flandriæ, & comitẽ Boloniæ, & alios quamplu-
res quos cognouimus, & tantam ipſorum eſſe ferocitatem, ut malint in bello ca
dere in mortem, quàm de pugna turpiter fugere. Acquiſce igitur conſilio noſtro,
ut non uideas populum tuum immani ſtrage & cęde corruere. Quibus rex pote
ſtatem dedit, ut omnia ſecundum uoluntatem ſuam diſponerent, & acies ordi-
narent, & pugnam inirent. Tunc illi accelerantes, ut præuenirent trans flumen
exercitum Ottonis, omnem populum & collegium regis Francię per quendam
pontem fluminis tranſuexerunt, & poſt tranſuectos pontem diruerunt. Factaq;
ammonitione per exercitum, ut fortiter ſtarent pro animabus ſuis, cum non pa-
teret eis locus fugę, propter hoſtes ex aduerſo, & fluminis exuberantiam à tergo,
diſpoſuerunt acies ad pugnam, pedites ac populares ſic diſponendo, ut ab ipſo
loco pontis duas lineas ſtantes extenderent longe in campum, quolibet ſtante
in latere alterius, & haſtas ſuas & arma fortiter tenentes, nec de loco cedentes.
Diſpoſueruntq;, ut dum pugna intra ipſos diſpoſitos quaſi in formam triangulæ
figuræ ex una parte aperturam habentis ageretur, ipſi à poſteriori parte hoſtium
conuenirent, & eos uiriliter cæderent. Quo facto, inita eſt pugna à militibus &
equitibus utrinq;. Tunc Franci quaſi ſimulantes ceſſionem, hoſtes protrahunt
uſq; ad locum deſtinatum. Cumq; uiderent ſe undiq; turmis concludi, fugam
inierunt: ubi multis interfectis, & captiuatis, & uulneratis, Franci uictoriam ob
tinuerunt. Captiq; ſunt comes Flandriæ, & comes Boloniæ, qui poſtmodum
detenti in captiuitate diuturna perierunt. Otto quoq; imperator, & rex Angliæ,
& alij quidam uix aufugerunt.

Fridericus 2. coronatur Aquiſgrani.

Bellum Ottonis contra Philippum regem Franciæ.

Franci uincunt.

Anno ab incarnatione Verbi milleſimo ccxv. celebrata eſt ſancta uniuerſalis
ſynodus Romæ in eccleſia Saluatoris, quę Conſtantiniana uocatur, menſe No-
uembri, pręſidente domino Innocentio papa tertio, pontificatus eius xviij. an-
no. In qua fuerunt epiſcopi ccccxij. Inter quos extiterũt de præcipuis patriarchis
duo uidelicet, Conſtãtinopolitanus & Hieroſolymitanus. Antiochenus autem
graui langore detentus, uenire non potuit, ſed miſit pro ſe uicarium, Anthera-
denſem epiſcopum. Alexandrinus uero ſub Sarracenorum dominio cõſtitutus,
fecit quod potuit, mittens pro ſe diaconum ſuum Germanum. Primates autem
& metropolitani lxxi. Cæterum abbates & priores ultra octingentos. Archiepi
ſcoporum uero & epiſcoporum, abbatum & priorum, & capitulorũ abſentium
non fuit certus numerus compręhenſus. Legatorum uero regis Siciliæ in Roma
norum imperatorem electi, Imperatoris Conſtantinopolitani, regis Franciæ, re
gis Angliæ, regis Vngariæ, regis Hieroſolymitani, regis Cypri, regis Arragonię,
necnon & aliorum principum & magnatum, ciuitatum aliorumq; locorum in-
gens fuit multitudo.

Synodus Romæ ſub Innocentio 3.

Eodem anno abbas electus fui, & translatus in Vrſperg.

Electus abbas in Vrſperg translatus.

Anno Domini milleſimo ccxvi. Innocentius papa obijt apud Peruſium, xvi.
kalendas Auguſti, pontificatus ſui anno decimonono. Cui ſucceſſit Honorius
tertius, qui prius fuerat Centius nominatus. Fueratq; camerarius cardinalium, &
pecunias ipſis collatas, inter eos fideliter & prouide diſtribuebat. Sedit annis de
cem, menſes octo.

Honorius 3.

Profectio Hieroſol. tepet.

Anno Domini mill.ccxvij. Iam tepeſcere cœperunt prædicatores itineris Hierosolymitani, propter mortem Innocentij papæ. Sane epiſcopus Halberſtatenſis, & magiſter C. de Marburc in inferioribus partibus, & magiſter Salomon Herbipolenſis in ſuperioribus adhuc inſiſtebant huic negotio.

Honorius quoq; papa in ciuitate Romana, prędicabat & teſtificabatur in ipſa ſua prædicatione, quod tempore ſui ſacerdotij recuperanda eſſet à Chriſtianis ciuitas Hieroſolyma: quod ex tali prodigio dicebat ſibi conſtare: Quia cum olim fuiſſet procurator cuiuſdam cardinalis, Iacincti uidelicet, qui poſtmodũ fuit Celeſtinus papa, contigit ut idem Iacinctus à Clemente Papa mitteretur in legatione ad partes Hiſpaniarum. Cumq; ſe præpararet ad iter, & non haberet pecunias, miſit Honorium procuratorem ſuum, qui tunc Centius dicebatur, per ciuitatem Romanam, quatenus mutuo acciperet ſibi pecunias pro expenſis, & ad expediendum iter neceſſarias. Cumq; apud plures requireret pecunias, contigit ut in quodam loco ſibi ſoli eunti & ſollicitanti occurreret quidam uir grandæuus, reuerendus & honorabilis in perſona. Qui dum quæreret ab eo, quare tam ſollicitus & anxius ambularet per uiam, cauſam itineris ſui ſignificauit eidem. Tunc ille reſpondit ſibi, dicens: Reuertere, quia dominus tuus tempore iſto non ibit in Hiſpaniam. Cui Centius ammirans reſpondit: Quomodo hoc pater bone poteris ſcire? Cui ille reſpondit: Ita ſcias hoc eſſe uerum, ſicut uerum eſt quod papa morietur, & dominus tuus ei ſubſtituetur. Cumq; de hoc nulla ſpes haberetur ab ipſo, aut ab alijs, reſpondit ſe hoc uix poſſe credere: Tunc uir ille rurſus adiecit: Scias hoc ita eſſe uerum, ſicut uerum eſt, quod hodie ciuitas Hieroſolymitana à Sarracenis eſt capta, nec ab ipſis poterit liberari, uſq; ad tẽpora tui pontificatus Romani, & tunc liberabitur. His dictis, diſparuit uir ille. Cumq; reuerſus fuiſſet domum, inuenit quod dominus papa reuocauerat legationẽ, & ipſe papa nũciabatur infirmus. Aeſtimabatur à multis, ꝙ uir ille fuiſſet beatus Petrus. Tali argumento, quia conſtabat, ꝙ ex prędictis duo euenerant: Nam Clemens in breui mortuus eſt, & Celeſtinus ei ſucceſſit: Honorius quoq; iam papa fuerat effectus, cum eſſet corpore infirmus ex ſenio, et ultra modum debilis, affirmabat firmiter ſe credere ciuitatem ſanctam in breui eſſe recuperandam. Quo rumore plurimi Romanorum excitati, cruce ſunt ſignati. Fama quoq; huius rumoris per Alemanniam diuulgata, multos ad ſumendam crucem animauit.

Honorij, tunc Centij dicti, uiſio.

Signum mirabile in ſtella.

Corona Ariadnæ.

Eodem anno tempore autumnali, hora ueſpertina poſt occaſum ſolis, in quadam ſtella in occidente, uiſum eſt ſignum mirabile. Nam cum ſtella illa poſita uerſus auſtrum, aliquantulum declinans in occidẽtem, in directo ſyderis illius, quod uocant Aſtrologi, coronam Ariadnæ, ſicut noſipſi annotauimus, antea erat parua, & poſt ad paruitatem redijt, ſed tunc maiori lumine refulſit. Viſusq; eſt ab ea aſcendere uerſus altitudinem firmamenti quidam radius ualde clarus, quaſi trabes magna & alta, & hoc per multos dies, ut prædictum eſt, tempore autumnali ſero uiſum eſt: poſt paulatim defecit, & ad ſuam paruitatem ſtella redijt. Prædicatores quoq; his temporibus multa alia afferebant contigiſſe ſigna in cœlo & in terra, quæ longum eſſet enumerare, & huic breuitati annectere.

Otto Imp. moritur.

Anno Domini milleſimo ccxviij. Otto imperator obijt. Et quia diſpoſitum fuerat in concilio generali, ut eo anno in kalendis Iulij cruce ſignati iter arriperẽt multi de patribus Alemanniæ profiſciſcuntur. Aſt ne pergant, in ciuitatibus Apuliæ impediuntur: ſed autoritate ſedis Apoſtolicæ uotum eorum differtur, & inutilibus remittitur per compenſationem.

ANNI FRIDERICI II.

FRIDERICVS II. 24. Imp. Germ.

Anno Domini mill.ccxix. FRIDERICVS in Imperatorem electus, negotia imperij in Alemannia diſponit, & ſe præparat, ut ſequenti anno ueniat Romam coronandus.

Fridericus II. Romæ coronatur, & dat multa eccleſiæ.

Anno Domini mill.ccxx. Fridericus Romæ coronatur in Imperatorem, in baſilica S. Petri, de mandato Honorij pape, per miniſterium domini Hugulini tũc Hoſtiẽſis epiſcopi, poſtmodũ apoſtolici. Vbi Imp. de bonis & prędijs imperij in Italia ſitis, multa cõtulit eccleſię S. Petri, et uota uotis accumulãs, de manu eiuſdẽ

epiſcopi,turſus crucem accepit ad perficiendum iterHieroſolymitanum.Eo anno mittuntur legati in Franciam pro ſtatutis concilij conſeruandis.

Fridericus II. male tractatur à Bononienſibus.

Eberhard.de Tanne.

Anno Domini milleſimo ccxxi. Res imperij in Lombardia & in Tuſcia cupiens diſponere, à Bononienſibus & quibuſdam alijs ciuitatibus inhoneſte tractatur:& inſignia imperij,uidelicet coronam & alia,remittit in Alemanniam, faciens ea cuſtodiri ſub poteſtate Eberhardi de Tanne miniſterialis & dapiferi ſui, in Vualpurc. Filium quoq; ſuum Henricum,iá circiter viij.annos habentem,nutriendum & gubernandum commiſit Cunrado de Tanne,pincernæ & miniſteriali ſuo in caſtro Vuinterſteten:qui eorundem miniſterialium,& aliorum principum interuentu , poſtmodum à patre ſuo & principibus rex conſtituitur , & Aquiſgrani coronatur,cum patre ſuo imperium adepturus. Imperator quoq; cōtra duos comites Tuſciæ, uidelicet Mathæum & Thomam,qui occupauerant quædam caſtra & terras ſuæ ditionis, in Apulia pugnare cœpit: & expugnatos omnibus bonis priuauit.Qui poſtmodum confugientes Romam,præſidium ſedis Apoſtolicæ implorant: quocirca imperator multotiens conquerebatur, ꝙ inimicos ſuos & hoſtes publicos ſedes Apoſtolica foueret. Eo tempore dominus Cunradus Portuenſis epiſcopus cardinalis, in legatione ſedis apoſtolicæ dirigitur in Alemanniam pro negotio terræ ſanctæ , ut uidelicet cruce ſignatos faciat crucem reſumere : & prædicatores inſtituat, qui alios ad crucem ſumendam exhortentur.Tunc quidam , Iohannes nomine,de ordine prædicatorum ueniens de Argentinenſi ciuitate , inſtabat prædicationi oportune & importune , ita ut hominum uitia & peccata quaſi importune exprobraret, & ad capiendas animas quædam dogmata , hactenus inaudita, ingereret:quæ,licet aliqua ratione poſſent defendi ut ueritatem contineant, multa tamen exinde mala prouenifſe dinoſcuntur : cum audientes alio modo ea intellexerunt; & ad perpetrandum immaniſſima facinora & flagitia proniores effecti ſunt.Inter quæ dominus Engilbertus Colonienſis archiepiſcopus à conſanguineis ſuis interfectus eſt,& multi ſacerdotes trucidati. Dicebant enim quidam peſſimi , faciam ſcelera,quia per ſuſceptionem crucis innoxius ero, quinetiam animas multorum flagitiorum liberabo.Vnde factum eſt , ut multi peſſimi ſine pœnitentia & ſatisfactione mortui,qui fuerant ſepultura aſinina in campis ſepulti, eccleſiaſticam acciperent ſepulturam.

Henricus Frider. II. filius,rex.

Querelæ Friderici in ſedem apoſtolicam.

Iohannes de Argentina uehemens prædicator.

Egilbertus antiſtes Colonienſis.

Fridericus II. pugnat contra Sarracenos.

Templarij.

Hoſpitalarij.

Damiata ciuitas.

Anno Domini milleſimo ccxxij. & annis ſequentibus Fridericus imperator in Sicilia & Calabria & Apulia pugnauit contra Sarracenos & alios ſibi rebelles & ipſos ſuæ ditioni uiriliter ſubiugauit.Interim Templarij & Hoſpitalarij Hieroſolymitani, adiunctis ſibi quibuſdam principibus Alemanniæ & populo Chriſtiano pergunt nauigio ad capiendam quandam ciuitatem Sarracenorum, nomine Damiatam , ut eam poſſiderent in recompenſatione ciuitatis Hieroſolymitanæ & terræ ſanctæ.

Fuit autem ciuitas illa ſita ſuper unū brachium Nili fluminis uerſus Septētrionem diſtans ab Alexandria uerſus Septentrionem per ſex dietas. Et erat muris et ſitu loci munitiſſima,ubi portum habent Sarraceni in mari magno.

Nili brachia.

In Delta ciuitates famoſæ centum 50.

Merces quippe de mari rubro uenientes ab India, ex Perſide & Arabia illuc deportantur:& nihilominus ex Aegypto. Nilus quippe fluuius in ſuperiori Aegypto in duo brachia diuiditur,ita ut terram inferioris Aegypti diſterminet in figuram quaſi triangulam: in qua Delta , dicit Oroſius contineri ciuitates famoſas. centum quinquaginta. Vtrunq; uero iſtorum brachiorū cadit in mare magnum unum apud Alexandriam uerſus Libyam,alterum apud Damiatam uerſus Arabiam & Idumæam & Paleſtinam. Cumq;,aduectis nauibus, populus Chriſtianus conueniſſet illuc , non poterant intrare portum , nec applicare ad terram, quia in ipſo flumine conſtruxerant Sarraceni turrem firmiſſimam,per quam extendebant ultra fluuium cathenam miræ magnitudinis,ut naues non poſſent attingere portum , niſi relaxata cathena. Primum itaq; Chriſtiani cathenam illam inuadunt , & conſilio artificum , & auxilio uiriliter pugnantium eam conſtringunt.Poſtmodum,nauigio aduecti , ſuper naues quandam turrem ligneam

Cathena inuaditur.

conſtruunt magnæ magnitudinis, ut ex ea turrem Sarracenorum expugnarent.
His præparatis, uiri fortiſſimi & ad bella ſtrenuiſſimi, tradentes animas ſuas in
mortem pro amore crucifixi, facientes confeſſionem de peccatis ſuis, & cõmuni
cato ſacramento corporis & ſanguinis domini, aſcendunt in turrem illam ligne

Turris lignea

am, turriſq́ aduehitur ad turrem Sarracenorum. Cumq́ hinc inde pugnatur, ce
dũt naues, & turris corruit, & qui in ea erãt, ſubmerſi ſunt in flumine. Inter quos
erant nobilis uir Heinricus de Buſmannehuſen, & N. de Hoſteten, & alij q̃ plu-
res, æterna & beata memoria digni. Hoc euẽtu triſtati ſunt Chriſtiani. Attamen
cum quotidie ex aduentantibus creſceret exercitus & robur eorum, non deſpera
uerunt de miſericordia Dei, quinimmo turrem aliam conſtruxerũt, & naues for
tius compaginauerunt, & omni cautela & ſtudio firmauerunt, quam appellan-
tes eodem modo ſicut & prius, turrem Sarracenorum uiriliter expugnauerunt,
& portu optato ſunt potiti, & ad terras applicuerunt. Vbi primo cum Sarracenis
duros conflictus habuerunt. Pugnatumq́ eſt in terra, & in mari, & in flumine.

Referam unum, quod legi in ſcriptis cuiuſdam, eas pugnas prolixius deſcri-

Chriſtianorũ & Sarracenorum pugna in mari.

bentis.

Erat nauis una in ripa fluminis, in qua erant Chriſtiani: hæc neſcio qua occa-
ſione, impetu & uiolentia fluminis appulſa eſt iuxta muros ciuitatis. Tunc Sarra
ceni erumpentes, & de muris ſe demittentes, cũ Chriſtianis in naui pugnare cœ
perunt. Videns aũt quidam de Chriſtianis q non poſſent reſiſtere, ad fundum

Nauis perforata.

nauis ſe demiſit, & eundem fundum perforauit & perfregit, ut aqua undiq; in-
grederetur: repletaq́ naui aquis, cum Sarracenis & Chriſtianis merſa eſt ad fun
dum fluminis: ubi q̃ plures tam Sarraceni q̃ Chriſtiani ſubmerſi ſunt. Poſt mul
tas deniq; pugnas obſeſſa eſt ciuitas tam in terra q̃ in flumine & q̃ in mari, ut
nullus poſſit ingredi uel exire. Illi quoq; qui in terra erant, uallo fortiſſimo &
mœnijs ſicut poterant ſe cinxerunt, ne Soldanus aut Sarraceni, qui exterius
erant, poſſent facere impetum in eos: quod etiam ſępius Sarraceni attentarunt.

Laus Colonienſium & Freſonum.

In his conflictibus & operibus Colonienſes & Freſones & alij de inferioribus
partibus ſe ſtrenuiſſimos & laudabiles exhibuerunt. Fama itaq; diuulgata, quod
obſeſſa eſſet ciuitas, quotidie creuit exercitus Chriſtianus: nam multi aduenta-
bant: inter quos bonæ memoriæ Sifridus Auguſtenſis epiſcopus, & comes de

Soldanus de pace tractat.

Voheburc, & alij quam plures aduenerunt. Videns autem Saladinus, q ab obſi
dione nõ poſſet eos ui repellere, uel ſuis auxilium conferre, cœpit de pace tracta
re. Volebat autem reddere Chriſtianis ciuitatem Hieroſolymam, & eam repara
re in muris & ædificijs, ſicut erat quondam, quando pater ſuus Saladinus cepit
eandem. Inſuper omnem terram quam olim poſſidebant Chriſtiani, exceptis
duobus caſtris, uolebat reſtituere, quatenus recederent ab obſidione. Quã com
poſitioné legatus ſedis Apoſtolicæ qui aderat, & Templarij, & alij rectores exer
citus pro ſua ſuperbia ad mittere recuſabant. Ideo cõtigit, ut ad modicũ lętificati,
gaudium quod ſtulte de proſpero ſucceſſu acceperũt, infœliciter perderẽt. Cũq;
ciuitas diu obſideretur, & obſeſſi nunc fame, nũc peſte perirẽt, & portas ciuitatis
undiq; muris obſtruxiſſent, prę anxietate, magno ſilentio tota ciuitas cõticuit. Sa
ne quidam in exercitu Chriſtiano cũ quibuſdam occulte conſiliũ inijt, ut in qua-
dam parte ciuitatis clanculo de nocte ſcalas adueherent, per quas primo dilucu-
lo muros ciuitatis aſcenderent, nam uigiles iam conticuerant. Sicq; factum eſt.
Cumq; aſcendiſſent muros ciuitatis, exclamauerunt eſſe captam ciuitatem. Sicq;
timor & fuga facta ſunt intra muros, extra uero tumultus undiq; irruentium in
ipſam ciuitatem, ſiue per muros aſcendentiũ, ſiue portas & muros infringẽtium.
Factaq; eſt intra ciuitaté cędes maxima Sarracenorũ, tam uirorũ q̃ mulierum, q̃
paruulorũ, ita, ut eſſet miſerabile ſpectaculũ etiam ipſis Chriſtianis rectis corde,
& flexis humana cõpaſſione. Iam expellũtur Sarraceni, & Chriſtiani poſſident

Expulſi Sarraceni.

ciuitatem, & firmãt eam undiq;. Multi quoq; Principes & alij Chriſtiani quoti-
die adueniebant in ipſam ciuitatem, pro defenſione ipſius cõtra Sarracenos. In-

Ludouicus Bauariæ dux.

ter quos aduenit etiam Ludeuuicus, dux Bauuariorũ, qui iam dudũ fuerat cruce
ſignatus. Cumq; poſſeſſa eſſet ciuitas à Chriſtianis, iam uſq; ad ſecundũ annum,
uel amplius

uel amplius, & prefatus dux aduenisset, & populus excreuiſſet in ciuitate, factũ eſt de cõſilio præfati ducis, ut aiunt, & legati ſedis Apoſtolicę, & aliorũ rectorum populi, ut multi cum eiſdem egrederentur de ciuitate, ad occupandũ quendã locum pro conſtruenda ibidem noua ciuitate cõtra Sarracenos. Erat aũt locus ille inter duos fluuios in angulo ſitus, ubi quidã torrẽs de montibus Arabiæ cadebat in Nilum fluuium. Cumq́ audiret Soldanus ibidẽ demorari principes, & exercitum Chriſtianorũ, fecit aquas ipſius torrentis in quadã cõcauitate, & ualle montium retineri, ut ibidem excreſcerent in maxima quantitate. Cumq́ Chriſtiani fixiſſent tentoria ſua, & mœnia poſuiſſent in præfato loco, Soldanus rex cum exercitu ſuo cœpit aduentare, & de nocte iuſſit demitti aquas to‑rentis ſuper caſtra Chriſtianorũ. Surgentes itaq́ de mane tam homines q̃ equi, ſteterunt in aquis profundis, tunc coanguſtatos ipſos, cum exercitu circundedit Soldanus. Fugam uero nõ inuenientes, neq́ copiam reſiſtendi habentes, tanq̃ in morte poſiti, pro uita retinenda humiliter ſupplicabant. Quibus Soldanus, tanq̃ pius & bonus, uitam conceſſit, & reditũ ad ſua, tali conditione, quatenus Damiatã ſibi reſtituerent. Et ne uiderentur Chriſtiani in poſſeſſionem eiuſdem ciuitatis intraſſe, ſiue iure belli, ſiue alio quocunq́ iure, ſtatuit ut ſinguli homines Chriſtiani qui eſſent in ea, pro exitu & liberatione ſua ſoluerent ſtarlingum unum. Sicq́ factum eſt, ut exercitus Chriſtianus, qui prius in ſuperbia & abuſione elatus, abſq́ Deo in ſuis uiribus confidens, fiduciam habebat inanem, confunderetur, & tam Damiata, quàm terra ſancta adhuc perdita inueniretur.

Soldanus circundat Chriſtianos in aquis.

Starlingus ſoluitur Soldano.

Faciant ſuper hoc rumore planctum & lamentationẽ, hi qui ſciunt uerba multiplicare, & conqueſtiones de rebus miſerabilibus facere, & animos hominũ ad deplorandũ & compatiendum ſuis elegis uerſibus inclinare. Nos uero ad texendum & retexendum rerum geſtarum hiſtoriam, properabimus.

Anno Domini Mccxxij. Heinricus vij. rex Romanorum effectus, Agnetem filiam Luipoldi ducis Auſtriæ accepit in uxorem, de conſilio patris ſui Friderici Imperatoris. Anno Domini Mccxxiiij. Damiata perdita fuit. Anno Domini Mccxxv. Ludeuuicus dux Bauuariorum, curator regis Heinrici in rebus tam proprijs, quàm imperialibus in Alemannia efficitur.

Anno Domini Mccxxvi. Ab Imperatore curia Cremonę condicitur poſt Pentecoſten, quæ ne fieret, ut multi credunt, à Cardinalibus & curia Romana impeditur. Eodem anno Eccleſia Vrſpergenſis pro cc. marcis, quas B. prępoſitus pro liberatione Eccleſiæ p̃erſoluit, ab Alberto de Niunburg redimitur, & fidem Heinrici regis datam in manu bonæ memoriæ Heinrici de Zuplingen, tunc Epiſcopi Aihſtetenſis accepit. Inſuper priuilegia regis eiuſdem, quòd nunquam pro qualibet neceſſitate eadem Eccleſia à defenſione imperij alienaretur. Eodem anno Agnes regina Aquis coronatur.

Anno Domini Mccxxvij. Honorius Papa obijt menſe Mart. Cui ſucceſſit Gregorius ix. qui prius Hugulinus Hoſtienſis Epiſcopus dicebatur, natione de Arania. Hic tanq̃ ſuperbus primo anno pontificatus ſui cœpit excommunicare Fridericum Imperatorem pro cauſis friuolis & falſis, & poſtpoſito omni ordine iudiciario, ſicut idem Imperator in Epiſtolis ſuis reſcripſit Principibus Alemannię, retexens omnem progreſſum uitæ ſuæ, & conuerſationem, et actionem, & innocentiam pro ſuccurſu terrę ſanctæ. Cuius Epiſtolæ ſeries hęc eſt.

Honorius obijt Gregorius 9. eligitur.

Frid. II. excõmunicatur à Gregorio 9.

EPISTOLA FRIDERICI II. AD
Principes Alemanniæ.

FRIDERICVS Dei gratia, Romanorum Imperator, Principibus Alemanniæ &c. In ammirationem uertitur uehementem &c. Huius Epiſtolæ ſeriem longum eſſet ponere, ideo quædã quæ in ea explicantur, breuiter deſcribemus, uidelicet qualiter imperatrix Conſtantia in extrema uoluntate ipſum Imperatorem adhuc in cunabulis poſitum, cõmiſit in ſinu & tutela Romanæ Eccleſiæ, quoniã per ſpiritualem & tempora-

 lem eius

lem eius potentiam melius poterat indemnitatibus pupilli prouideri, ſed tamen tam de perſona periculum, quàm de regno ſuo non defuit magnum detrimentum, & pupillaris hæreditas in multas partes eſt deſciſſa. Deinde in præiudicium eiuſdem Friderici, cum iam eſſet adultus, Ottonem de Saxonia ad imperiale faſtigium ſublimauit.

Item qualiter mirabiliter præter humanam conſcientiam ipſum in multis periculis conſeruauit, & demum ad imperium ſibi debitum preter humanum ſenſum reduxit, deijciẽdo Ottonem ſuperbum, & exaltando humilem. Item qualiter Aquis crucem accepit, & rebus imperij in Alemannia diſpoſitis, Romam coronandus aduenit, ſicut hæc omnia ſuperius plene deſcripta ſunt. Item excuſat ſe de perditione Damiatæ. Item commemorat, quanta ſtipendia præmiſerit ad ſubſidium terrę ſanctæ, uidelicet ut iugiter in ſuo ſoldo haberet ibi milites ultramontanos ſeptingentos, & de ſuis ferè trecentos, quibus & paſſagium & neceſſaria miniſtrauit.

Per euidentem quoq; infirmitatem excuſat ſe, quòd eo anno non iſſet ultra mare, cum etiam iter arripuiſſet, & mortuo Langrauio in itinere grauis infirmitas eum redire compuliſſet. Narrat etiam, quomodo pro faciliori liberatione terræ ſanctæ reginam Hieroſolymorum, ad ſuggeſtionem Honorij Papæ acceperit in uxorem. Ex his omnibus conqueſtiones facit Principibus, quòd pro tot beneficijs ab Eccleſia non potius remuneratur, quàm excõmunicatur, ideo & de Papa conqueritur, quòd nuncios ſuos honeſtos, uidelicet Archiepiſcopum Brundienſem, & alios, in concilio ſuo non ſolum audire contempſit, ſed nec ad præſentiam ſuam, uel concilij, admittere uoluit. Multa quoq; alia in eiſdem literis ſunt deſcripta.

Iniuſte excommunicatur Fridericus II.

Eodem anno multi Hieroſolymitanũ iter arripiunt, & plurimi in Apulia moriũtur, inter quos Sifridus, Auguſtienſis epiſcopus, & Langrauius de Thuringia, & alij multi, tam diuites quàm pauperes de medio ſunt ſublati. Cũq; Papa nollet deſiſtere ab excommunicatione imperatoris, ipſe imperator conuocauit ad ſe de ciuibus Romanis potentiſſimos, & nobiliſſimos de familia eorum, qui dicuntur Frangentes panem, & de alijs, ad quos præcipue reſpectum habebat populus Romanus, habuitq; cum illis tractatum, qualiter eos faceret uaſallos impe rij: & ut ſibi faciant hominiũ, & fideliter aſſiſtant in omnibus cauſis. Iuſſit itaq; eoſdem ſub certa æſtimatione precij & cenſus computare, quantum ualeant omnes res ipſorum immobiles, quas habebant in ciuitate, tam in ædificijs, quàm in agris & uinetis, & mancipijs, & alijs rebus. Quo facto, omnes res illas dato precio, comparauit ab eis, & eaſdem res ipſis in feudum conceſſit, ratione fidelitatis quam deberent ſibi & imperio. Quocirca ijdem reuerſi, cum Papa rurſus excommunicaret imperatorem, fecerunt, ut à populo pelleretur turpiter extra ciuitatem, unde apud Peruſium eo anno & ſequenti ibi permanſit. Romani quoq; cœperunt pugnare contra Viterbienſes, quorum uineas & alias terras uaſtauerunt uſq; ad muros ciuitatis. In alijs quoq; terris Papæ, ciuitati adiacẽtibus, idem faciebant. Papa quoq; contra ipſos, & imperatorem excitauit præfatum Iohannem, regem Hieroſolymitanum, & Matthæum, & Thomam comites, & alios quos poterat de Tuſcia & Lombardia, multamq; pecuniam erogauit militibus in ſoldum.

Familia Romæ, Frangentes panem.

Papa pulſus.

Romani contra Viterbienſes.

Anno Domini Mccxxviij. Imperator uolens explere uotum ſuum et pacatum ſibi efficere Papam, transfretauit ad terram Hieroſolymitanam, prius tamen eodem anno condixerat curiam Principum Alemanniæ in Quadrageſima, apud Rauennã, à qua ſimiliter impeditus fuit nuncijs & legationibus domini Papæ. Nam Veronenſes & Mediolanenſes non permiſerunt aliquos tranſire per fines ſuos, ſpoliantes rebus ſuis etiam ipſos cruce ſignatos, ut aſſerebant autoritate domini Papæ, quod, proh dolor, nephas eſt dicere. Nihilominus tamen imperator uenit ad terram ſanctam, menſe Auguſto, & applicuit apud Acon, & ibi per manſit: ubi, ut aiunt, multa ſuſtinuit, ex perfida proditione Templariorum. Soli uero Hoſpitalarij de domo ſanctæ Mariæ Teutonicorum fideliter ſibi aſtiterunt,

Conuentus Rauennæ.

De perfidia templariorũ.

ſimiliter

ſimiliter Ianuenſes & Piſani,& alij milites,qui cum ipſo,& pro ipſo aduenerant. Veneti uero uacillabant.

Cruce ſignati, ſpoliãtur Veronenſes & Mediolanenſes, authoritate Papæ.

Eo anno & ſequenti tractabatur de pace, inter Imperatorem & Soldanum,& gentes ipſorũ. Papa uero captata occaſione de abſentia imperatoris, copioſum exercitum deſtinauit in Apuliam,& terras imperatoris in ſeruitio Chriſti demorantis, quod nefandſſimum eſt dicere, abſtulit, & ſibi ſubegit, & cruce ſignatos ne transfretarent, omni ſtudio prohibuit, tam in Apulia, quàm in Lombardia. Quis talia facta recte conſiderans, non deploret,& deteſtetur, quæ indicium uidentur, & quoddam portentum, & prodigium ruentis Eccleſiæ? Anno Domini Mccxxix. Fit compoſitio in Quadrageſima, inter imperatorem & Soldanum. Hieruſalem quoq; & Nazareth, & Ioppe, cum terris adiacentibus, & alijs quibuſdam locis imperatori reſtituuntur, & treuga inter Chriſtianos & Sarracenos uſq; ad decennium ſtatuitur. Cumq; imperator ſuper hoc laudabili & glorioſo facto, reſcriberet domino Papæ,& gaudium annunciaret Chriſtianitati, Papa literas illas abiecit & reſpuit. Eo anno imperator Paſcha Domini cum multis expenſis more regio, coronatus procedens, Hieroſolymis celebrauit. Aedificia quoq; ciuitatis reſtituit, & Ioppen, quæ erat deſtructa,reædificauit,& alia quàm plurima loca, ubi Chriſtianos collocauit. Dum hæc agerentur in ultramarinis partibus,Papa cum ſuis complicibus,ut afferebãt homines,famam fecit in Apulia diuulgari imperatorem eſſe mortuum. Quocirca ciuitates, quæ adhuc adhærebant imperatori, diſponebãt ſe tradere ſub dominio Papæ,& omnes Alemannos de terra ſancta redeuntes,& ibidem in Apulia demorantes, duriſſimo & nequiſſimo facinore interficere. Sed Deus miſericors aliter prouidit, & homines ſuo ſeruitio deditos, ad laudem & gloriam nominis ſui clementiſſime conſeruauit. Tempore ſiquidem æſtiuo, eiuſdem anni, imperator reuerſus uenit in Apuliam,ante alios,qui reuertebantur. Cuius reuerſione certiſſime comperta,crudelitas ſæuientium, & furor inuadentium conquieuit. Multi namq; tam de ultramontanis, quàm de partibus illis Chriſtiani & Sarraceni coadunati ſunt ad Imperatorem, ut haberet maximum exercitum, & fortiſſimum, cœpitq; terras ſibi ablatas recuperare: & hoſtes de finibus ſuis expellere. Nihilominus quoq; omni tempore,quàmdiu denunciabat eum Papa excommunicatum, beneficium abſolutionis humiliter cum omni obedientia, & deuotione, & iuſticiæ exhibitione poſtulauit. Super cauſis uero, quæ inter ipſum & Papam uertebantur, diffiniendis, aduocauit Principes Alemanniæ, qui uenerunt in Italiam, uidelicet patriarcha Aquileienſis, Archiepiſcopus Saltzburgenſis, Epiſcopus Ratiſponenſis, Luipoldus Dux Auſtrię,& Dux Dalmatiæ & Hiſtrię. Quibus aduenientibus, imperatore manente apud Capuam, tractatum eſt de pace & concordia, inter imperium & ſacerdotium,& regnum Siciliæ, & ab abſolutione imperatoris. Multis alijs quoq; mediantibus, tam de curia Romana,quàm etiam Italia,& Alemãnia. Sane hęc compoſitio, cum nõ poſſet perfici eo anno, dilata eſt uſq; in annum ſequentem.

Papa aufert Imperatori terras.

Prodigia ruentis Eccleſiæ.

Papa reſpuit literas Imp.

Papa diuulgat Imp. mortuum, ut ciuitates occupet.

Imp. Fride. II. recuperat terras ſibi ablatas.

Conuentus Principũ Germanorũ in Italiam, ſuper cauſis Papæ & Frid. II.

HVCVSQVE CHRONICVM,
Abbatis Vrſpergenſis.

PARALEIPOMENA

RERVM MEMORABILIVM, A FRIDERICO II.
uſque ad Carolum quintum Auguſtum, hoc eſt, ab anno
Domini M. CC. XXX. uſq; ad annum M. D. XXXVII.
ex probatioribus qui habentur Scriptoribus, in arctum
coacta, & hiſtorię Abbatis Vrſpergenſis per
quendam STVDIOSVM
annexa.





* * * *





CRATO MYLIVS

SELESTADIENSIS PHILIPPO MELANCH-
THONI PRAECEPTORI CHARISSIMO
S. D.

CVM BENEFICIO ARTIS TYPOGRAPHICAE hac tempeſtate in lucem prodeunt optimi quique Autores, nulli uerò auidius leguntur, quàm Hiſtorici, nimirum quod hiſtoria eſt teſtis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, magiſtra uitæ: & tu Chariſſime Præceptor, ſuperioribus Francofordianis nundinis Chronicũ Abbatis Vrſpergenſis, ex ſingulari amore, quo diſcipulũ cõplecteris, officinæ meæ nouæ dares, dedi operam, ut quoniam hoc exẽplar anno milleſimo quingenteſimo decimo quinto excuſum, eſſet in multis locis deprauatum, per ſtudioſum quendam Hiſtoriarum, uirum candidum, recognoſceretur, & excuſum per me legeretur expeditius. Is quoniam Vrſpergenſis ὁ ῥαψῳδὸς ſua collegit ex Ioſepho, Euſebio, Oroſio, Hiſtoria Tripartita, Eutropio, Procopio, Beda, Iornande, Hiſtoria rerum Geticarum, Vuitichindo, Eginhardo, & pleriſq; alijs, ordine quicquid in Vrſpergenſe legitur, ad exemplaria autorum contulit. Et Deus bone, quas hic mendas expunxit, reſtituta in melius lectione? Qui uolet guſtum facere, tantum conferat hanc noſtram æditionem cum priore in Hiſtoria Gothorum, & pro carbonibus (meo ſaltem iudicio) theſaurum habebit.

Græca quæ deerant, adiecit: quæ perperam erant poſita, emendauit. Ad hoc inſtitutum bene merendi de lectoribus hiſtoriarum non parum iuuerunt duo uetuſta exemplaria ſcripta, quorum unum communicauit doctiſſimus & humaniſſimus uir, Iohannes Huttichius, Antiquitatis & hiſtoriarum ſtudioſiſſimus, quod ille habet ex Bibliotheca Clariſſimi Vuormatienſis Epiſcopi, Iohannis Dalbergij: Alterum Caſpar Hedio doctor Argent. uir tui amantiſſimus dedit, quod ex cœnobio Auguſtinianorum Argent. illi contigit: utrunq; exemplar titulum habuit Euſebij, ſed erat ipſiſſimus Vrſpergenſis, niſi quod hic impoſtor quidam, coccycis in morem, ſuas nænias immiſcuit, prodigioſa quadam libidine conſpurcans utilem hiſtoriam, nõ aliter, quàm ſi quis generoſum uinum lotio uitiet aut aceto. Nam ubi Vrſpergenſis exemplar Auguſtæ impreſſum anno decimoquinto, pollicebatur Alexandri Magni hiſtoriam alibi, ſed tamen non præſtitit. In duobus ſcriptis exemplaribus habebatur excerptũ de uita Alexandri Magni. Item de mirabilibus Alexandri, planè tale, ut nemo ſine riſu legiſſet. Meminit enim inter alia anilia, Teſtamenti Alexandri

per Notarium ordinati, his uerbis: Statim fecit uenire Notarium, & ordinauit teſtamentum &c. Hic ne quid lectori deeſſet, ex Raphaele Volaterrano Epitome Alexandri Magni in uicem poſita eſt. Nihil diffido, quin diligentiam hanc Candidi uiri, quem noſti, hiſtoriarum admodum ſtudioſi, in recognoſcenda hac hiſtoriarum Rapſodia ſis commendaturus tu quoq;, quæ ornatiſſimo ac mirè perſpicaci uiro D. Beato Rhenano gentili meo admodum probatur: ea ipſa ex adiectis in marginem ſcholijs & annotatiunculis facile apparet, quæ ceu indices ſunt, & amnes comites, ut ad mare hiſtoriarum, ſi lector uelit, uenire queat. Nolo hic multa uerba profundere, ut in prouerbio eſt, Opus artificē. Qui hunc noſtrū Vrſpergenſem contulerit ad exēplar ante hac excuſum, repurgatum à mendis pluſq; ſexcentis, non poterit non bene præcari recognitori. Et quoniam noſtrates Auguſti ſæpe infamantur de hæreſi à monachis ſcriptoribus, quoties uidelicet iura ſua tueri conati ſunt de inueſtitura Epiſcoporum, Abbatum, & cæterorum Prælatorum, ac infringere tyrannidem Romani Pontificis tentarunt, antidotum in margine aut præfatiuncula parua adiectam habet lector, Monachos, tum hiſtoriarum ſcriptores, magno Epiſcopo Romano addictiſſimos fuiſſe. Ea uerò quæ pro defenſione Cæſarum ſcripta fuerunt, malitia temporum & hominū ſuppreſſa & aboli ta ſatis conſtat.

Hic idem recognitor mihi nouo typographo, imò hiſtoriarum amatoribus operam ſuam collocauit, ut, quoniam Chronicum Abbatis Vrſpergenſis, in Friderico ſecundo, hoc eſt, anno mill. ccxxx. deſinit: hic hiſtoriarum ſtudioſus, ab eo tempore uſq; ad annum præſentem, ex probatioribus qui habentur ſcriptoribus, Paraleipomena in arctum cogeret & annecteret, quod fecit ſanè non indiligenter & candidê, neſcio quàm fœliciter. Certe quicquid hic peccatum eſt, non authori imputetur, ſed meæ, hoc eſt, typographi, importunitati, qui ſpatio duorum menſium à bono uiro extorſi, quod biennium popoſciſſet, non tam meum, quàm emptoris commodum ſpectans, ne cogerer Vrſpergenſem ſine his Paraleipomenis extrudere. In quibus ſi non omnia cohærent, plæraq; hiant, ac parum plene tradita ſunt, omiſſa multa, tamen cordatus lector facile deprehendet in his circunciſis quo ſpectarit autor innominatus, nimirum ut lectione hiſtoriarum in dies magis formaretur & iuuaretur iudicium pietatis, libertatis Germaniæ, pro qua tanta deſignarunt, Principes fortiſſimi magnanimi Cæſares, Fridericus ſecūdus, Conradus, Rudolphus, Henricus vij. Ludouicus Bauarus, Sigiſmūdus Rex, & poſt hunc Sigiſmūdus Auſtriæ dux contra Nicolaum Cuſanū Cardinalem, & Reſpu. quædam (ut taceam de ijs qui hodie uiuunt, ne adulationis notam mihi quis inurat) qua de re extant libri non contemnendi, & aliquot principum electorum Palatini & Brandenburgenſis, acres epiſtolæ

& pun-

& pungentes contra Papã iniqua petentẽ. Quam indigne uero à Romanenſibus tractati illi, nec illi ſolum prophani (ſi dijs placet) principes, ſed Eccleſiaſtici quoq;, hoc eſt, Archiepiſcopi Rheni, apud quos olim ferè ſumma rerum patriæ fuit, qui quoties Germaniæ conſulatum cuperent, male audierunt & peiora ſuſtinuerunt, ut qui uellent, ſedem Romanam humiliare (hoc enim exprobrabat papa) & Imperialem euehere, quibus iam olim obijciebatur, quod etiam uera in Papam dicere contra iuramentum eſſet Epiſcoporũ. O ſeruitutem Germanico & principe pectore indigniſſimam.

Præterea docebunt hæc Paraleipomena, ut res poſteriorum conciliorũ habuerint deplorate: Et tamen Veritas, temporis filia, ſemper ſeſe nonnihil exeruerit. Perpulchra ſunt exempla in Conſtantienſi Concilio, ubi ueritas non ſolum odium, ſed, incendium peperit. In Baſilien. Concilio, quale pectus erat in Ludouico Cardinale Arelatenſi? ex cuius ore ueritas loquebatur, qui minas principum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæſiuit. Qui uoluit pauperes etiam præsbyteros in concilio audiendos, nec diſſimile exemplum in Iohanne Segouio Theologo pijſſimo. Et hic habebit lector nec nouum eſſe, appellare contra Papam. Exemplum in Sigismundo Auſtriæ duce, contra Commendas Romanas. In D. Gregorio, Heymburg dicto contra Pium II. Papam, qui Germaniam ditiorem exhaurire uolebat, & ſudorem Germanorum in ſuas delitias uertere. In Carolo quarto Cæſare liberrimam obiurgationem erga legatum Romani Pontificis & Archiepiſcopum Mogontinum præcipiente, ſub ea fidelitate qua ſibi aſtringeretur Mogontinus, ut clerum reformaret, tolleretq; abuſus in ueſtibus, calceis, capillis, & toto uitæ habitu. Quod ſi non fecerit, mandatum eſſe Imperatorium, ut fructus beneficiorum occuparentur, Fiſco Cæſaris præſentandi, & in honeſtiores uſus conuertendi.

Præterea bella aliqua regum & principum inter ſe, Rerum publicarum cum principibus & Epiſcopis hic referuntur breuibus. Fortia facta Germanorum Imperatorum in Italia. De origine Turcarum & ſucceſſu, & quod ambitio & diſcordia ducum Chriſtianorum, uictoriam Turcæ ſæpenumero tradiderit. De primis Anglicis: de ſecundis. De Delphino & Armeniacis. De Suitenſibus. De ſectis Flagellantium. De Bohemiæ ſectis, de ſeditionibus. De Carolo Burgundione & bello Burgundiaco. De comitijs horum temporum. De ſucceſſu doctrinæ pietatis, ſtudiorum, & pleraq; alia Miſcellanea, quæ in præſentiarum enumerare nihil opus eſt.

Epitomen hiſtoriæ Scanderbegi, quæ eſt in duodecim libris, uolebat autor τῶν παραλειπομένων adijcere: at quia breuitate temporis fieri nequiuit, & hiſtoriæ Latinę Scanderbegi exemplar certò expectem à Clariſſimo Doctore Iacobo Spiegelio, qui Carolo Auguſto & Fer

dinando Cæſari á conſilijs eſt, modo tantum primi & ſecundi libri compendium damus.

Iam cum quælibet ætas ſuos aliquot habuit, ſaniori iudicio prædi tos (ut bonitas Dei nulli tempori alligata eſt) qui teſtes eſſent ueritatis, patroni linguarum, & meliorum diſciplinarum, quicꝗ affectu miſericordiæ tangerentur erga Eccleſiæ Catholicæ res iam multis annis afflictiſſimas, habebit hic lector quæ cũ fructu legat, de Nicolao Clemange, Iohanne Vueſſelo, Iohanne Vueſſalia, D. Iohanne Keyſerſpergio, concionatori Argentoratenſi, ſuæ ætatis oraculo, Incomparabili Heroe cognato tuo Iohanne Reuchlino Pfortzenſi, Iacobo Vuimphelingo Seleſtatino, conciui meo, qui pro ſua menſura certè nõ parum adiuuit herbeſcentia per Germaniam ſtudia: De D. M. Luthero, D. Eraſmo Roterodamo, Iohanne Oecolampadio, & alijs abſolutiſſimis uiris. Autor ita affectibus temperauit, ut tamen ueritati non potuerit non ferre teſtimonium, ut qui, quacunꝗ ratione fieri poſſet, optat & ex animo deſyderat, Chriſti gloriam, publicam utilitatem, nõ ſolum Germanię, ſed totius Chriſtiani orbis, cum omni pietate & honeſtate promota. Et quotquot lecturi ſunt quæ modo damus, aut poſthac, fauente Deo, daturi ſumus, ut omnes hij cogitatione cõmunis boni tangantur: ac gratiam horum temporũ nullus ad laſciuiam transferat, ac Deum qui ſolus eſt heros, ac Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum neget. Qui teſtes fuerunt reſurrectionis Chriſti pro Euangelio his temporibus, qui uiſi ſunt oculis inſipientium mori, quorum nomina in cœlo ſcripta, & horum catalogus apud pietatis & hiſtoriarum ſtudioſos habetur. Vnde horum temporum Hiſtoria Eccleſiaſtica poſſit componi, & magno poſteritatis fructu legi: horum omnium hic in præſentiarum ferè nulla fit mentio, idꝗ non ſine cauſa. Si quid ſubinde dederit Dominus, ex noſtra officina, bona ſpes me habet à Candido, lectores accepturi ſunt candidè: quibus ut & abunde gratificarer in hoc opere, Icones Cæſarum qui habentur, adieci, non ſolum in Chronico Vrſpergenſi, ſed & in Paraleipomenis.

Bene uale Præceptor chariſſime, & Cratonem tuum, quod facis, commendatum habe.

Argentorati, Anno Domini
M. D. XXXVII.
Menſe Mar
tio.

PARALEIPOMENA

RERVM MEMORABILIVM, A FRIDERICO II. uſq; ad Carolum V. Auguſtum, hoc eſt, ab anno Domini M.ccxxx. uſq; ad annum M.D.xxxvij. ex probatioribus qui habentur ſcriptoribus in arctum coacta, & Hiſtoriæ Abbatis Vrſpergenſis, per ſtudioſum quendam hiſtoriarum, annexa.

Perfidia Gregorij Papæ in Fridericum.

ANNO DOMINI M. CCXXX. FRIDERICVS ſecundus Imperator, ut ut perfide Gregorius nonus Papa ſecum ageret, Imperatorias terras inuadendo, ſparſo in hoc rumore de mortuo Friderico, Imperatoris literas reſpuendo, innocẽtes Alemannos Friderico adhęrentes, crudeliter interficiendo: tamen nullum non mouet lapidem, ut cum Papa in gratiam redeat, Germanię Principibus eam ob cauſam in Italiã profectis, tandem ægre obtinuit, uncijs auri centum & uiginti millibus, Eccleſiæ ob illata damna perſolutis. Deinde cum Romani non ſatis Pontifici obedientes forent, legemq; rogaſſent, uti oppida Eccleſiæ iuxta urbem poſita, Romanis uectigal penderent, neq; monitis, caſtigationibusq; Pontificis ad ſanitatem reduci poſſent, Fridericus Reate Pontificem conuenit, cumq; eo in hanc ſentẽtiam conſenſit, ut primo quoq; tempore coniunctis copijs Romanos adorirentur. Abeunte deinde Friderico in Germaniã, Germani milites ad Pontificem confluxerunt, tanta multitudine, ut Romani nequaq; auſi fuerint aperto Marte cum Eccleſiæ copijs congredi. Recuperauit tamen Gregorius Pontifex, Germano milite, patrimonium S. Petri, Sabiniumq; agrum.

Ea tempeſtate Ecelinus Patauinus (cuius auus Teutonicus ſub Othone copias duxerat) acceptis à Friderico militibus, magnum ſibi in Tranſpadana Italia potentatum comparauit, in ſuam poteſtatem redactis Trauiſio, Patauio, Vincentia, Verona, Brixia. Tum Fridericus in Italiam rediens, Mediolanenſes ſociasq; ciuitates apud nouam Curtem (ita enim locus appellatur, ubi pugnatum eſt) aggreſſus ingenti clade ſuperat, trucidatq;. Tum Fridericus iterum à Pontifice imperio priuatus, in Venetos mouet, qui Pontificis partes tuebantur. Eos tum (uelut ranas in paludibus incluſos) uehementer oppreſſit, maximisq; calamitatibus afflixit.

Fridericus iterum priuatur imperio.

Poſt hæc Fridericus tertio uenit in Germaniam, & in Auſtria bella gerit contra Hungaros, & urbem Vuiennam occupat, literis deſuper confectis, ut hæc urbs, imperij urbs deinde ſit & maneat. Tum etiam mortuo filio Friderici Heinrico, curauit Cunradum filium in Cæſarem eligi: quædam Chronica habent quod Fridericus pater ceperit filium, ſibi inſidiantem, & permiſerit in carcere mori.

Vienna occupatur.

Anno Domini Milleſimo ducenteſimo triceſimo quinto, Fridericus tertiam duxit uxorem, Angliæ regis Germanam, & menſe Auguſto nuptiæ celebrantur Mogontiæ. Ibi pater filium ſuum Heinricum regno deſtituit, quod grauiter & implacabiliter patrem offendiſſet, eumq; in Calabriam miſit aſſeruandum, unde nunquam redijt.

Friderici tertia uxor.

Anno a Chriſto nato, Milleſimo ducenteſimo triceſimo quinto, Vngari congreſſi Auſtralibus, ducem cum omni nobilitate oppreſſerunt. Eam rem indicant uerſiculi ſatis barbari in uetuſta ſculpti rupe:

ANNO MIELENO CENTENO TERQVE TRICENO,
HIS QVINQVAGINTA SI MISCES, TVNC BENE DISCES,
AVSTRIA QVOD TOTA SIT PRINCIPIBVS VIDVATA,
TERRAQVE CORNVTO DISCET SERVIRE TRIBVTO.

Anno Domini M.cc.xxxviij. Redit Fridericus Imperator in Italiam: quo tempore Mediolani, & in alijs urbibus potentibus graues erant ſeditiones. Grauiter

Fridericus tertio excommunicatur.

autem animaduertit in Mediolanenſes, quare ciuitates contra Fridericũ cõſœderantur, & excõmunicat papa Imperatorem tertia uice, hæreticum eum proclamans, Venetoſq; contra eum concitans. Fridericus ſcripto in publicum emiſſo ſe purgat, & innocentem probat, ac rurſus humiliter pro abſolutione ſatagit. Erant autem cardinalium multi, quibus facta papæ prorſus improbabantur. Verum cum Fridericus nihil impetraret, coactus fuit ſe defendere, & multos habuit in Italia auxiliatores. Tum diuiſa eſt Italia (de imo Tartaro nata hac diſſenſione) in Vuelphos & Gebelinos. Qui papæ adhærebant, Vuelphi dicebantur: qui à parte Cæſaris ſtabant, Gebelini. Quę factionum nomina ex Germania in Italiam irrepſerunt. Nam familia Vuelphorum Vatiniano odio laborauit contra Friderici familiam, quæ originem ducit à Vueiblingen. Inde Vueiblingi dicti, quos Itali parum immutato nomine Vuelphos dicunt. Otto Friſingenſis ſcribit duas in Romano orbe apud Galliæ Germaniæue fines, famoſas fuiſſe familias: unam Henricorum de Guebelinga, alteram Vuelphorum de Altorffio. Altera imperatores, altera magnos duces producere ſolita. Iſtæ, ut inter uiros magnos glorięq; auidos fieri aſſolet, frequenter ſe inuicem æmulantes, Reipubl. quietem multoties perturbarunt. Otto lib. ij. cap. ij.

Vuelphi. Gebelini.

Alij uoluerut à Germanis fratribus initia duxiſſe, quorũ Guelph. eccleſiæ, Gibel imperatori militabat. Volater. duces Teutonicos uocat Guelph. & Gibel. Nauclerus anno Domini 1138. ſub Conrado tertio Sueuo in pago uetuſtæ nobilitatis Vueiblingen educato, initium ſumpſiſſe.

Hoc tempore in Toleto Hiſpanię urbe, cum Iudæus rupem uillæ proximam, quæ uineæ imminebat, ſcindere pararet, ut amplificaret uineam, & ſolis radios admitteret, ſciſſa cuneis rupe, reperit concauitatem cameratam pleniſſimã, inq; ea librum ilignis folijs inſcriptum, ad longitudinem Pſalterij, ubi tribus linguis, Hebraica, Græca, & Latina legebatur de triplici mundo, ab Adam: Initio tertij naſciturus eſſet Dei filius, & quod tempore Ferdinandi regis Caſtellę, ſub lucem uenturus eſſet liber. Iudæus comperta tanta uetuſtate, mox cum omni domo ſua eſt baptizatus. Cui non diſſimilem rem narrant Romanę hiſtoriæ de lamina inſcripta, quæ in lucem prodijt, ſub Hirene orientis imperatrice.

Alkindus philoſophus & medicus, Brunus Chirurgus atq; Chronographus Vrſpergenſis, florent hoc tempore.

Anno mill. ccxxxviij. Pariſijs contra pluralitatem beneficiorum diſputatum fuit, & concluſum ab omnibus, quod nemo ſine periculo mortalis peccati, tenere poſſit duo beneficia, quorum alterum ſufficit ad ſuſtentationem ſuam. Dicũt ſanctum Thomam tum dixiſſe, Medietatem miniſtrorũ Dei reſecatam per hoc genus auaritiæ.

Poſt Innocentium tertium fit papa Honorius tertius, qui Fridericum ſecundum coronauit, & poſthac excommunicauit.

Poſt Honorium tertium fit papa Grægorius nonus, & is Fridericum excommunicauit: ſed uiciſſim ipſe mire ab Imperatore exagitatur, propter tyrannidem qua eccleſias in Germania præmebat.

Poſt Gregorium nonum fit papa Celeſtinus quartus.

Synodus Lugduni.

Galeri Cardinalitij.

Poſt Celeſtinum fit papa Innocentius quartus: is Fridericum priuat imperio, & Conradum excommunicat. Ab hoc Lugduni primũ eſt conſtitutum, ut Romanæ eccleſiæ cardinales in publicum adequitaturi, galero rubente inſignirentur, nõ ſolum ut à cæteris inferioribus ſint conſpicui, ſed ut admoneãtur, pro fide catholica, & Chriſtiani populi ſalute paratos eſſe debere, ut ſanguinẽ effundant.

Crux & indulgentiæ contra Fridericum.

Papa ſic angebatur à Friderico, ut & crucem ac indulgentias contra Imperatorem, ceu Turcam & infidelem, proclamaret. Adhæc archiepiſcopos & epiſcopos inſtigat, ut imperatorem excommunicatum cunctis denuntient. Verum epiſcopi Germaniæ, ne hoc fieret, ſupplicarunt, ueriti iram Imperatoris. In Frãcia, Anglia & Dania ſine timore denuntiabatur excommunicatus.

Bellum Friderici cum cruce ſignatis.

Fridericus pontificem & Romanam eccleſiam ſic fatigabat, ut cruce ſignati, aliquando ſe illi opponerent, nimirum properanti ut portas muroſq; urbis Romæ perrumperet. Quare, cũ ampliſſimo exercitu cruce ſignata cohors, cominus illi congrederetur, Fridericus, captos cruce ſignatos & ad ſe perductos, partim quaternis ad crucis formam perfoderit uulneribus, partim caput in crucis modum quadrifariam ſciderit, partim frõte, eadẽ ferro cruce reddiderit inſignitos.

Clericos

Clericos uero detonſam in uertice coronam ferro cęſim in crucem uulneratam, ut dicebat, iuſſit ornari. Alb. Krantz lib. viij. cap. ix.

Eo tempore pontifex Gregorius ix. Salue regina certis diuinæ rei horis addi, campanasq́ ad Euchariſtię confectionem & laudes uirginis Dei genitricis pulſari decreuit, rem eccleſiaſticam reformaturus ſcilicet. *Salue regina.*

Hoc tempore maior etiã timor incubuit Chriſtianitati, de Tartaris gente Scythica, quę more ueterum nationum, de finibus ſuis egreſſa, populabatur prouincias Chriſtianas. Nam diuiſis agminibus, alij Orientem, alij Occidentem inuaſere, qui Poloniam Ruſſiamq́ oppugnantes, latiſſimos illos Sarmatiæ campos, quos uſq; hodie tenent, occupauere. Ceſſere illis Poloni, Ruſſiq́, ubi nullæ fruges, ſola pecora ualent. Paſtoralis enim populus Tartari, qui lac concretum cum ſanguine potat equino, quod multo ante ſcripſit Vergilius de Gelonis. Singulare Dei flagellum de inundationibus populorum per terras, & quod à uetuſtiſſimis temporibus corrigendo orbi Deus immiſit. *Tartari inueſtant Chriſtianitatem.*

Anno milleſimo. ccxl. Gregorio defuncto, Celeſtinus ſenex ſufficitur. Hic quia die xviij ſui pontificatus moritur, ſede uacante menſibus xxi. eligitur Innocentius quartus pontifex. Is Lugduni concilium indixit. In quo, quoniam cum Græcis gente doctiſſima ſapientiſſimaq́ certamen inſtaret, cum de multis alijs, tum de proceſſione Spiritusſ. D. Thomam Aquinatem, qui Neapoli docebat, hortatus eſt, ut Lugdunum ueniret, & de Græcorum ac Latinorum contentione iudicium ferret. In itinere ſanctus uir & doctor obijt. Ad idem munus Bonauentura Theologus euocatus adfuit, galeroq́ rubeo donatus fuit, cum antea deſignatus à pontifice Max. epiſcopus Eboracenſium eum honorem ut onus detrectaſſet. *Celeſtinus. Innocentius 4. D. Thomas. An Thomas Græce ſciuerit, coniecturam accipiat prudens lector ex Cathena aurea, & ex huius commentarijs in Ro. Vide Eraſ. annotationes*

Eidem concilio Græci Tartarorumq́ nonnulli proceres affuerunt. Hi domi candidati, Chriſtumq́ profeſſi fuerant, tunc ſacro baptiſmate imbuti: ij profitebantur Roman. pont. eſſe humani generis parentem, & almum ſpiritũ utrinq; procedentem. P. Aem.

Ingreſſus alpes Fridericus, petendi concilij quod Lugduni agebatur, gratia, Parmam capit, funditus diruit, nouam ciuitatem condit, nomenq́ nouæ urbi Victorię fuit inditum, & tutelaris ſanctus de more Victor in baſilica cathedrali eſt nuncupatus, Victoriniq́ in ea urbe monetata fuere dicti. Cõtinuatum poſtea duos ferme annos bellum atrox uariumq́, & Lumbardiæ ac omni Italiæ perniciosiſſimum, omnibus quos per Italiam partium Gibellinę & Guelphę labes infecerat, auxilia non magis militum quàm pecuniarũ, odio partium utrinq; contribuentibus. Et fuit urbs Victoria uario gentium & rerum inuſitatarum commertio ac multitudine frequentata, quod per ſingulos ferè dies ex Aphrica, Mauritania, Aſia, Aegypto, noui homines, noua ueſte, nouis moribus ſunt uiſi. Animalia etiam uidit urbs Victoria, quæ poſt theatrales ſtantis Romani Imperij ludos, Italia non uiderat, elephantes, dromedarios, pantheras, leones, pardos, lynces, & urſos albos. *Bonauentura. Parma capitur. Victoria urbs.*

Fertur, cum Friderico apud Victoriam deeſſent pecunię, poſt pignorationem uaſorum auri & argenti, quod curauerit ex corio monetam fieri, inſignitam ſua imagine & ſubſcriptione, quæ aureum ualeret. Edictum ponens in exercitu, ut quicunq; præſentaret talem monetam theſaurario ſuo, acciperet pro ea auream, quæ dicitur Auguſtanus, ſicut nunc ducatus, cuius ſculptura erat ex uno latere facies Imperatoris, ex altero Aquila: & de illa moneta numerabatur ſtipendiatis, pro qua poſtea receperunt auream. *Coreacea moneta.*

Hac tempeſtate dum Tartari ſuis locis & Groſſoni Arabes Hieroſolymam uaſtant, papa expeditionem molitur in Aſiam. Fridericus apud Parmam deſidet. Res Germanię erant inquietiſſimæ. Nam electores imperij factę de Friderico priuationi innixi, Lantgrauium Thuringiæ Romanorum regem deſignant, Henricum nomine, cognomento Raſpen. Hic iuxta Herbipolim in Aſcenſione dominica à Mogont. & Colonienſi archiepiſcopis, & quibuſdam principibus, in regem aſſumitur. Hic Henricus Reutlingen obſedit. *Germanię res inquietiſſimæ. Henricus rex.*

Anno mill.ccxliij. Gregorius papa huius nominis nonus, moritur: propter electorum autem diſcordiam, & cardinalium ab imperatore captiuitatem, ſedes aliquádiu uacat. Tandem Innocentius papa, prius Leo dictus, eligitur. Qui contra imperatorem Fridericum ſecundum à prædeceſſore ſuo pro hæreſi iam latam ſententiam renouans, ad partes Galliarum tranſmigrauit, ſedemq́ʒ ſuam in metropoli Lugdunis collocauit.

Anno Domini mill.cc.xlv. Innocentius papa habita ſynodo Lugdunis, contra dictum Fridericum imperatorem ſententiam depoſitionis promulgauit, & ab eadem ſynodo ipſe & omnes fautores ſui excõmunicati ſunt. Nominari etiã deinceps Cæſar eſt interdictum.

*Fridericus Imp. ad papam.

Roma diu titubans, uarijs erroribus acta,
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Papa ad Imperatorem.

Niteris incaſſum nauem ſubmergere Petri.
Fluctuat, at nunquam mergitur illa nauis.

Fridericus.

Fata uolunt, ſtellæq́ʒ docent, auiumq́ʒ uolatus,
Quod Fridericus ego malleus orbis ero.

Papa.

Fata uolunt, ſcriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi uita breuis, pœna perennis erit.

Anno mill.ccxlv. Dux Auſtriæ Fridericus nomine, cum acies cõtra Pannones & Hunnos, qui terrã ſuã inuaſerant, inſtauraret, à ſuis atrociſſime eſt interẽptus.

Eodem anno nobilis comes de Hirsberg in obſidione caſtri eccleſię Aiſtetten ſis, ab hiſtrione ſuo miſerabiliter eſt interfectus.

Conradus contra Henricum.

Anno mill.ccxlvi. Conradus, Friderici filius, collecto exercitu, Henrico Lantgrauio iam recens electo occurrit, & collata manu, ſuperior factus Henricus, copias Conradi diſpulit, diſiecit, et diſſipauit, multis capitaneis ac nobilibus de exercitu captis. Cœperunt deinde, quibus ea diſplicuit electio, contemnere Henricũ & irridentes, dicere regem Clericorum. Papa tñ oẽs principes Alemannię per legatos ſollicitauit, ut Friderico & Conrado derelictis, Henrico parerent electo.

Henricus rex Clericorum.

Henricus de Staheleck, antiquo Sueuiæ comitatu natus, Argent. epiſcopus, cũ Fridericus ab Innocentio iiij. anathemate notatus, imperioq́ʒ priuatus eſſet, Henricus epiſcopus papæ morem gerere uolens, Henrico Thuringiæ Lantgrauio in regem Rom. apud Herbipolim electo adhęſit, auxiliaq́ʒ pro uirili cõtra Fridericũ & filium eius Conradum pęſtitit. Nam oppida & arces quas Fridericus à regno exautoratus in Alſatia poſſidebat, obſidione cinxit & expugnauit, quædam fun ditus deſtruxit, quædam igni conſumpſit: è quibus ſunt illa: Illeuuickersheym, Cronenberg, Gengenbach, Molberghuſen, Ortenberg, Offenburgum, & uniuerſa uallis à fluuio Kintziche nomen habens.

Nauclerus uult, cum Vlmam obſideret, ſagitta in incertũ miſſa uulneratum, dyſenteria poſtea mortuum fuiſſe.

Henricus interea Romanorum rex electus, cum anno xlvij. finem uiuendi fecisſet, papa Innocentius non ceſſauit Friderico nouum hoſtem opponere: miſitq́ʒ in Alemanniam legatum Petrum Caputium cardinalem diaconum ad Velabrum, qui euocatis principibus electoribus apud Coloniam effecit, ut Vuilhelmus comes Hollandiæ, uir impiger ad arma, rex eligeretur.

VVILHELMVS Hollandiæ comes 26. Ger. imp.

Hoc tempore fuerunt in Sueuia prædicatores, qui in pontificem Ro. & cardinales, magna dicendi libertate os aperirent: Friderici ij. & Conradi filij, cauſam iuſtificantes. Auſi dicere, apud ſummum pontificem, cardinales & epiſcopos nullam reſidere autoritatem, quoniã omnes unà labe ſymoniæ maculati eſſent, nec quicquam tenere à Chriſto poteſtatis. Et ꝙ ſacerdotes in mortali conſtituti peccato, neq́ʒ ligarent, nec ſoluerent, nec conſecrarẽt. Quod nemo in orbe Chriſtiano interdicere poſſet diuinis officijs, quodq́ʒ ſine diſcrimine ea audirentur & celebrarentur impune. Et in fine ſuæ prædicationis: Indulgentiam, inquiunt, quam annunciamus, non à papa confictam, non à pręlatis compoſitam, ſed ex

Prædicatores Sueuiæ contra papam.

Deo omnipotenti uobis annunciamus. Conradus rex cum tueretur hos concionatores, pene incidit in capitis periculum.

Acurſius gloſſator Iuris, Compoſtellanus, & Oſtienſis Decretalium illuſtratores, Bertrucius Medicus, Vincentius Prędicatorum hiſtoricus, Alexander de Hales Minorita, Alexander Gallus de uilla Dei grammaticus, florent.

Fames in Gallia, in qua ſextarium uendebatur auri dragmis ij.

Anno Domini Mccl. Accepto triſti nuncio, de capto à Bononienſibus Heinrico filio, à quibus diutiſſime ille tentus eſt, in Apuliam moués, morbo corripitur, à quo cum conualeſcere inciperet, à Manfredo filio impoſito ori puluino, oppreſſus à nonnullis memoratur. Alij Panhormi uita functum ferunt, ſunt qui apud oppidum Terentinũ anno ætatis ſuæ lvij. mortuũ putent. Hic Manfredus, Friderici quondã Imperatoris, ex concubina matre, filius Siciliæ regnũ obtinuit. *Frid. II. moritur.*

Anno Domini Mccl. Fridericus. II. Imp. moritur inteſtatus, ut uolunt quidã. Alij uolunt, ꝙ ſui Teſtamentum confinxerint. Quòd in ſatisfactionem ſedis Romanæ quandam pecunię ſummam aſſignarit. Item in ſubſidium terræ ſanctæ, & requiſitionem Dominici ſepulchri, certam pecuniæ ſummam ordinarit. Quòd Conrado filio regnum Ro. commiſerit, filio regis Heinrici, nepoti ſuo ducatum Auſtriæ aſcripſerit, Meginfrido illegitimo ſuo, ſed ab eo legitimato, regnum Arelatenſe addixerit. Omnia tamen ex arbitrio Conradi eſſe ordinanda. Huiuſmodi Teſtamentum Papæ ratificandum eſſe tranſmiſſum, ſed Papa allegante, per ſententiam depoſitum de regno, non potuiſſe teſtari, quare à Papa Teſtamẽtum penitus eſt abrogatum, Nepos uero eius, filius regis Heinrici, ex duciſſa Auſtriæ, morte ſubreptus eſt, ſed à quo neſcitur. *Hæc ex Chronico uetuſto ſcripto S. Peter Kaſtel*

Medio tempore, Chonrado & omnibus Alemannis, huius rei ignaris (ſicut ipſe Fridericus adhuc uiuens procurarat) dux Saxoniæ, pecunia, ut fertur, inductus, filiam ſuam eidem Friderico deſponſauit, eamq; duci Baioariæ ultromittendam deſtinauit, quæ cum in exitu ciuitatis Ratiſponenſis, cum duce Baioariæ Lantshuot eſſet tranſitura, Epiſcopus ipſius urbis, qui nondũ ſedem ſuam intrarat, pro eo quod illa ciuitas cũ ciuibus in excõmunicatione Papę erat, habita opportunitate, Epiſcopus currum rebus onuſtum, ad deſpoliandum aggreſſus eſt, & ciues ita extra muros ſuę munitionis prouocauit. Vt qui eſſent peſſimi blaſphematores Papę & totius cleri, quinquennio iam ſuſpenſi & excõmunicati, Epiſcopum ſuum excluſerũt. Igitur egreſſi ante caſtrum Epiſcopi, Stuff dictum, fuſi ſunt partim, partim capti. Quo infortunio reliqua pars ciuium permota Chonradũ & Bauariæ ducem in Lantshut agentes, adit: de Epiſcopo & clero Ratiſponenſi queritur, generum & ſocerum implorantes, auxilij gratia. Conradus collecto milite, primo nobilem de Hohenfels aggreditur, poſtea Epiſcopatum Ratiſponenſem rapinis & incendijs uaſtat, in uigilia natalis Domini ciuitatem Ratiſponenſem, in qua eum dux ſocius ſuus fuerat pręſtolatus, cum ſuis militibus ingreditur, toti clero ſatis moleſtus. Poſtridie, Innocentum. Nobilis de Hohenfels, cum militibus Epiſcopi & ſuis, clam ingreſſus Ratiſponã, cum rex Conradus dormiret, effractis hoſtijs, cuſtodes & collaterales regis cepit, credens quod & regẽ cepiſſet Sed mira Dei prouidentia, in ſubſellio quandam latebram adeptus, illuc ſe recepit, parcarũ fatis inter ſe concertantibus. Lacheſis totũm filum fati ſui nerat, Atropos occare uolebat, & quid factum eſt, latuit, euaſit, Deus fatorũ ſic uoluit. Hinc re immature peracta, & negotio infecto, exitialis dies Clero & Monachis Ratiſponenſibus exorta fuit, nam qui è familia Conradi fuere, irruerunt, Monachos cędunt, ædificia diruunt. Poſtera die uenerunt legati Apuliæ, & ſibi mortem patris ſignificarũt. Vnde ſecedens à ciuitate. Lantshut, plangere patrem properat. Demumq; reuerſus exactiones Eccleſijs & Clero, fauentibus ſibi ciuibus Ratiſponenſibus, impoſuit. Eccleſia ad S. Emmerum, uexationem ſuam libris quingentis redemit, ad quam redemptionẽ altare aureum, quod à temporibus Ramſoldi extructũ, uſq; tunc durauerat, appendens lxvij. marcas auri expenderunt. *Hermannus Minoritanus habet quod miles fidelis præcucurrerit, et iuſſerit ut rex ſub ſcamno ſe abſconderet, ipſe in lectum regis ſe poſuerit & pro rege occiſus fuerit. Et ſic Cunradus rex euaſerit.*

Anno Domini Mccli. Papa ſedem à Lugduno mouit uerſus Ianuam, & in Mediolanum peruenit, quo tempore dira prodigia uiſa ſunt. Sanguis de pane quaſi *Prodigia.*

de uulneribus corporum fluxit. Sanguineæ nubes uiſæ ſunt, ſicut & ante ciuilia bella factum eſt.

Anno Domini Mcclij. mortuo Conrado, frater eius illegittimus Princeps dictus, ſummam ſibi rerum fratris loco uſurpauit.

Anno Domini Mcclvi. Quidam in tranſmarinis partibus Ieſum ſe nominans, prodigioſa per Magiam faciens miracula, multis ſibi ſociatis exercitibus, plurima regna ſuæ ditioni ſubiecit.

Florentini mortuo Fride. II. qui eos plurimum moleſtauerat, in libertatem ſe uendicant, & Guelphos ab ipſo Cæſare eiectos, in patriam reducunt. Rempub. reformant, unde & duodecim Antianos creauerunt, qui Gibellinis reſiſterent, & ius populo dicerent.

Paleologorum Imperij principiũ apud Conſtantinopolim ſumpſit, cum Michael Paleologus Græcus, Theodoro Imperatori affinitate iunctus, pulſis è Græcia Gallis, ac Venetis, duobusq́; Theodori filijs paruulis, quos eidem ex Teſtamento commẽdatos reliquerat, interfectis imperium ſibi deſumens, imperauit annis xlv. Ingentis ſpiritus uir. Et ita Latinorum imperij finis fuit, quod per annos lxxxv. apud eos durauit. Exinde Græci Paleologi cxcvi. annis imperarunt, uſq; ad annum Domini Mccccliij.

Alphonſus Hiſpaniarum rex eligitur.

Hic Alphonſus is eſt qui uere nobilem diſciplinam Aſtronomiã in precio habuit, & tabulas Aſtronomicas condidit.

Richardus Anglus eligitur.

Rerum ſumma in Archiepiſcopis Rheni.

Sunt qui ſcribunt Aphonſum deterritum ne imperium aſſumeret propter fatales illas pontificum & Imperatorum inimicitias inter ſe.

Morte Vuilhelmi regis, uacante imperio, Alphonſus caſtellæ Hiſpaniarũ rex, & Richardus Cornubiæ comes, regis Angliæ Germanus frater, in uanam ſpem Ro. Imp. ſunt inducti. Alphonſus quidẽ, ut fauorem ſibi Romanæ Eccleſiæ conciliaret, duas tranſpadanas urbes illi permiſit. Taurinum & Altriã, facile donans quod non habuit, & Aquilam deplumãs. Sic agitur cum infœlici Romano imperio, poſtq́; auaritiæ nihil ſatis eſt, ut qui aſpirent ad regnum, prompte promittant non de ſuo. Studuit huic Principi, tum Conradus Archiepiſcopus Colonienſis, audiens Richardus alios ex electoribus emulo ſtudere Alphonſo, magnam auri ſummam extulit Anglia ditiſſimo regno & circumuectus, quos poterat ea ſibi re Principes & magnates conciliabat. Mirum quæ res ſpem fecerit alienigenis Principibus ad coronam aſpirare, quam tantis ſeculis ſola Germania promerebatur. Coniectura eſt rerum ſumma, tum maxime conſtitiſſe in Archiepiſcopis Rheni. Sicambo, Alphonſus & Richardus titulotenus peruenere ad regnũ, ſed non ultrà progreſſa eſt ullius authoritas. Nihil enim adminiſtraſſe leguntur, niſi quod Alphõſum Colonienſis, & Richardũ Mogõtinus fouerẽt Archiepiſcopi, & continuit alterum alterius metus, ne quid attentarent. Hinc eſt quod Italici ſcriptores ſcribunt per eorum tempora uacaſſe imperium.

Res Aſianæ periclitatæ.

Interim cum per annos xviij. nemo magnopere publicã uidebatur curam admittere, res Aſianę factione ſtultiſſima Italorũ ſunt periclitatę. Ptolemaidę enim, domini Veneti, & domini Ianuenſes inuicem tumultuantes, pro ſola ſuperbia locum fecerunt Ethnicorum irruptioni, ut finaliter omni Aſia Chriſtiani exturbarentur. Gyrationes ſuas inſanas & uertiginoſas, quas in Italia conceperant, uſq; in terram ſanctam efferebant. Nam per ea tempora ſęuijt in Italia Tartarea, & ab imo barathri prolata diuiſio Gibellinorum atq; Guelphorum, quæ neq; hodie penitus extincta fumat.

Iohannes Semeca.

Appellatio contra Papam.

Hoc tempore floruit Iohannes Semeca, Teutonicis Iuris doctor, qui Herculea audacia primus aggreſſus eſt gloſare Decretum, quod ante eum nemo, & poſt eum nullus excellentius fecit. Hic Clementi. IIII. ſummo Pontifici, tum per Germaniam, ſicut Galliã decimas à clero in redemptionẽ terrę ſanctæ exigenti, appellationem oppoſuit, ſed Papa excommunicauit, & Prepoſitura Halberſtatenſi priuauit. Sed erant magni in Germania uiri, qui Iohannem deferendum non putabant. Mors uero æquo pulſans pede pauperum tabernas, regumq́; turres, hanc litem diremit, & Pontificem ac Præpoſitum è medio ſuſtulit.

Anno Domini M ccliij. Othocarus rex Bohemiæ, Otho Marchio Brandenburgenſis, Dux Auſtriæ Marchio Morauiæ, cum multis Principibus, nonnullas regionis Pruſſiæ uires ita fregit, ut traditis obſidibus promiſerunt ſe uelle Chriſtianos fieri.

Anno

Anno Dñi M.ccl.
Aytonus Armeniæ
Bela.IIII. Vngariæ
Manfredus Siciliæ } rex.
Ottockarus Bohemiæ
Iacobus.II.Arragonum

Anno Dñi M.cclxvij.
Philippus.III.Franciæ
Eduardus.IIII.Anglorum } rex.
Theobaldus Nauarræ
Dionyſius Portugalliæ vi.

CONRADVS IIII. GER. IMP. XXV.

ANno Domini Mccl. Conradus Friderici filius ex Iobe Hieroſolomytani regis filia, poſt mortem patris regnat, ſed & hunc Innocentius IIII. Papa excommunicat. Heinricus Doringię Lantgrauius, uiuente adhuc Fridericho, apud Francophordiam eum deuicit. Alij uolunt quòd Heinrico mortuo, Vuilhelmus Doringiæ Lantgrauius, contra Conradum pugnarit. Videns autem Conradus ſe derelictum à Germanis Principibus, relicta Germania, profectus Apuliæ regnum ſuſcepit, Proximo deinde anno mortuus, ueneno, uti creditur, extinctus,: Manfredo fratre id procurante. Is Friderici quondam Imperatoris, ex concubina matre filius, qui Siciliæ regnum obtinuit, fuiſſe dicitur. Hic finis fuit ducum Sueuiæ.

CONRADINVS.

COnradinus, Friderici Sueui Imperatoris ex filio Conrado nepos, matre Bauara, cum uellet poſt mortem patris ſui Conradi, Neapolitanũ regnum ſuſcipere, & cum maximo Germanorum exercitu ueniret, primum quidem Veronam, deinde Papiam, indeq; per Carrarienſium oppida ad Genuenſium mare pertingeret, ex Longobardia & Romandiola, indies exercitũ augens, adiuuante Guidone Ferentano, Romam conceſſurus, Papa Clemens, Carolum regis Francię fratrem, contra eum commouit, & fertur, cum Pontifex Viterbij tranſeuntem adoleſcentẽ uideret, dixiſſe: Conradinũ tanq̃ agnum ad cędem duci. Nam dum cum Carolo circa Neapolim confligeret, & initio ſatis uictoriæ haberet, tamen tandẽ proditiõe Conradinus & Fridericus dux Auſtrię capti fuerũt. In captiuitate miſere tractati & irriſi, tandẽ iuſſu Papę Clemẽtis etiã interfecti. Sic regnũ Neapolitanũ ad Gallos deuenit, & ducatus Sueuiæ Ro. Pont. improbitate ceſſauit. Papa proditor Conradini. Ducatus Sueuiæ Ro. Pont. improbitate ceſſat.

Sunt qui ſcribant, cum Conradinus, & Auſtriæ dux, ſicut ambo ætate ita infortunio pares, campeſtri loco cum Carolo confligerent, quòd ſigna, ubi toto prælij tempore fuerant, relinquentes ſeceſſerint. Agaſonis cuculla contecti, per deuia ſe occulentes, & ita octauo die ab accepta clade recogniti, ad Carolum perducti, publico illius iudicio interfecti fuerũt. Occiſo Conradino, Teutonici ibidem quendam de Ochſenfurt, fabri filium, nominẽ Stoch, regem ſtatuunt, licet plurimum renitentem, qui ſenſim ab exercitu ſe ſubtrahens, poſt octo menſes ad incudem in patriam eſt reuerſus. Raph. Volaterranus Italus ſcriptor, putat Conradinum diuina ultione captum, & ſecuri percuſſum. Is enim uxorem formoſiſſimam Comitis Caſertani, eius fidiſſimi ducis adamarat, qua uti potiretur, uirum honoris ſpecie ablegauerat, ille facinore comperto, mœſtus ac furibundus ad Carolum uenit, ſeſe exercitum illi proditurum pollicetur, quod & fecit, unde ſupradicta conſequuta calamitas, lib. xxiij. anthropologiæ. Sabellicus lib. 7. nonæ Aeneadis ſuſe habet. Faber fit rex.

Anno Dñi Mccliiij. Dum Innocentius.IIII. Papa moritur ex Rainoldo Cardinale Hoſtienſi, natione Campano fit Papa Alexãder.IIII. in urbe Neapolitana.

His temporibus habentur inſignes Thomas Aquinas, & Albertus Theutonicus, ob amplitudinẽ doctrinę, Magnus dictus, qui tantæ modeſtiæ fuiſſe dicitur, adeoq; lectionũ appetentiſſimus, ut Ratiſponenſem Epiſcopatũ abnuerit, quem tumultu & armis gubernare interdũ opus erat, ut nũc etiã apud Germanos mos eſt, quorum pleriq; Epiſcopi enſe & milite rem ſuam tutantur. Platina. Item, Bonauentura Hoſtienſis, Sophiſtæ, & Petrus Hiſpanus florent. Stella, quã Cometem Græci uocant, inſigni magnitudine, ſupra tres menſes apparuit, & eadẽ ipſa nocte, qua Vrbanus obijt, extincta eſt. Hoc tempore Pannonij cum Boemis de finibus contendentes, atrox prælium cõmiſerunt, in quo ſuperati Pannonij, fugam arripiunt, & in fuga ſupra xiiij. millia eorum in flumine ſubmerguntur.

Poſt

Vrbanus. IIII. Papa.

Poſt Alexandrum quartum fit Pontifex Vrbanus quartus, poſt Vrbanũ quartum, Clemens quartus fit Papa, ante Guido Sulcàdius dictus, qui ante Epiſcopatum uxorem habuit, & liberos, is iuſſit capite plecti Conradum. Aliorum ſententia eſt, ꝙ Carolus Conradum in finibus agri Albani ſuperarit.

Clemens. IIII. Papa.

Gregorius. x.

Clemente autem Viterbij defuncto, propter diſcordiam patrum, quibus de ſucceſſore non conueniebat, biennio uacauit ſedes, tandem electus fuit Gregorius x. natione Italus, patria Placentinus, è Vicecomitum familia, Mediolano pulſa. Theobaldus antea uocatus, Laudenſis Archidiaconus. Hic initio ſui Papatus diligenter commonefecit electores imperij, ut concorditer eligerent Imperatorem, ne imperium dilaberetur.

Synodus Lugduni, ſub Gregorio x.

Sub hoc Gregorio x. habetur Synodus Lugdunenſis, Hieroſolymæ recuperandæ gratia. In qua Synodo, de proceſſione Spirituſſancti, Græci cum Latinis concordarunt. Michaele Paleologo, Græcorum imperatore, unioni Eccleſiæ Orientalis, cum Occidentali prorſus incumbente.

Alij uocant Bondugar.

Anno Domini Mcclxvij. Banducar uel Bendegarus, Aegypti & Aſſyriorum Sultanus, cæſis Chriſtianis, Armeniam & Antiochiam expugnat.

Philippus. III. Franciæ }
Eduardus. IIII. Anglorum } Rex.
Theobaldus Nauarræ }
Dionyſius Portugalliæ. VI. }

Sub hoc Gregorio x. Pontifice Haalon Tartarus cum ingenti exercitu domo profectus. Primum omnium uniuerſam Perſidem ſubegit, ſex menſium ſpatio, unus duntaxat locus capi non potuit, quem natura munitiſſimum latrones inſederant, dena millia equitum hic ad obſidionem relicta, quæ in xxvij. annum poſtea diſtracta eſt, ut Aytonus ſcribit, omnium, quarum hodie memoria extet, haud dubie longiſſima, ueſtium, ut idem ait, defectu demum deditio facta eſt. Deinde Baldacha urbs ui capitur. Fuit hæc olim Babylon, quam Semiramis in Meſopotamia condidit. Adijcit Aytonus ſedem in ea fuiſſe Calphi, qui Mahometanę legis ſummo fungebatur magiſtratu. Vrbs exciſa eſt, non ſexus, non ætatis diſcrimen ullum habitum, omnis multitudo ferro dedita, immenſum pondus auri, gazaꝗ omnifariam Calphi ſtudio congeſta, regem & exercitũ ditauit, hic Haalon uictor: ęquum eſt, inquit, tam quęſtuoſum hominem cibis ueſci non niſi precioſiſſimis. Ite & Calphum (erat enim ad id ludibrium ſeruatus) medijs auri gemmarumꝗ aceruis ſtatuite, his ueſcatur epulis, hos illi affatim ad omnia uentris deſyderia miniſtrare. Et ille ita plures dies aſſeruatus, in media diuitiarũ affluentia, fame conſumptus eſt, magno eorum documento, qui naturæ obliti, (paruo enim contenta eſt) nullum ſibi habendi finem conſtituunt.

BELLVM GVALTHERI DE GEROLTZECK, Epiſcopi Argentoratenſis, cũ ciuitate Argentoratenſi.

GVALTHERVS de Geroltzeck, Epiſcopus fit Argentorati, anno Domini Mcclx. ab Archiepiſcopo Mogontino confirmatus. Primitijs ſuis, quas uocant, interfuere multi proceres & magnates, Abbas S. Galli mille, & Morbacenſis quingentis equitibus ſtipati.

Clerus euocatur ex urbe Argentorato.

Anno Domini Mcclxi. Inter Epiſcopum & ciues Argẽtoratenſes oritur diſſenſio, quæ cum plurimorum ad concordiam laborantium opera, ſedari non poſſet, ciues intra octauam Pentecoſtes urbem egreſſi, ſumptis armis Haldenburgeñ. arcem uaſtarunt, foſſatumꝗ profundum opplentes, ſolo æquarunt. Gualtherus e ueſtigio ſub grauiſſimis cenſuris & beneficiorum priuationis pœna, uniuerſo clero, imò & pueris, literas latinas diſcẽtibus, mandat, ut urbem egrediantur. Parent omnes, pręter Bertoldum de Ochſenſtein, Decanum, grandęuum & ualetudinarium, qui cum uolũtate Epiſcopi manet, & Heinricum de Geroltzeck in Voſago cantorem, qui electioni Gualtheri nequaꝗ conſenſerat.

Interdicta

Interdicit epiſcopus omnibus eccleſię ſacramentis, uiſitationi & conſolationi infirmorum. Tamen prudentia Senatus uocantur in urbem tres ſacerdotes, qui eccleſiæ miniſtrabant. Clerus & nobiles qui epiſcopo fauent, aurum & argentum ſuum ex urbe auferũt, reliqua bona, annonam & uina domi relinquunt, ea omnia ſignantes, & redditum iri (ſed fruſtra) ſperantes. Gualtherus collecto grandi exercitu, ad quem Treuerenſis archiepiſcopus, & abbates duo, fortes ſuppetias miſerunt. Item multi alij comites nobiles, epiſcopo ferebãt auxilium, ita, ut quicquid extra muros Argentoratenſes erat, ciuitati Argẽtoratenſi aduerſaretur, excepto comite Ottone de Ochſenſtein, Vualthero de Girbaden, & fratribus dictis die Rheingrauen. Horum robore epiſcopus obſidet urbem: intercluduntur uiæ, ne commeatus inuehatur. Epiſcopus caſtrametatur inter Eckboltzheim & Konigesheim. Fiunt induciæ propter inſtantem meſſem, uſq; ad autumnum. Interea laborabatur de componendo diſſidio inter epiſcopum & urbẽ, ſed fruſtra. Circa autumnum epiſcopus finito induciarum tempore, ſuos conſcribit, & partim in Geiſpoltzheim, partim ad montem Concordię, uulgo Kocherſperg, multos in Molsheim collocat. Erat autẽ is annus fertiliſſimus copia uini & frumenti: nam oma uini uendebatur extra urbem pro quatuor nummis Argentoratẽ. quartale frumenti pro quatuor ſolidis. Cum ergo diſcordia ita aliquandiu duraret, pleriq; comites, inter quos fuit Rudolphus Habenſpurgius, paulopoſt in Romanorũ regem electus, Vualtherus de Habenſpurg, Hartmannus de Kiburg, Conradus comes de Friburgo, Henricus de Nuuuenburg, poſthac factus Baſilienſis epiſcopus, fœdus cum ciuitate percutiunt, opem eis pollicentes. Itaq; animati ciues, terras transrhenanas dominorum de Geroltzeck & Liechtenbergenſium, multosq; alios pagos ciuitati finitimos depopulantur & uaſtant. Haud aliter faciebat Gualtherus epiſcopus ipſe, ciuium prædia depopulando, & eorum agros, prata & uineta inter familiares adiutoresq; ſuos diuidendo. Circa Natalem Chriſti ciues comitum ope fulti, ad Vuickersheim Bruſchę finitimam pergunt, ut arcem illam Nobilibus eius nominis adimerent: multa enim damna ex eo loci perpeſſi fuerant. Inuenere pagum uini plenum, pleriq; recentioris uini, quo ciuitas carebat (quia interclusæ per autumnum fuere uiæ, ne inueheretur) auidiores, ebrietate præmuntur. Quod ut comperit Gualtherus, magnum coegit exercitum, edixerat enim, & prouide inſtituerat, ut ex ſonitu campanarum in cunctis ſui dominij locis uſq; ad Seleſtadiũ, Molsheim, Zaberniã, Rynauu & Haganoiam audito, populus congregaretur. Aſſunt innumeri pedites & equites, longe plures quàm apud urbem eſſent, pergunt obuiam ciuibus in montẽ inter Vuickersheim & Kolbesheim, ita ut utrinq; ſe uiderent & alloquerentur. Cupiebat epiſcopus congredi, niſi fluuius impedimento fuiſſet. Ciues in urbem redeunt, ſoli quindecim amore uini detinebantur, qui redire cum ſocijs recuſabant. Quos obruunt hoſtes, & defectis prius manibus & pedibus, trucidant.

Argentoratum tantum habet tres ſacerdotes.

Quicquid extra Argentoratum, cõtra eſt

Concordia uel Cocherſpergia munimentum olim à Romanis conditum, ad arcendas Alemannorum irruptiones. 2. miliarib. ab Argentorato.

Vuickerſheim iam eſt uere nobilium uirorũ, Iacobi Sturmij, Petri & Friderici fratrum.

Eiſdem temporibus erat interregnum: uacabat enim Romanum imperium rege aut imperatore ſuo, magnamq; autoritatem Gualtherus habuit in ciuitate Colmaria, quam proditione cuiuſdam prætoris, quem ſcultetum uocant, perdidit, ciuitate noctu in manus Rudolphi clam tradita.

Colmaria traditur Rudolpho.

Fuerant etiam ea ætate diuerſæ factiones in oppido Mulhuſen, quod ad epiſcopatum Argentoratenſem tum pertinebat. Dumq; altera factionũ perſpectum haberet, quidnam in Colmaria nudius accidiſſet, clam miſſis ad Rudolphũ Habenſpurgium nuncijs, mentem ſuam patefaciunt, ſe illi ciuitatis portas noctu reſeraturos. Habebat enim epiſcopus in ipſa ciuitate arcem, quam ſuus inhabitabat præfectus, qui mirum in modum ciues præmebat, ideoq; ab epiſcopo ad Rudolphum defecerunt, & oppidum tradunt. Arx ipſa poſt tres menſes expugnatur, & funditus demolitur. Gualtherus clam inito cum proceribus ſuis conſilio, perſuaſit Colmariam recuperari poſſe, ſicq; proceres in regione Colmarienſium & ciues inde expulſi, ſperabant ciuitatem ipſam clanculum aſtu obtinere, nõ minus quàm Rudolphus ipſam obtinuiſſet. Veniunt mane intra mœnia equites centum, ſtrictisq; gladijs clamitant per plateas, & appellant epiſcopũ Argentoratenſem

Mulhuſen.

tatenſem. Prętor qui antea ab epiſcopo defecerat, ciuitatéq; tradiderat, quorun dam ciuium armatorum auxilio reſiſtere auſus, ſtatim iugulatur. Ciues uero ani mati, ui magna proceres atq; complices ex ciuitate expulerunt. Quorũ nonnulli interempti, nonnulli fractis membris in rotas ſunt collocati.

PVGNA APVD HAVSBERGEN.

ANno mill. cclxij. Interea non deſtitere Gualtherus epiſcopus, & urbs Argentoratenſis, mutuis ſeſe damnis, ac locorũ ruralium incendijs ex utraq; Rheni parte, à Briſgaugia uſq; ad Salzam afficere: nec erat qui diffidentes animos poſſet componere. Itaq; ciues die Mercurij poſt ſecundam quadrageſimę dominicam urbem cũ ingenti equitũ peditumq; caterua exeunt, aſſumptisq; lapicidis, ac uarijs ferreorum inſtrumentorum generibus, turrim ec cleſiæ in Munoltzheim (ne in eam Gualtherus præſidium locaret) diruunt. Id ubi intellexit epiſcopus, facto iterum campanarũ in rure clangore circunſonan te, trecentos equites, & quinq; peditum millia coegit, deſiderans congredi, con flictumq; habere cum ciuibus, ſpe uictorię potiundę: nec enim credidit bellum il lud, niſi mutuo prælio & certamine poſſe finiri. Ciues qui turrim diruebãt, nun cijs in urbem celerrime miſſis, rem ordine narrant, ac ſuppetias efflagitant. Re ſonant campanæ, fit clamor per urbem, quàm multi certe ciues egrediuntur, ut obuiam epiſcopo prodeuntes, ſocijs opitulentur. Quod intelligentes conciues qui extra urbem fuerant, profecti ſunt ad montem Haldenburgum, profectionẽ dirigentes uerſus ſuperiorem Hausbergam, ſocios urbe egreſſos expectant. Qui cum prope adeſſent, montem deſcendunt. At quędam foſſa intermedia præpe diti (quæ in equis commode tranſire non poterant) uexilla faciemq; ſuam uer tunt, tanquam recta ad ciuitatem contenderent, foſſatum circumeuntes. Quo ui ſo epiſcopus arbitratus ciues attonitos fugam in urbem quærere, uti prius apud Vuickersheim fecerant, animatus, ac moræ impatiens, non expectatã peditum ſuorum cohorte, timens ne hoſtes manus ſuas euaderent, cum ſolis equitibus ſu is properans, eos perſequitur, ſuosq; omnes cõfortabat, munera magna promit tens, ut fortiter dimicarent. Ciues autem cum foſſatum circumiuiſſent, neciam itineris impedimentum ullum haberent, iugerisq; ſpatio à Gualtheri equitibus diſtarent, iamq; conciues urbe egreſſi, ad ſe cominus ueniſſent, in aſpectũ Gual theri prodire, aciem inſtruere, ac ſeſe animare cœperunt. Erat autẽ hic affatus ad monentium ſe mutuo ciuium: Vel hodie ſitis Optimi ciues infracto animo, & pugnate intrepide pro urbis & patriæ noſtræ gloria, proq; ſempiterna libertate noſtra, liberorum & nepotum. Vix fuerant ſe exhortati maſcula oratione, ciues qui in agro erant, ecce adſunt reliqui ex urbe: horum Capitaneus erat dominus Nicolaus Zorn ſenior: hunc amiciſſime ſalutat & excipit dominus Reinboldus Liebenzeller, inquiens: Domine Zorn chariſſime, Ex aduentu ueſtro mire exhi laror. Nunquam uidi uos auidiori animo quàm modo. Eliguntur duo belli du ces, quibus omnes ſe iurant obtemperaturos. Qui pixidibus & manuarijs bom bardis, baliſtis, cæterisq; iaculis utebantur (trecenti numero) à reliquis ciuibus ſunt ſegregati, hac lege, ne ſe prælio committant, ſed duntaxat ſeſe obijciant pe ditibus epiſcopi aduentantibus (qui nondum aderant) ut eos intercipiant, ne equitibus eius iuncti, opem ferre poſſint. Erant in exercitu Gualteri, rei militaris & ſtratagematum periti, qui prudentia ſua conſiderabant ciuium agmina ſuis eſſe longe fortiora, atq; ideo epiſcopum, ne prælium iniret, uehementer dehor tabantur, quod cum paucis magnas hoſtium copias aggredi in loco præſertim ciuitati tam propinquo, temerarium eſſet & inconſultum. At epiſcopus illos in terclufos & timidos eſſe clamitabat: Quod ſi uellent abire, cũ uenia ſua poſſent. Illi uero pudoris cauſa, infamięq; metu, ut mos eſt Germanis, perſtitere. Gualthe rus aciem inſtruit, prælium cõmittitur. Inter ciues Marcus Eckuersheim, uir no bilis, primus hoſtem lancea petit. Epiſcopus fortiſſime manu propria, inſtar ſtre nuiſſimi militis, pugnat, duobus equis, quibus inſederat, interfectis. (Dederat

enim

Munoltzheim turris demo litur.

Husberga.

Epiſcopus mu nera pollice tur fortiter di micantibus.

LIBERTAS.

Nicolaus Zorn.

Reinboldus Liebenzeller.

enim ſenior Liebenzeller conſilium, ut & hoſtium & amicorum equos interfi-cerent, ciuibus prope ciuitatem exiſtentibus, hoſtem longe abeſſe à tuto) Sic ter-tio equo epiſcopus inſedit, & cum duobus equeſtribus nobilibus terga uertit: unus erat dominus Burckhardus Murnhart: alter dominus Vuolfelinus Meig-enreis. Deſiderati & occiſi ſunt ex parte Gualtheri epiſcopi ſexaginta proceres, inter quos & frater epiſcopi Hermannus de Geroltzeck occubuit, quidam de Tierſperg epiſcopi cognatus Vuaffeler, & duo filij, equites aurati, tres fratres de Eckuersheim, tres Schollen de Ginsheim, duo de Virdenheim, unus de familia Beger, Iohannes de Bietenheim. Capti ſex & ſeptuaginta, & proprijs loris ac la queis, quibus ſperabant ciues abductum iri, præter ſpem irretiti urbem ingredi-untur. Inter ciues tantum unus occiſus, lanius quidam dictus Bilgerin. Ciuibus in hac pugna nemo adfuit, preter comitem de Ochſenſtein, & Girbaden. *Epiſcopus pugnat, Camelus ſaltat.*

Sequenti mox die Gualtherus epiſcopus in urbem miſit legatos, qui de con-cordia tractarent. Interdictum relaxauit, ſupplicans, ut captiui, præſertim frater ſuus, quem adhuc ſuperſtitem credidit, humaniter tractarentur. At neq; miſſi ab epiſcopo, nec Richardus de Anglia Romanorũ rex, qui in Hagenoia de pace & cõcordia tractabat, diſſenſionẽ epiſcopi & ciuitatis ſedare potuerunt. Sperabat enim Gualtherus & palam gloriabatur, captiuos qui in dormitorio ſummi tẽpli incluſi erant, propediẽ liberandos. Ciues ubi id audiſſent, diligentius circunſpe xere, uincula, manicas, & compedes captiuorũ, uideruntq; funes diſſolutos, & foramina per muros in penu uerſus curiam fratrum effoſſa, quibus proxima no-cte, ſi Gualtherus tacuiſſet, euaſuri erant, repperer unt. Reficitur à Senatu murus, uincula inijciuntur ualidiora, cuſtodia fidelior adhibetur. Captiui ſpe redẽptio-nis adempta, pacẽ cũ urbe ineunt, & libertati reſtituuntur. Durante hac diſcor-dia, Gualtherus moritur, quem ex animi dolore, cordiſq; triſtitia multi defeciſſe crediderunt. Canonici mortuo epiſcopo redeunt in gratiam cum ciuitate: rede unt ſacrificuli & iuuẽntus. Hic fuit finis belli epiſcopalis, quo ciues pro libertate pugnarunt & patria. Nam ſi epiſcopus uiciſſet (ut putarat) Argentoratum urbẽ inſtar Zaberniæ aut Molsheim habuiſſet.

Ab eo tempore ciues Argentoratenſis Reipub. fabricæ eccleſiæ maioris curã ſuſceperunt, Antiſtite Capituloq; annuentibus, annuam coram aliquot Capitu-li perſonis rationem reddentes. *Fabrica eccleſiæ Argent.*

Scribit Iacobus Vuimphelingius in Cathalogo epiſcoporũ Argentoratenſiũ, ſe non inueniſſe quempiam Argentoratenſium, qui ex Alſatia, Auſtraſia, finiti-miſq; & propinquis locis ortus fuerit, contra urbem triſtia bella geſſiſſe, præ-ter unum Gualtherum.

Sub hoc Gualtero Anno Chriſti mill.cclxi. uenerunt Argentoratũ ex Tuſcia bi ni & bini mille ducenti, ſeipſos nudis tergis flagellantes: ſed de illis infra fuſius, circa annum Domini mill.cccl.

DE TEMPLO ET TVRRE ARGENTORATENSI.

ANno Chriſti milleſimo decimo quinto, Epiſcopatus Vuerenharij epi ſcopi Argentoratenſis anno ſeptimo, cœptum eſt hodiernũ templum Argentoratenſe, opus omniũ quæ audiuimus aut uidimus, maxime admirabile, tam extructionis genere, quàm magnitudinis & altitudi-nis, ab ipſo fundamento forti & profundo ædificari: antea enim exiguum & fra gile fuerat ex lignis, paruiq; precij lapidibus, ædificium à Clodoueo Gallorum rege neophyto erectum. Turris autem altior (quæ iam ob illuſtres celaturas, & innumeras fabrefactas imagines, ſeptem mundi mirabilibus octaui loco adiun-gi poſſet) anno Chriſti mill.cclxxvij. incepta, & poſtea anno Dñi mill.cccv. uſq; ad galeam conſumata eſt. Hæc Iacob. Vuimphelingius in Catalogo epiſcopo-porũ Argentoratenſiũ. De hac turri ſcribit Aeneas Syluius in opuſculo de Ger-manis: Mirabile opus caput inter nubila condit. Templum uero tam nobile, tam magnificum, quamuis interea quinquies tum aeris tẽpeſtate, tum hominũ incuria exuſtum, maiori tamen indies ſumptu, precioſioriq; apparatu & ſplen- *Sed mirum eſt, ſi tantum opus potuit perfici in annis 28.*

dore eſt inſtauratum. Sub ipſa turri & ſupra ianuam quam Sertorum uocant, (die Schappel thur) legitur hoc Epigramma:

ANNO DOMINI M. CCLXXVII. IN DIE BEATI VRBANI, HOC GLORIOSVM OPVS INCHOAVIT MAGISTER ERVVINVS DE STEINBACH.



In ſuperiori parte turris (ubi eſt initium galeę & faſtigij turris, quam Iohannes Hiltz Colonienſis (qui Architectonicen Argentorati fœliciter didicit) & inchoauit, & abſoluit, quod ex ſymbolo eius cognoſcere licet tali, legis hæc Chriſtianiſſima ἀξιώματα per circulum turris lapidibus inciſa.

Ad Orientem.

CHRISTVS GLORIFICAT. CHRISTVS CVNCTIS DONAT.

Ad Septentrionem.

CHRISTVS CORONAT. CHRISTVS ET SVPERAT.

Ad Occidentem.

CHRISTVS REX TRIVMPHAT. CHRISTVS SEMPER REGNAT.

Ad Meridiem.

CHRISTVS ET IMPERAT. CHRISTVS NOS RENOVAT.

Dicere poſſis: Teſtimonia animæ naturaliter Chriſtianæ, & ſimilia illis, quæ in Apologetico Tertulliani legis cap. xvij. Deus dedit, Deum teſtor, Deus uidet, Deo commendo, Deus mihi reddet. Iam cum ædificiorum ſit ſenium quodam, & ut animalibus, ita operibus locisq; fatum ſit ineluctabile, certe firmũ & ſtabile, ſalutiferumq; & æternũ erit, quod in hoc Dominico templo, fauore Dei, prudentia & dexteritate Magiſtratus ornatiſſimi, uerbum uiuentis Dei, quod in æternum manet, annunciatur, purius & caſtius quàm antea. Et hoc eſt uerbum, quod per Euangelium delatum eſt ad nos. i. Pet. i.

RVDOLPHVS XXVII. IMP. GER.

RVDOLPHVS XXVII. Imp. Germ.

Habinſpurgij comites ueteris Vindoniſſæ domini fuerunt. Vide B. Rhen. Raph. Volater. ex comitibus Adelburgenſibus uocat.

ANno Domini mill. cclxxiij. RVDOLPHVS comes Habſpurgenſis, Lantgrauius Alſatiæ, poſt longam uacationem imperij, & ciuilia bella, communi uoto principum, electus in Imperatorem Germanię & Romanorum, penultima Septembris, regnauit annis xix. a Papa confirmatus fuit: nam Lauſannæ ſimul fuerunt, ut hæc carmina indicant.

Bis ſexcenti ſeptuaginta tresq; ſtetere
Anni Lauſanæ dum rex & papa fuere.

Rudolphus horret Italiam

Et quanquam iniunctum illi per electores, ut profiteretur ſe in Italiam diadematis cauſa intra annum profecturum, nunquam tamen hoc fecit, ſemper nouas occupationes publico cauſatus, apud amicos non diſſimulans ſe ab Italia deterreri, quod Cæſarum in Italiam ueſtigia læta, magnifica, plenaq; bonæ ſpei uideret, ex Italia uero referentia & foras uerſa, triſtia, miſera, luctuoſa, alludēs ad ilud apologi Eſopici de Vulpe & Leone: ὅτι ὁρῶ ἴχνη πολλῶν εἰσιόντων, ὀλίγων δὲ ἐξιόντων. Miſit tamen locum tenentem in Italiam, quem urbes magna parte ſuſceperunt.

Duo fuerunt Rudolphi ex familia comitũ de Habſpurg electi in reges Romanorum. Primus Rudolphus electus anno Dñi mill. lxxvij. is non diu regnauit Secundus Rudolphus Rom. rex electus anno Domini mill. cclxxiij. Secundus ille cum confeſſorem haberet Guardianum de oppido Lucernenſi, qui multis annis confeſſiones comitis Rudolphi uxoris & familiæ audire conſueuerat, dictus Henricus Gurtelknopff, poſthac factus Gardianus monaſterij Minorũ Baſilieñ. Et cum mortuo Baſilienſi epiſcopo Canonici concordare non poſſent in electione, mittũt notarium & teſtes, ut de fratribus minoribus proxime ſibi prouenientem adducant. Gardianus caſu occurrit, & fit epiſcopus Baſilienſis. Cum autem epiſcopatui Baſilienſi bene præeſſet, & Mogontina ſedes Metropolitana

uacaret

uacaret, in Archiepiſcopũ uocatur, & fit unus de electorib⁹ imperij Principibus. Vacante ergo Ro. imperio, per mortẽ Richardi, filij regis Angliæ, Rodolphi dotes per confeſſorem Archiepiſcopũ prędicantur, ut eligeretur in regem Ro. Idem Archiepiſcopus etiã facile obtinuit, ut Rodolphus cum Baſilienſibus conueniret.

Ergo audito nuncio electionis ſoluit Aquiſgranũ, ubi coronatur. Fuit hic Rudolphus, comitis Alberti de Habſpurg filius, is fuerat Lantgrauius ſuperioris Alſatiæ, & uexillifer urbis Argentoratenſis, eiuſq; præſidio multas præclaras uictorias conſequuta tempore Epiſcoporum Heinrici de Veringen, & Bechtoldi de Deck. Mortuo autem patre, Rudolphus filius ſucceſſerat, & ipſe uexillifer Argentoratenſis formidabilis, una cum ciuitate toti Alſatiæ & Sueuiæ bello ſuperat comitem Sabaudię, & occupat Baden, Morſperg, Kyburg, Vuinterthur, poſthac Mulberg, Gretzingen, Durlach, & quidquid erat Marchionis Badenſis ſibi ſubijcit, & pacem firmat.

Albertus de Habſpurg, uexillifer urbis Argentoratenſis.

Hoc anno tanta fuit fertilitas terræ, ut quartale tritici xxij. nummis Argentoratenſibus emeretur, quartale ſiliginis xvi. nummis, xiiij. oua pro uno nummo, gallina duobus nummis, halleces octo uno nummo.

Fertilitas terræ. Quatuordecim oua pro uno nummo.

Poſt hæc Rudolphus uenit Argentoratum, & pacem firmat cum omnibus Rheni ciuitatibus. Eodem anno Rudolphi filius prope Reinauu, cum aliquot miniſtris in Rheno ſubmergitur, is erat xviij. annorum, & regis Angliæ filiam uxorem habebat.

Rudolphus ſeuerus fuit, iuſtitię executor, pacis ſtudioſiſſimus, humilitate, quę nobilitatis comes eſt, mira prẹditus. Ideo in una ꝑfectionũ, thorace ſarcita uſus, & conſpicuus ſuis, ut exemplum præberet, ne ſuos huius Parſimoniæ puderet.

Parſimonia Rudolphi.

Et cum ſemel caſtrametaretur, uerum illi & exercitui deeſſet uictus, acceſſit ad agrum Rapis conſitum, & cœpit euellere rapam, ac comedere. Cum alij uiderẽt Imperatorem hoc uili cibo famem pellere, euulſerunt & ipſi, & uorarunt.

Anno Dñi Mcclxxiiij. Rudolphus rex Romanorũ, comes de Habſpurg comitatũ Norinbergenſem, teutonice Burgrafſchafft Nurenberg, contulit Friderico comiti de Zolerñ nepoti ex ſorore, & is fuit primus Burggrauius Norinbergẽſis.

Primus Burggrauius Norinbergenſis.

Anno Dñi Mcclxxiiij. Cum Rudolphus Norinbergę comitia haberet, in maxima Principũ corona Berichardus, Serouienſis Epiſcopus, nuncius regis Bohemiæ petita uenia, pleno mandato ſuffultus, propoſuit electionẽ de Rudolpho nõ ualere, utpote factã ab execratis, de execrato, ideoq; Rudolpho regi non eſſe obediendũ. Cui rex, epiſcope, ſi habetis cauſam aduerſus clericũ, agatis ſermone latino corã Epiſcopo, ſin contra me, uel imperiũ, agatis more ſolito. Principes aũt cũ intelligerẽt hũc Epiſcopũ, uelle electionẽ in dubiũ uocare, uix manus abſtinuerũt.

Appoſite dictum.

Anno Domini Mcclxxviij. Rex Rudolphus, Comes de Habſpurg, filium ſuũ Iohannem fecit ducem Sueuiæ, & Albertum filium, ducem Auſtriæ & Stiriæ. Et Menhardum comitem Tyrolis, fecit ducem Carinthiæ, in ciuitate Auguſtana, in comitijs electorũ, & aliorum Principũ. In regno Germaniæ, ipſe multis implicitus fuit negotijs, nam Bauaria & Bohemia illum turbabant. Bauaria quidẽ mox Rudolpho obedit, at Othocarus, q & Primislaus dicebatur, quintus Bohemiæ rex, illi uehementer repugnabat, nam Auſtriæ ducatum feudum, minime muliebre, ob uxorem Margaretam ſterilem, quã duxerat, retinere uolebat, & imperio adimere. Rudolphus ergo Burggrauium Norinbergenſem in Bohemiã mittit, & pręcipit, iubetq;, ut Auſtriam cędat. Id cum Othocarus detrectaret, rebus ultro citroq; agitatis, Rudolphus Auſtriam inuadit, Viennam Auſtriæ ciuitatem obſidet, fitq; magna ſtrages prope Nidersbruck, trans Danubium, Sueuis & Alſatibus, quibus Cęſar maxime fidebat, uictoria potitis. Anno Mcclxxviij. In qua ſtrage Othocarus interimitur. Ita imperator Auſtriam occupauit, & filium ſuum Albertum, ut ante dictum eſt, ducem Auſtriæ deſignauit, ita ut Auſtria iam ſit feudũ imperiale. Ab hoc Alberto, inclyti duces Auſtriæ originem trahunt uſq; ad Carolum quintum, pręſentem Imperatorem, & Ferdinandum Cæſarem, inſtituto in ducem Auſtriæ filio, ex conſenſu Principum Auguſtæ. Anno Mcclxxxij. Eidem Stiriãm, Carinthiam, portum Naonis, Carniolamq; conceſſit. Rudolphus uero

Iohannes Rudolphi filius, Sueuiæ dux.

Diſſidiũ Ottocari regis & Rudolphi.

Strages prope Nidersbruck, & Ottocarus occiditur.

Rudolphus benigne agit cum Vuenceslao Othocari filio.

admodum benigne egit cum Vuenceslao, Othocari filio, regnum Bohemię illi permittens, & filiarum ſuarum unam ei matrimonio locans.

Alij meminerunt, quod Rudolphus Imperator, Bohemiæ regem atroci prælio ſuperatum cœperit, & uelut contemptum atq; deiectum mancipiũ, in uiliſſimis officijs ſibi ſeruire coegerit, magnoq; dedecore affecerit, & deinde illum in regnum reſtituerit, & filiam ſuam Guntham uxorem illi dederit. Hic Vuenceſlaus pro ſancto uiro habitus fuit, annos natus octo, regnum obtinuit, quod Marchio Brandenburgenſis tutorio nomine quinq; annis gubernauit.

Rudolphus Burgundiam etiã ſubegit, & in Alſatia oppida aliquot, quæ contra ſe conſpirant, ui occupauit, nimirũ Haganoiã, Colmariã, Turregũ, Bernam.

Sueuiæ oppida, muris cincta.

Oppida quædam in ſuperiori Sueuia, hoc tempore, quæ prius uillæ cenſebantur, ab Imperatoribus muris cinctę, ciuilibus ac municipalibus libertatibus donata ſunt, præcipue Eslinga, Reutlinga & Heilbrunna.

Anno Domini Mcclxxxij. Philippus pulcher Galliæ, Ladislaus. III. Vngariæ, S. Vuenceslaus Bohemiæ, Carolus. II. Siciliarum, Sanctius. IIII. Hiſpaniarum, Iacobus Dongianus, Arragonũ rex, imperãt. Tangadar Tartarus, legem Machumetanã primus apud ſuos amplexus eſt, is Babyloniã ſuperat. Armeniorũ ope.

Anno eodem Comitem Eberhardum Vuirtenbergenſem aggreſſus, Stutgardiam obſedit, ſed per Epiſcopum Mogontinum res fuit compoſita.

Anno Domini Mcclxxxv. Sopita Comitum Sueuiæ, aduerſus Imperatorem conſpiratione, quindecim enim cõiurarãt ſe profligaturos, aut occiſuros regem, Piſani, Lucenſes & Florentini, debellantur à Germanis. Pecunia uero ſe redimũt à ſeruitute, alteri xij. alteri uero Florentini vi. aureorum nummorũ millibus numeratis, quã rem Pontifex tunc Honorius iiij. ut Romani Pontificis finibus utilem quidem probauit, indignam tamen Imperatore exiſtimauit Volateranus.

Anno Domini Mcclxxxvi. Carmelitarum ordo cœpit primum ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano.

Vſus primarũ precũ.

Tempore Rudolphi fuiſſe uſum primarum precum, colligitur ex tali forma. Rudolphus Dei gratia rex, & ſemper Auguſtus. Honorabili in Chriſto deuoto Abbati &c. Gratiam ſuam & omne bonum. Cum ex antiqua & approbata, ac à Diuis Imperatoribus & Regibus ad nos producta conſuetudine; quęlibet Eccleſia in noſtro Romano imperio conſtituta, ad quam beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinet collatio, ſuper unius callatione beneficij, precum noſtrarum primarias admittere teneatur, Deuotionem tuam rogamus, quatenus huic clerico, de Eccleſiaſtico beneficio, quod ad tuam collationem attinet, ob reuerentiam ſacri imperij, ſtudeas liberaliter prouidere &c. Datum, Anno regni noſtri primo.

Comitia Ertfordiæ.

Anno Domini Mccxc. Rudolphus Erdtfordiæ habet comitia, & auxilio, eiuſdem ciuitatis, circiter ſexaginta arces in Doringia fregit & deuaſtauit. Ita Rudolphus totam Germaniam, in qua magna bella & diſcordiæ ferè in omnibus locis fuerant ortę, interregni tempore pacauit, & dilapſum imperium, rurſus reſtituit, tandemq; ſenio & ægritudine confectus, in pręſentia Vuenceslai generi, & Gunthæ filiæ, diem obijt ſupremum, ad Spiram deductus, inter Romanos Imperatores ſepelitur anno Mccxcij.

Rudolphus moritur. Alij uolunt, quod in Elſatiæ oppido, Germersheim mortuus eſt.

Anno Domini Mccxcij. Inuentus eſt qui ſe diceret Fridericum. II. quem Fridericum Holſtuch quidã dixere, alijs Tile Kolup cognominant, qui ſe diceret clam ſuis ſubduxiſſe, faſtidio rerum, ut quietior uiueret, & mortuũ ſubdidiſſet, quem pro ſe uulgus hominum tumulaſſet, paucis conſcijs conſilij ſui, ſe per annos triginta peregrinatum, nunc reuiſere terras imperij. Tanta proferebat ſecretorũ indicia, ut quibuſdã fidem faceret, præſertim Lantgrauijs Thuringiæ, Rudolphus Imperator, cum ueritatem in ea re compertã haberet, confeſſionem falſitatis expreſſit quęſtionibus. Fatebatur enim aliquando ſe in Cęſaris curia ſeruiuiſſe, inde pręcognita ſibi quæ narraret. Alb. Krantz. in Saxonia & Vuandalia, tandem fictitius Fridericus combuſtus fuit, iuſſu Rudolphi. Et quoniam Colmaria, hũc impoſtorẽ admiſerat, oppugnatur à Rudolpho, ſed datis quatuor mille auri marcis, recipiuntur rurſus in gratiam. Imperator Rudolphus Ertphordiã ingreſſus, multis

Pſeudofridericus alij Kolops.

Chronicum Vuormatienſe habet, q. ſit cõbuſtus cũ duobus cõplicibus in Frideberg

multis comitatus Principibus, iudicium inſtituit in tumultuantes ciues, cõuictos iuſſit gladio cędi, aderant Mogont. Saltzburgen. Magdeburgen. Archiepiſcopi, de Bamberga, Hildesheim, Halberſtat, Nuenburg, Miſnenſis Epiſcopi, Rex Bohemiæ, Albertus Saxoniæ, Albertus & Heinricus Brunſchuuickcenſes. *Tumultus Erphordiæ, ſedatur per Rudolphum.*

Ephren Grecus Conſtantinopoli, Ptolomeus Lucenſis in Italiá, Hiſtorias ſcribunt, Vuilhelmus, Placentinus, Taddęus medici: Guido Bonatus Aſtrologus: & Burgardus monachus, terræ ſanctæ peragrator floret.

Poſt Gregorium Papam Innocentius v. Aretij eligitur, antea dictus Petrus Tarentaſius, natione Burgundus, ante dignitatem Pontificiam, prędicando & ſcribendo celebris. *Innocentius. 5.*

Poſt Innocentium v. Adrianus quintus, patria Genuenſis, Ottobonus dictus. *Adrianus. 5.* Poſt Adrianum eligitur Iohannes xxi. Petrus medicus antea dictus, natione Hiſpanus, uel Portugallenſis. *Iohannes. 21.* Poſt hunc Nicolaus. III. patria Romanus, ex familia Vrſina, Iohãnes Caietanus antea dictus. *Nicolaus. 3.* Hic adniſus eſt, ut cognatos ſuos eueheret, & alterum in Etruria, alterum in Longobardia reges faceret, quoniá Rudolphus Imperator rebus Germanicis impeditus, in Italiam non ueniebat. Verum ciuitates Italiæ Imperatori adhęrentes, contra ſtabant, & miſſo locum tenente per Rudolphũ in Italiá, conſilia Pontificis fruſtrata ſunt. Poſt Nicolaũ iij. fit Pontifex Martinus iiij. *Martinus. 4.* Simon antea uocatus, patria Turonẽſis. Poſt Martinũ Honorius iiij. *Honorius. 4.* patria Romanus, è gente Sabellorũ uetuſta, antea Iacobus dictus. Poſt Honoriũ Nicolaus iiij. *Nicolaus. 4.* natione Picenus, è ciuitate Aſculana, Hieronymus antea dictus, huius Pontificatus anno quarto Imperator Rodolphus moritur.

ADOLPHVS. XXVIII. IMP. GER.

ADOLPHVS XXVIII. Imp. Germ.

ANno Domini Mccxcij. Adolphus Comes de Naſſauu in Imperatorem electus eſt, hic apud Rudolphum Cęſarem in magna æſtimatione fuerat, adhęc frater Adolphi erat Archiepiſcopus Moguntinus, cuius auxilio Adolphus imperij faſtigium impetrarat. Regnauit annis vi. rurſusq; per electores depoſitus fuit, nam facultates illi erant impares ad Imperatoriá maieſtatem, inſuper aduerſa fortuna agebat, quod agebat. Pręcipuum bellum quod geſſit, fuit hoc, quod in Doringiam profectus, egit Alberto Thuringiæ, Lantgrauio diffidẽte cum filijs Diethero & Friderico. Nam Adolphus familiam ſuam de Naſſauu uolens euehere, in Doringiam abijt, magno eius terrę damno, nam Crutzberg Franckenſtein & Friburg obſedit. Tamen Fridericus, Alberti filius, quem nominant cum morſo genu, rurſus eum expulit. *Fridericus cum morſo genu.* Hic Adolphus Colmariam, quæ ſe illi oppoſuerat, occupat: & in ea capit Anſhelmum de Rapoltzſtein.

At cum in imperio multum eſſet indies turbatum, & neceſſe erat habere potentiorem Cæſarem, Mogontiæ conuenerunt electores, & Adolphum deſtituunt imperio. Nam centum millia marcarum argenti, uel ut alij uolunt, lxxv. millia pondo argẽti acceperat Adolphus à rege Angliæ, ut ſibi eſſet auxilio, cum Principibus Germaniæ, contra regem Galliarum. Cum uero Adolphus hanc pecuniam non diuideret inter Principes, ſed ſibi retineret, & comitatum hinc emeret, nec militem conſcribere potuit, nec ferre Anglo auxilium. Poſthac anno Domini Mccxcv. Fuit diſcordia inter Adolphum regem, & ducem Auſtriæ, Albertum: ut qui electionẽ Adolphi uidebatur remoratus, ad hæc Albertus Adolpho obſequebatur, ut qui fidem non ſeruarat regi Angliæ. Hinc Adolphus uolebat ducem Albertum ducatu ſuo priuare. *Diſcordia inter Adolphum, & ducem Auſtriæ.*

MVLTI CONFOEDERANTVR contra Regem Adolphum.

IN hiſce motibus Adolphus rex, comitem de Ferraria, pręſidem cõſtituebat Alſatię, & Hartmannũ de Geroltzeck pręſidem ditionis ciſrhenanę, hij duo cũ equite aurato de Bergheim grauiter nocebant Alſatię, Epiſcopo Contrado de Liechtenberg damnũ illaturi. *Adolphus nocet Alſatiæ.* Quare Epiſcopus & ciuitas Argent. cũ

dominis

Fœdus Principum & ciuitatum contra Adolphum.

dominis de Liechtenberg, Ochſenſtein, Lantgrauio Alſatiæ, Comitibus à Friburg, Zuueibruck, & multis alijs Principibus & dominis cõfœderantur contra Adolphum, non laturi eius & ſuorum præſidum tyrannidem. Erat autem tanta paſſim inquietudo, ut nemini tutum eſſet peregrinari, & erant regiæ etiam uiæ, herbis & gramine plenæ. Hinc electores Albertum uocarunt Mogontiã, ibi eum in regem electuri, quoniã Adolphus telluris eſſet inutile pondus, imperij & publicæ utilitatis pernicies etiam meruerat malefactis imperio priuari. Ita habentur comitia Mogontiæ, excepto Treuerenſi & Palatino Bauaro. Adſunt omnes alij electores, & multi Principes & Epiſcopi. Conradus de Liechtenberg, Epiſcopus Argentoratenſis, Alberto octingentos nobiles ſine eorum familia adducit. Argentoratenſes ciues mille æquitibus & peditibus obuiãt duci apud Friburgum, & magnifice excipiunt.

REX ADOLPHVS DEPONITVR.

HAEC audiens Adolphus, conſcribit & ipſe ingentem exercitum, & Rubeacum obſidet oppidũ Epiſcopi Argentoratenſis, undiquaq; omnia uaſtans, incendio & rapina. Spiram mox ſoluens, expectaturus quid electores eſſent deſignaturi. Albertus uenit Mogontiam, & electores grauiſſimis de cauſis priuant Adolphum imperio, & eligunt Albertum Auſtriæ ducem, illiq; obedientiam iurant. Hec facta ſunt anno Mccxcix.

REX ADOLPHVS BELLO PERIT.

CVM Adolphus rex huius electionis certior eſſet factus, in ſubſidium ſui exercitus accepit ciuitates, Spiram, Vuormatiam, Francofordiã, & in agro Vuormatienſi (vff dem Wurmſer Gaw) Alberto electo, congreditur, fit conflictus toto medio die, ceditur Adolphus, uictor Albertus illum appellat. Hic (inquiens) dimittitis imperium. Reſpondet Adolphus, hoc ſitum eſt in Dei manu. Interfecto Adolpho, iubet Albertus neminem magis iugulari debere, ſed uiuos capi, & captus fuit Adolphi filius, cum multis comitibus & nobilibus. Multi ſuffocantur (erat enim ſummus æſtus) Otto de Ochſeſtein, ſupremus uexillifer Alberti, comes de Iſenberg, qui in exercitu Adolphi fuerat uexillifer.

Alij fratrem uocant.

Ilico autem, cum exuerentur cadauera occiſorum, & Adolphi corpus Gebhardus, cognatus eius, Archiepiſcopus Mogontinus uideret in campo, exanime flens, inquit. Ah quam ſunt res deploratiſſimę, ꝗ probiſſimũ cor, quod in mundo eſt, hic iacet. Timens autem Albertus, ne Mogontinus non ratam haberet electionem, affatur Epiſcopum. Non dimittam uos (inquit) niſi re mea abſoluta. Et profectus Aquiſgranum, coronatur Albertus, & poſthac ciuitatum obedientiam conſequitur.

Ita Adolphus de Naſſauu Imperator occubuit, uir quidem inſignis, ſed parum milite & pecunijs potens. Anno Mccxcviij. ut hæc carmina teſtantur.

ANNO MILLENO TRECENTIS BIS MINVS ANNIS,
IN IVLIO MENSE REX ADOLPHVS CADIT ENSE.

De Adolpho in Codice uetuſto Vuormatienſi Chronico, ſic legitur. Inter cætera uirilia acta Adolphi haberi, quòd terrã Miſnenſem in aſperrimis frigoribus debellarit, imperioq; ſubegerit. Et dum quodam anno in auxilium regi Angliæ ueniendo, contra regem Franciæ, expeditionem inſtauraret Archiepiſcopus Mõgontinus Gerhardus de Eppenſtein, Epiſcoporum, Comitumq; uſus conſilijs, ob dicti regis humiliationem, fraude occulta laborauit, non quieſcens, donec uenenum mente conceptum, crudeliter exſpueret. Afferens quòd ante electionem regis Adolphi, pollicitationes de conferendo regno factæ eſſent Alberto duci Auſtriæ filio regis quondã Rudolphi, ſub certis inſtrumentis, per idoneos barones, internuncios ſibi miſſis. Ita induxit Epiſcopus Albertum, & perſuaſit, ut collecto exercitu, ad partes Rheni ueniret, ad capiendum imperium, ad quod antea fuerat deſignatus. Qui uix confiſus uerbis Archiepiſcopi, qui ipſum primo electum defraudauerat Adolphum præferendo. Tamen conſcripto magno exercitu, &

collectis

collectis de Vngaria & Bohemia ſagittarijs optimis, ſed inermibus, impulſus epiſcoporum & comitum huius terræ conſilijs & auxilijs, tranſito Rheno iuxta Argentoratũ deſcendit, figens tentoria ſua iuxta caſtellum Alzeia. Adueniensq́ archiepiſcopus cum ciuibus Moguntinenſibus, deuaſtauerunt idem oppidum, elegitq́ ibi, alijs contradicentibus, & abſentibus electoribus, dictum Albertum ducem in regem, apud uillam Schafhuſen, pertractantes inuicem, quomodo amantiſſimum regem Adolphum perderent, occiderent, uel priuarent. His ita habitis, rex Adolphus collecta copioſa manu, habens ſecum inter alios duces & barones, Palatinum comitem, Rudolphum ducem Bauariæ ſuum filiaſtrum, & filium ſororis dicti ducis Auſtrię Alberti, inſequutus eũ papiliones in prato Heppenheim collocauit. Cui in auxilium ciues Vuormacienſes honorabiliter occurrerunt. Sed dum rex ſe procingeret contra hoſtes iturus, bona fortuna rediertũt.

Sequenti die, dum dux Albertus pauliſper à loco declinaret, opinatus rex auſugere eũ uelle, celeri greſſu in hoſtẽ debachatur, tranſuerberat & occidit illũ, qui in armorũ ſimilamine oppoſiti ducis occurrebat. Dũ itaq́ rex Adolphus in ſpe uictoriæ uiriliter uſq́ ad laſſitudinem corporis debellaret, dux Bauariæ ſuus filiaſter terga uertit in fugam, ſine omni uulnere, ſuis omnibus eum ſequentibus, et fugam incutientibus, ſicut cum auunculo prædicto duce Alberto pridie, ut firmiter credimus, fuerat præconceptum, & ſic ſuorum adiutorio deſtitutus rex Adolhpus occubuit, ſepultus in monaſterio Roſental.

Poſtea ſpatio menſis unius non tranſacto, ſolertia archiepiſcopi Mogontinenſis, Electores oẽs Franckenfurt conueniunt, & Albertum Auſtriæ ducem eligũt.

Eodem anno apud Norinberg comitia habet, cũ regina coniuge ſua, filia comitis de Tyrol, præſentibus multis principibus, maxime ſeptem Electoribus, inter quos rex Bohemiæ, ſororius regis, cum apparatu maximo uenit.

Anno milleſimo ccxciiij Diuus Mugellanus Decretiſta, & Lanfrancus Chirurgicus florent.

Circa hæc tempora initium fuit belli, quod aliquot annis ingenti ſuorum detrimento Angli geſſere cum Gallis.

Poſt Nicolaum quartum, fit qapa Celeſtinus quintus, Petrus Moroneus antea uocatus, profeſſione Anachorita. Hic relicto papatu, ad monachatũ redijt. *Celeſtinus. 5.*

Poſt Celeſtinum quintum fit Papa Bonifacius octauus, de quo fertur inſignis impoſtura, nimirum quod per arundinem inſonuerit in aures Celeſtini, perinde ac uox eſſet cœleſtis, ut papatum relinqueret, & bonifacium ſucceſſorem admitteret. Hic Bonifacius grauia bella commouit per Italiam: regem Galliæ excommunicauit, & titulum regni Gallici, Alberto Imperatori Germanico dedit, ut ita Germaniam & Galliam cõmitteret. Homo magnæ ingratitudinis & calliditatis, ut qui ambitionis cauſa Celeſtinum ſanctum uirum decepit, dum eum magiſtratu ſe abdicare compulit, & uitam hæremiticam appetentem cepit, ueritus, ne homines magis Celeſtinũ uitæ ſanctimonia conſpicuum quàm ſe ſequerentur, & apud Fumonis Campanię arcem tam arcte cuſtodiri iuſſit, ut inde mortem illi acceleratam creditum ſit. Tandem & ipſe Bonifacius captus, & in carcere mortuus fuit, de quo fertur: Intrauit ut uulpes, regnauit ut lupus, mortuus eſt ut canis. *Bonifacij 8. impoſtura.* *Titulus regni Gallici Alberto Imp. datur.* *Scomma in Bonifacium 8.*

Notum eſt & illud, quod Procheto dixerit Genuenſi archiepiſcopo, ad pedes eius die Cinerum prodeunti, cum dici à ſacerdote tamẽ ſoleat, Memento homo quod cinis es, & in cinerem reuerteris, dixit mutatis quibuſdam uerbis: Memento homo quia Gibellinus es, & cũ Gibellinis in cinerẽ reuerteris, in eiusq́ oculos cinerẽ iecit, non in caput, ut mos eſt. Hic papa anno M.ccxcviij. librum ſextum Decretalium componit, primumq́ Iubileum Romæ Iudaico more celebrat. *Memento quia Gibellinus es.*

Cum Albertus Auſtriæ dux Rudolphi filius, miſſis in urbem Romam oratoribus, uoluntatem de ſe electorum principum pontifici Bonifacio octauo declararet, ut electionem de ſe factam confirmaret: Pontifex ſuperbe electionem reiecit, dicens, quod ſine ſua autoritate electio facta, robur non haberet: nam penes ſe utriuſq́ gladij poteſtatem eſſe affirmabat, quod ipſo apparatu in Iubileo, qui tũ

Romæ agebatur ſolenniter oſtentauit. Primo quidem ſolenni die in pontifica- libus apparens populo, Apoſtolicá illis benedictionem impartitur. Poſtero die Imperiali habitu, infula Cæſarea inſignis, gladium ante ſe nudatum iuſſit defer- ri, & ſedens alta uoce teſtatur: ecce duo gladij hic. Vides O Petre ſucceſſorem tuum, & tu ſalutifer Chriſte, cerne tuum Vicarium. Vide quò aſcendit ſuperbia ſerui ſeruorum tuorum.

Sequenti anno tamen Alberti electionem comprobauit eo pacto, ſi regē Fran ciæ impugnans, ſe regem gereret, & Romanorum, & Francorum. Implacabili- ter enim rex Franciæ pontificem offenderat, quod pragmaticam ſanciens Apo- ſtolicæ ſedi, ſuum per Franciam minorauit honorem. Bellum autem quod uo- lente pontifice Albertus Romanorum rex ſuſcepit aduerſus Philippum regem Francorum, deſijt in nuptias. Nam reges inuicem (miſſo pontifice facto) affini tatem inierunt, cum Philippus Alberto filiam ſuam daret coniugem. Celebratæ ſunt nuptiæ regales ſplendidiſſimæ in urbe Pariſiorum.

ALBERTVS PRIMVS XXIX. GER. Imperator.

ALBERTVS primus, XXIX. Germ. Imp.

ANno mill. ccxcviij. cœpit regnare ALBERTVS Auſtriæ dux, uno- culus, Rudolphi imperatoris filius, & regnauit annis decem. Cum in prima electione non omnes electores conſenſiſſent, ius electio- nis in manus eorū reſignauit, ne de uiolenta regni uſurpatione no- taretur. Sic altera uice communi uoto Cæſar declaratur, & Aquiſ- grani coronam regni accepit.

Alberti expeditio in Bohemos.

Cæſar expeditionem parauit in Bohemos, & filium ſuum Bohemiæ regem deſignauit.

Bauarus & Mogontinus fœdus icerant contra Albertum, ſed uicti fuerunt, & in obedientiam redacti.

Alberti mors,

Deniq; cum hic Albertus multa ſtrenue egiſſet, traiecto Rheno, circa Rheinfel den, non longe ab oppido Bruck, circa Vuindoniſſam, inter Ryſam Arulamq; Heluetiorum flumina, nomen regij campi locus obtinet, quo loci Vngariæ regi na monaſterium ædificauit, à filio fratris ſui Iohanne interficitur, fortaſſis non ſi ne permiſſione Dei, qui ſic uoluit Adolphi mortem ulciſci in Alberto. Poſthæc Iohannes pœnitentia ductus, Clementem quintum papam adit Auinione, ut re miſſionem huius peccati impetraret. At pontifex imperatoris occiſorem ab im- peratore iudicandum ait. Sic uenit Piſas ad Henricum ſeptimum, à quo iubetur monachus fieri. & perpetuo pœnitere: ſic Eremitarum ſepto clauſus, quicquid reliquæ fuit uitæ, clauſit.

Aliorum ſententia eſt quod à fratre duce Io hanne, cui Albertus ſertum dedit, petenti hæreditatem, dicens: hæc ſit tua hæreditas, ſit occiſus.

Iohannes interfector Alberti, ſit monachus

Fertur matrem huius Iohannis mulierem cordatam fuiſſe, & præferoci inge- nio. Quę cum accepiſſet germanum ſuum Vuenceslaum, contentum regno Bo hemiæ, oblatū imperium recuſaſſe: At ego, inquit, ſi regno potior, glebaq; una mihi modo deſit, aut quod reliquum eſt ſubijciam, aut imperio excidam.

Hæc ex hiſt. Bohemi- ca Aeneæ Syluij c. 28.

Poſt Bonifacium viij. fit pontifex Benedictus xi. natione Taruiſinus, Nico- laus antea uocatus.

Henricus de Gandauo, Alanus doctor uniuerſalis, Arnoldus de Villa noua, Gordonius Mundinus, medici, Scotus ſophiſta, ac Dantes poeta, florent.

Hæreſis Fraticello- rum.

Anno mill. ccc. apud urbem Lombardiæ Nouariam, Fraticellorum noua hæ reſis, adſimilis Anabaptiſtarū quorundam furori, à Dulcino & Margarita eius uxore inuenta eſt, qua mares & fœminę ſimul habitantes, in omnem libidinem prolaberentur, ſectatores utriuſq; ad mille nacti, ſacerdotes in populorum inui- diam adductos ſpernentes, ſimulatam puritatem uitæ præferentes, quos Cle- mens quintus, miſſo Apoſtolico legato & militibus, partim inedia & frigore, partim armis oppreſſit. Dulcinus & Margarita uiui capti, membratim laceran- tur, & eorum oſſa combuſta diſſipantur.

Eodem anno Ottomannus, Turcarum imperator fit in Natolia.

De transla-

DE TRANSLATIONE ROMANAE SEDIS in Gallias.

ANno mill.ccciij. poſt Benedictum xi. fit papa Clemens quintus, natione Vaſco, antea Bertrandus dictus. Hic (ut habet Chronicum Hermanni) fuit publicus fornicator. Hic tranſtulit cathedrā pontificiam in Galliarum urbem Auenionem, ubi lxxiiij. annis remanſit. Ab eo tempore defecit omnis diſciplina & religio in cardinalibus, & tres radices uitiorum, ſuperbia, auaritia, luxuria, ualidiſſime dominantur. Coronationi pontificis interfuere Philippus rex Franciæ, eiusq́ frater Carolus, Iohannes Britanniæ dux, qui ruina muri oppreſſus moritur, cum pleriſq́ alijs, dum pompa coronationis (ut fit) per urbem ducitur.

Sedes Romana Auenionem transfertur.

DE TEMPLARIIS.

HOc tempore Templarij quoq́ tota Francia comprehenſi, ac quæſtione habita, obſcœna flagitia, immania de ſe ſcelera nefariaq́ confeſſi ſunt; permulti eorum dicūtur libidinem nefariam exercuiſſe in piam religionem, ſe cū Turcis ac Sarracenis ſenſiſſe, à noſtris ſacris deſijſſe. Damnati quàmplurimi ac uiui cremati. Tradunt autem authores non obſcuri Iacobum Burgundionem ordinis principem, cum productus ad ſupplicium, circunfuſa ingenti multitudine, dum pyra extruitur, ſtaret, propoſita uitæ ſpe, ac impunitate, ſi quæ in cuſtodia faſſus de ſe ſuisq́ eſſet, nunc quoq́ confeſſus ueniam publice peteret, huiuſmodi uerba feciſſe. Ego nunc ſupremis rebus meis, cum locum mendacio dari nefas ſit, ex animo uereq́ fateor, me ingens in me meosq́ ſcelus conſcijſſe, ultimaq́ ſupplicia cum ſummo cruciatu promeritum, qui in gratiam quorum minime decuit, dulcedineq́ uitæ flagitia impia ſceleraq́ ad tormenta ementitus ſum in meum ordiné, de religione Chriſtiana optime meritum, nec mihi nunc uita opus eſt precaria & nouo ſuper uetus mendacio retenta. Exin rogo impoſitum ac admoto paulatim igne prioribus pedibus ad exprimendam ſcelerum confeſſionem, ne tunc quidem cum reliquo corpore depaſto, uitalia fœdo nidore torquentur, ab huius orationis inſtantia deſciuiſſe aut mutatæ mentis ullam ſignificationem præbuiſſe, neq́ ipſum neq́ duos cū ipſo ſupplicio affectos nobiliſſimos huius ordinis uiros, quorum alter erat Delphini Allobrogis frater, in poſſeſſionem Templariorum bonorum regium fiſcum inijſſe. Hæc Aemilius, qui & ſcribit ſe authores habere, cum Clæmens ordinem Templariorum damnaſſet, munusq́ ſontes in Germania ex decreto ſententiaq́ lata plectendi, ac lege agi iubendi archiepiſcopo Mogontino demādaſſet, hunc conuocaſſe patres, ſacerdotesq́ prouinciæ ſuæ, frequenti illorum conſenſu, tunc Vgonem clariſſimum uirum cum uiginti ordinis ſui tecto ueſtibus ferro, nemine arcere auſo, ingreſſum, clara intrepidaq́ uoce teſtatum ſi quid grauius in ſacrum Templariorum ordinem ſtatutum eſſet, ſe pontificem maximum, qui in Clementis locum ſufficeretur, appellare. Abſterritos patres inermes imbelleſq́ ferocia nobiliſſimorum militaris ordinis uirorum, iuſſiſſe illos bono animo eſſe, certiorem literis factum Clementem mitius reſpondiſſe, ac ius de integro querendi ſtatuendiq́ archiepiſcopo decreuiſſe, eum illos quod inſontes ſe edocerent cauſa cognita crimine liberaſſe. Hominibus abſolutis ordo tamé ipſe abrogatus. Hoſpitalarij partim aucti diuitijs Templariorum, ſimul belli ſacri nomine, ingenti pondere auri undiq́ collato, claſſem inſtruxerunt, ornaueruntq́, ac Rhodum inſulam, à Turcis & Sarracenis eodem anno captam, recepere. Partim eorum diuitiæ nouis religonibus ſunt attributæ, in Hiſpania aduerſus Sarracenos Beticam olim nunc Granatam incolentes, à pontifice inſtitutis.

De Templarijs ſcribit Robertus Gaguinus Gallicus ſcriptor libro vij. in rege Philippo Pulchro. Anno Domini Milleſimo cccvij. tum proditus eſt Templariorum error, qui apud Hieroſolymam fidei defenſionem profeſſi, cum primum religionis conſideratione oppulentiſſimos ſe effeciſſent, præclariſſimis per orbem Chriſtianum ædibus comparatis, Chriſto reiecto, falſis ſe religioni- bus de

Habitus iſtorum fuit alba pallia more Teutonicorū fratrum, cū ſigno crucis rubeo.

Templarij damnati & uiui cremati.

Iacobus Burgundio princeps ordinis Templariorum.

Certi ſcriptores quidam non tam improbant Templariorū ſuneſtā religionē quàm Frācī regis auaritiam

Archiepiſcopus Mogont. commiſſionē habet in Temp.

Hunc Naucl. uocat comitem ſilueſtrē Vuiltgraffen, qui morabatur in caſtello Grunbach prope Meiſenheim.

Inſontes Temp.

Sunt qui putent propter prædia & arces quas tenuerant in regnis Franciæ, Angliæ, Hiſpaniarum, reges in eos conſpiraſſe.

Alb. K. lib. 7. Vuand. cap 46.

Hoſpitalarij diuites ſiunt opib. Templ.

bus dediderunt. Erat enim illis ſimulachrum, cui pellem humanam ſuperinduxerant, appoſitis ad occulos ſtatuæ duobus fulgentiſſimis carbunculis, qui uice oculorum micarent. Ei ſtatuæ dum quiſpiam ad illos ingrederetur, ordinem uitamq; Templariorũ profeſſurus, abnegato ante omnia Chriſto, & cruce eius calcata, ſacrificium faciebat. Morientis autem corpus in puluerem adactum, cæteris in potum conferebant, quo poculo conſtantiores ſuos fieri arbitrabantur. Præterea ſi ex Templarij coitu infans ex puella uirgine naſceretur, hunc igni torrebant, exq; eliquata inde pinguedine ſuum ſimulachrum decoris gratia ungebant. In confeſſo quoq; habitum eſt, eorum dolo diuum Ludouicum, dum in Syria peregrinaretur, in uincula à Soldano Aegyptio coniectum fuiſſe.

His atq; huiuſmodi criminibus, & quod item maſculorum fœdiſſimi eſſent amatores, Templariorum ordo in concilio Vuienenſi, anno milleſimo trecenteſimo duodecimo, per Clementem quintũ extinctus eſt. Et in Chronica Hermanni legis, quod a papa Clemente in fauorem regis Galliæ crimine hæreſis falſo & inuidioſe notati ſint.

Hoc tẽpore pœna adulterij fuit, ut matronarũ ſtupratores (mentulis exectis) pelle nudati, ultimi ſupplicij pœnas ſubirent.

Iohannitarum initium: uide Albertum Kr. libro 8. cap. 3. Milites Rhodij ſancti Iohannis Baptiſtæ initium habent ab occupata Rhodo inſula.

Iudæi pulſi ex Gallia. Per id temporis Philippus rex Franciæ ex omni regno Iudæos pellit, facultates eorum, ob maleficia ſcilicet inuadens.

Iudæi in Germania combuſti. Item primo Alberti imperatoris anno, Iudæorum aliquot millia Norinbergæ Herbipolis Rottenburgæ, & in alijs locis, ob malefacta combuſti fuerunt, infantibus aliquot ad baptiſma reſeruatis.

DE FAMILIA OTTOMANNI, & origine Turcarum.

Familia Ottomanni TEmpore Alberti Auſtriaci, familia Ottomanni præpotens facta fuit apud Turcas, à quo Imperatores Turcarum, qui his temporibus fuerunt, originem trahunt.

Habet autem hoc genus hominum, cuius immanitate tot ſeculis affligitur & atteritur res Chriſtiana, ſicut cõplures autumãt, originẽ à maris Caſpij littoribus, unde in Perſidem Aſiamq; minorem eruperũt. Idq; ante annũ ab hac noſtra ætate ſeptingẽteſimũ nullo certo duce, ſed uagi palanteſq; latrocinijs uerius quàm bellis prouincias depopulabantur. *Origo Turcarum.* His artibus exercitati repperere cõductorem Machumetum Sarracenum, ſub huius auſpicijs re ſemel atq; iterum fœliciter geſta à ſtipendiaria ſeruitute ad imperium adijciũt animũ, adortiq; Sarracenos Machumetum acie profligatum obtruncant. *Machumetus Sarracenus.* Hinc Turcici regni primordia. *Primordia Turcici regni.* Summa rerum delata eſt ad Trangolipicem Mucaletum, prius Turcarum ducem. Is acceſita Turcarum aliorum manu, per nepotem Cucumetium inuadit Arabiam, per alterum nepotem Aſanum Mediæ regionis impetit aduerſus Romanos conflicturum. Quum per neutrũ nepotem res ſucceſſiſſet per Aleinum fratrem denuo Romanos inuaſit: quæ res cum illi non prorſus infœliciter eueniſſet, paulopoſt, queſita aduerſus Romanos occaſione Trangolipix Aſiam omnem ad Euxinum uſq; mare partim redigit in ſuam ditionem, partim depopulatur. *Trangolipix Aſiam depopulatur.* Sed rurſus uirtute Gallorum res Turcicæ uehementer acciſæ fuerunt, donec exiſteret Ottomannus ab hoc Solymanno, qui nunc rerũ potitur decimus, iuxta quorundam ſupputationem, uir obſcuro natus loco, ac parentibus ruſticis, ſed ad latrocinia factus. *Ottomannus.* Is per occaſionem ſeditionem arripuit arma Turcica, nihilominus in ſuos quàm alienos. Hic circiter milleſimum trecenteſimum noſtræ ſalutis annum exortus intra annos xxviij. non mediocriter auxit Turcicam tyrannidem, ſubacta maxima parte Bithyniæ, nec paucis ad Euxinum oppidis ui captis. *Orchanes.* Huic ſucceſſit filius Orchanes, qui diſſidio Græcorum adiutus, Pruſiam Græcis ademit, ac primus in Europam traiecit, accitis à Cantacuzeuo, cui certamen erat cum Paleologis, ubi parricidio quoq; ditionem auxit, duxerat enim uxorem Caramani filiam, & ſoceri filio interempto

magnam

magnam Principatus eius partem occupauit. Et hic annos xxij. rerum potitus, Ammuratæ filio tradidit Principatũ, qui, ſolicitante Paleologo, duodecim Turcarum millibus in Europam tranſportatis, aduerſus Bulgaros, & Peloponeſi Principem, re ſat fœliciter geſta, ad Europeas opes cœpit animũ adijcere: Tranſmiſſo Heleſponto, Abydum adoritur, Calliopolimq́ præter alias ciuitates occupat. Mox Sermam Bulgariamq́ ingreſſus, occupata Hadrianapoli, occurrentes hoſtium copias ingenti clade profligat, Lazaro Seruiæ Principe cæſo, à cuius ſeruo mox ipſe occiditur, Ammurates relictis duobus filijs, quorum Pazaites Solymanum fratrem dolo necat. Mox interfecto Bulgarorum Principe, Bulgariam, Baſſinam, Croatiam, & ulterioris Yllirici ripas uaſtat, Conſtantinopolim obſedit, annis octo facile expugnaturus, niſi Gallorum & Vngarorum exercitus ab inſtituto reuocaſſet, quibus ad Nicopolim occurrens, profligatis hoſtibus, ad intermiſſam obſidionem redijt, preſſitq́ biennium, nec uidebatur relicturus, niſi nunciatum eſſet Tamberlanem Scytharum Principem, ingenti multitudine, in Turcarum terras irrupiſſe. Cum hoc conflixit ad Stellam montem in Galatiæ Bithiniæq́ confinio, ſed infœlicibus auſpicijs, quandoquidem in iſto prælio cæſa referũtur ducenta Turcarum millia. Pazaites, captus, aureis cathenis in cauea uinctus, à Tamberlane circumlatus fuiſſe dicitur, ad extremum uſq́ uitæ diem.

Ammurates.

Pazaites.

Tamberlanes Scytharum Princeps Turcarum terras inuadit.

Ceſa ducenta millia Turcarum.

Hæc acta ſunt circiter annum milleſimum cccxcvij.

Ex liberis quos reliquerat Pazaites Machometes, Orchane fratre ſublato, Turcicam rem occupat ſolus, qui receptis quæ Tamberlanes abſtulerat, Bulgaros & Vlachos populatus Hadrianopoli regiam conſtituit.

Machometes.

Machometæ ſucceſſit Ammurates filius, is adortus Myſię Principem, duos illius filios exoculat, ac mox horum ſororem ducit uxorem, his auſpicijs fretus in Vlachos, Vngaros & Germanos incurſiones facit, mox in Epirum uerſus, Croiá armis capit, Venetis Theſſalonicam adimit. Interim ab Vngaris ingenti pugna uictus, decennales ab his inducias petit & impetrat. Quibus, hortatu Pontificis Eugenij uiolatis, Vngari repetunt Ammuratem, uerum ingenti noſtrorũ clade. Nam in uno prælio, quod ad Varuam commiſſum eſt, periere Ladislaus rex Poloniæ, & Iulianus Cardinalis. In altero quod ad Baſila fuit, ceſi non pauci Principes Vngarię, milite gregario ad internitionem extincto, noſtrorum ducum, tum ambitio, tum diſſidia uictoriam tradidere Turcæ.

Ammurates.

Vngari contra Am-

Mox fratrum diſcordia Peloponeſum illi tradidit, tandem cum Epirum quæ defecerat, uindicat: dum Croiam fruſtra oppugnat, animi dolore perijſſe dicitur, rerum potitus annis xxxiiij.

Ambitio et diſcordia Ducum Chriſtianorum uictoriam Turcæ tradunt.

Cui ſucceſſit filius Machometes, qui inexplebili rapacitate maiorum ſuorum tyrannidem obſcurauit, duo Chriſtianorum imperia, Conſtantinopolitanũ, & Trapezontiũ ſubuertit, regna duodecim Chriſtianis ademit, ciuitates ducentas cœpit. In his erat Chalcis inſula & Scodra, quondam Venetorũ ditio, Capham Ponticam urbem expugnauit, Rodum inſulam tentauit, licet irrito conatu Hydrunte expugnato, arma mouit in Italiam, eamq́ triennio miſere uexauit, tanta omniũ cõſternatione, ut Sixtus Pontifex, deploratis rebus, relicta urbe Apoſtolica, fugam in Gallias adornaret. Mox in filium natu maiorem bellum atrox moliens, perijt anno Mcccclxxxi.

De hoc fuſe habes in hiſtoria Scanderbegi.

Machometes.

Sixtus Pontif. fugit.

Hinc inter fratres parricidale certamen de principatu, ſed uicto maiore Zizimo Pazaites rerum ſummam tenuit. Hic Sultanum Aegyptium bello frequẽter adortus rem infœliciter geſſit, ut Turcæ cum hoſtibus fœdus inire coacti ſunt.

Pazaites.

Dehinc anno Mccccxcij. Cerauniorũ montium accolas inuadit, eaſq́ gentes ad eum uſq́ diem ſemper liberas in Turcicã pertraxit ſeruitutẽ. Septimo ab hinc anno, claſſe inuectus, Methonem, Naupactum, ac Dyrachium, Venetorum adimit ditioni, quin & foroiulienſium agros, Turcæ crudeliſſime uaſtarũt. Pazaitæ regnum occupauit filius Zelimus, patre depulſo. Selimo, ſiue ut alij malunt, Zelymo ſucceſſit Solymannus, nihil à maioribus degenerás, de quo inferius plura. Tantum hoc libet hic adijcere, quam late imperium, aut ſi mauis Turcarum latrocinium, dum nos bellis ciuilibus noſipſos atterimus, perrectum ſit.

Selimus.

Solymanus.

Apulia

ius Heinrici.

Quam late Turcarũ imperiũ promotum, dum nos bellis ciuilibus noſipſos atterimus.

Ad Septentrionem. Ad Septentrionem pontum Euxinum attingit.

Ad Orientem. Ad Orientem Euphrate flumine terminatur.

Ad Meridiem. Ad Meridiem Aethiopia, nam intra paucos hos annos, totam Aegyptum ac Syriam, unà cum Phœnice & Iudęa, Paleſtina ſubegit.

Ab Occaſu. Ab Occaſu ad Ionicum mare pertinet. Hinc ſi ad Septentrionem redeas, Danubium attingit, imò limitem hunc longe tranſilijt, ad Boryſchenem uſq; fluuium. Quam uariam autem, ſpatioſam & opulentam ditionem hic ambitus complectitur. Tota Aſia minor, duodecim, nõ minus nationes cõtinens. Tota Thracia, in qua eſt Conſtantinopolis Priſcis dicta Bizantium, olim Chriſtianorũ Imperatorum, nũc Turcarum regia. Duæ in Europa, Myſiæ, ad flumen Danubium magna Daciæ portio, tota Macedonia, totaq; Gręcia, cum omnibus Aegei maris inſulis, quæ partim Sporades, partim Cyclades appellantur, ſub Turcarũ imperio, duram ſeruitutem ſeruiunt. Cretam nunc uulgo Candiam, Cyprumq;, duas nobiliſſimas mediterranei maris inſulas, Veneti hactenus utrũq; tenent, ſed tributarias. Quid nunc eſt illa quondam beata Peloponeſis? quid nobile totius orbis emporium Corinthus? quid Attica quondam ob morum elegantiam Græciæ Græcia dicta. Vbi Athenæ? ubi Lacedemonia, quæ ſola gignebat maſculos? Quid hic pergam ea cõmemorare, quorum adeo recens eſt memoria, ut ipſę res etiam oculis atq; auribus, cunctiſq; ſenſibus omniũ inhęreant? Rhodum captã, quid toties cruentas incurſationes factas in Vngariam? quid extinctum Ludouicum Vngariæ regem? hoc tempore Vngariam crudeliſſime occupatam, depulſum regem Ferdinandum, pluſquam hoſtiliter oppugnata Vienna, incredibili immanitate uaſtata Auſtria ulterior tota. Ac fortaſſis omnes Turcæ ſeruiremus, niſi terræ filius extitiſſet Sophis, qui Turcarum inexplebilem rapacitatẽ aliquã ex parte cohibuiſſet. Magna Europę pars amiſſa eſt, de tota periclitamur. Facilis Turcarum genti aditus ad nos patet, quum enim utramq; tenent Myſiam, ſuperiorem & inferiorem, ad flumen Danubium, regionis Thraciæ uicinas, non difficilis per hoc flumen ad nos patet aditus, Dalmatas & Illyrios eadem uicinitate habet obnoxios, ne quid dicam de Pannonia, quãtoties impetijt. Mari uero toti imminet Italiæ, præcipue uero ab Epyro, Siciliæ ac Neapolitano regno, Hydruntum extremũ Italiæ adhuc tenet, Brunduſium aliquando tenuiſſe dicitur. Anno Domini Mcccccxxxi. Pręluſit in Auſtriã, quorſum res euaſuræ, Deus nouit. Hæc ex conſultatione Eraſmi, de bello Turcis inferendo, ſcripta annno Domini Mcccccxxx. infra plura habebit lector.

Conſtantinopolis Bizantium.

Rhodus.

Vienna.

Sophis.

Facilis Turcarum aditus ad nos.

HEINRICVS SEPTIMVS DICTVS LVCELburgenſis. XXX. German. Imp.

HEINRICVS ſeptimus. XXX. Germ. Imp.

HEINRICVS ſeptimus fit Imperator, ſcripta Chronica Vuormatienſia teſtantur, quod in eo uia iuſtitiæ & trames æquitatis baſes ſuas fixerit. Nam per comitatũ Lutzelburgenſem, mercatoribus, mercibus, & alijs peregrinantibus maior fuit ſecuritas, quam ſit in aliquibus prouintijs Eccleſiarum immunitas. Vacantę Romano imperio, morte Alberti regis Rom. primi ducis Auſtriæ, concordi ſententia Principum, tam Eccleſiaſticorũ quam ſecularium, in loco qui dicitur Reinſen, Treuirenſis dioceſis, electus fuit in regem Romanorum, & futurum Imperatorem, & poſtmodũ Francophordię, more ſolito proclamatus, Aquiſgrani corona Caroli Magni coronatus, ac eius diua coniuge Margareta, per Archieprſcopũ Colonienſem de Virneburt anno Domini Mcccviij.

Reinſen.

Deinde comitijs habitis Francophordiæ cũ Principibus & magnatibus terrę, Alemanniam terram imperij circuiuit, & pręcipue Rhenenſem prouinciam Alſatiæ, Auſtriæ & Sueuiæ ſuperioris uſq; Norinberg. Quibus perluſtratis cum decenti comitatu armatorum, & recepto homagio fidelitatis Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Poteſtatum, Ciuitatum. Anno ſequenti edicta curia regia, & Parlamento ſolenni in ciuitate Spirea, quæ eſt pomeriũ delectabile Romanorum

cus Rhenen- Orchar uinciam

manorum regum. Menſe Auguſto conueniunt Principes & regni deuoti. Ac eodem tempore tres ibidem reges conuenerunt, uidelicet Henricus, Adolphus & Albertus, quorum duo mortui fuerunt, & ſepulti in Spirea, præſente Heinrico & alijs Principibus. In his comitijs Principum & nobilium Heinricus Comiti de Lutzelburg, filio ſuo unigenito, filiam illuſtris Principis quondam regis Bohemorum matrimonio iungit, ac ipſum in præſentia Principum regem Bohemiæ pronunciat, ac allatis uexillis ſexaginta, feudo ipſum ſuo inueſtiuit. Et peractis nuptijs ſponſum & ſponſam in Bohemiã mittit, comitantibus clariſſimis Principibus, Archiepiſcopo Mogontino, Duce Bauariæ, Comite Rheni Palatino Lantgrauio, ac multis nobilibus. Ipſe Heinricus interea, Comitibus Flandrenſi & Sabaudiæ oratoribus miſſis ad Clementem quintum, pro diademate imperiali, expeditionem parat, contra Vuelphinum comitem dictum de Vuirtenberg.

Tres reges, unus uiuus, duo mortui Spiram ueniunt.

Filius Henr. VII. fit Bohemiæ rex.

Tandem, regnis Germaniæ & Bohemiæ in pace diſpoſitis, cum regina & quibuſdam alijs nobilibus, aſſumptis numero paucis, iter direxit ad Alpes, confidens de illius bonitate & ſuffragio, cuius iuſſu unus, mille, & duo, decem millia fugant, Alpibus in dorſo relictis, adiutorio Comitis Sabaudiæ, & Marchionis Ferrati, ſoceri ſui, ad ciuitatem uenit Aſtenſem. A qua, Vuelphis fugatis, ac dilectiſſimis Gibelinis, ei obedientibus, aſſumptis, Mediolanum properauit. A quibus Mediolanẽſibus, capitaneo uidelicet & Gibelinis ſibi adhærentibus, magno gaudio Heinricus ſeptimus Imperator cum ſuis ſuſcipitur. Anno eodem circa natalem Domini.

Henricus mouet in Comitem de Vuirten berg. De hoc infra mox.

Fertur, cum è ſummo mõtis uertice Italiam uidit, paßis manibus, cœlumq́; ſuſpicientẽ, deprecatum eſſe Deum Opt. Max. ne funeſtæ execrabilesq́; factiones Italiæ, ſibi quoq; peſti exitioq́; forent.

Et in Epiphania Domini allata corona Ferrea, quæ eſt in Eccleſia Modotenſi apud Silium Ambroſiũ in Mediolano, ibi cum Auguſta diua ſua coniuge fuit coronatus. Et, habitis ibidem aliquot cõflictibus cum Vuidone de turri quondam capitaneo, & canibus quibuſdam, qui adhuc imperio rebellabant, interfectis & expulſis, ſequenti anno caſtra fixit uerſus Cremonam. Cuius ciuitatis incolæ antea rebelles, reſtibus ac cordis ad collum ligatis, obuiantes Heinrico ſeptimo Principi perſonas & res ſuas ſubiecerunt. Qua ciuitate recepta, muris deſtructis, Schuruphanno erecto, caſtrametatus eſt coram Priſſa ciuitate, ubi ad tres anni partes caſtra continuauit. In quibus caſtris ad eundem Principem reuerendiſſimi Patres, dominus Nicolaus Hoſtienſis, Arnoldus Sabinenſis, Leonardus Albinenſis Epiſcopus, Franciſcus S. Luciæ, Lucas de Ianua, diaconi, Cardinales, cum magna decentia aduenerunt. His receptis, & ciuitate peſtifera ſubacta, licet multi nobiles, & præcipue Vualramus Comes, frater Heinrici ibidem interijſſent, demum uenit Papiam, ibidem cum gaudio ſuſceptus. Recepto fidelitatis iuramento, cum aliquandiu ibi manſiſſet, diſponens per mare ire Romam, uenit Ianuam, & ij cum gaudio receperunt. Collectione nauium diſpoſita per mare intendebat uenire Piſam. In quo mari Margaretam reginam tunc grauidam infirmitas inuaſit febrilis, quæ reducta Ianuam, ibidem obdormiuit in Domino.

Corona ferrea coronatur Henricus VII. Mediolani.

Cremona.

Schuruphanno erecto.

Caſtra apud Priſſam.

Papia.

Quo facto, quia ſpem decet amplecti, & nihil magis in Principe quam conſtantia, temperata clementia, dictus princeps, more leonino, per mare uenit Piſam ciuitatem, hic Heinricus, uti patet à filijs, humaniſſime exceptus fuit. In qua ciuitate dictus Princeps, ut in loco delectabili & florido, ſuauiter requieuit. Ac demum, diſpoſitis claſſibus, & apparatu bellico, per manus inimicorum uictorioſiſſime uenit Romam, ibi à nobiliſſimis Romanis, Hanebaldis, & Columnenſibus glorioſe fuit receptus, ad ſanctum Iohannem in Laterano. Diuerſis cauſis habitis cum illis trans Tiberim, uidelicet urſinis & alijs rebellantibus imperio, item conflictibus: ubi etiam duo Principes, Epiſcopus Leodienſis, & Abbas Vuirtzenburgenſis, fato inopinabili interierunt, & tandem, deuicto Capitolio, & ciuitate Leonina, ſe prædictus Princeps recepit in Palatium Lateranenſe, & longo tempore, noctu dieq́; cum inimicis ibidem bellabatur, quorum & unus fuit Apuliæ Rupertus rex, nomine tantum, qui contra iuramentum ſuum dicto Principi, omne malum quod poterat, machinabatur.

Margareta regina moritur Ianuæ.

Piſa.

Roma.

Rupertus Apuliæ rex, hoſtis Heinrici.

Venerunt

Petrus Arragoniæ, Fridericus Siciliæ rex.

Henricus coronatur Ro.

Cæſares xx. coronati in eccleſia Lateran.

Rex Hen. Vij.

Roma confirmat Imperat.

Venerunt & in adiutorium dicto Principi Heinrico vij. Petrus Arragoniæ, & Fridericus Siciliæ rex, magni Principes & potentes in mari, potenti manu armatorum & Galearum, ciuibus aduenientibus lęta fuit curia tota. Et diſpoſuit ſe prędictus Princeps ad diadematis Imperialis ſuſceptionem, & licet alias intra ſe & etiam de conſenſu magnatum elegerit diem Aſſumptionis Mariæ, ad coronationem Imperialis diadematis, multis tamen incommodis & accidentalibus periculis, huiuſmodi ſolennia retardantibus. Anno quinto regni ſui, in die Petri & Pauli in Eccleſia Lateranenſi (in qua plus quā uiginti Cęſares ſunt coronati iuxta Chronica) Heinricus vij. oleo unctus, & diademate imperiali coronatus fuit. Nam in Baſilica Petri coronationem ſuſcipere non potuit, Vrſinis & alijs trans Tiberini adhuc rebellantibus. Die coronationis ſuæ, more aliorum Principum Ro. legem edidit, ſeu attenticā nouam de ſumma trinitate, & fide catholica, cuius principium tale eſt. HENRICVS VII. DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, RO. IMP. AVG. ad perpetuam rei memoriam &c̄. Ab urbe diuertens in oppidum Tiburgenſe ſe recepit, & ibi pacem diu uiolatam & diſturbatā, inter illos de columna & urſinos amice reformauit. Sponſalitijs hinc rude contractis, & ipſis concorditer unitis & pacificatis. At demum urbe Romana pacata, cum multis Romanis Piſam ſe recipit, ibi duas alias cōdidit leges. Primam de reis crimine lęſe maieſtatis, & ſecundam qui debeant haberi rebelles, & infideles imperio, quas leges Roma, tanq̄ caput mundi inſigniuit & confirmauit, cuius confirmationis hæc ſunt uerba: EGO CORONARVM CORONA, CONFIRMO PRINCIPI POTESTATEM, SIBIQVE SVBIICIO CIVITATES, GENTIVM NATIONES, TVEANTVR AQVILAE GLORIAM MEAM. HAEC ROMA.

Mons Imperialis Florentiæ

Sponſalia inter filiam Henrici VII. & filium regis Siciliæ

Neapolitani uocant Henr.

Bonus conuentus duodecimo à Seuis miliario diſtat.

Præterea prædictus Imperator Henricus vij. quinto anno imperij caſtrametatus eſt ſupra Florentiam in monte imperiali, quod caſtrum ſumptuoſiſſime reædificauit, & nomen ei impoſuit à nomine ſuo. In quibus caſtris ſponſalia fuerunt inita inter filiam ipſius imperatoris & filium Friderici regis Siciliæ, promiſſa ſtipulatione ſolemni hincinde perficienda. In quibus etiam caſtris idem Imperator præcepit omnibus Principibus, Epiſcopis, nobilibus, ciuitatibus, & fidelibus Imperij ſub obtentu imperialis maieſtatis, & ſub pœna priuationis feudorum regalium, ut omnibus poſtpoſitis ad ſeruiendū & ſubueniendum Romano Imperio ſe diſponerent. Obtemperatum fuit per regem Bohemiæ filium ſuum & matrem ſuam comitiſſam de Lugelberg, quæ etiam filiam dicti Imperatoris cum magna comitiua puellarum & decenti armatorum apparatu adducere intendebat, prædicto regis Siciliæ filio ſociandam. Archiepiſcopus Mogontinus Comites, Nobiles, Reſpublicæ ciuitatum ad numerum duorum millium uenerunt. In prædictis caſtris multa mala, mortes, & pericula diuerſa Florentinis, Lucanis, & Senenſibus, & alijs etiam caſtellis & munitionibus intulit, diuerſis habitis pugnis, & conflictibus: in quibus ſemper glorioſiſſime triumphauit, totā terram Tuſciæ rebellantem, præter prędictas tres ciuitates, exceptis ſibi adhęrentibus, funditus deuaſtando. Tandem prędicto Imperatore Piſam redeunte, & expectante aduentum Principum, & nobiliū terræ Alemannię, uenerunt ipſi bona & magna, noua ac inopinata de Apulia, & præcipue de Neapolitana ciuitate, quæ ciuitas ſuis literis ſcripſit eidem, ut omnibus poſtpoſitis iter arriperet ad eoſdem, nam terram inueniret ſine reſiſtentia, & Rupertum regem Apulię nomine, meritis ſuis exigentibus, depoſitum & priuatum eſſe, omnibus feudis & comitatibus, quos à Ro. imperio habuit. Quem Rupertum ipſi Neapolitani uellent Imperatori, & mundi domino præſentare. Quibus nouis receptis prædictus Imperator, in Apuliam iter arripuit, & uenit in caſtrum quod dicitur Bonconſent, in uigilia Aſſumptæ uirginis, ſequenti die cōmunioné Sacramenti corporis & ſanguinis Domini ſuſcepturus, ob cuius reuerentiam quatuordecim diebus antea ieiunauit. Qua die dominus Tridentinus Epiſcopus, regius confeſſor, & uice Cancellarius imperij, cum comitibus, Flandrenſi & Sabaudiæ, abfuit in legatione ad Clementem v. Papam, pro arduis negotijs expediendis. Vnde quidam præua-

ricator

ficator,ſpecie religioſus,de genere Vuelphino,de Senis oriundus,cum Senenſibus,Florentinis & Lucanis concilium ingreſſus Pilatinum, qualiter imperatorē traderet,uirum pacis,iuſtum,pium,ſanctum & manſuetū,neminem offendentem ſine cauſa,unicuiq; ſecundum præcepta iuris imperialis iuſtitiam tribuentē, ſe amicum ſimulans,& cōcordiam ordinare fingens inter ipſum imperatorem & prædictas maleuolas ciuitates calliditate,immo uerius malitia uulpina. Qui præuaricator rogans, ut die feſtiua coram imperatore diuina poſſit celebrare,& eidem porrigere corpus Chriſti. Et porrexit intoxicatum: imperator accepit, & ad ſedem ſuam rediјt. Et uidebatur ſibi,quod glacies frigidiſſima tranſiјſſet ſua inteſtina. Miſſa completa,uolens bonum pro malo reddere,traditori dixit: Domine,recedatis,nam ſi percipiunt Teutonici & noſtri deuoti,morte moriemini. Hic receſſit;& aurum apud Senas ſibi promiſſum recepit. Multi cōfratrum eius ac domus eorum in Tuſcia & Lombardia,& aliјs locis,igne & gladio perierunt.

Religioſus intoxicator Hein. Quidam uolunt Prædicatoriј ordinis fuiſſe:aliј literas aiunt habere prædicatores,innocentiæ teſtes.

Ceremoniæ funeriæ Henrici ſeptimi.

Funus imperatoris dum ad ſepulturam defertur,præcedunt octo comites in armis Lutzelburgenſibus,& ſedecim in armis imperialibus,clipeis & uexillis cō trauerſis per archiepiſcopum Piſanum, aſtantibus aliјs epiſcopis, abbatibus,& caterua nobiliū,ponitur in tumbam argenteam,ſuper quatuor columnis fixam. Acta ſunt hæc anno mill.cccxiiј.anno quinto regni ſui.

Clemens papa Heinrici acta minime probauit: quod ſi diuturniori uita fuiſſet Heinricus,haud dubie Clemens pontificatum & huius comitem fulmen excommunicationis cum Auguſto nomine commiſiſſet.

Hic Henricus comitem Eberhardum Vuirtenbergenſem per principes,barones,& ciuitates imperiales oppidis ſuis & caſtris fere omnibus aut deſtructis,aut captis,ita in tenuitatem redigit,ut ex lxxx. munitiſſimis caſtellis & oppidis duo & lxx.expugnata ademerit;ubi & caſtrum Vuirtenberg deſtructum fuit. Igitur belli anguſtia undiq; preſſus,ad caſtrum Aſperg fugit,quo obſeſſo,fugientē Rudolphus Marchio de Baden ſororius ſuus in oppido Beſiken recepit. At poſt mortem Henrici omnia recuperauit, ditior & potentior factus. At ille beneficiј Marchionis oblitus,caſtrum illorum Richenberg obſedit, de quo per Marchiones ignominioſe pulſus,pre dolore, rediens Stugardiam,moritur.

Eodem tempore idem Henricus comitem de Oetingen proſcripſit,& fere ad mendicitatem redegit,ut in monaſterio Kaisheim uictus illi daretur.

Sub Clemente v.celebratum fuit concilium Vuiennæ in Allobrigibus,in pręſentia multorum prælatorum totius mundi,& impoſita fuit decima, omnibus procuratoribus eccleſiarum Germaniæ contradicentibus expreſſe. Quod concilium cum diſpendio fuit protractum contra morem ſolitum,& parum fructus attulit.

His temporibus uixit Arnaldus de Villa noua,magnus Philoſophus, qui per Danielis & Sibillę Erithreæ prophetiam probare nitebatur aduentum Antichriſti,& perſequutionem eccleſiæ futuram eſſe inter mill.ccc.& mill.cccc. Quod ſi expendis,quando eccleſia perſequutionem olim ſuſtinens, facta ſit perſequutrix,legens intelliges.

Arnaldus de Villa noua.

Anno mill.cccxiј. Fames omni bello atrocior in regno Bohemiæ & Poloniæ atrociter ſeuit, & dietim augmentata, tribus annis durauit, & plures mortales abſumpſit: parentes filios, & filiј parentes, pro excludenda fame, occiderunt. Nonnulli cadauera in patibulum actorum rapuerunt, ut rugientem implerent uentrem. Lupi in obuios quoſq; etiam tenſas baliſtas portantes inſiluerunt & deuorarunt. Ex Chr.Polonorum lib.iiiј. cap.viiј.

Andronicus iunior Græcorum imperator, Genuenſium auxilio auum ſuum regno deturbat.

Liuonus Armeniæ	Rex.
Cazimirus Poloniæ	
Ludouicus Huttinus Gallię	
Eduardus iii. Angliæ	
Petrus Portugalliæ	

Anno mill.cccxiiij. Mulier in oppido Vueiblingen leonem peperit. In ſcripta Chronica Hermannus Minorita ſcribit: Et ego qui hæc ſcripſi, præſens fui.

PRIMA PVGNA LEOPOLDI DVCIS Auſtriæ, cum Suuitenſibus.

ANno mill. cccxx. Dux Leopoldus magno exercitu mouit in uallem Suitenſium, ſubiecturus eos domui Auſtriæ. Suitenſes renuunt: committitur prælium apud Morgarten, & uictoria potiuntur Suitenſes, deſideratis multis nobilibus, duce uix euadente.

LVDOVICVS BAVARVS XXXI. IMP. GER. Et contra hunc electus Fridericus Auſtriacus.

LVDOVICVS XXXI. Imp. Ger.

Bauarus eligitur.

ANno Domini mill.cccxiiij. Conuenerunt Electores Francofordiæ Mogontinus, Treuir, Colonienſis, Iohannes Bohemiæ rex, Rudolphus Palatinus, Rudolphus dux Saxoniæ, Volckmarus Marchio Brandenburgenſis, die Luciæ. Bauarus electus fuit per Mogontinũ, Treuirem, regem Bohemiæ, & Marchionem Brandenburgenſem. Eodem die etiam electus eſt contra Bauarum, Fridericus Auſtriæ dux, per Colonienſem, Palatinum, & Saxonem. Ludouicus Aquiſgrani, Fridericus Bonnæ coronabatur. Tum fuit ingens bellum ciuile in Germania propter iſtam electionẽ difformem: nam omnes ciuitates inferiores uſque ad Argentoratũ receperunt Ludouicum in regem, ſed ſuperiores per Heluetiam & lacum, Fridericum, excepta Berna & Solodora: aliæ uero per Sueuiam fere omnes receperunt Ludouicum, excepta Vlma, & paucis cum ea. Ludouicus Spiræ præſidem dedit Georgium comitem de Veldentz, & ei oppidum Germersheim pro habitatione deputauit. Fridericus aũt pro præſide nobilem uirũ de Ochſenſtein conſtituit, & Landauũ ſibi pro oppido deſignauit.

Fridericus Auſtriæ dux eligitur.

Bellum ciuile in Germania.

Friderico Auſtriaco adhærebant, Papa, rex Galliarum, rex Hungariæ, Sueui, Palatinus, & ciuitates aliquot. At Deus non defuit Ludouico infirmiori, qui nullis humanis præſidijs fidere potuit.

Deus Ludouico adeſt

Aliorum ſententia eſt: Electores principes ſeculi, indignũ rati, quod ab Eccleſiaſticis ſolis ea poteſtas expectaretur, nõ expectatis tribus archiepiſcopis Electoribus, Ludouicum elegerunt. Archiepiſcopi autem contemptum ſuum reputantes, nullam eſſe electionem proteſtati ſunt de Ludouico ſine ſe peractam.

Anno mill. cccxiiij. Ludouicus Bauarus prope Frãcophordiam ex uno latere caſtra fixerat magno exercitu, nam ciues ei fauebant: Fridericus autem cum ſuo exercitu in alio latere prope Mœnum caſtra metabatur, ita ut intercapedine amnis nõ poſſent congredi. Leopoldus Auſtriæ dux, frater Friderici, Spiram uenit magnis copijs. At Ludouicus fugit ad cœmiterium Iudæorum. Tum Leopoldus incendio uaſtat pagos circa Spiram.

Anno milleſimo cccxvi. Fridericus rex in odium Ludouici regis Eslingen ciuitatem cum exercitu copioſo potenter obſedit: nam Eslingenſes Ludouico adhærebant: ſed re infecta, coactus fuit diſcedere. Sequenti anno iterato, obſidet Eslingam, at Ludouicus forti exercitu defendit, poſtquam utrinque fit conflictus, multis cæſis & captis nobilibus. Vtri uictoria contigerit, incertum erat. Ferunt autem tantam ſtragem fuiſſe equorum confoſſorum, ut cruor Necarum uicinum tinxerit.

Anno Domini mill.cccxvij.

Alphonſus ij. Hiſpaniarum	Rex.
Martinus Arragonum	
Philippus Longus Galliæ	
Iacopus ij. Scotorum	
Carolus Vngariæ,	

Rainerus, Lampertus de Ramponibus, Iohannes Andreæ Iuriſperiti, Petrus Apponus Conciliator, Varignana platearius medici. Lullius Alchymiſta, Franciſcus Maronis, Nicolaus de Lyra, & Vuilhelmus de Occam, hoc tempore floruerunt.

Anno mill.cccxx. Ludouicus rex magnis copijs Rhenũ aſcendit. Intelligens hoc Fridericus, unà cum fratre Leopoldo inſequitur, conueniunt prope Argentoratum, caſtra figunt apud Briſcham fluuium in pagis Schaffoltzheim, Achenheim & Vuickersheim, omnia ſpectabant ad pugnam. Epiſcopus Argentoratenſis Friderico ſe adiungebat. Et Reſpublica Argentoratenſis confirmationé priuilegiorum ſuorum à Friderico, utpote Romanorum rege, deinde etiam à Ludouico accepit.

Vna pars Argentoratenſium, familia de Zorn, & qui his conſentiebant, adhęrebant Fridericho, & prouidebant de cõmeatu eius exercitui. Familia de Mulheim, & complices, Ludouici partes fauebant & adiuuabant. Quare Ludouicus memor beneficij præfati, in familiam de Mulheim mire gratus fuit & beneficus. Cum autem uterq; electus prope Argentoratum aliquandiu egiſſent, mittit Ludouicus ad Friderichum, an paratus eſſet prelium committere. Reſpondente uero Friderichο, ſe inſtructum, & percupere finem rei imponere: continuo Friderici exercitus, remotis equis, pedeſtres uolebant congredi. Sed Ludouicus uerſus Haganoam, uulgo uocant durch den Vorſt, fugit. Fridericus inſequitur itinere duorum dierum: ſed aſſequi non potuit. Ita re infecta, redijt in Auſtriam.

Anno Domini milleſimo cccxxij. in profeſto Michaelis Ludouicus grauem pugnam habet cum Fridericho. Apud hunc erat frater Lupoldus cum Sueuis & Heluetijs, & magnus numerus Vngarorum: cum Ludouico erat rex Bohemiæ, & Burgrauius Norinbergenſis, cum alijs principibus. Ibi cæſi Auſtriaci, & Fridericus capitur à quodam Franco Eberhardo de Mosbach, qui illum adduxit ad Burggrauium Norinbergenſem. Is poſthac Ludouico ſiſtebat. Videns uero Lupoldus ſe non poſſe auxilium ferre fratris copijs, nam ex mora non poterat trajcere aquam, ſic infremuit ira, ut iam uellet ſeſe necare: ſed impeditus fuit à ſuis, ſuadentibus ut cederet. Quanquam uero hic Lupoldus apud pontificem & regem Galliarum nullum non mouerit lapidem, ut fratrem Friderichum liberaret captiuitate, tamen nihil effecit: nam Gallus ſusq; deq; ferebat caſum. Sic Fridericus tribus annis captus fuit in arce quadam Bauariæ, & poſthac amica compoſitione liberatus. Nimirum ut imperio cederet, tum uellet Ludouicus illum in Auſtriam reſtituere. Hoc factum fuit, & egit Ludouicus ſatis benigne & humaniter cum ſuo hoſte.

Pugna Ludouici Bauari, & Frid. Auſt.

Fridericus dux Auſtriæ tribus annis captus.

Clementia Ludouici in hoſtem.

Poſthac papa Iohannes xxij. Imperatorem Ludouicum excõmunicauit, ut qui imperatoriam potentiam & iurisditionem in Italia ante coronationem uſurparet. Hinc grauiſſimum ſchiſma in Germania exortum, quod fere annis xxiiij. durauit, unde paſſim in ciuitatibus multę ſeditiones, multa ciuilia bella fuerunt. & quanquam Ludouicus ſæpenumero pro abſolutione ſatageret, tamen nihil impetrare potuit, ita ut & Benedictus papa ſucceſſor Iohannis xxij. & pleriq; alij præſtantes & doctiſſimi uiri, acta pontificis approbare non potuerint. Et habentur adhuc hodie pontificis & cæſaris ſcripta, in quibus papa egregie gloriatur, quaſi poteſtatem habeat, imperatores & reges ordinare & deponere. Ex quibus abunde ſatis apparet, pontificis argumenta infirmiuſcula eſſe. Et qui tum temporis eruditi fuere, pontificis conatum improbarunt, ex quibus fuit Gulielmus Occam, & alij. Germani principes ſpiritales & prophani, cæſari adhærebant, quoad papa tandem coegit eos deficere, & alium imperatorem eligere.

Ludouicus excommunicatur.

Acta pontificis cõtra Ludouicum non probantur bonis & eruditis uiris.

In Italia habebat Ludouicus multos ſibi adhærentes, & petebant Galeacius Mediolani & ſenatus Romæ, ut Ludouicus in Italiam ueniret. Et uenit, Mediolani ab epiſcopo ſecundam coronam accepit (nam Aquiſgrani primam acceperat, operantibus pontificibus Mogontino & Treuiro) Romæ à Stephano cardinali de Columna coronatus, unà cum regina quæ Romæ illi filium peperit, nomine Ludouicum Romanum, cui poſthac imperator Marchionatum Branden

Adhærentes Ludouico.

Ludouicus Romanus

 burgenſem

burgenſem dedit. Ludouicus Romæ pontificem facit Petrum Corbarienſem Reatinum, eumq; pontificem maximum & Nicolaum quintum ſalutat: qui paulo poſt abductus ad Auinionem, & iuſſu Iohannis xxij. in carcerem coniectus, interijt, &, Volaterano teſte, pontificalibus locis ſuo nomine principes præfecit; ut Iohannem Vieñ. urbis præfectum Viterbio, Galeotum Malateſtam & fratres Arimino Piſauro Fano, Antonium Ferettanũ Vrbino, Holfum & Galaſium fratres Callio, Alegretum Clauellum Fabriano, Bulgarutium Matelicæ, Kmedutiũ ſancto Seuerino, Gentilem Varaneum Camerino, Pongonium Cingulo, Nicolaum Boſcaretum Eſio, Guidonem Polentenſem Rauennæ, Franciſcum & Smibaldum Forolinij Ceſenæ, Iohannem Manfredum Fauentiæ.

Pontifex interea Ludouico infenſiſſimus, rẽ eó deduxit, ut anno mil. cccxlvi. Mogontinus, Treuir, Colonienſis, Bohemus & Saxo Lutzelburgi cõuenirent, et aliũ imperatorẽ eligerẽt. Et elegerũt Carolũ iiij. marchionẽ Moraniæ, filiũ regis Bohemię: quẽ Carolũ Clemens vi. pontifex confirmauit. Quoniã uero ciuitas Colonienſis & Aquiſgranum hunc nolebant recipere, Bonnæ coronatus eſt.

Carolus 4. electus.

Cauſa diſcordiæ inter pontificem & imp.

Diſcordiæ cauſam inter Iohannem xxij. papam, & Ludouicum Bauarum ferunt fuiſſe quendam Vlrichum, de Auguſta Secretarium, qui in quibuſdam regijs literis ſummum pontificem uocarit beſtiam ortam à mari, & alijs conuitijs, idq; ignorante Ludouico, eum proſciderit.

Defenſor pacis.

Liber hic quia continet papam debere ſub eſſe imperatori, papæ & cardinalium auaritiam & ſymoniam graphice depingit, excommunicauit papa ſcriptores et lectores.

Opus habetur inſigne, cui titulum fecit autor, Defenſorem pacis, in quo queſtio illa iam olim controuerſa de poteſtate papæ & imperatoris, excuſſa eſt. Scriptum anno Domini mill. cccxxiiij. ad Ludouicum Cæſarem, ex illuſtriſſima Bauariæ ducum familia progenitũ. Quod opus anno Domini mill. D. xxij. primum in lucem prodijt titulo Marſilij Patauini. In hoc legis horrenda, ut imperator inclytus illuſtriſſimi ſanguinis Bauarici (unde & Palatinorũ Rheni comitum propagata celſitudo) decus, magnanimitate, clementia, religione, cunctis pacis belliq; artibus omnibus deniq; imperatorijs laudibus, nulli temporis ſui principum ſecundus, adeo arroganter, ſuperbe, contumelioſe acceptus ſit, primum à Iohanne xxij. deinde à Benedicto xij. & poſtremo à Clemente vi. urbis Romę epiſcopis, ob nullum aliud delictum, ut etiã Baptiſta Egnatius teſtatur, q̃ quod citra Iohannis pontificis Rom. aſſenſum appellationem imperatoris ſibi uſurpare ſuſtinuerit. Hęc uiſa eſt ſcilicet idonea ratio excõmunicandi tantũ principẽ, hereticũ promulgandi paſſim per concionatores, & concitandę rebellionis ſtudio cõtra eundem, oẽs iuratos ei quoquo modo ſacramento abſoluendi, bello uexãdi, pręterea duces ad id potiſſimũ legere cardinales & abbates. Clemens etiam procurauit, ut aduerſarius ei deſignaretur ab electoribus, Carolus Bohemię rex, quo plus cędiũ & diſcordiarũ inter principes Chriſtianos exardeſceret.

Dotes Ludouici.

APPELLATIO LVDOVICI REGIS, QVAM INSIGNITER CONCOEPTAM UBIQ; FECIT PUBLICARI.

NOs Ludouicus Romanorum rex, proponimus aduerſus Iohannem, qui ſe dicit eſſe papam, quod Chriſti teſtamentum de pace male exequitur, publicam Chriſtianitatis pacem perturbans: nec reminiſcitur à ſancto Conſtantino id quicquid nunc habet honoris latitanti Silueſtro promiſſum, male gratus Romano imperio, unde deſumpſit, omnem quo nunc abutitur, ſplendorem.

Anno mill. cccxxviij. Orchanes Turcarum ij. imperator.

Iohannes 22. moritur

Iohannes xxij. ętatis ſuę anno xc. Auinione moritur, relinquens in theſauris ſuis ingentẽ uim auri atq; argenti, cuius recta computatio fuit, aureatũ drachmarum ccv. millia: hoc eſt, millies xxv. millia, quod ſcripſiſſe arduum quippe uidetur, nec legitur alijs temporibus eccleſia Romana fuiſſe locupletior.

Eccleſia Romana tum ditiſſima.

Bendictus xij.

Teſtimonium pontificis huius de Ludouico

Anno mill. cccxxxv. poſt mortẽ Iohannis xxij. fit papa Benedictus xij. patria Toloſanus. Hic Ludouicũ nobiliorẽ mundi agnoſcit, cõmendans ipſum & Alemanniã pręſentibus oratoribus imperatoris comite de Oetingen, & Rudolpho prępoſito Auguſtano, & Marquardo de Randeck canonico Bambergẽſi, idq; in publico conſiſtorio, cũ Marquardus abſolutionẽ imperatoris noĩe peteret, & abſolutus fuiſſet, niſi rex Francię, & Rupertus rex Apulię (omni qđ dicit̃ pede) con-

traſtetiſſent

tra ſtetiſſent,à quibus miſſi duo Archiepiſcopi,duoq́ comites frigidã ſuffundebant,adhortantes Papam,ne hęreticis faueret. Tum Benedictus: Voluntne domini ueſtri,ꝙ non ſit imperium,illis uero reſpondentibus:ſe non imperium,ſed perſonam Ludouici impetere,qui contra Eccleſiam egiſſet,quibus Papa reſpondit:imò nos fecimus contra ipſum,quod fecit,prouocatus fecit,ſic Oratores redierunt tandem re infecta.

Hoc tempore Dulcinus & Durandus hęretici habentur. Cinus Paulus Peruſinus legiſtæ,Obradus,Matthæus, Syluaticus, Nicolaus, Rhegio medici,Franciſcus Petrarcha Poeta,& S. Rochus infans ex monte Peſſulano florent.

Anno Domini Mcccxxxvi. Cum Oratores Ludouici rediſſent, Imperator comitia Spiræ inſtituit,ad quæ confluxerunt Archiepiſcopus Mogontinus, Heinricus de Vienberg,Epiſcopi Argentoratenſis,Auguſtẽſis,Eichſtetenſis, Curienſis, & alij,hij rurſus mittũt legatos,inſignes uiros, Gerlacũ comitem de Naſſauu,& Epiſcopũ Curienſem,ijs Papa Benedictus benigniſſime acceptis, reſpondit ſe fauere Ludouico, & quaſi flens conqueſtus eſt,ſe non poſſe abſoluere Imperatorem,mœtu regis Franciæ,nam Bonifacij exemplo deterreretur. *Comitia ſpiræ, ſub Ludouico.* *Benedictus fauet Ludouico.*

Succeſſu temporis,cum concordiam iniſſent Ludouicus Bauarus, & Philippus de Valonis,rex Galliarum,non ſine incõmodo regis Angliæ,uenerunt Oratores Imperatoris & Galli,ſimul ad Pontificem,petentes reconciliari Imperatorem. Tunc fertur reſpondiſſe Papam: Nunquid Ludouicum ad arbitrium regis Franciæ,nunc hęreticum,nunc Chriſtianiſſimũ habere deberet,ſic protractũ fuit negotium ſurſum & deorſum. Francus,ut credebatur, quod noluit, ſimulauit ſe uelle, Benedictus uero Papa,quod uoluit,ſimulauit ſe nolle. *De hoc habes ſuprà in Alberto.* *Improbitas regis Galliarum in Ludouicũ.*

Anno Dñi Mcccxxxviij. Octauo die menſis Auguſti, Ludouicus Imperator comitia celebrans in Franckfurt, ſcripto publico, acta Ioh. xxij. contra ſe reijcit, ſpectans ad C. Imperator.xc.Diſt. ubi habetur, ꝙ nec Imperator iura Pontificatus,nec Pontifex iura imperij ſibi uſurpare debet,& ꝙ Imperator non habet Imperium à Papa,ſed à Deo. In quo ſcripto fuſe & fortiter oſtẽditur proceſſus Ioh. xxij. exceſſus fuiſſe in præiudicium electorum Principum ac totius Germaniæ, excommunicationis fulmen non ſemper ferire, Iohannem contra Deum & omnem iuſtitiã agere,qui mandauit,ne obedirent, ſubditi Imperatori. Vanumq́ eſſe,quod dici ſoſet,Papam non habere ſuperiorem. Et ꝙ Conciliũ ſit ſupra Papam,& ꝙ defenſio iuris imperij ſit à iure diuino,& fide catholica.Ideo appellatio Cęſaris ad generale Concilium iuſta fuit. Hinc magna turbatio conſequuta eſt in imperio per Alemanniam,maxime in Sueuia, & ducatu Vuirtenbergenſi. Poſt promulgationem huius imperialis ſcripti, nam Monachi, qui in gratiam Pontificis,Interdictum,quod uocant,ſeruare uolebant,Francophordiæ & Reutlingen,& alibi pulſi fuerunt per Imperatorem. *Comitia in Franckfurt.* *C. Imp.90.Diſt.* *Imperium à Deo, non à Papa.* *Papa habet ſuperiorem.* *Conciliũ ſuper Papã.* *Turbatio in imperio.*

Habet Alb. Krantz lib. Sax. ix. cap. xv. Quòd in Comitijs Francophordianis multa conſtituta fuerunt,quæ ex dignitate imperij tum uiſa ſunt. Inter alia,quòd electus à Principibus,aut à maiore, aut ſeniore parte,adminiſtrationem habeat citra aſſenſum Pontificis,nam ea quæ pręter hæc introducta ſunt, nec diuino iure,nec ulla patrum ordinatione,ſed blanda quorundam aſſentatione, & Romanorum ſpontanea ingeſtione, Pontificum prouenerint. Electus inſinuetur Romano Pontifici,quòd ſit Princeps catholicus, iuſtus, imperio dignus, petaturq́ coronatio (quæ niſi obſtiterit manifeſta cauſa) ſi negatur, ſumatur conſecratio à quouis catholico Pontifice. Quis enim Rom. Pont. conſecrauit Conſtantinopolitanos Imperatores? Et quis ante Carolum multos Chriſtianos Cæſares? & ante Conſtantinum,Ethnicos quis ſacrauit Imperatores? *Imp. Rom. non eget Papæ aſſenſu.*

Deinde ordinatum eſt,quòd Imperator pręſtabit Pontifici & Eccleſiæ defenſionis,deuotionis & humilitatis, non fidelitatis homagij, aut ſubiectionis iuramentũ,quia tẽporalis dominij Papa Impatori nihil tribuit. Imò Eccleſia ſumpſit omnia illa ab imperio. Gladius enim uterq; nihil habet cõmune,cũ alter animã, alter ſolũ corpus cõficiat. Ibiq; decreto firmatũ eſt, ꝙ uacãtis imperij adminiſtratioñe Pontifex habeat, nulla ſcriptura, nulla ratio, ſed ſola uſurpatio introduxit. *Imperium uacans,an ad Papam pertineat.*

DVCES GELRIAE.

ANno Domini Mcccxxxix. Imperator Ludouicus, Vuilhelmum comitem Iuliacenſem, fecit ducem Iuliacenſem, & Bergenſem Francophordiæ, in præſentia multorum Principum. Eodem anno & die, idem Imperator Reinholdū comitem Gelriæ, fecit ducem Gelriæ. Reinoldus ſecundus eius nominis præfati Reinoldi filius, ſecundus dux Gelriæ. Eduardus ſecundi Reinoldi frater, tertius dux Gelriæ. Arnoldus dominus de Eginonda, quartus dux Gelriæ. Adolphus ducis Arnoldi filius, quintus dux Gelriæ. Carolus de Burgundia, Maximiliani ſocer, ſextus dux Gelriæ. Maria, filia Caroli, Maximiliani uxor, mater Philippi, ſeptima duciſſa Gelriæ, & per eam Maximilianus dux Gelrię. Rex Philippus, octauus Gelrie dux. Carolus, Philippi filius, Imp. eius nominis v. nonus dux Gelrię.

Anno Domini Mcccxl. Confluunt multi Comites, & Heroes, Comes Sabaudiæ, Comes de Kyburg, Comes de Nidouue, Comes de Habſpurg, Comites de Hochberg, de Dierſtein, Furſtenberg, & multi nobiles, præſidia dante duce Auſtriæ, & bellum inferunt Suitenſibus, & Bernatibus, ac eorum confœderatis, ac obſidēt Laupen, prope Bernam, at Suitenſes oppidum hoc obſidione liberant, & hoſtem magno numero cedunt.

Clemens ſextus excōmunicat Ludoui.

Anno Domini Mcccxlij. Benedicto uita functo, fit Pontifex Clemens vi. & ſic infenſus Lodouico Bauaro Cæſari, in gratiam regis Franciæ, excōmunicationis ſententiam in Bauarum latam confirmat, multos potentatus cōtra Cæſarem inſtigat, ſed Lodouicus par pari reddens, uiciſſim in Eccleſiaſticam ditionem, imperiali authoritate animaduertit.

Ludouic. petit ut rex Galliæ ſibi abſolutionem impetret.

Anno Domini Mcccxliij. Scripſit Ludouicus Imperator regi Francorū, quoniam ad ſuum nutum Papa regeretur, quare illi acceptam ferret hanc ſuam calamitatem, rogabat uero, ut ex promiſſo abſolutionem ſibi impetraret. Tum Rex Franciæ reſpondit, eum tanq̃ Ro. imperij pręfectū, & ſedis Apoſtolicę tutorem, nunq̃ ut Imperatorem & ſubditum bene decuiſſet, gratiam & abſolutionem petiuiſſe. Tum reſponderunt legati Imperatoris. Poſſe formam Papæ placentem concipi, ſe libenter annuituros. Tunc conceptum eſt procuratorium turpiſſimū, & rigidiſſimum, quod Ludouicus etiam in carcere detentus, non ſigillaſſet. In quo mandato dabatur poteſtas Huniberto, Delphini auunculo. Item Auguſten. & Bambergen. Eccleſiarum prępoſitis, & magiſtro Heinrico Archicancellario Imp. confitendi errores & hęreſes ſibi impoſitas. Item reſignādi imperium, nec reſumendi niſi de gratia Papæ. Item quòd Imperator ſe & ſuos liberos, ac bona in manus Papæ contraderet. Hos articulos appoſitiſſimos, ſcilicet, Imperator comitijs Francophordiæ habitis, exponit electoribus & ciuitatibus imperij.

Procuratorium turpiſſimum & rigidiſſimum.

Comitia Francophordiæ.

Tum ſurgens Vuickerus, Archiepiſcopi Treuirenſis Cancellarius, recenſuit articulos Papę in perniciem & deſtructionem imperij conceptos eſſe, & quòd nec Imperator, nec electores uirtute iuramēti imperio pręſtiti, annuere poſſint. Vellent tamen legationem mittere ad Papam, & articulorū indignitatē exponere.

Articuli Papæ, in deſtructum imperij.

Conſultat Papa Clemens ſextus, in perniciem Ludouici.

Hoc facto, Papa irritatior factus, cum uideret ſe uana ſpe deluſum, cum rege Bohemiæ, & Carolo filio eius, qui lęſi fuerant ab Imp. & cum Treuirenſi Archiepiſcopo eorum patruo, in perniciem & excidium Imperatoris conſultauit.

Anno Domini Mcccxliij. Clemens vi. Lemonicenſis Papa, Iubileum in quinquaginta annos auri gratia reduxit.

Concio Papæ, contra Ludouicum crudelis.

Anno Domini Mcccxlvi. In cœna Domini, Clemens Papa cōtra Ludouicum crudelem concionem habuit, omnes proceſſus Ioh. xxij. innouans, Imperatorē hęreticum & ſchiſmaticum declarans, electores imperij adhortans, ut alium Imperatorem deſignarent. Inter cauſas quas recenſebat, una fuit. Quod diceret Ludouicus ad Imperatorem pertinere, ut deponeret Papam, & inſtitueret. Item ꝙ Epiſcopos conſtitueret, & interdictum nihili faceret. Tum etiam idem Clemens Heinricum de Viernberg, Archiepiſcopum Mogontinū, qui Ludouico adheſerat, deponit: ut ne Eccleſia Mogontina uidua eſſet, Gerlacum filium comitis de Naſſauu, Pontificium capellanum, in Archiepiſcopum Mogontinum ordinat.

Archiepiſcopus Mogunt. Ludouico adherens deponitur.

Sub Ludouico in ciuitatibus liberis, & quæ ſunt imperij partes, erant inter ſa-

cerdotes

cerdotes, nam cum ciuitates Ludouicum pro Imperatore agnoſcerent, ſacrificulorum quidam uolebant Pontificijs literis obedire, & interdicto uti, nec canere, nec legere. Ita ut Monachi Argẽtorati, maxime Auguſtinianę familię & in alijs urbibus xvij. annis, ſine cantu prorſus eſſent. Minores & Prędicatores multis annis cantarant, tandem & ipſi ceſſant. Tum illis dicebãt ciues, ut canendo pergerent, aut ſolum uerterent. Ger. Sie ſolten furbas ſingen/oder aus der ſtatt Straſzburg ſpringen. Ludouicus mira bonitate prępditus, ſacerdotum uulgo nihil moleſtiæ intulit. At Epiſcopos & Prælatos coegit, ut à ſe confirmationem peterent. Interea dux Luipoldus ſemper aduerſabatur Imp. Ludouico, & huius permiſſu q uicquid literarum à Roma prodibat contra Ludouicum, in huius oppidis legebatur. Circa hæc tempora Leopoldus Auſtrię dux, obſedit S. Hypolitum (Sanct Pilot) quod oppidũ erat Lantgrauij Alſatiæ, Ludouico familiaris. Poſthac Leopoldus Spirã obſidet, & agrũ Spirenſem incendio & rapina uaſtat. Conſilio aũt Medicorũ, Argentoratũ ſe recipit, ubi moritur in curia Ochſenſtein. Hic Leopoldus & Fridericus electus, & Heinricus erant filij regis Alberti occiſi, nepotes Rodolphi de Habſpurg. Ludouicus Bauarus uero erat filius ſororis Rodolphi. Ita oim auus erat Rodolphus. Pręfati Auſtriæ duces oẽs ſine prole maſcula defuncti fuere. Anno eodẽ Gerlacus de Naſſauu, ix. Archiepiſcopus Mog. ad Rens cõuocat Principes obediturus mandato Papę. Cõueniunt aũt Balduinus Lucenburgẽſis, Treuirenſis, Vuabramus de Iuliaco Colonienſis, & ipſe Gerlacus Archiepiſcopi. Rudolphus Saxonię dux, Iohãnes rex Bohemię, ij, Carolũ Morauię Marchionẽ filiũ regis Bohemiæ, regem Roma. elegerunt. Hic regina pecunia neruus rerum fuit.

Titulus Leopoldi hi fuit: Leopoldus Dei gratia Auſtriæ, Stiriæ, Sueuiæ, Carinthiæ, & Morauiæ dux, Dominus Kornoli & Portæ Naonis, Comes Habſpurgi & Kiburgi, Lantgrauius Alſatiæ.

Gerlacus de Naſſauu.

Anno eodẽ Papa electionẽ Caroli in Cõſiſtorio publico approbauit, quoniã aũt Aquenſes & Coloniẽſes ciuitates eum non receperãt, Bunnę ab Archiepiſcopo Colonienſi coronatus fuit. A quo Colonienſis, Treuirenſis, & Gerlacus Mogont. Archiepiſcopi. Item Monaſteriũ Meteñ. Leodieñ. Viroduneñ. Epiſcopi, in ueſtiturã regaliũ, ut uocant, acceperunt. Ludouicus uero ciuitates imperij conuocauit Spirã, nulla aũt ciuitatũ Rheni, Sueuiæ, Franconię, electionẽ Caroli, aut Papæ acta contra Ludouicũ curauit. Erant aũt & ex electoribus, quibus Carolus non probabatur. In ſumma, ſcindebantur ſtudia in contraria, qui Carolo, & qui Ludouico adhęrebant. Quæ res in Sueuia magnã inquietudinẽ concitauit: nam qui ex Ludouico adhęrentibus, moriebantur in campis, & extra cœmiteria ſepeliebantur. Mogontię ſchiſma fuit inter Heinricũ Archiepiſcopũ à Papa depoſitum, & Gerlacũ nouum Archiepiſcopũ. Hoc tempore de cõſenſu Ludouici, & uoluntate Heinrici Archiepiſcopi, cõmiſſa fuit adminiſtratio Archiepiſcopatus tribus Canonicis de Capitulo. Iudices Gerlaci Mogontiæ, & iudices Heinrici in Alta uilla iudicabant. Proceſſus Papales à quibuſdã ſeruabantur, ab alijs ſpernebantur, tandem adminiſtratio Eccleſiæ Mogont. ab Imp. Ludouico, & Heinrico Archiepiſcopo, cõmiſſa fuit Conrado de Kirchkel. Hoc tempore ridiculũ Romę accidit, nam Nicolaus quidã publicus ſcriba potens erat in urbe, quã totã regebat, & tñ beneuolẽtię, autoritatiſq; apud oẽs cõparauerat, ut facile quo uellet, mentẽ Po. Ro. flecteret, Capitoliũ armis occupauit, Nicolaũ Auguſtũ ſe nominans. Huius titulus erat: Nos candidus ſpiritus ſancti miles Nicolaus, ſeuerus & clemens liberator urbis, zelator Italię, Tribunus Auguſtus. Clemẽti Papę in Gallia agenti ſcripſit, niſi infra annũ rediret ad urbẽ, & reſideret in ea, ſe cũ Romanis aliũ Papã creaturũ. Et qm̃ Roma caput eſſet orbis, incũberet illi in oibus cauſis im perij ius agẽdi, Ludouicũ & Carolũ citauit, ut corã ſe, ambo ſe ſiſterent, expeditionem cauſarũ à ſe ſuſcepturi. Idẽ citauit etiã vij. electores. Huiuſmodi ſtulta cõſilia agitauit ferè ij. annis. Hũc Nicolaũ Pont. adherẽtes expulerũt. Is fugit ad Carolũ iiij. Carolus uero hominẽ miſerũ Pont. miſit Auenionẽ, ibi captiuus detẽtus fuit.

Carolus quartus Bonnæ coronatur.

Ciuitates adhærent Lud. contra Papam.

Schiſma Mogontiæ.

Alta uilla eſt Eltfold Ringauiæ oppidum.

Nicolaus Auguſtus.

Anno Domini Mcccxlvij. Ludouicus Imp. moritur, uir optimus, & pacis ſtudioſiſſimus, nam quoties ciuitates agebant pro patriæ pace, & communi bono, dexterrime illis adfuit, quicquid potuit facultatibus & pecunia pacare, hoc noluit bello. Hinc multum ditionũ & ſubditorũ illi acceſſit indies magis & magis tranquillitate conſequutus, quod maiores ſui bello nequiuerãt. Tandem in ue-

natione

Ludouicus Bauarus moritur.

natione, apoplexia tactus, de equo cadit & moritur, in oppido Monachio ſepultus. Mortuo Ludouico, Carolus ex Boemia cum magno equitatu in Bauariam, Ratiſponam perrexit, ubi tanq̃ rex Rom. illico eſt receptus, deinde uenit Norinbergā, ibidem quoq; receptus fuit, ſimiliter in alijs ciuitatibus imperialibus, prętexens abſolutionem Pontificis Ro. quòd Ludouico adheſiſſent, ſe facile impetraturum. Attamen hæredes Ludouici Bauari, & Heinricus Archiepiſcopus Mogont. & Palatinus Rheni, Heinricusq; Saxoniæ dux, noluerunt recipere.

Carolus. 4. à quibuſdam ſuſcipitur, ab alijs non.

Hoc Anno Andreas Apuliæ & Siciliarum rex, ab uxore, dormiens in lecto ſuo, ſtrangulatur.

Baſilienſes Ludouico adhæſerunt.

Maſculū reſponſum, Conſulis Baſilienſis.

Anno Domini Mcccxlviij. Carolus rex Baſileam uenit. Cum autem à ſenatu Baſilienſi perſuaderent quidam, ut abſolutionem peterent, quoniam Ludouico adheſiſſent, quæ commiſſio Auinione facta fuerat Babenbergenſi Epiſcopo, & Marquardus de Randeck, Præpoſitus Bambergeñ. attulerat, tum Conradus de Berenfels, Conſul ciuitatis Baſilieñ. pręſente rege, multiſq; Eccleſiaſticis & prophanis, maſcule reſpondit, dicens. Domine Bambergenſis, ſciatis, q nec fateri, nec credere uolumus, quod dominus noſter Ludouicus Imp. Ro. unq̃ fuerit hereticus, nam quemcunq; imperij electores nobis dederint, hūc recipimus, etiam ſi nunq̃ Papam requirat, nec quicq̃ unq̃ contra imperij ius committemus, nos à peccatis abſoluamur, hoc feremus, ſic abſoluti regi ſolitū præſtiterūt iuramētū.

Anno Domini Mcccxlvij. Ludouicus Poloniæ & Vngariæ Iohannes xi. Franciæ li.	Rex eſt.

Hoc tempore, Recupertus, Lapus, Bartholus, legum illuſtratores, Gentilis, Fulginos, Dinos de Garbo, & Truſianus plus quam cōmentator, medici florent.

Anno Domini Mcccxlviij. Heinricus Mogont. Epiſcopus, Ludouicus Marchio Brandenburg. Rupertus Palatinus Rheni, & dux Saxoniæ, de nouo rege eligendo concordarunt, electionem Caroli irritam iudicantes, miſſa eximia legatione ad Eduardum Angliæ regem, ad imperiū eum inuitabant. Is gratias egit & recuſauit. Deinde Fridericum Marchionem Miſnenſem uocant, ut Beatricem relictam Ludouici Imperatoris ducat, ac electionem aſſumat. At quia is noluit cū uicinis ſuis Bohemis contendere, & terrā hęreditariā perdere quoq; recuſauit.

Eduardus Angliæ rex, inuitatur ad imperium.

Peſtilentia uaſtans Europam.

Hoc tempore uehemens peſtilentia ferè in tota Europa deſeuijt, ut urbes, monaſteria & inſulas totas deuaſtaret. Solatium fuit in rebus tam miſere afflictis, q morituri (etiam pueri innocentes) iubilando & gaudendo laudes Dei eiacularint, & animas egerint. Peccatores uero ex animo reſipuerint. De hac peſte infamati Iudæi, q fontibus infectis, promouerint: & propterea combuſti fuerunt à mari uſq; in Alemanniā, præter ciuitatem Auinionem, ubi Papa eos tutatus fuit. Par quęrela fuit. Anno Domini Mcccxxxiiij. de leproſis, qui Iudęorum hortatu ferebantur coniuraſſe, ut ueneno ad hoc parato ſic fontes inficerent, ut qui uſi fuiſſent aqua fontali, lepram contraherent.

Iudæi infamati de peſte.

Leproſi inficientes fontes.

Salis tributū, ſub Philippo Galliarū rege.

Hoc tempore Philippus Galliarum rex, intelligens lucri bonum odorem, ex quauis re eſſe, tributum ſalis inſtituit, argutum inuentum, quo nemo liber à tributo eſſet. Hinc enim regibus quotannis pecunia ingens penditur.

Guntherus de Schuuartzenburg.

Anno Domini Mcccl. Guntherus comes de Suartzenburg, ex Turingia, Francophordię in regem eligitur (uir ſtrennuus, & qui collatis ſignis ſępenumero uictor fuit) per Heinricum Archiepiſcopū Mogontinum, Ludouicum Marchionē in Brandenburg, Rudolphum comitem Palatinum Rheni, Heinricū iuniorem ducem Saxoniæ, hic pro more ſex hebdomadis, ante Francophordiā caſtrametatus, cum nullus, qui ſe illi opponeret, uideretur: in urbem immiſſus, & pro rege receptus fuit. Conuentus autem indicitur Spiras, pro componendis Carolo & Gunthero, quo dum conueniunt Balduinus Treuirenſis, & Gerlacus Mogont. Comes de Vuirtenberg, & alij proceres, legatiq; ciuitatum, Guntherus Friburgum obſidet & expugnat, Carolus Mogontiam oppugnat. Interea Guntherus ueneno moritur. quod ferunt medicū Fridancū illi propinaſſe. Is aūt iuſſu regis deguſtans, & ipſe triduo mortuus fuit, ſic capra quo mactaretur, gladiū inuenit.

Conuentus Spiræ.

Guntherus Friburgum obſidet.

Guntherus ueneno moritur.

DE SECTA FLAGELLANTIVM.

Secta Flagellantium.

HOc tempore fuit in Italia & Germania ſecta Flagellantium, de loco ad locum errantium. Spiram uenerunt circiter ducenti de Sueuia, habentes inter ſe principem unum, & duos magiſtros, quorum mandatis parebant. Ciuibus Spirenſibus ſanctimoniæ fuco ſic imponentes, ut & conuiuio eos liberaliter ſuſciperent. Argentorati innumerabiles fuerunt. Item Aquiſgrani, ubi Carolus coronandus fuerat, præ multitudine peregrinorũ & flagellatorum recipi non potuit, ſed in oppido Bunna ab archiepiſcopo Colonienſi coronatur. Venit & hæc ſecta flagellatorum ruſticorum ex Gallijs, ut ferebatur, in Poloniam. Ianuſſius archiepiſcopus Gneznenſis cum ſuæ prouinciȩ Suffraganeis ſub magnis pœnis & carceribus tales prohibuit. Et principes Poloniæ perſuaſi, ne quiſpiam huiuſmodi errores ſectaretur, ſub confiſcatione bonorum & grauibus pœnis inhibuerunt. Albertus Crantz in Vuandalia ſua de hac ita ſcribit lib. viij. cap. xxviij.

In hiſtoria Polonorũ legis ſub anno 1261.

Anno Dñi mill. cccl. Secta Flagellantiũ tum uehementer increuit per prouincias, incertũ quo autore primum inſtituta, niſi illo, quē cæteris nõ uigilantibus, tradit Euangeliũ ſuperſeminaſſe zizania: unde & Acephali, hoc eſt, ſine capite, ſunt appellati. Homines rudes, qui per Germaniȩ agros flagellis ſe attriuerant, cruces in ueſte præferebant, ad urbes gregatim ibant proceſſione diſciplinata, capitum operimentis ad oculos demiſſis, luminibus in terram fixis, triſtes & mœſti ſemper cernebantur. Flagella tribus reſtibus erant trinodia, nodi ferrũ in crucis formam eminens habebant, liuentes ex crebris ictibus ac uulneribus ſcapulas & dorſa prætulere. Eccleſiam ingreſſi, poſitis ueſtibus ſubucula linea ab umbilico demiſſa ſumebant. Ita egreſſi per cœmiteria, nudi ſternebantur. Alij proni in faciem, alij in latus, nonnulli in dorſum, quidam extentis in altum palmis, pœnitentiæ formam ad ſingula peccatorum genera in geſtu ſignificabant, progreſſus ex omni numero unus ſingulos tangebat dicens: Det tibi Deus remiſſionem tuorum peccatorum: ſurge. Inde in ordines digeſti, præcinentibus duobus, uerſum chorus iterabat. Vbi dominicæ paſſionis in cantu quodam incidiſſet mentio, mox unà proruunt in terram, non ut ſolemus, primũ geniculantes, ſed uno impetu, uelut præcipitata ligna uel ſaxa, ruebant, quem quiſq; ſtans locum forte habuit.

Habent Chronica Argentoratenſia, anno mill. cclxi. Flagellantes argentoratum ueniſſe, qui Romæ & in Italia confluxerant, numero mille & ducenti. Et quod Argentorati acceſſerint mille & quingenti, qui nudis corporibus ſe flagris cædebant.

Poſthac anno mil. ccxcviij. uenerunt Argentoratum xxviij. in ueſtibus albis, facie cooperta, qui eundo ad omnes eccleſias, ſe flagellabant.

Anno mill. cccxlix. Tempore peſtis, combuſtis Iudæis, uenerũt rurſus Argentoratum ducenti, habentes octo aut decem prȩcioſa uexilla ex ſerico, & totidem cereos duplicatos. Bini & bini incedebant poſt uexilla & cereos, in oppidis & pagis paſſim excipiebantur pulſu campanarum, quiſq; pallio amictus, pileum in capite cum rubra cruce geſtabat. Rythmos habebãt præſcriptos, præcinentibus duobus, reſpondebant alij.

Qui in hanc diſciplinam recipiebatur, cogebatur triginta tribus diebus & dimidiato manere (hoc erat pœnitentiæ tempus) & tantum pecuniæ ſecum afferre, ut in ſingulos dies haberet nummos Argent. quatuor. Nam non concedebatur illis ut mendicarent. Sacerdotes admittebant, ſed citra dominium: nec admittebant in ſecretiora conſilia. Literas iactabant per Angelum è cœlis allatas, & uulgus eò adduxerant, ut Flagellatoribus plus crederent quàm ſacerdotibus. Argentorati ferè mille acceſſerunt huic ſocietati. Quare factis duobus ordinibus, alteri in ſuperiores Germaniæ partes concedebant, alteri in inferiores. Carolus quartus rex pontifici Rom. ſcripſit, ut coerceret, alioqui totum mundum ſeducerent: nam magnam ſanctimoniam præferebant, & miraculorũ uirtutem. Argentorati in circulum Flagellantium mortuus puer delatus fuit: tentabant quidem

reſuſcitare, ſed non ſucceſſit. Dimidiato anno ferè ſingulis hebdomadibus cohors flagellantium adueniebat. Etiam mulieres ſe ſocietati adiunxerant. Tandē cum admiratio deſijt, nec amplius excipiebantur pulſu campanarum, nec hoſpitio exciperentur, & impoſtura huius ſectæ innoteſceret, & papa ordinarijs præciperet, ne admitterentur, etiam ſenatus Argentoratenſis uetuit ne reciperentur. Quod ſi quis uellet flagellare ſe, ut hoc domi ſuæ faceret. Ita in breui tempore, hoc eſt, dimidiato anno, deſijt ſecta Flagellantium, quam ipſi affirmarant triginta tribus annis & dimidiato duraturam.

CAROLVS IIII. FILIVS IOHANNIS REGIS Bohemiæ, nepos Henrici Imp. vij.

CAROLVS quartus XXXII. Imp. Germ.

CAROLVS audiens Ludouicum mortuum, paſſim uenit in ciuitates quę liberę, & quę imperij ſunt, rogans, ut pro Imperatore ſuſciperetur. Anno Domini mill. cccxlviij. uenit Argentoratum, ubi ut rex ſuſcipitur. Ibi & Bertholdo epiſcopo Argentoratenſi regalia cōfirmat, ante fores ſummi templi, gradus uocant auff den Greten/ coronam geſtans in capite, pomum & ſceptrum in manibus. Poſt aliquot dies Baſileam uenit, deinde Vuormaciam accedit, & cum eo epiſcopus Bambergenſis. Is poteſtatem acceperat à pontifice Romano, abſoluendi eos qui ſub Ludouico excommunicati fuerant: uerum, ſequentibus conditionibus. I. Vt iurarent fidelitatem papæ. II. Imperatorem non habere ius conſtituendi papam aut deponendi. III. Vt neminem agnoſcerent regem uel imperatorem non confirmatum à papa. Qui hæc non iurarent, nec abſolui deberent. Sacrificuli plerique & monachi hoc iurant, & abſoluuntur: laici nolunt iurare. Tandem uicti motum uulgi rex & epiſcopus, laicos etiam ſine iuramento & prefatis conditionibus abſoluunt. Cum Carolus uero à Vuormacia Mogontiam ueniſſet, dicitur illi in aurem, Electores uelle eligere Eduardum Anglum, nec ualere electionem Caroli, Ludouico Bauaro adhuc uiuente, factam.

REX ANGLIAE ELIGITVR.

ELectores Imperij Eduardum Anglię regem in Rom. regem eligunt. Sed is reſpondit per literas, & gratias egit, indicans ſibi ſatis eſſe negocij cum rege Galliarum, quapropter non poſſit imperij curas admittere.

MARCHIO MISNENSIS ELIGITVR.

De hoc uide plura in hiſtoria Bohe. Aeneæ Syl. ca. 32.

TVm Electores uocant Fridericum Marchionem Miſniæ, Ludouici Imperatoris generū, & in Rom. regem eligunt contra Carolum. At Marchio Miſniæ accepit à Carolo x. millia marcarum argenti, & ceſſit electionē, & regalia accepit poſthac à Carolo. Ita imperij dignitas manſit Carolo, qui Francofordiæ in regem ſuſcipitur, ciuibus iſtic nundinas, & omnia eorum priuilegia, confirmans ac corroborans.

RHENVS CLAVDITVR ARGENTORATI.

CArolus iam quietus de electione, & ubi conueniſſet cum aduerſarijs ingenti ſumma pecuniarum, conceſſit in ciuitates Rhenenſes, & ad principes ac dominos, qui illi adfuerant. His dedit Telonia Rheni. Hinc exorta ſunt Thelonia noua, quæ qui uina coemunt & alia, & per Rhenum deuehunt, ferre prorſus nequiuerint. Hoc Senatū populumque Argentoratenſem male habuit, ut quibus multa erant negotia per Rhenum perficienda. Quare ſtipitibus præacutis, & cathena ingenti alueum Rheni ita includūt, ut nemo poſſet nauigio uel aſcendere, uel deſcendere. Cum uero Rheni nauigatio duobus annis & dimidio eſſet occluſa, & ciuitates uiderent, ſe nec noua nec uetera Telonia poſſe aſſequi, tranſigunt cum Argentoratenſibus, quorū dexteritate Telonia illa noua in ſpongiam cadunt. Et rurſus conceditur nauigatio Rheni, anno Domini mill. cccli. menſe Maio, quo aliquot centenę naues, cum uino & rebus alijs Rheno deuehuntur.

Angli uictis Francis, Galliam ferè totam occupant.

Anno

Anno Domini mill. ccclv. Carolus profectus eſt in Italiam, & ciuitates ſatis obedientes inuenit, Romę obuios habuit totum Senatum, & quicquid erat honeſtorum hominum. Ciuitates aliquot Italię, gratificaturus pontifici, in obedientiam redegit. Cum ueniſſet Piſas, oritur tumultus: & niſi Germanorũ maſcula uirtus illi adfuiſſet, actum fuerat de eo. Imperatrix à Piſanis rapitur, & in ignominiam regis Caroli in lupanar ducitur: ſed euadit matrona unà cum uirginibus, & extra ciuitatem fugit. *Carolus 4. obedientem habet Italiam.*

Anno mill. ccclvi. Carolus rex Mogontiam uenit ad natalem Domini: adſunt illi electores, & habetur prandium imperiale, uti in Bulla aurea indicitur.

His annis Carolus iiij. Albertum & Iohannem fratres dominos Mackelburg, fecit duces Mackelburgenſes, antea dictos principes Vuandalorum.

Anno Domini mill. ccclvi. Ecclipſes ſolis, lunæ, peſtis, terręmotus maximus, ut in partibus Rheni plura caſtra, turres, & domus corruerent. Ciuitas Baſilienſis & eccleſiæ iſtic uehementer concuſſæ.

Anno Domini mill. ccclx. Carolus comitem Eberhardum à Vuirtenberg, magno exercitu oppugnauit, tandem res per epiſcopos Auguſtanum, Argentoratenſem, & Spirenſem compoſita fuit: ſic tamen, ut Sueuiæ ciuitates cogerentur ſoluere ingentem pecuniæ ſummam: nam Vlmenſes dederunt lij. millia flor. Eslingum xv. millia. Rotuuil x. millia. Rutlingum xv. millia. Lindauu ſex millia. Conſtantia xl. millia. Cauſam ferunt fuiſſe nimiam exactionem ciuitatum, Et quod cum ducibus Auſtriæ, ſine exceptione imperatoris fœdus icerit. Ad hoc bellum ab imperatore datus fuit dux Rupertus Bauarus, & ciuitatibus Rheni pręceptum, ut auxiliares copias darent. Marchio Badenſis à Carolo uocatus, renuit uenire, nolebat enim conſanguineo bellum inferre. *Carolus contra Eberhardum Vuirtenb.*

Anno Domini mill. ccclxvi. Carolus altera uice in Italiam & Romam cõtendit, cum principibus aliquot Alemannię & Bohemiæ, & cum inclyta uxore ſua. Mediolani corona ferrea coronatur. Piſis honorifice ſuſceptus. His relictis, ad urbem tendit, Senatoribus, Conſulibus, & populo Romano in Capitolio congregatis, unus Senatorũ orationem habuit ad populum, appoſite ſcilicet: Ecce rex tuus uenit. Coronatur Romę per Oſtienſem Cardinalem, hac conditione, ut nec Romę, nec in Italia diutius moraretur. Franciſcus Petrarcha hic grauiter inuehitur, ac dicit: Quæ nam iſta ſuperbia, principem Romanum publicę libertatis autorem, libertate priuare: cuius eſſe deberent omnia, ipſe non ſit ſuus? *Carolus Mediolani coronatur.* *Coronatur Romæ, ſed conditionibus.* *Imperator Roman. Roma interdicitur.*

Anno Domini mill. ccclxi. Sophia filia Eberhardi comitis in Vuirtenberg, duci Lotharingiæ matrimonio copulatur. Stutgardiæ habentur ſumptuoſę nuptię præſente Alberto duce Auſtrię, ac multis comitibus, baronibus & nobilibus. Inuitato etiam imperatore, qui ueritus maiorem congregationem, non uenit. Celebres hæ nuptiæ, uini fonte arte facto. *Nuptiæ Vuirtenbergen. filiæ cum Lotharingo.*

Anno Domini mill. ccclxij. Cazimirus Poloniæ rex, horrea ſua in ſingulis terris regni ſui frugibus abundantia aperiri, & moderato precio uendi iuſſit. Proprij autem homines pecunias ad emendum non habentes, rerum cõmutatione aut labore præſtitum frumentum merebantur. Caſtrorum & ciuitatum fabricas & muros, piſcinarum & foſſatorum aggeres & alueos, tum aquæductus, & ædificiorum uariorum ſtructuras extendendo. Ex quibus illud memorabile foſſatũ, quod à Graccouia uerſus Bachnyam tendit, & flumine Iſtula in id immiſſo, ligna per id & ſal traduci deſtinabat, adhuc apparet.

Anno mill. ccclxiij. Bella parantes Carolum imperatorem Romanorum, & regem Bohemorum, Ludouicum Hungariæ, Cazimirum Polonię, & Sigiſmundum Daciæ reges, eò quod imperator Carolus coram nuncijs Ludouici regis Hungariæ dixerat eius matrem parum pudicam, Vrbanus papa quintus per legatum compoſuit.

Eodem anno Innocentio vi. mortuo, Vrbanus v. fit papa, patria Lemonicenſis, antea Gulielmus dictus. *Vrbanus 5. papa.*

Eodem anno rex Cypri uenit Argentoratum, honorifice exceptus. Eodem anno uenit etiam illuc rex Daciæ.

Eodem anno Amurates Turcarum iij. Imperator regnat. Is Primus in Europam claſſe traiecit.

Petrus Hiſpaniæ
Ianus Cyprienſis } Rex.
Iohannes Nothus Portugallię

Anno Domini mill.ccclxv. Studium uniuerſale in Vuienna Auſtriæ ab Alberto duce ibidem fundatur primum in Germania.

Anno eodem ſecta Iheſuatorum incipit.

Bertholdus Rorbach Spiræ combuſtus. Hoc tempore Spiris combuſtus eſt quidã Bertoldus Beghardus de Rorbach. Huius articuli, quos tamen antehac in Herbipoli reuocauerat, erant: Chriſtum in paſſione ſua ſic fuiſſe à patre derelictum, ut præ dolore dubitauerit de ſalute. Quod Chriſtus in cruce propter nimiam paſſionem & dolorem matri maledixerit. Quod maledixerit terræ quæ eius ſanguinem ſuſcepit. Quod homo in hac uita in tantũ poſſit proficere, quod nec orare, nec ieiunare oporteat. Item quod laicus illuminatus plus poſſit proficere in docendo: & quod plus illi credendũ ſit, quàm Euangelio & doctoribus ſcripturæ ſanctæ.

Albergothus Baldus & Angelus Iuriſperiti, Guido Cauliacus Chirurgus, Maximus Planudis Monachus Grȩcus, Iohannes de Linerijs Mathematicus, Iohannes Bocatius florent, & Henricus de Haſſia.

DE PRIMIS ANGLICIS.

Anno Domini mill.ccclxv. Cum imperator Carolus Seltzȩ ageret, uenerunt in Alſatiam Angli, numero quadraginta millia equitum & peditũm, quorum dux erat eques quidam auratus, dictus Ertzprieſter von Springe hirtze/hij noctu irruerunt in agrum Argent. & in proximos pagos, nõ ſine incendio, rapina & latrocinio. Cumq; ferè hebdomadibus quatuor grauiter incommodaſſent Alſatiæ, & Carolus imperator cõſcripto exercitu eſſet inuaſurus nocentem hoſtem, fuga ſibi conſulunt Angli, uno die plus itineris abſoluentes, quàm Cæſar & ciuitates in multis inſequerentur. Nam dum Cæſar, epiſcopus Argentoratenſis Iohannes de Liechtenberg, & Reſpublica Argent. apud diui Arbogaſti monaſterium & Eckboltzheim caſtrametantur, Angli iam Benfeld, Danbach, & Seleſtadium conceſſerant. Argentoratenſes quidẽ & aliȩ ciuitates, quid ceſſarent, appellant Imperatorẽ, cur non recta hoſtem inuaderẽt. Sed Cȩſar cauſabatur ſe, neſcio quorum principum prȩſidia expectare. Tandem uſq; Colmariam uentum fuit, ſed abierant Angli. Reditur, ſed grauiori incommodo Alſatiæ: Cæſareani enim hoſtibus ipſis nocentiores fuerunt. Et erat hæc profectio ante meſſem & in meſſe. Hinc cariſtia annonæ facta, ut quartale frumenti libra Argentoratenſi uenderetur.

Comitia Mogontiæ. Circa hæc tempora Carolus imperator Mogontiæ comitia habet cum archiepiſcopis Mogontinenſi, Treuerenſi, & Colonienſi. Aderant quoq; Saxoniæ & Bauariæ duces. Iſtuc pontifex miſerat legatum, epiſcopum Canalceñ. pro ſubſidio Cameræ. Quem cum imperator præſentibus principibus audiuiſſet, reſpondit: Domine legate, papa miſit uos ad Germaniam, in qua magnam pecuniam corraditis, ſed in Clero nihil reformatis. Adſtabat autem Cuno de Falckenſtein canonicus Mogont. cũ capitio prȩcioſo, aureis & ſericis ligaturis conſuto, quod imperator ſuo capiti imponens, inquit: Sum ne in capitio Cunonis plus militi quàm clerico ſimilis: & intuitus Gerlacum archiepiſcopum Mogont. ſic affatur: Domine archiepiſcope, uobis prȩcipimus ſub ea fidelitate qua nobis aſtringimini, ut clerum ueſtrum reformetis, tollatiſq; abuſum in ueſtibus, calceis, capillis, & toto uitæ habitu. Quod ſi non fecerint, mandetis fructus beneficiorum ſuorũ occupari, & Fiſco noſtro prȩſentãdos, quos nos in honeſtiores uſus cõuertemus. Colloquio iſto peracto, pontificius legatus non diu Mogontiæ hæſit, ſed quaſi fugitans, naui conſcenſa, Coloniam ſoluit.

Imperatoris parryſia erga legatũ Ro. pont.

Reformatio cleri.

Laudatur hic Carolus, utpote multis heroicis uirtutibus præclarus. Aureã bullam (in qua ſunt ſanctæ conſtitutiones pacis) ab hoc habent Imperij electores.

Niſi quod

Niſi quòd quidam illi uitio uertunt, quòd Bohemici regni gloriam magis quam Romani imperij quæſiuit, & quòd regni Arelatenſis ius, Galliæ contradidit, Schola liberalium diſciplinarum ab hoc Pragæ erecta eſt.

Norinbergæ ſeditionem grauem exortam à Collegio Fabrorum, Capribarbæ uulgo, Die Geißbert/ dictorū. Ipſe pietate & meritis grauis, cui conſiliarij & optimates urbis adhærebant, pulchre ſedauit ſua induſtria, nam Collegia uel Tribus, quas uocant Zunffthaus, aboleuit, & urbem in meliorem politiam reduxit. *Norinbergæ ſedata ſeditio.*

Anno Domini Mccclxvi. Comes Aego per inſidias uoluit Friburgum occupare. Friburgenſes admoniti, præſidio Baſilienſiū, Briſacenſiū, & Nuuenburgenſium, contra ſteterunt, & paulo poſt Arcem uicinam urbi, quam uocāt Burgſtadel, deſtruxerunt. Poſthac cum oppidum Endingum obſiderent, & Aego Comes copias contraheret, dimiſſa obſidione, utrinq; pugnatur, aliquot occiſis, in Rheno ſubmerſis & captis. Poſthac pace facta, liberati à domino ſuo pecuniæ ſumma, Duces Auſtriæ dominos agnoſcunt. *Comes Aego Friburgum occupat.*

Anno Domini Mccclxviij. Vrbanus compoſitis rebus Piſanis ac Florentinis, uocauit Carolum Imp. in Italiam, ut Bernabauem Eccleſiæ hoſtem ulciſceretur, cum quo tamen Imp. imſperato pacem fecit, quod Papæ diſplicuit.

Anno Domini Mccclxx. Carolus Vuenceslaum filium natu maiorem, Cæſarem facit, qui cum patre annis octo regnauit. Scribit Aeneas Syluius, Carolum cuiq; Electorum promiſiſſe centum millia aureorum pro conſenſu, ſed cum non eſſet ſoluendo, obligauit illis Thelonia, uectigalia, & oppida imperialia, hinc Aquila deplumatur. *Vuenceslaus fit rex.*

Per hos dies Ro. Imp. Carolus uiſendi regis Galliarū deſyderio, iter per Hannoniā, Cameracumq; faciens, in Franciā uenit. De cuius aduētu Carolus rex Galliarum literis acceptis, ad ſingula qua tranſiturus Imperator erat loca præmiſſis, qui illum honorificentiſſime uenerarentur, excepit. Et cum articulari morbo laboraret Imperator, currum & lecticā auro, gemmiſq; artificioſiſſime elaboratam, ad Imperatorē præprore miſit rex, deinde equos duos ingenuos atq; animoſos inſignibus Francorum apparatiſſime ornatos Imperatori, totidemq; filio eius Romanorum regi, Caroli nomine præſentant miſſi. Quod munus Imperator liberaliſſime lætiſſimeq; excipiens, ego inquit, in altero illorum ſedens, Pariſios ingredior, quod & factū fuit. Vbi uenientibus Principibus, alter in alterius conſpectu, reuelato capite, datiſq; dextris, ſeſe amiciſſime uenerantur. Mox ad Romanorum regem Carolus accedens, impertita illi ſalute, imperatorem dextrorſum, regem uero filium ſiniſtrorſum habens, ipſe medius inceſſit. Poſt mutua colloquia & conuiuia, firmata inter eos iureiurando amicitia eſt. Diſcedentem Imperatorem, Carolus ad Monſum uſq; ſua impenſa perducere iubet.

Anno Domini Mccclxxij. Menſura uini Argentorati uendita fuit iiij. ſolidis, in Auguſto, quo anno Tigurini Vuormatienſes & Spirenſes Alſatibus uina aduexerunt, mox muſtum uenditum fuit in Autumno duobus nummis.

Anno Domini Mccclxxv. Nobiles quidam Anglici, Britones, Picardi, Goti, Scoti, & gentes innumerabiles de proprijs proprie non contenti, per turmas armatorum uiolenter regnantes terras Francorum, Burgundorum & Luteringorum moleſtarent, & per decennium huiuſmodi perturbationes extra terminos ſuos dilatarent, demum circa annum Domini Mccclxxv. Alemanniā ſuperiorē intrantes, per incolas uillę Bernenſis, in quodā Monaſterio Monialiū fontis Mariæ, Conſtantiēſis diœceſis collecti gladio, ſed plus amariſſimę crudelitatis igne, in dicto Monaſterio conclauati, & recluſi, penitus ſunt extincti. Malleolus.

Anno Domini Mccclxxvij. Comes Vlrichus Vuirtenbergenſis, apud Reuttelingam cladem ſuſtinuit, multis egregijs uiris interemptis.

DE SECVNDIS ANGLICIS.

Anno Domini Mccclxxv. Mixtus populus ex Britannis & Germanis, numero vi. mille armis munitiſſimi, cum innumerabili uulgo, ſed non eque armato, Capitaneos habebant xxv. hij Alſatiam rapinis & incendio admodū uaſtarunt.

& exactionibus, ſcopus erat multa corradere. Duriſſimi erant exactores, à diuitibus aurum, caballos, ſericum petebant, à pauperibus, calceos, clauos, ferramenta equorum. Cum autem incendio pagis in agro Argentoratenſi admodũ incommodarent, rogati quid acciperent & abſtinerent incendio, petebant florenorũ ſexaginta millia, ſexaginta pannos ſericos, & ſexaginta equos, petitio hæc inaudita erat. Tandem Epiſcopatus & oppida imperialia, numerarunt illis florenorum tria millia, ita horrendis, ſtupris, & facinoribus deſignatis, abierunt.

Anno Domini Mccclxxv. Gregorius Papa xi. Decimam ſollicitauit ab Eccleſiaſticis per omne imperium. Sed Archiepiſcopi tres ad Rhenum ſe oppoſuerũt emunctioni cleri ſui, Interim moritur Mogontinus, & Papa Eccleſiam donauit Ludouico, Bambergenſi Epiſcopo. Capitulum aũt elegit Adolphũ de Naſſauu. Imperator ſtuduit Ludouico, & obſedit Ertphordiã, uaſtauit uicinã Turingiam.

Scribit Aeneas Syluius Imperatorem iureiurando adactũ, ne pignora reuocaret. Vide cap. 33. in hiſto. Bohe.

Interea Carolus multa peregit, ut filius eius Vuentzlaus rex Bohemiæ, & Romanorum quoq; rex eligeretur. Inde euiſceratũ eſt imperium Rheni, uectigalia, quæ pro patrimonio erãt imperio, inde partita ſunt, ut unuſquiſq; electorũ non modicũ quid acciperet. Deplumata eſt Aquila, ut in reliquum cæteris ſit animantibus contemptui, quid enim poteſt ſine pennis? Alb. Krantz lib. x. Saxoniæ cap. iij. Nam idem Imperator Carolus (neſcio ſi ad interpretationem uerbi Auguſtus, quam nũc faciunt, bene imperij neruos exhauſit, uireſq; cõſcidit) ſedecim in Sueuia urbes ſine medio recognoſcentes imperium, uendidit uicinis Principibus. Aliæ quatuordecim conſpirant inuicem, & fœdere mutuo ſe conſtringunt, quędam ſalua libertate ſolita, Principibus Auſtriæ ad protectionem ſe cõmendant, non ut dominis pariturę, ſed ut protectoribus uiciſſim obſequuturæ.

Anno Domini Mccclxxx. Inuentum eſt bellici tormenti genus à Germanis nõſtris, quod uulgo Bombarda dicitur, à ſono opinor ac tonitru. Vide infra de arte Impreſſoria anno Mccccxl.

EPITOME AVREAE BVLLAE Caroli quarti, Rom. Imp.

Mala ex diſcordia.

SVB Carolo quarto prodijt aurea Bulla. Anno Domini Mccclxvi. Norinbergæ præſentibus Principibus Electoribus, Eccleſiaſticis & ſecularibus contra diuiſionem, pro unitate in imperio prouehẽda. Enumerantur aũt initio, quæ mala ex diuiſione contigerint, lapſus Luciferi, eiectio Adami ex Paradiſo, deſtructio Troiæ, euerſio reipu. Romanæ, in diuiſione Iulij & Pompei.

Saluus conductus.

Primum autem ſtatuitur, ut proficiſcentibus ad electionem, ſaluus conductus pręſtetur, periurij pœna, qui in hos leges cõmiſerit, & ne talis inueſtiatur de feudis, quæ à ſacro imperio, uel aliàs obtinet. Regem Bohemiæ, ſacri imperij Archipincernam conducent Archiepiſcopus Mogontinus, Bambergenſis, Herbipolenſis Epiſcopi, Burggrauius Norinbergenſis. Item illi de Hohenloch, de Vuerten, de Bruneche, & de Hanauu. Item ciuitates Nurenburgenſis, Rotenburgenſis, & Vuindecheim.

Deinde Archiepiſcopum Colonienſem, ſacri imperij per Italiam Archicancellarium, conducere tenebuntur. Mogont. & Treuiren. Archiepiſcopi, Comes Palatinus Rheni, Lantgrauius Haſſiæ. Item de Katzenellenbogen, de Naſſauue, de Dietz comites. Item de Iſenburg, de Vueſterburg, de Runkel, de Lymburg & Valkenſtein. Item ciuitates, Vuetflaria, Geylenhuſen, & Frideberg. Deinde Comitem Palatinum, ſacri imprrij Archidapiferum conducere debebit Archiepiſcopus Mogontinus.

Ducem uero Saxoniæ, Archimareſtallum ſacri imperij, conducere debet rex Bohemiæ, Mogontinus, & Madeburgenſis Archiepiſcopus. Item Bambergenſis & Herbipolenſis Epiſcopi. Marchio Miſnenſis, Lantgrauius Haſſiæ. Item Fuldenſis & Herffeldenſis Abbates, Burggrauius de Norinberg. Item illi de Hohenloch, de Vuyrtheim, de Bruneck, de Hanauu, de Valckenſtein. Item ciuitates Ertphordia, Mulhuſen, Norinberg, Rotenburg, & Vuyndeſcheim.

. Et hij

Et hij omnes proxime nominati, Marchionem Brandenburgenſem, ſacri imperij Archicamerarium conducere tenebuntur. *Mogont. conuocet.*

Archiepiſcopus Mogontinus electores conuocat Francophordiam, ſpatio trium menſium. Quòd ſi in executione & intimatione negligens exiſtat, ueniant electores etiam non uocati Franckfurt, ultra cc. equites nullus adducat, & inter hos non ſint ultra quinquaginta armati. *Numerus equitum. 200.*

Ciuibus Franckophordum iniungitur ui iuramenti præſtiti, ut protegant & defendant aduenientes electores, & præter hos neminem intromittant. *Ciues Francof.*

Poſt inuocationem ſancti Spiritus, in Eccleſia ſancti Bartholomei Archiepiſcopus Mogontinus Electoribus iuramenti formam dabit, & una cum ipſis iurabit, poſitis in medium Euangelijs.

FORMA IVRAMENTI.

Forma iuramenti.

EGO Archiepiſcopus Mogont. ſacri Ro. Imp. per Germaniam, Archicancellarius, ac Princeps elector, iuro ad hæc ſancta Dei Euangelia, hic præſentaliter coram me poſita, quod ego per fidem (qua ego Deo & ſacro Romano imperio ſum aſtrictus) ſecundum omnem diſcretionem & intellectum meum, cum Dei adiutorio eligere uolo temporale caput populo Chriſtiano, id eſt regem Ro. in Cæſarem promouendum, qui ad hoc exiſtat idoneus, in quantum diſcretio & ſenſus mei me dirigunt, & ſecundum fidem prædictam, uocemque meam, & uocum electionem præfatam dabo, abſque omni pacto, ſtipendio, precio, uel promiſſo, uel quocunque modo talia ualeant appellari. Sic me Deus adiuuet, & omnes ſancti.

Mox à præſtito Iuramento infra triginta dies eligant temporale caput, quòd ſi diſtulerint, à tranſactis triginta diebus panem manducent & aquam, nec Francophordia diſcedant, niſi electo rege.

DE SESSIONE TREVIREN. COLOnień. & Mogontineń. Epiſcoporum.

SANCITVM eſt quod Treuirenſis ex oppoſito, & lineati directione, uerſus Imperatoris faciem. Mogont. uero in ſuis, diœceſi & prouintia, & extra prouintiã ſuam, in toto Cancellariatu ſuo Germanico, prouintia Colonienſi dumtaxat excepta. Et demum Colonienſis in ſuis, diœceſi & prouincia, & extra prouintiã ſuã, in tota Italia & Gallia, in dextero latere Romanorum Cęſaris ſedere poſſint, in omnibus publicis actibus, imperialibus, concilijs, collationibus feudorũ, refectionibus menſarum. Poſt Mogontinũ, uel Colonienſem, rex Bohemię, cum ſit Princeps coronatus, & unctus, deinde Comes Palatinus Rheni. *Seßio electorum.*

Ad ſiniſtrã partẽ, immediate poſt illũ, quem ex prædictis Archiepiſcopis in latere ſiniſtro ſedere cõtigerit, primũ locũ dux Saxonię, & poſt eum Marchio Brandenburgenſis. Ab his ſuffragia hoc ordine poſcit Mogontinus, primo interrogat à Treuirenſi Archiepiſcopo, ſecundo à Colonienſi, cuius eſt dignitas & officium, diadema regium imponendi, tertio à rege Bohemiæ, quarto à Comite Palatino, quinto à duce Saxoniæ, ſexto à Marchione Brandenburgenſi, tum & Mogontinus uotum ſuum aperit.

In celebratione imperialis curiæ, Marchio Brandenburgenſis aquam lauandis manibus Imperatoris miniſtrat. Rex Bohemiæ primum potum propinat. Palatinus cibum. Dux Saxoniæ Marſcalcus, ſolitum officium præſtat.

DE IVRE COMITIS PALATINI.

VACANTE imperio illuſtris Comes Palatinus Rheni, ſacri Romani imperij dapifer, ad manus futuri regis Ro. in partibus Rheni & Sueuiæ, & in iure Franconico, ratione Principatus, ſeu comitatus Palatini priuilegio, debet eſſe prouiſor imperij, cum poteſtate iudicia exercendi, & ad beneficia Eccleſiaſtica præſentandi &c. Eodem iure prouiſionis, illuſtris dux Saxoniæ Archimarſchalcus in illis locis, ubi Saxonica iura ſeruantur, fruatur. *Ius Comitis Palatini.* *Ius Ducis Saxoniæ.*

DE SVC-

DE SVCCESSIONE PRINCIPVM Electorum.

Succeßio electorum.

POſtq; electores ſeculares deſierint. Decretum, ut ius, uox, poteſtas electionis, ad filium primogenitum legittimum laicum. Illo non extante, ad primogeniti primogenitum ſimiliter laicum deuoluatur. Quòd ſi primogenitus abſq; hęredibus, maſculis legittimis laicis, ab hac luce migrarit. Ius, uox & poteſtas ad ſeniorem fratrem laicum, per ueram paternalem lineam deſcendētem pertingat, & deinceps ad illius primogenitum laicum. Si uero Princeps elector, ſeu eius primogenitus, aut filius ſenior laicus moriatur, & hæredes maſculos, & legittimos laicos defectum ætatis patientes, relinquere contigerit. Tunc frater ſenior eiuſdem primogeniti, tutor eorum & adminiſtrator exiſtat, donec ſenior ex eis legittimā ætatē attigerit, quam in Principe electore annos xviij. cōpletos, cenſeri uolumus. Si aliquis ex his Principatibus uacauerit, Imperatoris eſt prouidere.

DE IMMVNITATIBVS.

Immunitates.

REGIS Bohemiæ & ſubditorum immunitas, ut appellare à regali iudicio nemini liceat, auri, argenti, & ſtanni, ferri, cupri, plumbi, ſalis, mineras habere, item Iudæos, thelonia & id genus habere poſſint. Monetas auri & argēti excudere ualeant.

Cæterorum Principum electorum immunitas, quòd eximuntur eorum ſubditi à tribunalibus, extra territorium, & terminos Principum.

DE CONGREGATIONE PRINCIPVM.

Annuus conuentus electorum.

DECRETVM ut ſingulis annis à feſto Reſurrectionis Dominicæ conueniant, in aliqua ciuitatum imperij perſonaliter, tractaturi de imperij & orbis ſalute, qui imperij baſes ſunt & columnæ, datæq; leges conuiuales & ſumptuariæ, ne frequentatio conuiuiorum rebus agendis remoram iniiciat.

DE ORDINE PROCESSIONIS, INTER Archiepiſcopos & Electores alios.

Ordo proceſſionum.

IMperatore uel Rege deambulante, cum inſignia ante faciem eius portantur. Archiepiſcopus Treuirenſis, in directa diametrali linea ante Imperatorem, uel Regem tranſeat, illiq; ſoli medij inter eos ambulent, qui regalia inſignia portāt. Cum autem rex abſq; inſignijs inceſſerit, tum Treuir ita præcedat, ut nemo inter Regem & ipſum medius habeatur, alijs duobus Archiepiſcopis electoribus loca ſua ſeruantibus. Dux autem Saxoniæ regalem enſem deferat, Regem immediate præcedat, & inter illum & Treuirenſem medius habeatur. Comes Palatinus pomum imperiale portet, à latere dextro. Marchio Brandenburgēſis ſceptrum deferat à ſiniſtro latere ipſius ducis Saxoniæ gradiatur. Rex Bohemiæ regem nullo interueniente ſequatur.

DE CVRIA IMPERIALI, & ſeſſione.

Sedes Imperatoria.

DIE ſolenni curiæ imperialis ueniant electores Eccleſiaſtici, & ſeculares ad domum habitationis regalis. Ibi Imperator inſignijs imperialibus induetur, & aſcenſis equis, uadant cum Imperatore ad locum ſeſſionis aptatæ.

Archicancellarius in cuius archicancellariatu hoc fuerit, portabit ſuper baculo argenteo omnia ſigilla & typaria imperialia & regalia. Seculares Principes, electores, ſceptrum, pomum, enſem. Portabuntur etiam immediate ante Archiepiſcopum Treuirenſem ſuo loco tranſeuntem primo Aquiſgrani, ſecundo Mediolanenſis corona, & hoc dumtaxat ante Imperatorem, qui eſt imperialibus inſulis decoratus, quas geſtabūt aliqui Principes inferiores ad hoc per Imperatorem iuxta placitum deputandi.

Sedes Imperatricis.

Imperatrix Auguſtalibus inſignijs, amicta ſuis comitata uirginibus poſt Imp. competentis ſpatij interuallo, ad locum ſeſſionis procedat.

DE OFFICIIS PRINCIPVM ELECTORVM, ſedente rege in ſede regia.

DVx Saxoniæ equo inſidens, babens baculum argenteum, & menſuram argenteam in manu, ex aceruo auenæ pertingente ad ſellam uel pectus equi, menſuram plenam accipiet, & famulo uenienti exhibebit, demũ uice Marſchalcus de Bappenheim diſtribuet.

Ingreſſo rege ad menſam, Eccleſiaſtici Electores menſe benedicant.

Brandenburgenſis Archicammerarius accedat ſuper equo, habens argenteas pelues, & deſcendens de equo, dabit aquam lauandis manibus imperatoris.

Rex Bohemiæ Archipincerna, deſcendens de equo, ciphum argenteum, ponderum duodecim marcarum, porrigit regi ad bibendum.

Comes Palatinus ſimiliter intrabit ſuper equo, habens in manibus ſcutellas argenteas cibis impletas, quas regi apponit.

Peractis officijs, ille de Falckenſtein ſubcamerarius equum & pelues Marchionis pro ſe accipit.

Magiſter coquinæ de Norinberg equum & ſcutellas comitis Palatini.

Vice pincerna de Lympurg equum & ciphum regis Bohemiæ.

Vice Marſchalcus de Bappenheim, equum, menſuram, & baculum ducis Saxoniæ.

Tandem ſtatuitur, cũ Romani imperij celſitudo diuerſas nationes & linguas ſub ſe habeat, ut prudenti regimine illis proſpiciatur. Vt illuſtrium principum, puta regis Bohemiæ, comitis Palatini Rheni, ducis Saxoniæ, & Marchionis Brandenburgenſis, Electoribus, filij uel hęredes & ſucceſſores, cum uerisimiliter Teutonicum idioma ſibi naturaliter inditum ſcire præſumatur, & ab infantia didiciſſe, incipiendo à ſeptimo ſuæ ætatis anno. In Grammatica, Italica, Flauica linguis inſtruantur, ita quod infra xiiij. annum ætatis exiſtant in talibus, iuxta datã ſibi à Deo gratiam, eruditi. *Cognitionem linguarum habeant Electores.*

Anno mill.ccclxxxvi. Auſtriæ dux Leopoldus apud Sembach cũ Turricenſibus, Bernatibus, Lucernatibus, Vnteruualden, Vre, Suitenſibus, et alijs confligit, qui de præfectis ducis admodum querebantur, nimium grauibus populo ad libertatem aſpiranti: ſed res infœliciter cecidit, nam dux ipſe cum inſigni & numeroſa nobilitate fuit interemptus, & contigit Heluetijs uictoria, ſed nõ incruenta.

In hoc bello nemo capiebatur ex utraq; parte, ſed neci dabantur uicti. Fertur ducem Auſtriæ in exercitu ſuo habuiſſe meſſores cc. cum falcibus totidem, ut ſi fruſtra obſideret Sempach, tamen abmetendo regiones ad meſſem albas (erat enim circa feſtum Vlrichi) noceret, hoc furorem incuſſit confœderatis, & furor arma miniſtrauit. Inter interfectos difficulter inuentus dux, tertio poſt die, & ſepultus cum xl. nobilibus in Kunigsfeldt.

DE ORIGINE SVITENSIVM.

DE origine Suitenſium & ſucceſſu, de nominis æthimologia cum uarient, & paſſim habeantur Chronica Suitenſia & Heluetia in præſentiarum habeat, ut pios ita in omni eruditionis genere præſtantes uiros, per quos haud dubie, quæ Dominus multis annis benigniſſime cum eis egit, certiora expectemus, ego lubens abſtineo. Tantum hoc libet hic ſubijcere, quod ſuperioribus annis legi in expoſtulatione quadam Dei per proſopopeiam eos alloquentis & exhortantis, ut reſipiſcant, & in memoriam reuocent, quę benefacta eis contulerit, & quàm miraculoſe cum eis egerit. Paterne dilexit, fideliter defendit, diuites & glorioſos fecit, non minus quàm Iſraelem, Græcos aut Rhomanos, Prophetas dedit probos, fideles, & eximie doctos, ex ipſis, per quos illis Deus innotuit.

Anno Domini mill.ccixvij. Cum à potenti domino de Regenſperg grauiſſime premerentur, cuius aſtui & poteſtatię nemo par erat, humiliauit eũ Dominus, & tradidit in manus eorũ, ut ad inſtar uulgaris equitis ſe demitteret. Tum arces

munitiſſimę Regenſperg, Vtzenburg, Glantzenburg, & Gloggenburg, per con
fœderatos occupatę fuerunt, & funditus deſtructæ. Item anno mill.cccl. Domi
nus tutatus fuit contra crudeles, ſubitaneas, & inſidijs plenas practicas inſtitutas
in latrocinij noctem, auff die Mordtnacht/ in qua nec infanti in utero matris parci-
tum fuiſſet, ubi confœderatorum domus & facultates iam diuiſæ etiam erant,
ibi Dominus uictoriam contulit, & hoſtem captiuum in manus eorũ tradidit.

In alia nocte rurſus defendit eos Dominus contra hoſtes, mit den roten ermlen/ &
potentes fecit, ut arces robuſtas, Liel, Vrnach, & Baldegg caperent & deſtruerẽt.

Item anno mill.cclxxxi. uictoriam contulit contra comitem Rudolphum, co
mitem de Kyburg, & multos nobiles, Item liberauit à tyrannide præfecti cuiuſ-
dam Grysler dicti, cõtra Vuilhelmum Tællen, quem is coegerat, ut filio proprio
pomum à capite ſagitta decuteret. Idem pileum erexerat, magnis pœnis inter-
minatus, ut honorarẽt. Idem turrim conſtrui curauit, nominandam Zwing Vry
vnder die ſtygen. Eo tempore inuictas arces Regenberg, Saruen, Landenberg,
Schuuanauu, Schonenberg, ut occuparent & frangerent, Dominus dedit, fuga-
tis etiam & occiſis tyrannis. Varias inſuper uictorias contra Auſtriacos, Medio
lanenſes, Anglos, Burgundiacos, Sueuos, Gallos, enumerat hæc proſopopeia.

Anno mill.cccxv. in loco dicto Morgarten, ſeptuaginta uiri contra multitudi
nem hoſtium fortiſſime pugnarunt, in loco dicto Sella, am Sattel/ ingenti metu
incuſſo aduerſarijs, ac multis in lacu egre ſubmerſis. In Sempach contra princi-
pem Lupoldum uictoria potiuntur M.ccc. contra iiij.mill. Rurſus anno mill.
cccliij. Turicenſes contra Ellerſpach præfectũ ducis & Capitaneũ apud Dætuuil
circa Baden, ubi cccc. confœderatorũ uincunt iiij. millia. Tum Turregũ à duce
Alberto, qui tribus uicibus obſederat, liberatur, & quarta uice à Carolo iiij. qui
grauiter obſedit robur belli ſuppeditãtibus imperio Bohemis & domo Auſtrię.

Anno mill.cccxxxviij. Circa Laupen pauci confœderatorum contra multos
principes, comites, potentatus, uictoria potiuntur apud hardt, ubi multi aduer-
ſæ partis in Rheno ſubmerſi fuerunt.

Anno mill.ccclxxiiij. Cum Anglici toti Germanię metum incuſſiſſent, equi-
tes circiter decem & octo millia impune uagantes per principũ terras, & per con
fœderatos apud Lus Buttisholtz, & Frauuenbrunnen cæſi ſunt, & Germania in
genti cura & ſollicitudine liberata.

Anno mill.ccclxxxviij. apud Næhenfels cc. confœderati vi. millia uincunt.

Apud Bellitz exiguo numero contraſteterunt Mediolanenſi Stanthardo, qui
non ſolet ad pugnam egredi, niſi centum millibus, ubi & uictoriam, immenſas
facultates, & uexilla xiij. reportarũt. Deinde anno mill.cccclxxv. Apud Elygurt
Granſen, Murten, Nanſen, cũ alijs, ut infra habebimus, cõtra Carolum Burgun-
diacum uictoria non ſemel potiuntur. Item apud Bruderholtz loco Baſileę ui-
cino, Dccc. confœderatorum, viij. millia inuadunt & uincũt. Item apud Ermer
dingen, uulgo im ſchwaderloch/ ubi cõfœderati una die & uincũtur, & uincũt mox:
nam M.ccc. eorum, xij. millia partis aduerſę ſuperarũt. Poſthac apud Fraſtentz:
itẽ Dornaci apud Byrſam, Dñs uictoriã illis contulit. Hęc & id genus alia habet
hæc proſopopeia, cũ enumeratione. Qua in re confœderati peccent hodie con-
tra Deũ, quod eorũ terra aſylum eſſe debeat adflictorũ, & domicilium iuſtitię, &
ita olim fuerit, (Hinc illuſtris & uere nobilis princeps Sigiſmundus Auſtrię dux,
cum alijs ſibi eo tempore fœdere iunctis, Argentoratenſibus, Schuuartzuualden
ſibus, Songauienſibus, Briſgauienſibus, cõtra Petrum Hagenbach, ſubſidio con
fœderatorũ, iuſtitię & ęqui amantiſſimorũ, egerũt) ſed iam res habeãt iuxta ſer-
monem Eſaię loquẽtis ad Iudam cap.i. Quõ facta eſt meretrix ciuitas fidelis, ple
na iudicij: iuſtitia habitauit in ea, nũc aũt homicidæ &c. Expendant quid mali
bella & penſiones afferant. Depingit falſum Dei cultũ, quem fugiant, & uerũ,
quem amplectantur. De uerbo Dñi, Nouo & ueteri Teſtamento. De prædicato
ribus uerbi, de officio magiſtratus, de electione magiſtratus, de fratre Nicolao et
eius conſilio. Et per hypotypoſim ſubijcit terram Helueticam, & eius fertilitatẽ,
amœnitatẽ & robur, cũ mentione reformationis, terrore irę Dei tandẽ cõcludit.

Schiſma

SCHISMA.

POſt Gregorium xi. exortum fuit magnum ſchiſma, nam Italiani Italum fecerunt papam, & nominabant Vrbanum ſextum. Is Rhomæ egit. Galli alterũ elegerunt papam, quem uocabant Clementem vij. Hic rurſus profectus eſt Auinionem. Sic erant duæ Rhomę, & duo papæ, & unus excommunicabat alterũ. Italia, Hungaria, Germania, adhærebãt Vrbano Ro. papæ. Durauit hoc ſchiſma uſq; ad conciliũ Conſtant. Hinc locus: Bicipitem dudũ aquilam Romani imperatores in armis ſibi prætulerunt & præferunt uſq; hodie, quamuis dudum Orientis imperium euanuerit à Chriſtianiſmo, translatum in perfidos Mahometanos: nunc bicipitem infulam incipiunt adorare Romani pontifices.

Schiſma in electione pont.

Duæ Rhomæ, Duo Papæ.

VVENCESLAVS XXXIII. GERM. IMP.

ANno Domini mill. ccclxxviij. VVENCESLAVS Bohemię rex iam patre uiuente, & plurimum annitente, rex Rom. creatus, cœpit utrunq; regnum ſine magna ſollicitudine adminiſtrare. Nec enim annisus eſt imperij coronam accipere, quam etiam nõ promeruit: uir animo non ſatis ad imperium idoneo, qui (ut ferunt) uentri deditus, omnia poſthabuit. Aliquantoq; melius actum eſſet cum imperio, ſi neq; pater, neq; filius in eo fuiſſent. Nam pater largitionibus ut filium extolleret, filius ignauis diſſimulationibus, imperium attriuere, inq; eam tenuitatem, quę nũc cernitur, adduxere. Auguſtos ſe amant interpretari, quaſi augendo inſtantes imperio: ſed longe ab hac interpretatiõe patris largitio, & filij ignaua diſſimulatio fuit. Nam Vuenceslai incuria in regno Bohemiæ illa Chriſtianiſmi cruenta diuiſio inuaſit, Subincone archiepiſcopo Pragenſi, cui cognomen erat Lepus, frigidam ſuffundente, qui Orienti calamitati obuiã ire cupiens, libros Iohannis Vuicleui ad ſe ferri, omnesq; publice concremari iuſſit. Supra cc. uolumina fuiſſe traduntur pucherrime conſcripta, bullis aureis, tegumentisq; præcioſis ornata. Iohanni Huſs prædicatio interdicta, & adiectę minæ, ſi quando dogmata ſua in populum uulgare auderet.

VVENCESLAVS XXXIII. Ger. Imp.

Aeneas Syluius in hiſt. Boh. cap. xxxiiij. Fuit, inquit, Vuenceslaus longe patri abſimilis, uoluptatum ſequax, laboris refugiens, uini quàm regni curioſior. Ob quam rem captus à baronibus, xvij. hebdom. in cuſtodia habitus. Iohannes dux Luſatiæ, & Procopius Marchio Morauiæ, magno Reipublicæ malo, eum libertati reddiderunt. Captus & ſecundo per Hungariæ regem fratrem ſuum, & Alberto Auſtrię duci in cuſtodiam datus. Cuſtodia eius in egregijs ædibus apud Vuiennam habita, quibus exinde cognomen Praga datũ, quod eas rex Pragenſium incoluiſſet. Sed cum parum diligenter cuſtodiretur, fugam arripuit, regno rurſus potitus: neq; tum uitã mutauit, ſed priori conſuetudine uino ciboq; marcens, lucemq; dormiendo nocti cõiungens, ab Electoribus Imperij, comprobante Romano pontifice, imperio deiectus, domi torpens, illaudatum egit æuum.

Anno Domini mill. ccclxxxvi. Paiazites Turcarũ quartus imperator regnat, Hic totam Græciam ac Theſſaliam cepit.

Poſt Vrbanum xi. fit papa Romanus Bonifacius ix.

Poſt Bonifacium ix. fit papa Innocentius vij.

Poſt Innocentium vij. fit papa Gregorius xij. Hic addixerat ſe ceſſurum papatui, modo Benedictus quoq; reſignaret. Cum autem Benedictus nollet, & ex Auenione in Hiſpanias fugeret, nec Gregorius uoluit reſignare. Quapropter concilium Piſæ habitum fuit. In quo hi duo, Gregorius & Benedictus depoſiti, & electus fuit tertius, papa Alexander v. Gregorius fugit Ariminum, ibi manſit uſq; ad Conciliũ Conſtantienſe. Alexander uero manſit Bononię: nam Hungari Romæ agebant magna tyrannide, bellumq; habebant cum Gallis, propter Neapolim.

Poſt Alexandrum v. fit Papa Bononiæ Iohannes xxiij. Ita hij tres pontifices uixerũt uſq; ad Concilium Conſtantienſe: Iohannes xxiij. Bononię, Gregorius

Arimini, Benedictus in Hiſpania, & omnes depoſiti fuerũt in cõcilio Conſtant.

Anno Domini mill. ccclxxxvi. Iohannes Vuiclefus in Anglia, ac Catharina de Senis in Italia fulgent.

Anno Domini M. ccclxxx. Vuenceslaus rex Bohemię litem cõpoſiturus inter clerum & populum Vratislauienſem, illuc uenit. Et diuina ob reuerentiam ſui reſumi petijt. Clero autem abnuẽte, ut ſcelus prophanationis nõ incurreret, rex Vuenceslaus iratus, oppida & uillas eccleſiæ & monaſteriorum ſpoliare iuſſit. Et tam ingens gregũ pecudumq́; numerus Vratislauiam inductus eſt, ut trecentę oues pro tribus marcis uſualibus, bos uero pro fertone uenderentur, & propter emptorum penuriam, maior pars ad Bohemiam pulſa eſt.

Anno Domini mill. cccxciij. Vuenceslaus Rom. & Bohemię rex, de uniuerſo regno Bohemiæ fratres Teutonicos ordinis ſanctæ Mariæ, cum nigra cruce, eiecit, eos inutiles fore aſſerens, bonaq́;, caſtra & ciuitates ipſis abſtulit.

Anno Domini mill. ccclxxxviij. Graue bellum habuit Argentoratenſis Reſpublica, cum Friderico de Blanckenheim epiſcopo Argentoratenſi. Nam cũ urbs Bannum imperiale incidiſſet, propterea, quod Brunonem de Rapoltſtein conciuem (qui militem Anglicum in graui captiuitate detinebat) ad officium cogere, & ut captiuum libertati redderet ei perſuadere tardior eſſet, edictum regium contra urbem diuulgabat in finitimas terras. Principes multi, comitesq́; tanquã regijs mandatis parituri quidem, etiam oculo parum ſimplici huc ſpectantes, ut non ſoluerent cenſus & redditus quos tenebantur, arma in urbem mouent, pagos uaſtant, ciuium ædes in rure ſitas, igne conſumunt, uina, fruges, redditus, ligna, ſalem, Alſæ influxum apud Erſtein inferri prohibent, pecora abigunt. Fridericus odium in urbem diſſimulans, ſimulansq́; beneuolentiam, inito clam cũ principibus conſilio, per ſuos, quos uocant officiatos uel præfectos, urbi bellum indicit, pontemq́; Rheni flammis exurere tentat, aptatis ad id incendiũ lignis aridis, ſtraminibus, & ſulphure conſperſis, in nauesq́; ualidas, quæ per Rhenũ deſcenderent, collocatis. Hoſtes & adiutores epiſcopi in pagis epiſcopalibus Eſchauu, Vegersheim, Hundesheim, Northus, Erſtein, & alijs pagis apud Alſam, manebant, interdum tam uicini facti urbi, ut in planicie ante urbem, auff Metzger awe/ uiderentur. Argentoratenſes, ciuibus tutandis, hoſtibus arcendis, interdum mille equitibus egreſſi. Cum autem bellum hoc diu duraſſet, Comes à Sponheim Schultetus Oppenheimenſis, & honeſti ciues à Mogontia, Vuormatia & Spira, Argentoratum ueniunt, & quàm diligentiſſime pro componendo diſſidio inter urbem & epiſcopum, unà cum alijs ſedulo agunt, tandem anno mill. cccxciij. & ciuitas à Banno Imperiali abſoluitur, et bellũ cõponitur per Carolum iiij. Pragę.

Hinc Fridericus epiſcopus ualde triſtabatur, quod nõ omnia ex ſententia ſua illi ſucceſſerant, nec uoti compos euaſiſſet. Quoniam uero militibus ſuis in magno ære obnoxius fuit, quod ſe ipſis pręſtiturum ſub ſyngrapho ſpoponderat, nõ cogitans quod terras per bella parare, ſit aureo hamo piſcari. Equites ſolutionẽ appetentes, ipſum tandem Fridericum, quem pauloante adiuuerant, perſequi, & damna illi inferre cœperunt. Quare Fridericus cogitatione alterius epiſcopatus acquirendi tangitur, archiepiſcopatum Mogontinum, item Treuerenſem, ambit. At pontifex Romanus Traiectenſem illi contulit, & ab eodẽ Gulielmũ de Dietſcht auellens, ad Argentoratenſem tranſtulit. Hic Fridericus Baſilienſis eccleſiæ adminiſtrationem geſſit, exercitum in Sueuiam mouit. Hechingam oppidum ſub arce Hohen Zorn ſitam, expugnauit, pro quo commutationis uia à comitibus Vuirtenbergenſibus oppidum ſancti Hyppoliti in Alſatia ſuæ dioceſis conſequutus eſt. Fridericus nihilominus ab epiſcopatu Argentoratenſi eiectus, opulentum ipſum reliquit, quippe cui adhuc quotannis quadraginta aureorũ millia in emolumentis inferebantur.

Ferunt hunc Fridericum de Blanckenſtein Gulielmo de Dieſch ſucceſſori ſuo in epiſcopatu Argentoratenſi ſcripſiſſe, quod ſibi caueret à potentia urbis Argentoratenſis, ab infidelitate uaſallorum, & à Capituli ſui uel imperitia, uel ſimplicitate.

Bellum

BELLVM GVLIELMI DE DIESCH, Epiſcopi Argentoratenſis, contra urbem Argentoratenſem.

ANno Domini Milleſimo trecenteſimo nonageſimo quarto, GVILIELMVS de Dieſch, Epiſcopus Argentoratenſis pluribus annis bella geſſit cum urbe Argẽtoratenſi, minus tamen proſpere. Quamuis enim dimidiam partem terræ tranſrhenanæ, Offenburg, Gengenbach &c. (quam Epiſcopus Argentoratenſis pro magno ærẽ Romano imperio, uirtutibus domini Bertoldi de Bucheck impignoratam poſſedit) Roberto regi libere reddidiſſet. Zaberniamq; duci Lotharingiæ tradere uoluerit, ut alieno ſaltem ſubſidio fœlicius contra ciuitatem triumpharet, tamen conniuentibus domino Hugelmanno de Vinſtigen Decano, & Friderico de Hohenzorn camerario, à ciuibus Argentoratenſibus in Mollisheim captus, Argentoratumq; deductus eſt. Et cum diſſenſio inter ipſum & ciues, ab Archiepiſcopo Mogontino, & Marchione Badenſi (qui præſentes Argentorati fuerant) ſopiri nequaq; poſſet, præfati duo Canonici, & ex Senatoribus aliquot, Ruolinus Barpfenning, Vlrichus Gos, & Michael Mellbruge ad Concilium Conſtantienſe citati ſunt, illucq; Guilielmus perductus, & cautione ab ipſo & à ciuibus recepta, cauſa uentilari cepit, mutuiſq; articulis longo tempore, ut fieri ſolet, in libellum cunſcriptis. Epiſcopus tandem libertati reſtitutus eſt. Ciuitas uero ob iniectas in præſulem manus, cenſuras Apoſtolicas, & bannum imperialem, abſolutionis expetens, tum ipſi Concilio Conſtantienſi, tum Sigiſmundo Ro. Regi, ꝙ imperij Principem cœpiſſet, aureorum nummum ſummam ſoluit.

Titulus Epiſcopi Argentoratenſis, Anno Domini Mil. lxv. ſub Hetzelone & alijs fuit. Ego. N. diuina fauente clementia, Argentoratenſis Eccleſiæ paſtor indignus. Si fuiſſent quod audiebãt Epiſcopi, paſtores, infirmũ conſolidaſſent, & ægrotum ſanaſſent &c. Ezechiel. xxxiij. & à κατακυριεύειν ϗ κατ' ἐξουσιάζειν, iuxta præceptum Principis paſtorum, abhorruiſſent.

Anno Domini Mccccxcij. Gymnaſium Ertphordiẽſe fundatum eſt Bonifacio ix. priuilegium donante, Theologica ibi permiſſa facultate. Non uacat admiratione Germaniã tam diu ſine publicis egiſſe literarũ gymnaſijs, Francia quidem à memoria Caroli.I. eo genere claruit. Italia non longe poſt Bononiæ & quibuſdam alijs locis publice docere cepit. Germania uero omniũ ad cultũ nouiſſima prouincia, de qua recte Picus dixit, Rhenus in Tybrim conuertitur. Bohemia ſub Carolo quarto Imperatore, & rege ſuo Prage publicum meruit literarum gymnaſium. *Gymnaſium Ertphordienſe.*

Academia quoq; apud Coloniam Agrippinam hoc tempore fundatur. *Academia Colonienſis.*

Hoc tempore pernitioſa ſimultas fuit in ciuibus Coloniæ Agrippinæ, duplex habuere in urbe conciliũ, arctũ eorum, qui quotidiana ciuiũ negotia curarent, & latum ad illos quoq; pertinens, qui magnis reipub. negotijs aſciſcerẽtur. Erat ex latiore concilio uir primarius, quẽ legitimis cauſis proſcripſere magiſtratus concilij ſtrictioris, parendũ fuit. Sed ille apud Principes effecit, ut eorum opera reſtitueretur. Tum, ut ſe uindicet, multa molitur: deniq; conſtituit, ut concitata plebe, omnes de ſtricto concilio in uincula faceret pertrahi. Id ſenſere uiri ſagaces minoris concilij, & præuenientes molitionem cæterorum. Latum concilium per eandem multitudinem in uincula duci fecerunt. *Seditio Coloniæ inter ciues & Senatum.*

Verum erant ſenſati in communitate uiri, qui utramq; molitionem improbarent, effeceruntq;: ut minus etiam concilium cuſtodiæ manciparetur, quo minus cæteri conquererentur, iam agentes in cuſtodia. Et utriſq; diligenter cuſtoditis, ipſa communitas utrumq; concilium abſoluit, & nouo delectu habito, conſtituerunt ſenatum alium, & ut in reliquum ciuitas non duplici, ſed unico concilio gubernaretur, decreuerunt. Quod ſeruatum in hodiernum non paruum dedit rebus incrementum.

SEDITIO RVSTICORVM.

HAc tempeſtate Aruerni adiunctis ſibi Lemonicenſibus atq; Pictauis, grauiſſimam ſeditionem excitarunt, ducem ſibi quendam Petrum Bruerium inſtituentes, atq; ita per nequiſſimam licentiã graſſantes, nobilem quemq;, clerum item, & alicuius penſi hominem ſibi obuiam, ſine miſeratione obtruncabant, ſacerdoti amputatis digitis, capitis uerticem deglubunt, deinde cremant. Religioſum hoſpitalis ordinis per alas proceræ arbori appenſum, ſagittis, teliſq; confoſſum, necant. Nec modus illis erat ullus ſeuiendi, pluris inter illos habebatur, qui ditiora flagitia committeret. Tandem Biturigum dux, qui Auinionem ſalutandi Pont. gratia petebat, delecto nobiliũ exercitu, in ſeditioſos mouet, quos nõ difficili prælio multis occiſis, multiſq; laqueo ſtrangulatis ſuperauit. Ro. Gag. lib. ix.

Secta Albatorum. Anno Domini Mcccxcix. Albatorum ſecta cœpit à presbytero quodam Italo in Italia. Is quidem albo indutus panno, tantam modeſtiam uultu ac uerbis præ ſe ferebat, ut ab omnibus ſanctus haberetur. Magnã multitudinem uirorum & mulierum in ſententiã ſuam traxit, linteis albis circumuoluti omnes, ſine diſcrimine mares & fœminæ, ruſtici an ciues, ſerui an liberi, paſſim ueluti pecora, ubi nox oppreſſiſſet, dormiebãt: publice in uicis epulabantur. Crucifixum ſacerdos præferebat, quem lachrymari ob hominũ delicta dicebat, Viterbij ſubſtitit cum magna multitudine, Romam ad loca ſancta uenturus. Sed Bonifacius fraudem ueritus, quòd diceret hominem ſuperſtitioſum Pontificatum appetere, adiuuante illa multitudine, milites aliquot præmittit, qui hominem comprehenſum ad ſe perducant. Sunt qui ſcribant quæſtione confeſſum fuiſſe fraudem. Alij nihil fraudis ſubfuiſſe, ſed fictum à Pontifice abolẽdo rumori, quo hominem per inuidiam captum, & necatum affirmabant.

Gerſon Theologus, Nicolaus Florentinus, Iacobus Foroliuienſis, medici: & Ancoranus Legum conſultiſſimus, florent.

Per id tempus ſedente apud Auinionem Innocentio vij. qui rarã niſi ex Franciæ regno obedientiã erat conſequutus, & Cardinales xxx. ordinauerat, quibus grandi ſumptu opus eſſet. Diui Nichaſij Remenſis Abbate, in Franciã miſſo, dimidiatã omniũ Eccleſiarũ partẽ eligere conabatur. Cui cœpto, Scholaſtici Academię Pariſienſis reſtiterunt, miſſis ad Carolũ Oratoribus, qui Pontificis prędictum haud æquum eſſe perſuaderent. Audita Scholaſticorum quętela, rex exportari regno pecuniam uetat, & Eccleſiarum prouẽtus in tres diſtribui iubet, unam in Eccleſiarum inſtaurationem, alteram diſſoluendis earum obligationibus & debitis, tertiam quotidianis miniſtrorum uſibus aſſignauit. Ita Pontifex ædicti pœnitens, ab exactione deſtitit. Rob. Gag.

Anno Domini Mcccxciij. Celapinus Imp. v. Turcarum, qui imperium Trapezontinum cepit.

Anno eodem, Chriſtiani apud Nicopolim à Turcis deuicti ſunt inſigni pugna.

Eduardus Portugalliæ	Rex.
Heinricus iij. Hiſpaniarum	
Carolus v. Galliæ	
Heinricus v. Angliæ	
Iacobus iiij. Scotiæ	
Sigiſmundus Vngariæ	
Vladiſlaus Poloniæ	

RVPERTVS DVX BAVARIAE, COMES Palatinus Rheni. XXXIIII. Germ. Imp.

RVPERTVS XXXIIII. Germ. Imp.

ANno Domini Mcccc. Cum Vuentzeslaus rex Ro. nullis monitis proficeret, nullis rebus præter ſuam uoluptatem intenderet, neq; Bohemiam, neq; Romanum regnum in ſua cura complexus, Electoribus imperij Francophurdiæ cõgregatis. Vuentzeslao deplorato, & deſtituto: Rupertus in regem Ro. eligitur, & à Friderico Colonieñ Archiepiſcopo de more Aquiſgrani

conſecratur, deinde uenit Argentoratũ cum regina Adelheide, quatuor filijs ducibus, tribus filiabus & duce Lotharingię genero ſuo, magnificeq́ȝ à ſenatu ſuſcipiuntur, & donantur ſinguli, regnauit decem menſibus, annis nouem, poſtea in Oppenheim quam pacifice obijt.

Anno Domini Mcccciiij. Princeps Comes Haſſię, nouum in terra ſua caſtrum nomine Luduuigſtein fundauit, & per tenebras unius noctis erexit, & hoc ex aduerſo caſtri nobilium de Hanſtein, ut rapinas ſolitas eorundem nobilium ab antiquo frequentatas ſedaret.

Anno Domini Mcccci. Moyſes Turcarũ vi. Imp. qui Parthos deuicit, regnat.

DE TAMBERLANE.

TEMPORE Ruperti Imp. uixit crudeliſſimus & bellicoſiſſimus Cæſar Tartarorũ, qui fuerat natus apud Tartaros humili loco, & tantas uires adeptus, ut ſupra duodecies centena hominum millia haberet in caſtris. Qua multitudine attritis bello Turcis, eorum Imperatorẽ Paiaſet, cathenis uinctum aureis, curtui quo uehebatur, quaſi triũphans adiunxerat, prandens quaſi canem ſub menſa comedere iuſſit, & aſcenſurus equum, eo tanq̃ ſcabello uſus eſt. Armenos pręterea proſtrauit, ſubuerterat Perſas, deſtruxerat Aegyptios, Damaſcum penè deleuerat. Et quocunq; eius tranſcenderat nomen, ſola fama, quaſi fuiſſet miſſus a Deo peccatorum ultor terribilis imminebat. In obſidionibus urbium primo die albo utebatur tentorio, ſecunda rubro, tertia nigro. Et ſi ſe dabant in albo ſedenti, ſalutem conſequebantur. Rubeus color mortem indicabat. Niger uero ciuitatis exitium, & omnia in cinerem conuertenda.

Anno Domini Mccccvij. Schola Pariſienſis in tanta authoritate fuit, ut Benedictum xiij. Papam Auinionis ſedentem, dignitate amouendũ magnopere contenderet. Scholaſticum id temporis offendiſſe piaculũ erat. Inter multas ſimultates, cum res tota Francorum ad ciuilem diſcordiam inclinaret, nemo non ſtudebat ferẽ ſcholę fauorem atq; beneuolentiam ſibi comparare. Scholaſticus luto inquinatus, per unum ex familia Caroli ſauoſij aurati equitis, Scholaſtici iniuriã ulciſci properantes, ita apud iudices agunt, ut Sauoſij ædes, unde familia prodierat, ſolotenus diruerentur, ipſe uero miniſter exularet. Rob.

Et poſt paucos annos, cum Guilielmus Tignonuillus, Pariſianus præſes ad patibulum noctu duos ſcholaſticos, propter cędem à ſe factam, appenſos, ſtrangulare iuſſiſſet, ne ſi diſtuliſſet, homicidæ liberarentur. Coactus eſt (ſchola apud iudices ſuã ignominiã perſequẽte) ſcholaſticos patibulo depoſitos (oſculo mortuis exhibito) & lecticæ impoſitos, Eccleſiæ reſtituere, aurigante Carnifice, qui equo inſidens, lineam inſtar ſacerdotis ueſtem induerat. Eorum ſcholaſticorũ etiã nunc ſepulchrũ in porticu diui Maturini Pariſienſis cum Epigrãmate uiſitur.

Anno Domini Mccccviij. Salicetus, legum interpres, ac Chryſoloras Græcarum literarum reſtaurator, florent. Benedictus xiij. Papa Schiſmaticus, Auinionis ſedet. Greg. xij. Venetus Papa Ruthoni, auxilio Tartarorum, Teuthonicis dominis atrox bellum inferunt.

Mahumetes Turcarum Imp. vij. qui Seruiam & Vualachiam cepit.

SIGISMVNDVS. XXXV. Germ. Imp.

SIGISMVNDVS interea rex Vngariæ, Caroli quarti Imperatoris filius. Vuentzeslai ignaui regis frater, ab electoribus imperij Francophordiæ rex Romanorum, mortuo Roberto eligitur. Anno Domini Mccccx. Princeps prudens, doctus, probus & fortis, & qui plurima bella peregit in perfidã gentem Turcarum, Chriſtiano nomini neceſſarius, quaſi de cœlo miſſus, aſſumitur. Cordatus Princeps & εἰρηνοποιός, plurima regna obiuit, ut in diebus ſuis pax redderet. Penetrauit Franciã, uiditq́ȝ regem eius. Nauigauit in Angliã, & ubiq; ſemina iecit futurę pacis. Cõceſſit in Italiã, & cũ Papa Iohãne cõſultauit de habẽdo concilio, ut ſchiſma eccleſię tolleret. Ita cõſenſu Papæ, Imp. regis Francię, regis Anglię, conciliũ Cõſtantienſe incepit. SIGISMVNDVS XXXV. Ger. Imp.

Anno

Anno Domini Mccccxiiij. Sigiſmundus Argentoratum uenit, & honorifice excipitur, dotaturq́. Anno Domini Mccccxv. Aquiſgrani coronatur.

CONCILIVM CONSTANTIENSE.

Sigiſmundus canit Euangelium.

Schiſma 40. annis durans.

ANno Domini Mccccxiiij. incepit Concilium Conſtantienſe, ad quod uenit Iohannes xxiij. Papa, Imperator Sigiſmundus in nocte Natalis Domini eò uenit, & in Miſſa eius noctis Euangelium, uti Diaconus cantauit: Exijt edictum à Cæſare Auguſto. Quadriennio durauit hoc Concilium, ſed quo Chriſtianiſmi commodo, facile iudicant, qui fidem electorum Dei habent, & agnitionem ueritatis. Certe aūt hoc Concilium quadraginta annis horrendo ſchiſmate diuiſa fuit unitas Eccleſiæ, & plurima ibidem & maxima negotia pro gloria Domini, pro publica utilitate & honeſtate poterant agi, ſi putris caro Eccleſiaſticorum potuiſſet ferre ſalem Euangelicum. Et ſi ueritatem dilexiſſent, quemadmodū ſeſſione prima die Veneris, xvi. menſis Nouemb. Papa Iohannes xxiij. Concilium exorſus ex cap. viij. Zachariæ dixit: Veritatem diligite, adducens authoritates noui & ueteris Teſtamenti, Synodum alloquutus, ut omnes meditarentur, & ſolerter inſiſterent pro pace Eccleſię, peritos literarum ſacrarum in primis alloquitur, ut expendant errores. Es quòd omnes hac de cauſa congregati, cum omnimoda libertate poſſint dicere, conſulere, & facere omnia. Atqui ſpiritus extinguebant, Prophetias aſpernabantur, Chriſtum in membris eius perſequebātur, eratq́ plane perſequutrix Eccleſia.

Anno Domini Mccccxv. Iohannes xxiij. dictus Balthazar Ceſſa, cedit Papatui. Rex agit gratias, oſculatur pedes, depoſita corona imperiali.

Hic legis in Decretis Concilij, ſacrum Concilium nō debere diſſolui, quouſq; Eccleſia ſit reformata in fide & moribus, in capite & membris.

QVOD PAPA ETIAM TENEATVR obedire Decretis Concilij.

Commiſſarij contra Huſs.

SESSIONE ſexta dantur Commiſſarij cōtra Iohannem Huſs, Archiepiſcopus Raguſinus pro natione Italica, pro natione Germanica, Epiſcopus Flebbienſis, Magiſter Vrſinus Taluēda pro natione Gallicana. Magiſter Guillermus comes pro natione Anglicana, in ſacra Theologia magiſtri.

Condemnatur memoria Iohannis Vuicleff, & confirmatur ſententia lata in Cōcilio Romano ſuper cōdemnatione & cōbuſtione librorū, prædicti Vuicleff.

SENTENTIA DAMNATIONIS DOCTRINAE Iohannis Vuiclephi, & articulorū quadragintaquinq;.

Sacroſancta Conſtantienſis Synodus generale Concilium faciens, & Eccleſiam catholicam repręſentans, ad extirpationem pręſentis ſchiſmatis, errorumq́ & hęreſum ſub eius umbra pullulantium eliminationem, reformationem Eccleſiæ in ſancto ſpiritu legitime congregata, ad perpetuam rei memoriam.

FIDEM catholicam (ſine qua, ut ait Apoſtolus, impoſſibile eſt placere Deo) à falſis eiuſdē fidei cultoribus, immo peruerſis impugnatoribus, & per ſuperbam curioſitatem intendentibus, plus ſapere q̃ oportet, mundi gloriam cupiētibus, oppugnatam, ſępius & contra illos per fideles Eccleſiæ milites ſpirituales oppoſito ſcuto fidei defenſatam fuiſſe, ſanctorū patrum ſcripturis atq; geſtis inſtruimur. Hæc quippe bellorum genera, in bellis carnalibus populi aduerſus gentes idolatras præſignata fuerunt. In his itaq; ſpiritualibus bellis ſancta Eccleſia catholica in fidei uirtute, ſuperni luminis radijs illuſtrata, domino prouidēte, & ſanctorū patrocinio opem ferente, ſemper immaculata permanens, erroris tenebris, uelut hoſtibus profugatis, glorioſiſſime triumphauit. Noſtris uero temporibus uetus ille, & immundus hoſtis noua certamina, ut probati temporis huius manifeſti fiant, ſuſcitauit.

Quorum

Quorum dux & princeps extitit quondam Iohannes Vuicleph pſeudochriſtianus: qui dum uiueret, aduerſus religionem Chriſtianam & fidem catholicam pertinaciter aſſeruit, & dogmatizauit plures articulos. Idéq; Iohannes Vuicleph libros, Dialogum, & Trialogum per ipſum nominatos, & plures alios tractatus, uolumina, & opuſcula compoſuit. In quibus præſcriptos & plures alios damnabiles inſeruit & dogmatizauit articulos. Quos libros ad ſui peruerſi dogmatis publicationem, publice legendos expoſuit: ex quibus inſuper multa ſcandala, damna animarum, & pericula in diuerſis regionibus, & præſertim Angliæ & Bohemiæ regnis ſecuta ſunt. Aduerſus quos in Dei ueritate exurgentes magiſtri & doctores uniuerſitatum, & ſtudiorum Oxonienſis & Pragenſis, articulos prædictos ſcholaſtice diu poſt reprobarũt. Reuerendiſſimi inſuper patres archiepiſcopi, epiſcopi, pro tempore Cantuarienſis, & Eboracenſis, ſedis Apoſtolicæ legati in Angliæ, & Pragenſis in Bohemię regnis condemnarunt. Libros etiã eiuſdem Iohãnis Vuicleph cõburendos fore, dictus Archiepiſcopus Pragenſis, ſedis Apoſtolicæ commiſſarius in hac parte, ſententionaliter iudicauit, & eorũ qui ſupereſſent, prohibuit lectionem fieri. Rurſus his ad notitiam ſedis Apoſtolicæ, & generalis concilij deductis: Romanus Pontifex in concilio Romano ultimo celebrato, dictos libros, tractatus & opuſcula condemnauit, iubens illos publice concremari: diſtrictius inhibendo, ne quis Chriſti nomine inſignitus, auderet aliquem, ſeu aliquos, ſeu aliqua ex dictis libris, uoluminibus, tractatibus, & opuſculis legere, exponere, uel tenere, aut illis quomodolibet uti, uel illos, niſi in ipſorũ reprobationem allegare publice uel occulte. Et ut de medio eccleſiæ illa periculoſa, ſpurciſſimaq; doctrina eliminaretur, iuſſit omnes per locorum ordinarios, libros, tractatus, uolumina, & opuſcula huiuſmodi autoritate Apoſtolica, per cenſuram eccleſiaſticam, etiam ſi opus eſſet, cum adiectione, quod contra nõ parentes procederetur, tanquam contra fautores hæreſis diligenter inquiri, & repertos ac reperta publice ignibus concremari. Hæc autem ſancta ſynodus præfatos articulos xlv. examinari fecit, & ſæpius recenſeri per plures reuerẽdiſſimos patres eccleſiæ Romanæ Cardinales, epiſcopos, abbates, magiſtros in Theologia, doctores iuris utriuſq;, & plures notabiles in multitudine copioſa. Quibus articulis examinatis, fuit repertũ (prout in ueritate eſt) aliquos & plures ex ipſis fuiſſe & eſſe notorie hæreticos, à ſanctis patribus reprobatos: alios non catholicos, ſed erroneos: alios ſcandaloſos & blaſphemos: quoſdam piarum aurium offenſiuos: nonnullos eorum temerarios & ſeditioſos.

Compertum eſt etiam, libros eius plures alios articulos continere ſimilium qualitatum, doctrinamq; in Dei eccleſia inſanam, & fidei ac moribus inimicam inducere. Propterea in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti hæc ſancta ſynodus ſententias prædictorum archiepiſcoporum ac concilij Romani ratificans & approbans, prædictos articulos, & eorum quemlibet: libros eiuſdem, Dialogum & Trialogum per eundem Iohannem Vuicleph nominatos, & alios eiuſdem autoris libros, uolumina, tractatus, & opuſcula, quocunq; nomine cenſeantur, quos hic haberi uult pro ſufficienter expreſſis, hoc perpetuo decreto reprobat, & condemnat. Et eorundem libros, & cuiuslibet ipſorum lectionem, doctrinam, expoſitionem, & allegationem (niſi ad eorum reprobationem) omnibus Chriſti fidelibus prohibendo, inhibemus omnibus & ſingulis catholicis, ſub anathematis interminatione, ne de cætero dictos articulos, uel ipſorum aliquem audeant publice prædicare, dogmatizare, uel tenere, uel quomodolibet allegare, niſi ad eorum reprobationem, ut dictum eſt: iubentes illos libros & tractatus, uolumina, & opuſcula prælibata publice concremari, prout decretum fuerat in ſynodo Romana, ſicut ſuperius eſt expreſſum. Super quibus exequendis, & debite obſeruandis, mandat prædicta ſancta ſynodus ordinarijs locorum uigilanter intendere, prout ad quemlibet pertinet ſecundum iura, & canonicas ſanctiones.

CONCILIVM PRONVNCIAT HAERETICVM IOHANNEM Vuicleph, & memoriam eiuſdem, & mandat exhumari oſſa eius.

Inſuper quia autoritate ſententiæ & decreti Romani concilij, mandatoq́ eccleſiæ, & ſedis Apoſtolicæ, datis dilationibus debitis, proceſſum fuit ſuper condemnatione dicti Iohannis Vuicleph, & ſuæ memoriæ, edictis propoſitis, denunciationibusq́ ad uocandum eum, qui eundem, ſiue eius memoriam defendere uellent, ſi qui penitus exiſterent: nullus uero comparuit, qui eundem, ſiue eius memoriam defenſaret: examinatis inſuper teſtibus ſuper impœnitentia, finaliq́ pertinacia dicti Vuiclephi, per commiſſarios deputatos per dominum Iohannem Papam modernum, & hoc concilium, ſeruatisq́ ſeruandis, prout in tali negotio poſtulat ordo iuris: & eius impœnitentia, ac finali pertinacia per euidentia ſigna, teſtibus legitimis comprobata, fuit legitime facta fides. Proprerea inſtante procuratore fiſcali, edictoq́ propoſito ad audiendam ſententiam, ad hanc diem, hæc ſancta ſynodus declarat, definit, & ſententiat eundem Iohannē Vuicleph fuiſſe notorium hæreticum, pertinacem, ac in hęreſi deceſſiſſe, anathematizando ipſum, pariter & ſuam memoriam condemnando. Decernitq́, & ordinat corpus eius & oſſa, ſi ab alijs fidelibus corporibus diſcerni poſſint, exhumari, & procul ab eccleſię ſepultura iactari, ſecundum canonicas & legitimas ſanctiones. Super quibus lectura, publicatione, pronunciatione, & definitione, ſiue condemnatione, dominus Hoſtienſis præſidens, & dicti quatuor nationū quatuor præſidentes interrogati an placeret, Reſponderunt omnes, & primo Hoſtienſis, deinde nationum præſidentes, quod placeret: & approbauerunt omnia prædicta.

Decernitur citatio contra Hieronymum de Praga: datur ſaluus conductus, ſed ſalua iuſtitia.

Concilium pœnā carceris & excōmunicationis minatur famoſe libellātibus.

Quoniam uero penituit Iohannem xxiij. quod reſignaſſet papatum, cogitauit de fuga, ad quā dux Auſtrię Fridericus iuuit: nā noctu mutato habitu, clam cū paucis abijt, & iā deſcenderat in Schafhuſen, Italiam repetiturus. At imperator fugientem papam comprehendit, & anathemate imperiali ferit Fridericum, cui aliquot oppida hinc ablata fuerunt. Tandem cauſa compoſita fuit hac conditione, ut Fridericus peteret gratiam ab imperatore, & omnem ſuam ditionem Imperatori reſignaret. Tum Imperator recepit eum in gratiā, & reſtituit illi ducatū.

Depoſitus papa cōmiſſus fuit Palatino principi: is eum duxit in arcem Manheim, hic tribus annis fuit detentus. Poſthac Papa Martinus eum rurſus in numerum Cardinalium admiſit.

Seſſione xiij. excommunicat concilium eos, qui laicos ſub utraq́ ſpecie communicant.

In hac ſeſſione Gregorius xij. quoq́ cedit papatui.

Seſſione xv. Concordienſis epiſcopus ſententiam legit cōtra Iohannē Huſs, qui fuit degradatus in præſentia concilij, & traditus curię ſeculari. Hic appellat Huſs ad dominum Ieſum Chriſtum.

SENTENTIA DEFINITIVA LATA CONTRA Iohannem Huſs.

Sacroſancta generalis Conſtantienſis ſynodus, eccleſiam catholicam repręſentans, in Spiritu ſancto legitime congregata, ad perpetuam rei memoriam.

QVia teſte rei ueritate, arbor mala fructus malos facere conſueuit, hinc eſt quod uir damnatæ memoriæ Iohannes Vuicleph ſua mortifera doctrina, non in Chriſto Ieſu per Euangelium, ut olim ſancti patres filios genuere, ſed contra Chriſti ſalutarem fidem, uelut radix uirulenta plures genuit filios peſtiferos, quos ſui peruerſi dogmatis reliquit

ſucceſſores

ſucceſſores, aduerſus quos hæc ſancta ſynodus, tanquam ſpurios, & illegitimos filios cogitur inſurgere, & eorum errores ab agro dominico, tanquam uepres no ciuas cura peruigili, et cultro autoritatis eccleſiaſticę reſecare, ne ut cancer ſerpant in perniciem aliorum. Cum itaq; in ſacro generali concilio, nuper Romę celebra to, decretum fuerit, doctrinam damnatę memorię Iohannis Vuicleph damnan dam eſſe, & libros eius huiuſmodi doctrinam continentes, fore tanquam hæreticos comburendos, & doctrinam ipſam damnatam, & libros eius tanquam in ſanam doctrinam, & peſtiferam includentes, combſtos fuiſſe cum effectu, & huiuſmodi decretum authoritate concilij fuerit approbatum. Nihilominus tamen quidam Iohannes Huſs in hoc ſacro concilio hic perſonaliter conſtitutus, non Chriſti, ſed potius Iohannis Vuicleph hæreſiarchæ diſcipulus, poſt & contra damnationem & decretum huiuſmodi, auſu temerario contra ueniens, erro res eius plures & hęreſes tam ab eccleſia Dei, quàm etiam à certis olim reuerẽdis in Chriſto patribus dominis archiepiſcopis, epiſcopis diuerſorum regnorum, & magiſtris in theologia plurium ſtudiorum condemnatos, dogmatizauit, aſſe ruit, & prædicauit: præſertim damnationi ſcholaſticę ipſorum articulorum Vui cleph, factæ, pluries in uniuerſitate Pragenſi cum ſuis complicibus in ſcholis, & in prædicationibus publice reſiſtendo, ac ipſum Iohannem Vuicleph uirum ca tholicum, & doctorem euangelicum, in fauorem eius doctrinæ, coram multitudine cleri & populi declarauit: certos etiam articulos infra ſcriptos, & plures alios, & merito damnabiles, tanquam catholicos eſſe aſſeruit, & publicauit, qui in libris ipſius Iohannis Huſs & opuſculis notorie continentur. Quapropter ha bita per prius plenaria informatione de præmiſſis, & diligenti deliberatione reuerendiſſimorum in Chriſto patrum dominorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ car dinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, & cęterorum pręla torum & doctorum ſacræ paginæ, & iuris utriuſq;, in multitudine copioſa, hæc ſacroſancta Conſtantienſis ſynodus declarat, & definit articulos infra ſcriptos, qui habita collatione per plures magiſtros in ſacra pagina, reperti fuerunt contineri in eius libris & opuſculis, manu propria ſcriptis. Et quos idem etiã Iohan nes Huſs in publica audientia coram patribus, & prælatis huius ſacri concilij confeſſus fuit in ſuis libris & opuſculis contineri, non eſſe catholicos, nec tanq; tales eſſe dogmatizandos, ſed ex eis plures eſſe erroneos, alios ſcandaloſos, & nonnullos eorundem eſſe notorie hæreticos, & iamdudum à ſanctis patribus & generalibus concilijs reprobatos & damnatos, ipſosq; prædicare, dogmatizare, aut quomodo libet approbare, diſtricte inhibẽdo. Sed cum infra ſcripti ar ticuli expreſſe contineantur in libris ſeu tractatibus ſuis, uidelicet in libro, quem intitulat De eccleſia, & alijs ſuis opuſculis: ideo libros prædictos & doctrinam ſuam, & ſingulos alios tractatus, & opuſcula in latino, ſiue uulgari Bohemico per ipſum ęditos, aut in quocunq; alio idiomate per alium, uel alios translatos, hæc ſacroſancta ſynodus reprobat, atq; condemnat, ipſos comburendos publice & ſolenniter in præſentia cleri & populi in ciuitate Conſtantienſi, & alibi, decernit, & definit, adijciens, propter præmiſſa, omnem eius doctrinam merito eſſe & fore ſuſpectam de fide, & omnibus Chriſti fidelibus euitandam. Et ut de medio eccleſię illa pernitioſa doctrina eliminetur, hęc ſacroſancta ſynodus prot ſus iubet, per locorum ordinarios, tractatus & opuſcula huiuſmodi, per cenſuram eccleſiaſticam, etiam, ſi opus ſit, cum adiectione pœnæ, & fautorię hæreſis diligenter inquiri, & repertos ignibus publice concremari. Si quis autem huius ſententiæ ac decreti uiolator aut contemptor extiterit, ſtatuit eadem ſancta ſyno dus, per locorum ordinarios & inquiſitores hęreticę prauitatis, contra talem uel tales, ueluti ſuſpectum uel ſuſpectos de hæreſi, procedendum. Viſis inſuper actis & actitatis, in cauſa inquiſitionis de & ſuper hæreſi, contra prædictum Iohannem Huſs, habitis & factis, habita ter prius fideli & plenaria commiſſariorum in huiuſmodi cauſa deputatorum, relatione, aliorumq; magiſtrornm in theologia, ac doctorum iuris utriuſq;, in de & ſuper actis, actitatis, ac dictis teſtium fide dignorum, & plurimorũ: quę dicta ipſi Ioanni Hus palam & publice lecta ſunt

coram patribus & prelatis huius ſancti cõcilij: per quorũ teſtiũ dicta apertiſſime cõſtat eundẽ Ioannẽ multa mala, ſcandaloſa, ſeditioſa, & periculoſas hæreſes dogmatizaſſe in publico, & per multa annorũ curricula prędicaſſe, Chriſti nomine inuocato: hęc ſacroſancta ſynodus Conſtant. ſolũ Deũ prę oculis habẽs, per hãc definitiuã ſententiã, quã profert in his ſcriptis, pronũciat, decernit, & declarat dictũ Iohannẽ Huſs fuiſſe, & eſſe uerũ & manifeſtũ hęreticũ, ipſumq́; errores & hæreſes dudũ dãnatos & plurima ſcandaloſa, piarũ auriũ offenſiua, temeraria, et ſeditioſa dogmatizaſſe, & publice prędicaſſe in nõ modicã offenſam diuinę maieſtatis, ac uniuerſalis eccleſiæ ſcandalum, & fidei catholicę detrimentum: claues etiã eccleſię, & cẽſuras eccleſiaſticas uilipendiſſe, in quibus per annos multos perſtitit animo indurato, Chriſti fideles per ſuam pertinaciã nimiũ ſcandalizans: cũ appellationẽ ad dñm noſtrũ Ieſum Chriſtũ, tanq̃ ad ſummũ iudicẽ, omiſſis eccleſiaſticis medijs, interpoſuerit, in qua multa falſa, iniurioſa poſuit, & ſcandaloſa ipſius ſedis apoſtolicę, cenſurarũ eccleſiaſticarũ et clauiũ in cõtemptũ. Idcirco propter pręmiſſa, & alia plura, pręfatũ Iohannem Huſs hęreticũ fuiſſe & eſſe, hęc ſynodus pronũciat, & tanq̃ hæreticũ iudicandũ, & condemnandũ fore iudicat, & condẽnat per pręſentes: dictamq́; appellationem, tanq̃ iniurioſam & ſcandaloſam, & illuſoriam iuriſdictionis eccleſiaſticæ, reprobando: ipſumq́; Iohannẽ Huſs populũ Chriſtianũ, maxime in regno Bohemię, in prędicationibus ſuis publicis, & ſcripturis, per eum compilatis, ſeduxiſſe, ac eiuſdem populi Chriſtiani non ueracem prædicatorem euangelij Chriſti ſecundum expoſitionem ſanctorum doctorum, ſed fuiſſe uerius ſeductorem. Verum, quia per ea quæ hæc ſacroſancta ſynodus uidit & audiuit, cognouit eundem Iohannem Huſs pertinacem & incorrigibilem, & adeo taliter quod nõ cupiebat ad gremium ſanctæ matris eccleſiæ redire, neq; hæreſes & errores, per eum publice defenſatos, & prædicatos, uelle abiurare. Idcirco hoc ſactum concilium Conſtantienſe eundem Iohannem Huſs ab ordine ſacerdotali & alijs ordinibus, quibus extitit inſignitus, deponendũ & degradandum fore declarat, & decernit: cõmittens nihilominus reuerẽdis in Chriſto patribus, archiepiſcopo Mediolanẽſi, Feltrenſi, Aſtetenſi, Alexandrino, Bagarẽſi, & Vaurenſ, epiſcopis, ut in pręſentia huius ſacroſanctę ſynodi, dictã degradationẽ (ſecundum quod ordo iuris requirit) debite exequantur.

Fertur quod paulo ante mortem dixerit, & moneta Huſſiana hanc inſcriptionem habet in una parte: CENTVM REVOLVTIS ANNIS, DEO RESPONDEBITIS ET MIHI. (qui ſermo propheticus uideri poteſt ad hæc tẽpora, ſi cõputes) Item ANNO A CHRISTO NATO M. CCCC. XV. IOHANNES HVSS CONDEMNATVR. In altera parte monetæ legis: CREDO VNAM ESSE ECCLESIAM SANCTAM CATHOLICAM.

Anno M.ccccxv. octaua Iulij, fuit degradatus Iohannes Huſs, per archiepiſcopos, Biſontinũ, & Mediolaneñ, Nicolaũ noĩe: degradatores cũ ironicis ceremonijs irriſiſſe dicitur: pronũciatur hęreticus, & cõmittitur poteſtati ſeculari. Orat aũt Conciliũ, regẽ, & magiſtratũ ciuilẽ, ne occidãt, ſed in carceribus perpetuis cuſtodiãt. Educitur ad cõbuſtionẽ, lictori pręcipitur, ne exueretur ueſtibus: erat aũt indutus duplici tunica nigra de panno ſatis bono: cingulum habẽs cũ deaurato argento parũper paratũ, & in uagina cultellos duos, burſulã coreaceã. Infulã albã ſatis longã geſtabat in capite è papiro factã, in qua depicti erãt duo dęmones, & inter hos ſcriptura erat hęc: HAERESIARCHA. Plus q̃ mille armati comitantur: uirũ duo miniſtri ducis Ludouici deducunt, non uinctum, ſed in medio iſtorum incedentem. Eundo, non admodum populũ appellabat, ſed orabat ſedulo, nec aliud niſi hoc: Ieſu Chriſte fili Dei uiui miſerere mei. Cũ uideret locum ſupplicij, ligna & ignẽ, ter cecidit in genua, alta uoce clamãs: Ieſu Chriſte fili Dei uiui, qui paſſus es pro nobis, miſerere mei. Interrogatus an uelit cõfiteri, ab Vlricho Schotand ſacellano D. Stephani, inquit: Nõ eſt neceſſe. Volebat aũt populum ualedicere ſermone cohortationis, id dux Ludouicus nolebat ꝑmittere, ſed pręcipiebat ut actutũ cõbureretur. Cardinalis Pangratius mulũ habuerat magnũ & ſenio confectũ, hũc mortuũ humo cõdiderant extra urbẽ Conſtant.: ibidẽ pyram extru-

ram extruxerũt, at calore ignis ex putri cadauere muli grauis odor cõcitatus fuit.

Dominica ſequenti, quæ fuit ix. Iulij, grauem proceſſionẽ inſtituerunt, in qua ibat patriarcha Antiochenus, in infula precioſa, ante eum prꝑferebatur pannus aureus. Poſt eum ibat alius patriarcha, xviij. Cardinales, ix. Archiepiſcopi, lxiiij. Epiſcopi omnes infulati, cum Clero & Monachis, obſecrantes: ut omnipotens Deus fidem Chriſtianam reſtitueret. Rurſus die Magdalenæ proceſſionem habent, pro ſalute regis, qui ad regem Arragoniæ, & Papam Benedictum abierat.

Anno Domini Mccccxv. Sede Apoſtolica uacante, regnorũ ſereniſſimi Principis domini Sigiſmundi Ro. & Hungariæ regis, electionis quinto, coronationis primo, Hungarię xxix. libri Iohannis fuere cõbuſti, in platea palatij Epiſcopalis.

Seſſione xix. decernitur hæreticis non eſſe ſeruandam fidem, quam uocant ſaluum conductum.

Seſſione xxi. Hieronymus traditur poteſtati ſeculari, & comburitur. Ambo Huſs & Hieronymus conſtanti animo pertulerunt necem, & quaſi ad epulas inuitati, ad incendium properarunt, nullam emittentes uocem, quæ miſeri animi poſſet facere indicium. Vbi ardere ceperunt, Hymnum cecinere, quem uix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo Philoſophorum tam forti animo protuliſſe mortem traditur, quam iſti incendium. Vide Aeneam Syluiũ, & Pogij Florentini epiſtolam ad Nicolaum.

TENOR SENTENTIAE DEFINITIVAE latæ contra Hieronymum de Praga.

In nomine Domini, Amen.

CHRISTVS Deus, & ſaluator noſter, uitis matura, cuius pater agricola eſt, diſcipulos, ceteroſq́ꝫ fideles ſuos in illis inſtituens, inquit: Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet. Cuius ſummi doctoris & magiſtri doctrinam ſequens, & pręcepta exequens hæc ſancta Conſtantienſis ſynodus in cauſa inquiſitionis hæreticæ prauitatis per eandem ſanctam ſynodum motæ, fama publica referente, & clamoroſa inſinuatione monſtrante cõtra magiſtrum Hieronymum, dictum de Praga, dictum magiſtrũ in artibus, laicum. Ex cuius cauſæ actis & proceſſibus conſtat eundem magiſtrum Hieronymum tenuiſſe, aſſeruiſſe, & dogmatizaſſe nonnullos articulos hæreticos & erroneos, dudũ à ſanctis patribus reprobatos, quoſdam uero blaſphemos, & alios ſcandaloſos, & alios piarum aurium offenſiuos, temerarios, & ſeditioſos dudum per damnatæ memoriæ uiros, Ioannem Vuicleph, & Ioannem Huſs aſſertos, prędicatos, & dogmatizatos, ac in nonnullis eorum libris & opuſculis inſertos. Quiqꝫ doctrina & libri prędictorũ Ioannis Vuiclephi, & Ioannis Huſs: ac Vuicleph memoria, dictiq́ꝫ Ioannis Huſs perſona, per eandem ſanctam ſynodum, & eius ſentẽtiam, de hęreſi damnati, & damnatæ fuerunt. Quamqꝫ damnationis ſententiã idem Hieronymus poſtmodũ pendente huiuſmodi inquiſitionis cauſa, in eadẽ ſancta ſynodo cognoſcens & profitens, ueram catholicam & Apoſtolicam fidem approbauit, & eidem cõſenſit: anathematizauit omnẽ hęreſim, pręcipue eam, de qua erat infamatus, & ſe confitebatur infamum, & quam pręteritis temporibus dogmatizauerunt, & tenuerunt Ioannes Vuicleph, & Ioannes Huſs in ſuis opuſculis, ſermonibus, & libellis, & propter quã, ſeu quas cum ſuis dogmatibus & erroribus ab eadem ſancta ſynodo damnati fuerunt tanqꝫ hęretici, & eorũ doctrina ſimiliter damnata: pręmiſſorumqꝫ omnium damnationem profeſſus, & iurauit ſe in hac fidei ueritate permanſurum. Et ſi ipſe quicqꝫ contra ſentire uel prædicare præſumpſerit, canonum ſeueritati ſubiacere, & æternę pœnę uoluerit obligari: necnõ ſuã profeſſionẽ manu ſua conſcriptam, eidem ſanctæ ſynodo obtulit, atqꝫ dedit. Poſt quas profeſſionem, & abiurationem, multis diebus tranſactis, ſicut canis ad uomitum rediens, ut uirus peſtilentiſſimũ, quod in ſuo latitabat pectore, publice euomeret, audientiam publicã ſibi dari in eadem ſancta ſynodo publice cõgregata, aſſeruit,

dixit,& profeſſus eſt in effectu, quod prefatæ ſententiæ damnationis dictorum Ioannis Vuicleph,& Ioannis Huſs inique conſenſerat,& illam ſententiã approbando, mentitus fuit: nec uerebatur ſe confiteri mentitum,quinimmo confeſſionem,approbationem,& profeſſionem ſuas ſuper illorum damnatione reuocabat nunc & in æternum, aſſerens ſe in libris Ioannis Vuiclephi, & Ioannis Huſs nullam unquã hereſim uel errorem legiſſe,licet ante fuerit confeſſus, & probatum ſit euidenter ipſum libros eorum diligenter ſtuduiſſe,legiſſe,& dogmatizaſſe,& in quibus conſtat plures errores & hereſes contineri. Verum,idem Hieronymus de ſacramento altaris,& tranſſubſtantiatione panis in corpus, profeſſus eſt ſe tenere,& credere quod Eccleſia tenet, dicens ſe plus credere Auguſtino,& cæteris Eccleſiæ doctoribus, quàm Ioannis Vuicleph,& Huſs damnatis erroribus adhere re,illorumq́ fautorem fuiſſe,& eſſe. Propter quæ eadem ſancta Synodus, eundem Hieronymum palmitem putridum & aridum, in uite non manentem, foras mittendum decernit,ipſumq́ hereticum,& in hereſim relapſum, excommunicatum,anathematizatum pronunciat,& declarat,atq; damnat.

Anno Domini Mccccxvi. Hieronymus damnatur,& traditur iudicio ſeculari, Comes Eberhardus de Nellenburg, Iohannes Comes, in Lupffen locum tenentes regis Sigiſmundi,tradunt lictori.Educitur in locum, ubi antea Huſs combuſtus fuit,in itinere letaniam cecinit,in igne,Credo in unum Deum,teſtatus Huſſi & Vuiclephi doctrinam ſanam eſſe & rectam.

Seſſione xxxix. Decernitur ut ſemper quinquennio, ſeptennio,decennio habeatur concilium,& mox oborto ſchiſmate intelligatur iure terminus concilij.

Seſſione xli. Odo de columna,per ſex prelatos cum Cardinalibus pro hac uice eligitur in Papam,dictus Martinus v. & coronatur.Is inequitans D. Sigiſmundum regem à dextro, & Fridericum Marchionem Brandenburgenſem à ſiniſtro habet,frœnũ Papalis equi moderãtes. Reliqua habes in actis Concilij Conſtan.

Bohemi ubi audiunt exitum ſuorum doctorũ,armantur,concurrunt,ſęuiunt, Eccleſias & omnia ſternunt obuia. Vuentzeslaus rex partim ignauia, partim timore ſe continet,ui magna res geritur,obſidentur ciuitates,uaſtantur, trucidantur mortales,ſine diſcrimine,ordinis,ſexus,ætatis. Late ſerpit malum,foras educuntur armati exercitus,Romano cum rex Sigiſmuudus imploratur, tardius uenit,interim illi ſeuiunt,& creſcunt robore & numero. Horum dux fuit Ziſcha.

In hoc Concilio Sigiſmundus Adolphũ Cliuenſem comitem,creauit ducem, & Fridericũ Burggrauiũ Norinbergenſem, fecit Marchionẽ Brandẽburgenſem.

Anno Domini Mccccxvij. Petrus de Alliaco Cameracenſis Cardinalis, Antonius de Butrio Iureconſultus, Valeſcus Montagnana medici, Leonardus Aretinus & Pogius florent.

Anno Domini Mccccxviij. Gentes plebei ſiue nobiles ex Aegypto minori repulſi,terram noſtram applicant laborioſi, Mauri fuſci, ſqualidi, difformes, utriuſq; ſexus puſilli cum maioribus,totius partes Germaniæ uſq; modo, & ſimiliter Galliarum regiones,cum equis,mulis & aſinis mirabiliter girantes,& extra muros & habitacula per campos aliorum hominũ manſiones penitus declinantes, rapientes,furentes,& clam quicquid nobile repererint, diripientes. Vide Hemmerl. de nobilitate.

Anno Domini Mccccxxij. Amurates ſecundus, Turcarum viij. Imp. hic deuicto,ad Varuam Vngarorum rege Ladiſlao,uſq; in ſeptem caſtra penetrat.

Anno Domini Mccccxxxvij. Sigiſmundus in Italiam demum, ſedente Eugenio quarto,atq; inimico,traiecit, obſiſtentibus etiam per Nicolaum Tollentinatem Florentinis, Arnum fluuium tranſmiſit, vi. menſibus Senis ſubſtitit,ubi facta cum Florentinis pace,Romam abijt, ibiq; de more accepto diademate in Baſilica Petri, è ueſtigio in Lateranum contendit, Eugenio uſq; ad pontem proſequente.Inde in Germaniam reuertens, Mantuæ à Iohanne Franciſco Gonzaga magno ſumptu exceptus, propinquam ſuam Barbaram Ludouico filio in matrimonium dedit,Marchionemq́ primum Mantuæ creat.

Sigiſmundus contra Turcas fortiſſimam expeditionem inſtituit, copioſum exercitum

exercitum Germanorum, Burgundionum, Gallorum, Vngarorum & Italorum, uſq; ad Adrianopolim ducens. In ea expeditione erat ipſe rex Sigiſmundus & Philippus dux Burgundiæ. At Galli contendebant priores eſſe in acie. Hinc confuſio accidit, & cędes Chriſtianorum, dux Burgundię capitur, rex Sigiſmundus fugit Conſtantinopolim, longo poſt tempore Burgundus liberatur. Scribit Syluius fœliciſſime contra Turcas pugnaſſe Sigiſmundū, & xxxij. Turcarum regulos ſecuri percuſſiſſe. Tumultu populari captus tamen fuit, ac uiduæ, cuius uirum occiderat, in cuſtodiam traditus, beneficio linguæ, libertaté adeptus, regnū armis recuperauit. In quo fortunam utramq; expertus, inter uiros claros enituit.

Sigiſmundus non habuit filium, unicam filiam quam habuit, dedit in matrimonium Alberto duci Auſtriæ, unde Albertus regna Hungariæ & Bohemiæ conſequutus eſt.

Anno Dñi Mccccxvij. Temporibus Sigiſmundi Imp. & Conſtantienſis Concilij claruit Nicolaus Clemangis, Archidiaconus Barocenſis, doctor Theologiæ Pariſienſis, qui de corrupto Eccleſiæ ſtatu ſcripſit, quibus rationibus res Eccleſiaſtica creuerit, & decreuerit pietas.

Cauſam primitiuę fundationis & dotationis Eccleſiarum commemorans.

De inſolentia orta ex affluentia rerum temporalium in Eccleſia.

De tribus uitijs, ex quibus cætera mala orta ſunt in Eccleſia, luxu, faſtu & cupiditate.

De exorbitantijs per ſummos Pontifices in Eccleſia introductis.

De abolitione electionum, & reſeruatione beneficiorum.

De camera Apoſtolica, quomodo exhauſerit regna pariter & prouintias.

De expectatiuis & qualitate currentium ad curiam Romanam.

De uacantijs & alijs uectigalibus Eccleſiam opprimentibus.

De inſtitutione collectarum, & malis per eos illatis.

De litigijs curiæ Romanæ.

De regulis & conſtitutionibus cancellariæ.

De proſperitate curiæ Romanæ.

De ſtatu & introductione Cardinalium.

De multitudine beneficiorum Cardinalium, & eorum incompatibilitate.

De contractibus Simoniacis.

De ſtatu beneficiorum Cardinalium.

De omiſſione multiplicium uitiorum Eccleſiæ.

De promotionibus ad inſtantiam per Papam ſolitis fieri.

Quòd congregatio pecuniæ eſt pręcipua cura prędictorum pręlatorum.

De uitijs pręlatorum.

De exactionibus pro concubinis tolerandis.

De collatione Simoniaca ſacrorum ordinum.

De indignis & indigne promotis.

De perpetua abſentia pręlatorum ab Eccleſijs ſuis.

De pręlatis in curijs Principum reſidentibus.

De Capellanis & Canonicis, qui ſimiles ſunt Epiſcopis, indocti, ebrij, ſcortatores.

De mendicantibus, & eorum inani iactantia & gloria.

De impudica uita, & conuerſatione monialium.

Comparatio Modernorum uirorum cum priſcis patribus.

Quòd ſtatus Eccleſiaſticus merito patitur.

Quòd ſtatus Eccleſiaſticus propter ſuperbiam tendit ad ruinam.

Quòd Eccleſia prius humilianda eſt quam erigenda.

PERSONAE IN CONCILIO CONSTANtienſi, Spirituales & prophanæ.

Sexaginta millia & quingentæ exteræ perſonæ numeratæ, inter feſta Paſchæ & Pentecoſtes.

Inter has cccxlvi. Archiepiſcopi & Epiſcopi.

Item Dlxiiij. Abbates & Doctores.

PROPHA

PROPHANI VEL SECVLARES.

Principes
Duces
Comites } ſedecim millia.
Milites
Armigeri

Mulieres publicæ ccccl.
Sexcenti Barbitonſores.
Trecenti & uiginti ioculatores, fiſtulatores, coci &c.

EPISTOLA LIIII. NOBILIVM MORAVIAE, pro defenſione Iohannis Huſs, ad Concilium Conſtantienſe.

Reuerendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, dominis Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ambaſiatoribus, Doctoribus & magiſtris, ac toti Concilio Conſtantienſi: Nos infra & circumcirca ſcripti Nobiles, Milites, Militares & armigeri præclariſſimi Marchionatus Morauiæ, affectum omnis boni, & obſeruantiā IESV CHRISTI domini mandatorum.

SAnè quia iure naturali, & diuino, quilibet iubetur alij facere, quod ſibi uult fieri: & prohibetur alij inferre, quod ſibi nolit fieri, dicente Saluatore: Omnia quęcunq; uultis quod faciant uobis homines, & uos eadem facite illis: hoc enim eſt lex & prophetæ. Imò lex in uno ſermone cōpletur: Diliges proximū tuum ſicut teipſum. Nos itaq; præfatæ legi diuinæ & dilectioni proximi, quantum poſſumus, Deo autore, intendentes, pro chariſſimo noſtro bonæ memoriæ uenerando Magiſtro Ioanne Huſs, ſacræ Theologiæ Baccalaureo formato, prędicatore Euangelico, quem nuper in Concilio Conſtantienſi, neſcimus quo ſpiritu ducti, non confeſſum, nec legitime, ut decet, conuictum, nulliſq; contra eum deductis & oſtenſis erroribus in hereſibus, ſed ad ſiniſtras falſas & importunas duntaxat ſuorum, & regni noſtri, ac Marchionatus Morauiæ, capitalium inimicorum & proditorū accuſationes, delationes & inſtigationes, tanq; hęreticum pertinacem condemnaſtis, & condemnatum dira & turpiſſima morte affeciſtis, in noſtri regni Bohemiæ Chriſtianiſſimi, & Marchionatus Morauiæ clariſſimi, ac omnium noſtrum perpetuam infamiam & notam (quemadmodū ſereniſſimo Principi & domino, domino Sigiſmundo Rhomanorum & Hungarię Regi, hęredi & domino noſtro ſucceſſuro, ſcripta noſtra ad Conſtantiam tranſmiſimus, quæ etiam in congregationibus ueſtris lecta ſunt & publicata, & quæ hic pro inſertis habere uolumus) Et eū, ut refertur, in noſtrum dedecus & contemptum, ignis uoragini tradidiſtis. Ite & nunc P. V. pro dicto M. Ioanne Huſs literas noſtras patentes, pręſentibus duximus deſtinandas, publice, corde & ore profitentes & proteſtātes, quod ipſe M. Ioannes Huſs fuit uir utiq; bonus, iuſtus, & catholicus, à multis annis in regno noſtro uita & moribus ac fama laudabiliter conuerſatus, & cōprobatus, legem etiam Euangelicam, & ſanctorum prophetarū noui & ueteris teſtamenti libros, iuxta expoſitionem ſanctorū doctorū, & ab Eccleſia approbatorum, nos & ſubditos noſtros catholice docuit, prędicauit, & in ſcriptis multa reliquit, omnes errores & hereſes conſtantiſſime deteſtando, & ad deteſtandū eoſdem nos & cunctos Chriſtifideles continuę & fideliter ammonendo, ad pacem quoq; & charitatem, quantum ſibi fuit poſſibile, uerbo, ſcriptis, & opere iugiter exhortādo, ita: quod nunq; audiuimus, nec intelligere potuimus, etiam omni diligentia appoſita, quod pręfatus M. Ioannes Huſs quenq; errorem uel hęreſim in ſuis ſermonibus docuiſſet, predicaſſet, uel quouis modo aſſeruiſſet, ſeu nos uel ſubditos noſtros, uerbo uel facto, quoquo modo ſcādalizaſſet: quinimo pie & manſuete in Chriſto uiuens, omnes ad ſeruādam legem Euangelicam, & ſanctorum patrum inſtituta,

Math. 7.
Roma. 13.
Eſaiæ. 29.
Sanguinariorum Monachorum.
Omnes autem qui pie uolunt uiuere in Chriſto &c. 2. Timoth. 3.

inſtituta,prædicatione ſanctę matris eccleſiæ,& ſalute proximorum, quanto po
tuit uerbo & opere diligentiſſime hortabatur. Nec præmiſſa omnia in confuſio
nem noſtram,& regni noſtri & marchionatus prefatorũ, perpetrata uobis ſuffe-
cerunt,quin potius honorandnm M. Hieronymum de praga,uirum certiſſimæ *Hieronimus de*
eloquentiæ fonte manantem,magiſtrum ſeptem artium liberalium, & philoſo *Praga.*
phum utiq; illuſtrem,non uiſum,nõ auditum,non confeſſum, nec conuictum,
ſed ad ſolum ſuorum & noſtrorum proditorum delationem ſiniſtram, ſine om
ni miſericordia comprehenſum,incarceraſtis, trucidaſtis, & iam,forte ſicut M.
Iohannem Huſs,crudeliſſima morte interemiſtis. Præterea ad noſtram (quod
nimis dolenter referimus) peruenit audientiam,& ex ſcriptis ueſtris collegimus
euidenter,quomodo quidam detrectatores,Deo & hominibus odibiles,& no *Roman.1.*
ſtri regni Boemiæ,& Marchionatus Morauiæ æmuli & proditores, coram uo-
bis & concilio ueſtro,nos & regnum noſtrum ac Marchionatum prædictos,gra
uiſſime & nequiſſime detulerunt,afferentes,licet falſæ,mendoſe & proditorie,
quod in præfatis regno Bohemiæ,& Marchionatu Morauię, diuerſi errores pul
lularunt,& corda noſtra, & multorum fidelium terrigenarum multipliciter &
grauiter infecerunt,adeò quod niſi lima correctionis celeriter apponeretur,præ-
dictum regnum & Marchionatus, cum ſuis Chriſtifidelibus reciperent anima-
rum ſuarum irrecuperabile damnum & ruinam. Equidem has atroces & perni
cioſas iniurias,nullis noſtris exigentibus demeritis, nobis & præfatis regno &
Marchionatui,licet falſe & mendoſe impoſitas,quomodo ſuſtinere poſſumus?
cum per gratiam Dei,alijs ferè omnibus mundi regnis ſæpe uacillantibus, ſchiſ-
ma & antipapas facientibus, regnum noſtrum Bohemię Chriſtianiſſimũ,& cla
riſſimus Marchionatus Morauiæ,à tempore quo fidem catholicam domini no-
ſtri IESV CHRISTI ſuſceperunt,tanquam perfectiſſimus tetragonus,ſine ui
tuperio ſanctæ Romanę eccleſiæ,ſemper conſtanter & indeſinenter adhæſerũt,
& obedientiam ſynceram exhibuerunt, quantisq; impenſis ac laboribus maxi-
mis,quantóue ſacro cultu et reuerentia debita ſanctam matrẽ eccleſiam,et ipſius
paſtores,per principes & fideles ſuos uenerati ſunt,uniuerſo orbi luce clarius pa
tet: & uos ipſi,ſi ueritatem fateri uultis, uniuerſornm præmiſſorum teſtes eſtis.
Vt autem iuxta ſententiam Apoſtoli, prouideamus bona non ſolum corã Deo, *Roman.12.*
ſed etiam coram hominibus: & ne propter negligentiam celeberrimæ famæ
prædictorum regni & Marchionatus noſtrorum, crudeles erga proximos no-
ſtros repereamur. Ideo habentes in CHRISTO IESV domino noſtro firmã
ſpem,puram & ſynceram conſcientiam et intentionem,ac certã orthodoxamq;
fidem,tenore præſentium V.P. & uniuerſis Chriſtifidelibus innoteſcimus, in-
ſinuamus,corde & ore publice profitentes: Quod quicunq; hominũ,cuiuſcunq;
ſtatus,uel præeminentiæ,uel dignitatis,conditionis,gradus uel religionis exti-
terit, qui dixit uel aſſeruit, dicit uel aſſerit, quod in præfatis regno Bohemiæ &
Marchionatu Morauiæ,errores & hæreſes pullulaſſent,& nos ac alios Chriſtifi
deles ipſorum,ut præmittitur, infeciſſent (ſola perſona ſereniſſimi principis &
domini noſtri Sigiſmundi,Romanorum & Hungarię &c. regis, heredis & do-
mini noſtri ſucceſſuri,ſemota: quem in præmiſſis credimus & ſperamus innoxi
um) omnis & quilibet talis,ut prefertur,recte mentitur in caput ſuum,tanquam
nequam peſſimus,traditor & proditor prędictorum regni & Marchionatus ac
noſter perfidiſſimus,& ſolus utiq; hæreticus pernicioſiſſimus, omnisq; maliciæ
& nequitiæ,immo et diaboli filius,qui mendax eſt, et pater eius. Nihilominus *Iohannis 8.*
tamẽ pręmiſſas iniurias Domino,cuius eſt uindicta,& qui abundanter retribuet *Deuter.32.*
facientibus ſuperbiam,nunc committentes,apud futurum Apoſtolicum, quem *Pſalm.30.*
dominus Deus ſuę eccleſiæ ſanctę prefecerit,unicum & indubitatum paſtorẽ, il-
las amplius & latius proſequemur,cui,Deo uolente,tanquam fideles filij,in his
quæ ſunt licita et honeſta,rationi et legi diuinę conſona,reuerentiam, obedien-
tiam debitam exhibentes. Petemus et poſtulabimus inſuper pręmiſſis omni-
bus et ſingulis,iuxta legem domini noſtri IESV CHRISTI,et ſanctorum pa-
trum inſtituta,nobis et pręfatis regno et Marchionatui prouideri de remedio op

portuno. Premiſſis enim non obſtantibus, legem Domini noſtri IESV CHRISTI, ipſiusq; deuotos, humiles, & conſtantes prædicatores, uſq; ad effuſionem ſanguinis, omni timore, ſtatutis humanis in contrarium æditis, poſtergatis, defendere uolumus & tueri. Datum Sternberg anno Domini mill. ccccxv. die & feſto ſancti Vuenceslai martyris Domini noſtri IESV CHRISTI.

A dictis literis in circuitu pendebant ſigilla liiij. cum adſcriptione nominum eorum, quorum ſigilla fuere, tametſi ob uetuſtatem obliterata, legi non potuerint.

	Primum ſigillum. Alſſo kabat de Vuyskouuitz.	xxviij.	N.
ij.	Vlricus de Lhota.	xxix.	Ioſſeck de N.
iij.	Iohannes de Kzymicz.	xxx.	Henricus de N.
iiij.	Ioſsko de Sczitouuicz.	xxxi.	Vuaczlals Kuckh. *Is Huſſo alter comes fuit, qui eum Conſtantiam deduxerunt cum aliquot equitibus.*
v.	Pærdus Zuuiranouuicz.	xxxij.	Henricus de Zrenanouuicz.
vi.	Iohannes de Ziuula.	xxxiij.	Barzko de Conuald.
vij.	Iohannes de Reychenberg.	xxxiiij.	Petrus dictus Nieniczk de Zaltoroldeck.
viij.	Vuldko SKitzynye.	xxxv.	Czenko de Moſſnouu.
ix.	Drliko de Biela.	xxxvi.	N.
x.	Kus de Doloplatz.	xxxvij.	Zibilutz de Kleczam.
xi.	Iohannes de Simuſin.	xxxviij.	Iohannes de Peterſuuald.
xij.	Dobeſſius de Tyſſa.	xxxix.	Parſifal de Namyeſcz.
xiij.	Drazko de Hradeck.	xl.	Zodoni de Zuuyetzick.
xiiij.	Stephanus de Hmodorkat.	xli.	Raczeck Zauuskalp.
xv.	Iohannes Dern de Gabonecz	xlij.	Ion de Toſſauuicz.
xvi.	Barſo dictus Hloder de Zeinicz.	xliij.	Diuua de Spiſſnia.
xvij.	Iohannes Hmrſdorfar.	xliiij.	Steffko de Draczduu.
xviij.	Pſateska de Vuikleck.	xlv.	Ieſsko de Darczduu.
xix.	Petrus Mg de Sczitouuicz.	xlvi.	Odich de Hlud.
xx.	N. Studenika.	xlvij.	Vuosfart de Paulouuicz.
xxi.	N. Briſchell.	xlviij.	Pirebbor de Tirczenicz.
xxij.	N. de Cromaſſona.	xlix.	Rynad de Ticzeuuicz.
xxiij.	Arannſick Donant de Poloniæ.	l.	Bohunko de Vuratiſdouu.
xxiiij.	Iohannes Donant de Poloniæ.	li.	Vlricus de Racdauu.
xxv.	Iohannes de Cziczouu.	lij.	Deslauu de Nakli.
xxvi.	Vuenceslaus de N.	liij.	Bonesb de Frabenicz.
xxvij.	N. de N. deeſt ſigillum.	liiij.	Eybl de Roiſsouuan.

DE IOHANNE ZISCHA.

Recens obierat Vuenceslaus, quando Iohannes Ziſcha nobilis genere ex loco cui Troſnauia nomen cenſu tenui, in curia regis à puero enutritus, & bellis exercitatus, uno carens oculo, quem ſtrenue pugnans iampridem amiſerat, collecta hominũ multitudine, in eccleſias quæ reſtabant, impetum fecit: arcem Viſſegradenſem, quæ negligenter cuſtodiebatur, inuaſit. Exin duce Coranda Pelzinam raptim contendit, eamq; urbem in poteſtatem receptam, ualido præſidio munit. In Praga pugnatum fuit ab utraq; parte die noctuq;, continuis quinq; diebus, ſeuiſſimis ac crudelibus auſibus, multi utrinq; cæſi, magnificæ domus exuſtæ, prætorium incenſum atq; deletũ. Ziſcha dum hæc agũtur, ſępenumero inuaditur, uario ſtratagematè uſus, ſæpenumero uictor euadit. Hic legis in Syluio apud Peltzinam, cum nõ poſſet certamen committi niſi pedeſtre, & aduerſarij ab equis deſiliere, mulieres quæ de more ſuum exercitum ſequebantur, proijcere pepla in terrã iuſſit, in quibus implicati per calcaria equites, prius extincti ſunt, quàm pedes expedire ualerent.

DE THABORITIS.

CVm ciuitatem quam Ziſcha cum ſuis incoleret nō haberet, locum natura munitum apud amnem Luſinitium elegit, uix octo ſtadijs ab Auſca ciuitate ſeparatum. Hunc mœnibus cinxit, & ut quiſqꝫ tentoria fixerat, ita ædificare ſibi domos imperauit, ciuitati Thabor nomē indidit, & comites ſuos fratres Thaboritas appellauit. Ciuitas quamuis altis defenſa rupibus, muro tamen & antemurali cincta eſt. Luſinitius amnis maiorem partem urbis alluit: quod reliquum, torrens non modicus ambit. Qui cum recta in Luſinitium tenderet, ſaxeo colle impeditus, quàm longa eſt ciuitas, flectere ad dexteram iter coactus, in fine urbis maiori fluuio miſcetur. Spatium quo per terram acceditur (nam peninſulam duo amnes efficiunt) uix pedes xxx. protenditur. Hic foſſa profunda manu facta, & triplex murus ea craſſitudine, quę nullis effringi machinis queat. Turres in mœnibus crebrę, & propugnacula quę ipſi Thaboritę expugnandarū urbium magiſtri excogitauerunt, locis opportunis cōſtructa. Hic arcem Ziſcha primus erexit: qui eum ſequuti ſunt, pro ſuo quiſqꝫ ingenio munimenta urbis auxerunt. In amne Luſinitio auri grana reperiuntur, ciceris æquantia magnitudinem, quæ nullo egent purgamento.

Fratres Thaboritæ.

TRES SECTAE REGNI BOHEMIAE ET MARchionatus Morauię, ex Epiſtola Iohannis Schlechtę Koſtelecij, ad D. Eraſmum.

PRima eſt eorum, qui Romanum pontificem in omnibus obſeruant & ſequuntur, uerumqꝫ uicarium Chriſti recognoſcunt. Ex ijs eſt maior pars procerum, magnatum & nobilium. Sunt & nonnullæ ciuitates regię cū monaſterijs olim opulentibus, nunc magna ex parte dirutis & deſpoliatis, uariorum ordinum.

Iudæos & Epicureos qui immortalitatē animarū negant, & Nicolaitas quoſdam non commemorat.

Alia ſecta eſt eorū, qui Euchariſtiam ſub utraqꝫ ſpecie populo diſpenſant. Cui ex proceribus pauci, ex nobilitate aūt plurimi, ciuitates uero regię prope triginta adhærent. Hij ſacramenta eccleſiaſtica omnia tenent, ſimiliter ceremonias ac ritus eccleſiæ, non aliter quàm ipſi Romani. In ſolo autem uſu cōmunionis differunt, & quod in ſacrificijs illorum ſacerdotes Epiſtolam & Euangelium lingua domeſtica canunt: & huic utriqꝫ conſuetudini pertinaciſſime adhærent, aſſerentes ſe utrunqꝫ literis Concilij Baſilienſis, quas uocant Pactionis, confirmatum & approbatum habere. Hij merum ſacrilegium uocant, ſubtrahere alteram ſpeciē. Quod ſi pericula quis obijciat: reſpondent, neminem ſapientiorem eſſe Chriſto ipſo, qui ſic inſtituit.

I. Secta Papiſtica, procerū & nobilium.

II. Secta.

Tertia ſecta eorum, quos uocant Pyghardos, ſic dicti à quodam, ut ille inquit, transfuga, qui huc ueniens ante annos nonaginta ſeptem, eo tēpore, quo Iohannes Ziſcha bellum eccleſiaſticis & omni clero indixit &c. Hi de ſummo pontifice, cardinalibus, epiſcopis & cæteris perſonis eccleſiaſticis, non aliud ſentiunt, quàm de manifeſtis antichriſtis: pontificem ipſum, nunc beſtiam, nunc meretricem illam Apocalypticam appellantes. Sacerdotes ſibi eligunt laicos uxoratos, autoritatem tantum ueteris & noui Teſtamenti recipiunt: abſqꝫ ueſtibus ſacerdotalibus celebrant officia miſſarum. In Euchariſtiæ ſacramento nihil eſſe diuinitatis credunt, ſed ſolum panem & uinum conſecratū ſignis quibuſdam occultis mortem Chriſti repræſentantem affirmantes, & propterea non adorandam, nec circunferendam Euchariſtiam. Suffragia ſanctorū, & orationes pro mortuis, rem uanam & ridiculam arbitrantur: ſimiliter confeſſionem auricularem, uigilias et ieiunia, fucum & tectorium eſſe hypocritarum. Feſta diuæ uirginis Mariæ, Apoſtolorum, & reliquorum diuorum, inuenta eſſe ocioſorum affirmant: dies tamen Dominicos, & feſtum Natalis dominici, Paſchę, & Pentecoſtes celebrant.

III. Secta Pygbardarum.

Eneas Syluius uult ex Gallia Belgica tranſmiſſo Rheno, per Germaniam in Bohemiā penetraſſe.

Lege quæ reſpondet Eraſmus Sclechtæ ad prolixam epiſtolam in libro Epiſtolarum Eraſmi, de fidei diſsidio.

Hoc tempore Adamitæ fuerunt in Bohemia, uiri & mulieres, nudi & nudæ incedentes, & ij inſulam quandam Luſinitio amne cinctam occuparunt. Aiebāt cæteros homines ſeruos eſſe, ſe uero, & qui ex eis naſcerentur, liberos. Ex ijs qua-

Adamitæ.

draginta uiri inſulam exiere,& intrantes uicinas uillas, euaginatis gladijs ſuper ducentos agreſtes,quos diaboli filios aſſerebant,interfecerũt. Iohannes Ziſcha his auditis,duxit in eos exercitum,expugnataq; inſula,Adamitas omnes gladio deleuit,duo bus tantum reſeruatis,ex queis gentis ſuperſtitionem cognoſceret.

Ziſcha Adamitas gladio delet.

Scribit Aeneas Syluius,ſe audiuiſſe ex Vlrico Roſenſi pręſtanti Regulo,quum ageret in Bohemia,fuiſſe apud ſe uiros & mulieres eius ſectæ captiuos, & mulieres palam dixiſſe,non eſſe liberos, qui ueſtibus,& præſertim fœmoralibus uterentur,easq; in carcere apud ſe peperiſſe,quas cum anno elapſo , ſimul cum uiris igni tradidiſſet,ridentes cantantesq; flammarum incendia pertuliſſe.

Sigiſmundus interea conuocatis Sleſiæ ducibus , ingreſſus eſt Bohemiam. Pragenſes Ziſcham accerſunt,qui cum Thaboritis nihil moratus,urbem accepit in poteſtatem. His primum ſtudium fuit , arcem oppugnare : locus ipſe natura munitus,non aliter quàm fame uinci poſſe apparebat. Clauſi aditus,ne quid cõmeatus importaretur. Sigiſmundus ferro iter aperit,obſeſſisq; neceſſaria prębet, Nec diu poſtea ciuitatem ipſam accerſitis ex imperio auxilijs, obſidere decreuit. Fuerunt in caſtris eius Saxoniæ duces, Marchionesq; Brandenburgenſes , & generipſius Albertus Auſtriæ princeps. Oppugnata eſt ciuitas ſex hebdomadibus. Ipſe uero Sigiſmundus in æde metropolitana quę in arce ſita eſt,regni coronam accepit à Conrado, natione Vueſtphalo, archiepiſcopo , cui Albicus dignitate ceſſerat,cum familiam edentem bibentemq; ferre non poſſet,& minori contentus officio,auaritię ſeruiebat. Tandem Sigiſmundus obſidione dimiſſa,Cuthnam ſe recepit. Hanc ciuitatem Thaborenſes propter argentifodinos, Crumenã antichriſti uocant.

De hoc Albico epiſcopo mire ſordido , ſcribit Aeneas , quod interrogatus aliquãdo, ſonorum omniũ quẽ moleſtius audiret, Maxillarum, inquit, oſſa frangentium.

Hoc tempore Martinus papa v. contra Orebitas, factionem in Bohemia, crucem decreuit. Huius ſectę homines, quoties ſacerdotes noſtros (inquit Syluius) intercepere,aut igne cremauerunt,aut nudos rigenti hyeme ſuper glaciem colligatos dimiſere. Quos parui momenti exiſtimarunt, defectis uirilibus, abire permiſerunt.

Orebitæ.

Poſt hęc Sigiſmundus Electoribus principibus diem ſtatuit, ut die Bartholomei ad occidentalem plagam Bohemiam cum copijs ingrederentur, ipſe cum Hungarorũ exercitu ad orientale latus aggreſſurus. Venere Mogontinus archiepiſcopus, Comes Palatinus Rheni, Saxoniæ duces, Marchio Brandenburgenſis,& plurimi ex Alemannia pontifices,caſtrametati ad oppidum Sozium , uaſtatus undiq; ager, continuata obſidio,ad feſtum Galli ſoluta,cum Sigiſmundus ad premiſſum diem non adeſſet. Qui collecto ex Hungaris, Auſtralibus , & Morauis exercitu,circa natalem Domini Bohemiam intrauit,& aliquot oppida cepit. Sed irruente in ſe Ziſcha, quãuis cęco, interfectis multis nobilibus , auffugit. Piſo Florentinus,qui equites in eam expeditionem xv. millia ex Hungaria duxerat, per glaciem iter habuit, quæ multitudinis pondere diſſoluta, multos mortales in profundum rapuit. Hac uictoria & alijs quamplurimis elatus Ziſcha, ſubactis intra regni fines aduerſarijs, exercitum extra Bohemiam duxit. Ferunt Ziſcham in Auſtriam profectum,& quum agreſtes armenta quæq; nauibus in inſulam Danubij tranſportaſſent, uitulos ſuesq; nonnullos per negligentiam in uillis dimiſſos,ad ripam fluminis tamdiu deuerberaſſe, donec pecus inſulam depaſcens, mugitũ grunnitumq; audiens, deſiderio ſimilis animantis, fluuiũ tranſnatauit, eoq; modo magnam prædam abactam eſſe.

Sigiſmundi & Imperij bellum contra Bohemos.

Monſtri ſimile uidetur Crantzio in Vuandalia li. 2. cap. 2. inter tot duces fœlicis Germaniæ, fortisq; Hungariæ , hominem mitimolliq; cœlo genitum placuiſſe regi, prælatumq; cæteris Florentinũ ciuem molliuſculum & enermem.

Stratagema Ziſchæ.

DE IOHANNE ROCHEZANA.

ROchezana oppidum eſt Pragenſis eccleſiæ, ex hoc loco puer obſcuris parentibus, cenſuq; tenuiſſimo natus, Iohannes nomine, Pragam uenit, mendicatuq; uictum quærens, Grammaticam & Dialecticam didicit. Quum adoleuiſſet, nobilis cuiuſdam pueri pædagogus factus: & quum ualeret ingenio, promptusq; eſſet, in collegio pauperũ receptus. Poſtremo præsbyter ordinatus, prædicare uerbum Dei Pragenſibus cœpit , ex oppido unde ortus Rochezanæ cognomen ducens. Is Ziſcham Pragam obſidentem, ciuitati conciliauit.

Rochezana.

Legitur

Legitur in uetuſto Codice, in epiſtola Ioan. Rochenzan, quam ſcripſit Ioanni Capiſtrano. Capiſtranum, hunc inuitaſſe Ioannem de Rochenzana, ad multas urbes famoſas, Neapolim, Senas, Peruſium, Florentiam, & q Papam elegerit iudicē, cuius ſcilicet eſt legem diuinā & ſanctas ſcripturas interpretari. In quo uidetur, q Capiſtranus non attenderit quæ legis naturalis ſunt, quod tibi nō uis fieri &c. inquit Rochenzan: Penſa Capiſtrane, quia crimen in Bohemia & Morauia per te eſt cōmiſſum, puta dum ad abiurationem ſacrati calicis inducis. Ergo ibi cauſa agatur, nō extra Bohemiam uel Morauiam. Simile eſt, ac ſi uelles furta in Bohemia perpetrare, & ſuper illis in Padua uel Bononia reſpōdere. Capiſtranus aſſerit ſe Bohemiam peragraſſe, ut tot millia animarum à faucibus Sathanæ liberaret. Reſpondet Rochenzan: ſe tenere cōpactata, de ueritate ſacramenti calicis, ſigillis magnorum conſignata, & uoluntate ac conſenſu Papæ Eugenij, & cum uoluntate ac robore firmo Concilij Baſilienſis, cum aſſenſione ſigillatum Maieſtatis, in teſtimoniū ſereniſſimi Sigiſmundi Imperatoris & ducis Auſtriæ. Capiſtranus obijciebat multitudinem regum Romanorum, Franciæ, Angliæ, Vngariæ Bohemiæ, & cęteros pleroſq;, qui ſub una tantum ſpetie communicabant, Rochenzan argumentum multitudinis diluit: Multi, inquit, uocati ſunt, pauci electi. Adducens exemplum Heliæ, in diebus Achaz. Tempore Arrij multos & maiores Epiſcopos & Principes ab eius parte ſtetiſſe. Et paucos Chriſtianos & illos abſconditos recte ſenſiſſe. Vt erat Hilarius & Athanaſius, qui Treueris latuit. Et Dominus Ieſus ferè unus fuit in tota Hieruſalem. Ne autem putet ſolos Bohemos, ac Morauos calici participare, ſciat idem facere Græcos, Vulgares, Armenos, Indos, quos tamen Eugenius in gremio Eccleſiæ habere uoluit cōgregatos. Reſpondet Capiſtranus, & monet Rochenzan, ut redeat ad gremiū matris Eccleſiæ. Non curat, q appellarit eum Monachum, cum tu, inquit, neq; Monachus ſis, neq; regularis, & ut multi aſſerunt, neq; forſan ſacerdos aut presbyter, utinam eſſes uerus ſacerdos, id eſt, ſacra dans. Et tandem inquit Capiſtranus, nō grauari ſe, q à Rochenzan ſit infamatus, quando tota Italia, Francia, Flandria, Burgundia & Alemannia, in quibus xxxiij. annis Euangelizaui, refellent & confutent iſtam doctrinam, ut taceam Angliam, Hiſpaniam, Portugalliam, Cathaloniam, Nauerrā, Siciliā, Boſnum, Vngariā, Dalmatiā, Poloniā, quorū regibus omnibus, & ſi non facie, nomine tamen notus ſit. Et q in ciuitate Olomicenſi, quodā die Dominico ſequuti ſint ſuas prędicationes centū millia perſonarum.

ZISCHAE MORS.

Sigiſmundus ubi animaduertit Ziſchę omnia ex ſententia cedere, & illum eſſe unum, ex quo res Bohemię penderēt, clam ſibi eum reconciliare tentauit ſane mirandis conditionibus, is conditionibus annuens, dum conuenta cōpleturus, Sigiſmundū petit, peſte tactus expirauit. Ferunt illum cum ægrotaret interrogatū quo nā loco mortuus, ſepeliri uellet, iuſſiſſe cadaueri ſuo pellem detrahi, ex pelle tympanum fieri, eoq; duce bella geri, arrepturos fugam hoſtes, quamprimum eius tympani ſonitum audierint.

EPITAPHIVM IOANNIS ZISCHAE, Clariſſimi Boiemorum ducis.

IOANNES Ziſcha, nulli Imperatorū, Ducumue, rei militaris peritia inferior, ſuperbiæ ſimul & auaritiæ Clericorum ſeuerus ultor, patriæq; acerrimus propugnator hic iaceo. Quod Appius Claudius cęcus bene conſulendo, & M. Furius Camillus ſtrennue agendo ſuis Romanis prębuere, hoc ipſum Boiemis meis præſtiti, fortunę belli nunq; defui, neq; illa mihi, omnem opportunitatē rerum bene gerendarū, etiā cœcus prēuidi, ſignis collatis, undecies ſemper uictor depugnaui. Viſus mihi ſum miſerorū & eſurientiū iuſtiſſimā cauſam, aduerſus delicatos, pingues et ſaginatos ſacerdotes, egregie egiſſe, et ob hoc Dei auxiliū ſenſiſſe.

Niſi illorum inuidia obſtaret, inter illuſtres uiros numerari procul dubio meruiſſem. Tamen oſſa mea hoc ſacrato loco cubant etiam inſalutato Papa, inuitoq́;

DIIS MANIBVS SACRVM IOHANNI SISKE,
GEORGIVS AVVNCVLVS PP.

ΙΩΑΝΝΙΣ ΣΙΣΚΑΣ. ὁ βωικμος τῶν ἀισχροκερδῶν
ἱερέων ἀιχθρὸς ἀλλὰ ἐν θείῳ ζήλῳ.

DE CONCILIO BASILIENSI, ex duobus libris Aeneæ Syluij.

ANno Domini Mccccxxxiiij. uiuēte adhuc Sigiſmundo, inceptū fuit Concilium Baſilienſe, quod grandem in Chriſtianiſmo commotionem dedit. Eugenius Papa, ante quidem iuſſerat cōuocari, uerum ubi ſatis mature ex omni orbe patres conuenerant, & Iulianus Cardinalis S. Angeli in eo pręſideret, uice & authoritate Pontificis. Eugenius mutato animo, transferre uoluit Bononiam. Interea moritur Sigiſmundus, & Papa impedit ſucceſſum Concilij. Imò primum Ferrariæ, deinde Florentiæ habet Anticoncilium, ſic ſoluitur Baſilienſe, nam à morte Sigiſmundi, nulla principum poteſtas, Concilij cura & cogitatione tangitur, Eugenius cauſas prætendebat de Gręcis aduenturis, & eorum ad Eccleſiam Occidentalem adunatione, qui Alpes tranſire nollent, deq́; proprio incōmodo, ꝙ Baſileam ipſe longo itinere petere non poſſet. Ad Bononiam autem omnibus facilis eſſet acceſſus. Quòdq́; inter minas Germanorum, qui in ſuis finibus intractabiles eſſent, nihil ad eorum reformationem poſſet intentari. Vocauit Iulianum & omnes patres ſub maximis pœnis Bononiam. Illi uiciſſim citabant Pontificem, ut aut ueniret, aut inſtructos mitteret Oratores, ad audientiā ſacri Concilij ſub interminatione pœnarum maximarum. Ea de cauſa Oratores Alberti Romanorum regis, & aliorum Germaniæ Principum, conuenerunt primum Norinbergæ, & ut illic res perfici nequiuit, deinde Francophordiæ conuenerunt, ut diſcordiā inter Papam & Concilium ſopirent. Eo enim in loco electores imperij facilius conuenturi iudicabantur. Interim Oratores Cęſarei, electorumq́; Baſileā petierunt, & contracta cum Oratoribus aliorum Principum, qui Baſileæ agebant intelligentia, ac uocato Cardinali S. Petri pręſtantiſſimo uiro, qui per id temporis exitū rerum Conſtantiæ morabatur, maxime hortati ſunt patres Concilij, ut pacem amplecterentur quam ipſi offerrent. Erat petitio Principum, ut patres in alium locum ſe reciperent, conciliumq́; transferrent, quod unū Eugenius ſemper uiſus eſt quęſiuiſſe, ut ſic uel patres Concilij diſſiparet, uel libertatem eis aufferret. Viſum tamen eſt ſanctæ ſynodo, necnegandum eſſe ꝙ Principes poſcerent, nec quod Eugenius cuperet permittendum. Inter ipſas rerum difficultates, Oratores Cęſarei, Patauienſis & Auguſtenſis Epiſcopi, multum rogati, ſtimulatiq́; Baronem magnanimum, & apprime inſignem Conradum à Vueinſperg, ex mandato regio protectorem ſacro concilio, & omnium patrum defenſorem dederunt. Qua ex re ut alienatum ab Eugenio aduerſarij, ſic Patres ſacri Concilij optimam erga ſe fore mentem Cęſaris cognouerunt, quia nec protectorem miſiſſet, ſi non legittimum concilium reputaſſet, nec rurſus Concilium in Baſilea eſſe putauiſſet, ſi Eugenio fidem habuiſſet. Cum autem ob peſtem graſſantem Conuentus Francophordię celebrandus, ad urbem Metropolim Mogontiā translatus fuiſſet, uiſum eſt Oratoribus Principum eò pergere, ſi forſan pacis illuc medium aliquod inuenirent, quo Papam Concilio reunirent. Fuit conuentus celeber admodum, pręſentes namq́; Mogontinenſis, Colonienſis, Treuirenſis Archiepiſcopi, ſacriq́; Romani imperij electores, & coelectorum omnium nuncij. Pręcipuus tamen ille in conuentu fautor ſacri concilij habitus eſt Colonienſis Archiepiſcopus, qui ſummo ſtudio, ſummoq́; niſu rem bene dirigere conatus, Rabanus Treuerenſis aliquanto rigidiorē ſe prębuit. Cenſuit & ſancta ſynodus ſuos Oratores mittere, miſſiq́; ſunt

Eugenij ſtudium in ſoluendo Baſilienſi concilio.

Conuentus Norinbergæ & Francophordiæ.

Petitio Principum.

Conradus à Vuinſperg protector Concilij.

Conuentus Mogontiæ.

Laus Colonienſis Epiſcopi.

ſunt Patriarcha Aquileienſis, Epiſcopi Vicenſis & Argenſis Theologi, Iohannes Segouius & Thomas de Corſellis iuris periti, & alij. Nemo illic erat qui Eugenij nuncium ſe uocaret. Confluxerant tamen plurimi fautores Eugenij, tam ex concilio quam ex Florentia, hij ſuſq; deq; faciētes iuramentū, magis Eugenio quam ſacro Concilio fauebant, quorum poſtea ſectam Vuilhelmus Conſtantienſis iuriſconſultus Griſeam uocauit. Hercules omnium Eugenianorum fuit Nicolaus Cuſanus, homo & Priſcarum literarum eruditiſſimus, & multarum rerum uſu perdoctus. Poſt uarios tractatus uiſum eſt electoribus imperij, alijsq; Germanorum Principum Oratoribus, decreta ſacri Baſilienſis Concilij in ſua natione recipere, atq; obſeruari mandare.

Fautores Eugenij Griſea ſecta.

Nicolaus Cuſanus Hercules Eugenianorum.

Dum hæc Mogontiæ fiunt, inter Theologos qui Baſileę manſerant, hęſitatio ſuborta eſt, & diſputatum, an Eugenius dici poſſet hæreticus, qui tam rebelliter Eccleſiæ mandata contemneret, alijs negatiuam, alijs affirmatiuam ſententiam defendentibus. Protracta eſt res diſputando ſex omnino diebus, & ante prandium & ante cœnam. Ludouicus Cardinalis, Archiepiſcopus Arelatenſis, Medius erat inter omnes, primoq; loco ut iudex fidei, totiuſq; diſputationis moderator & arbiter Nicolaus Amici, Theologus Pariſienſis ſententias rogabat, Iohannes Dielenſiſt publicus ſcriba, ſuffragia annotabat.

Diſputatio, an Eugenius dici poßit hæreticus.

Ludouicus Arelatenſis Cardinalis.

CONCLVSIONES THEOLOGORVM, TANquam diſputationis fundamenta huiuſmodi fuerunt.

I. Veritas eſt Catholicæ fidei ſacrum generale Concilium ſupra Papam, & alium quemuis poteſtatem habere.

II. Generale Concilium legittime congregatum ſine ipſius conſenſu, nec diſſoluere, nec transferre, nec prorogare ad tempus, ex autoritate ſua poteſt Romanus Pontifex, idq; ueritatis eiuſdem eſt.

III. Qui pertinaciter ſe ijs ueritatibus opponit, hęreticus eſt cenſendus.

IIII. His ueritatibus Eugenius Papa repugnauit, cum primo ex plenitudine poteſtatis Apoſtolicę, Baſilienſe Concilium diſſoluere ſiue transferre attentauit.

V. Errores his ueritatibus repugnantes, monitus tandem per ſacrum Concilium Eugenius reuocauit.

VI. Diſſolutio ſiue translatio per Eugenium ſecundo attentata, prædictis eſt obuia ueritatibus, inexcuſabilemq; circa fidem errorem continet.

VII. Eugenius iterato diſſoluere ſeu transferre Concilium tentans, in reuocatos errores prolabitur.

VIII. Commonitus per ſynodum Eugenius, ut diſſolutionem ſiue translationem ſecūdo attentatam reuocaret, poſt declaratam contumaciam in rebellione perſiſtens, Ferrariæq; conciliabulum erigens, ſeipſum pertinacem declarat.

Hic Panormitanus Archiepiſcopus, impudens adulator, multa diſputans, Papam Eccleſię dominū conſtituit. Cui Ioannes Segouius, peritiſſimus Theologus ex uerbis Chriſti: Reges gentium dominantur, appoſite reſpondet, ubi dominatus omnino prohibetur. Et ex loco Petri: Paſcite qui in uobis eſt gregem Dei, ſub inferens. Quōd ſi filius Dei Chriſtus nō ſibi miniſtrari, ſed miniſtrare uenit, quo pacto eius uicarius dominabitur, aut dici dominus, ſicut uis Panormitane, poterit? cum non ſit diſcipulus ſuper magiſtrum.

Panormitanus adulator.

Iohannes Segouius uir optimus.

In ea diſputatione, primaria concluſio fuit Papā ſubeſſe Concilio, excuſſa loca Tu es Petrus: Item, Oraui pro te Petre: Quodcunq; ligaueris: Item Papam poſſe errare, & ꝙ Papa non audiens Eccleſiā, Ethnicus ſit & Publicanus. Excuſſus locus. Dic, Eccleſię: quid ſit Eccleſia? Audita blaſphemia Gabrielis, qui ſe dictitat Eugenium. Tantum ſe abeſſe, ut generalibus concilijs debeat obedire, ut ſe tunc maxime dicat mereri, cum Concilij Decreta contemnat. Agitata & ea quæſtio: An Papa per Concilium deponi poſſit, & an ſine authoritate Ro. Pont. Concilia poſſint congregari, de ijs & alijs uide fuſe, Comment. Aeneę Syluij, de geſtis Conſilij Baſilienſis libros duos, quos ſcripſit bona fide antequam ad Pontificiū culmen emerſit, poſthac ab ipſo authore ſuppreſſi.

Papam ſubeſſe Conſilio.

Quæſt. an Papa per Concilium deponi poßit.

Finita

Finita diſputatione,cum inſtaret horum negotiorũ extrema concluſio.Medi-
olanenſis & Panormitanus Archipontifices,ſe magnopere armabant ad impe-
diendum.Igitur ubi ad generalem deuentum eſt concionem, Burgenſis Epiſco-
pus primus differri concluſionem petijt,& expectari aliorum Principum,Orato

Panormitani Rhetorica oratio.

res ex Mogontia propediem redituros. Tum Panormitanus grauem & Rheto-
ricam orationem habuit,admonens Patres,quoniam in omni re,quæ ab aliquo
poſtulatur,quatuor eſſe conſideranda, quis peteret, quid peteretur, cur petere-
tur,& qui demum effectus ex petito denegato,uel cõceſſo proueniret. Primum,
Hic petere potentiſſimos reges & principes. Secundũ, Petere otium tantũ ſacri
Concilij, ut patres quieſcerent in proceſſu Papæ, & concluſione rerum. Tertiũ,
Non propter priuatam,ſed publicã utilitatem petere, ad rem melius exaniman-
dam. Quarto, Vt effectus mente conciperent, ſiue negarent, ſiue concederent,
quod peteretur. Calefiebat autem dicendo Panormitanus, & maxime cũm de
prelatis mentio incidit, diceretq́ apud ſe fore maiorẽ partem prælatorum. Tum
Ludouicus Romanus prothonotarius exorſus loqui,nec multa, nec ualde bona
adduxit:nimirum, cum ex malo corio, nemo bonús conſuete calceos queat. Sic
& alij huc ſpectantes, ut uel ſic tempus redimerent, concluſionemq́ differrent,

Ludouici Cardinalis Arelatenſis reſponſum ad orationem Panormitani.

Tum Ludouicus Cardinalis Arelatenſis,uir conſtantiſſimus,& ad gubernationẽ
generalium conciliorum natus,Oratorum omniũ,qui loquuti fuerant, uerba re
ſumens,uehementer arguens Epiſcopos, qui metu ueritatem celent, aſſeuerans
in Concilio,non dignitatem patrum,ſed rationem ſpectandam eſſe,imò ueritа-
tem ante omnia ſpectandam.Se nullius Epiſcopi mendaciũ, quamuis ditiſſimi,

Hic erat uere Cardinalis, ex cuius ore ueritas loquitur, qui minas Principũ non timuit,nec terrenæ dignitatis gloriam queſiuit.

ueritati pauperis presbyteri preponere. Nec dedignari Epiſcopus debeat, ſi uox
inopis ſacerdotis,docti tamen & acuti,ſuæ preponatur, adductis in hoc exẽplis,
Athanaſium præsbyterum, non Epiſcopum, Archiepiſcopum Arrium uiciſſe in
Concilio Niceno,Marchionem presbyterũ oratoria arte confudiſſe Paulum hę-
reticum &c. Et cum Panormitanus dilationem in re fidei peteret, iam declaratis
ueritatibus diſcuſſis & ordinatis. Multis exemplis probat periculũ eſſe in mora,
& ꝙ ſępe momenti tranſitus, annitranſitus ſit. Hannibal apud Cannas uictoria
potitus,ſi è ueſtigio urbem petiſſet,omniũ iudicio cepiſſet Romam, quia tamen

Audiẽdi etiam pauperes præsbyteri in Concilio.

in craſtinũ diſtulit,reſtituto Romanis uigore excluſus eſt, & audire meruit, Vin-
cere ſcis Hannibal,uti uictoria neſcis. Galli quoq; Senones Roma capta,Capito-
lium obſidentes,dum tenacius aurũ expoſcunt,moramq́ in paciſcendo trahunt
à Camillo inuaſi, turpiter expelluntur. Agebatur autem octauus annus Concilij

Periculũ in mora probatur multis exẽplis.

Baſil. Tandem propoſitis exemplis Apoſtolorum Petri,Pauli,Andreæ, & mar-
tyrum,Stephani,Laurentij &c. Hic Ludouicus Arelatenſis,contra diſcrimina &
pericula,quæ Panormitanus cõmemorarat, à Principibus expectãda, fortiſſime

Octauus annus agitur Baſilienſis cõcilij.

hortatur Epiſcopos, ne timeant qui occidunt corpus, animam aũt non poſſunt
occidere. Etiam Gentilium exemplis exhortans, ſi pro Roma Curtius, pro
Thebis Meneotheus, pro Athenis Codrus, lubenti & cupido animo mortem

Exhortatio Arelatenſis contra pericula.

tulerint,ne ipſi pro Eccleſia mortem repudient. Panormitano etiam reſpondẽs,
ꝙ Cyrenenſis Theodorus reſpondiſſe traditur, Lyſimacho regi, crucẽ minitan-
ti,qui,iſtis queſo,inquit,iſta horribilia minitare purpuratis tuis,Theodori quidẽ

Fortiter dictum.

nihil intereſt,humi ne an ſublime putreſcat.

Hic cum Arelatenſis feciſſet loquendi finem, turbatio non parua exorta fuit,

Turbatio in Concilio.

erat ubiq; clamor, ubiq; ſtrepitus,ubiq; iurgia effundebantur. Nunc Panormita-
no,nunc Ludouico ſermo erat,Epiſcopi cum Epiſcopis,inferiores cum inferiori-
bus uerbales rixas habebant. Tum Ludouicus Patriarcha Aquileienſis, dux de
Deck in Sueuia, uerſus ad Panormitanum & Ludouicum Prothonotarium. Ne

Libertas in Concilio.

credite rem,inquit,ita abire, Germanorum neſcitis mores, nempe ſi ſic procedi-
tur, nequaq; fas erit integris hanc prouinciam exire capitibus. Quo uerbo,ueluti
cœleſti fulmine tacti,Panormitanus,Ludouicus,ac Mediolanenſis, uno impetu
aſſurgentes. Libertas(inquiunt) nobis eripitur? En quid eſt ꝙ frangenda nobis
capita Patriarcha minatur? uerſiq; ad Iohannem comitem in Dierſtein,qui tunc
locum protectoris tenebat, ſciſcitati ab eo ſunt, an protegere Concilium uellet,

omnesq́

omneſq; in libertate tutari. Aderant etiam ciues ex ſenatu urbano, prouiſuri ne quid turbæ oriretur. Seruauerunt enim hunc morem ciues, ut in omni negotio adeſſe curarent, quod pariturum diſſenſiones arbitrarentur, præcipue adcauentes, ne qui tumultus fierent, néue aliæ quàm uerbales rixæ. Miraq; adeo ſapientia fuerunt, ut nemo querelam aduerſus eos habuerit uiolatę per eos fidei. Ciues de uniuerſali eccleſia benemeriti. Hij cum Iohanne comite præſentes in conuentu patrum ſignum ſeruandæ libertatis dederunt. Comes autem, tametſi erat rerum nouitate permotus, nec enim arbitrari poterat, tam multas eſſe inter prudentes homines cõtentiones, per interpretem reſpondit: bono ut animo eſſent omnes, quoniam imperialem ſaluum conductum ad unguem ſeruari faceret: nec patriarcham aut alium auſurum auferre ſecuritatem promiſſam à Cæſare. *Laus Baſilienſium.*

Poſt hæc Ludouicus patriarcha Iohanni de Bachenſtein, auditori Cameræ mentem ſuam explicandam commiſit, quæ nimirum fuit, ut patres ad conſtantiam hortaretur, non ut alicui comminaretur, aut Conciliarem perturbaret libertatem, petebatq; ueniam, ſi uel Concilium, uel Panormitanum in aliquo offendiſſet, hoc facto uerum eſſe oſtendens quod dicitur: Nobilitatis ſororem eſſe humilitatem. Tum Amadeus Lugdunenſis archiepiſcopus, quoniam ſtrepitus ac uociferatio intendebatur, argute rem miraculo tribuit, ſeptem annis duraſſe cõcilium, iam claudos ambulare, mutos loqui, pauperes Euangelizare, ſentiés nouos adeſſe prælatos, qui uſq; in hanc diem tacuerint, nũc loquaces factos. Tum Arelatenſis inſtabat, ut concordatũ xij. uirorũ legeretur, pluresq; ſibi in auribus ſibilabant, ne ſententia flecteretur. Panormitanus uero, ut cœptum eſt legi concordatum, rurſus uociferatur, & quod ſe dignum eſt, facit & loquitur. : Nos concilium facimus: Nos prælatorum maior pars ſumus, ad nos concludere ſpectat. Ab iſta Panormitani concluſione Nicolaus Amici, Pariſienſis Theologus, appellabat. Tum Iohãnes Segouius Theologus Salamãtinus, uir pietate grauis, optimus ac eruditiſſimus, orationem Chriſtianiſſimam habuit contra Panormitanum, de inferorum excluſione, de metu principum, Ambroſij ad Imperatorem Valentinianum exemplo adducto, proprio gladio iugulans aduerſarios, Pauli autoritate urgens epiſcopos, ad cõſtantiam adhortans, uiriles ſint, & ſe murum pro eccleſia præbeant, nec ſinant fidem ſub manibus eorum deperire. Præſidentem quoq; tandem affatus, quòd eum oporteat magis Deo quàm principibus complacere, inquiens: Si hinc ſine concluſione abeas, rationem te huius rei in diſtricto Dei iudicio redditurum ſcito. nec plura loquutus, reſedit. *Nobilitatis ſoror humilitas.* *Amedei Lugdunenſis archiepiſcopi argute dictum.* *Orotio Iohannis Segouij legenda contra eos qui inferiores, hoc eſt præsbiteros et theologos, excludunt uide Siluium.*

Interea Burgenſis epiſcopus pro concordia patrum ſatagebat, ſed neq; patribus conciliaribus ſine concluſione diſcedere, nec Panormitano mutare ſententiam cordi fuit. Erant turbata omnia, nec, ut ſolebant, ſuis ſub ſellijs Prælati inſidebant, ſed ut quenq; trahebat affectio, iſti Arelatenſem, illi Panormitanum adibant, & quaſi principem quiq; ſuum, aut exercitus Imperatoré, adhortabantur.

Tum Arelatenſis, ut agnouit rem in periculo eſſe, nec rectam cõcluſioni uiam patere, utendum aſtu cenſuit, ut tumultum cõponeret: Habeo, inquit, ſanctiſſimi patres, nouas ex Gallia literas, quæ mihi auditu ſtupenda narrant: incredibiles illic nouitates ſunt. Quare & ſilentium ſubitum impetrauit, & artificio miro attentos reddidit. Vtq; liberum ſibi dicendi campum patere uidit, ſine fabula, ſi ne ulla hiſtoria literarum ſibi miſſarum ſeriem reſerauit. Exinde, prout Oratoria exigit inſinuatio, pedetentim ad cauſam redijt: Eugenianos nuncios impleſſe Galliam dixit, qui, nouam doctrinam prædicantes, autoritatem Rom. Pont. ſupra generalia Concilia magnifacerent: quibus niſi cito occurreretur, fore, ut pluribus fidem facerent. Idcirco oportuiſſe ſacrum Concilium de remedio cogitare, neceſſarioq; ueritates de quibus iam agetur, examinatas, ut per eas Eugenianorum temeritas retundatur: quæ licet eſſent numero bis quatuor, non tamen fuiſſet intentio patrum omnes concludere, ſed tantum priores tres, prout ſe inquit: In nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, concludere. Atq; ijs dictis, lætus alacerq; conſurgens, receſſit. Alij eum, alij ueſtimentorum fimbrias oſculabantur. De Panormitano ferunt, poſtquam domum uenit, in cubiculum ſe recepit, *Prdentiſſimus aſtus Arelatenſis.* *Concluſio Arelaten.*

ſecumq́ꝫ de rege ſuo queſtus, quod eum aduerſus ueritatem pugnare compelle=
ret,& ſuam famam,ſuamq́ꝫ animam ire perditum.

O magnam in Epiſcopo contumeliam, doctos & bonos alere.

Hic longum eſſet referre,quibus conuitijs & contumelijs proſciderint Arela=
tenſem : Ipſum eſſe qui copiſtarum pædagogorumq́ꝫ gregem nutriret, remq́ꝫ cũ
eis fidei cõcluderet , alius eum Catalmam uocitabat,deinde patres Concilij Pa
normitanus in ſua oratione,calumniaturus,non ut Oratores pręcipiunt, in exor
dio beneuolentiam,ſed odium captare ab auditoribus uiſus eſt. Paulopoſt Are
latenſis ſeipſum colligens orationem multifariam habuit,ad Imperiales nunci=
os,ad Oratores regis Franciæ,ad Concenſem epiſcopum, ad Ludouicum Pro=
thonotarium. Sicq́ꝫ ad Panormitanum deſcendens,proprijs ſpicubus eum con
fodit. Panormitanus uero,& qui eum ſequebãtur,cęteriq́ꝫ,proteſtationẽ quan=
dam prius legi contendebant,diuq́ꝫ hinc atq́ꝫ hinc uociferatum eſt. Obtinuit ta=
men demum Arelatenſis.

Lecta forma Decreti,uſq́ꝫ ad uerbum,Decernimus, aſſurgens Panormitanus,
nihil paſſus eſt ulterius audiri. Nunq́ꝫ fuit Concilium in maiori diſcrimine, teſte
Syluio,qui tum pręſens ad pedes Turonenſis & Lubecenſis epiſcoporũ hęc colle
git. Bis igitur concluſit Arelatenſis in magnis difficultatibus, fuitq́ꝫ utraq́ꝫ miracu
loſa concluſio,& præter ſpem omnium,uel Arelatenſis induſtria, uel ſpiritus ſan
cti munere habita. Panormitanus Achilles fuit Eugenianorũ : Arelatenſis Con=
cilij Hector.

Paucißimi qui cogitatione communis boni tanguntur.

Succeſſit ſeſſio xxxiij. quieta,& ultra omnes pacifica. Ex tota Italia duo præla
ti ad bonum eccleſiæ uniuerſalis intenti, Groſſitanus epiſcopus, & abbas de Do
na. Ex Hiſpania nullus, quanquam inferioris ordinis homines ex Italia & Hiſpa
nia conſtanti & firma uoluntate erant ad bonum uniuerſalis eccleſiæ. Concio
erat frequentiſſima,& ſi enim epiſcopi haud multi erant,plena tñ omnia fuerũt
ſubſellia procuratoribus epiſcoporũ,archidiaconis,præpoſitis, prioribus, præſ=
byteris,diuini ac humani iuris doctoribus,quos aut quadringẽtos,aut certe plu=
res fuiſſe cõſtat,inter quos nullũ probrũ,nulla rixa,nulla cõtentio fuit,ſed unani
mis omniũ conſenſus ad defendendam eccleſiã. Vocato de more ſpiritu ſancto,
nemo lachrymas cõtinuit,etiã Cõradus Vuinſpergeñ Baro Imperialis protector

Concilij geſta approbantur.

Sequenti die Veneris,quæ fuit xxij. Maij,Oratores principum,maxime Cæſa
rei & Gallici,conſcientia ſtimulante, Concilij geſta approbarunt : ijdem quoq́ꝫ
Eugenium inimicum ueritatis dicunt.

Arelatenſis poſtremo neceſſarium fuiſſe illud decretum aſſeruit,ad reprimen=
dam Rom. Pont. ambitionem,qui ſe ſupra uniuerſalem eccleſiam extollentes,

Rom. Pont. ambitio reprimenda.

omnia pro libidine ſua ſe poſſe arbitrabantur,ne poſthac eccleſiam unus homo
nunc Bononiam,nunc Florentiam,rurſus Bononiam,mox Ferrariam, & dein=
de iterum Florentiam (ut Eugenius attentauit) traduceret. Vtq́ꝫ deinceps Rom.
Pontifices paululũ animũ à temporaliũ ſollicitudine rerũ detraherẽt, qui ut ipſe
uidiſſet,nequaq́ꝫ de ſpiritualibus cogitarent. His dictis,cõgregatio diſſoluta eſt.
Hęc ex primo libro Aeneę Syluij compendiariæ in uſum lectoris cõſcripta ſunt.

Depoſito ex Romano pontificio Gabriele Condulmario,conſultatur per pa
tres Concilij, An expediret illico nouum creari põtificem, an in tempus differri.
Sententiæ ultro citroq́ꝫ auditæ, conſtare tamen inter omnes uidebatur : Vtilius

Peſtis Baſileæ.

eſſe ſtatim eligere : differre honeſtius. Accidit hoc tempore morbus peſtifer in
tota urbe Baſilienſi,qui non ſolum pueritiam & iuuentutem,ſed uiros etiam for
tes ætate & aridos ſenes,depopularetur. Ea lues primo ex aduenis ad pauperes
urbis,inde ad diuites,deniq́ꝫ ad ipſos Concilij patres,aduolauit. Moritur Ludo
uicus Prothonotarius,Ludouicus Patriarcha Aquileienſis, & aliquot Concilij

Morientium exhortatio.

patres,Baſileæ,Argentinæ,Spiris moriũtur. Morientium uero exhortatio fuit:
Orate Deum,ut illos conuertat,qui Gabrielem pro ſummo pontifice recogno=
ſcunt,quia in eo ſtatu ſaluari non poſſunt,ſeq́ꝫ in fide Baſilienſis Concilij moritu
ros profeſſi. Abbas de Dana, Cumanæ dioceſis, in peſte alijs abeuntibus,per=
manſit,qua etiam ipſe tactus,migrauit ad patres,unamq́ꝫ tantum uaccam teſta=
tus ſuo monaſterio legauit. Arelatenſem urgent,ut uicinum aliquod in rus ſece=

deret

deret: iamuitus cameram uiri increpſerat, ſecretario & cubiculario mortuis. Sed nec illum preces, neq; domeſticorum funera flectere potuerunt, uolentem potius cum uitæ periculo ſaluare Concilium, quàm cum periculo Concilij ſaluare uitam.

Tranſactis poſt depoſitionem Gabrielis diebus decreti, proceditur ad electionem noui pontificis. Primus electorum fuit Cardinalis Arelatenſis, deinde ex natione Italica, Gallica, Germaniæ, Hiſpaniæ. Cellulæ ſortibus diſtributæ. Prima contigit decano Baſilienſi, ultima Dertuſenſi epiſcopo. Sermo habetur ad electores. Crimina Eugenij narrantur. Aderat Iohannes de Dierſtein comes, ad erat Conſulatus urbanus. Extra eccleſiam ciues in armis erant, ſi quod ſcandalū pararetur, prohibituri. Accipiunt Euchariſtiam Electores; datur iuramentum. Proceditur ad conclaue, quod fuit in domo ad Muſcam, zu der Mucken. Septem diebus manentin conclaui. Et eligitur Sabaudiæ dux, homo laicus & coniugatus, ſex & uiginti uocibus, religioſiſſimus princeps. Cardinalis Arelatenſis facto ſigno crucis, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, electi Pontificis nomē publicat, & oratione præmiſſa, populo benedixit.

Electio pontificis noui.

Fridericus Baſilienſis epiſcopus, Iohannes Vuiler Decanus Baſilienſis, & alij.

Domus zur Mucken

Hic habes in Aenea, non ſolum qui uxorē habuit, ſed adhuc habens, eligi poßit in Pontificem: Petrus enim uxoratus, & filij nō ſunt impedimento pontifici.

CORONATIO FOELICIS.

ANno Domini mill. ccccxl. Fœlix v. electus, ueneranda canitie, decorus aſpectu, & facie tota prudentiam præ ſe ferens ſingularem, coronatur nono Calendas Auguſti, in ciuitate Baſilienſi. Adfuere Ludouicus Sabaudiæ dux, Philippus comes Gebennenſis, Ludouicus Marchio Salutiarū, Marchio de Rotelen, Conradus de Vuinſperg camerarius Imperij, Comes de Dierſtein. Oratores Argentoratenſis, Bernenſis, Friburgenſis, Solatorum, & tanta multitudo hominum, ut capita ad quinquaginta millia credita ſunt. Duo filij patri principi celebranti miniſtrant. Ludouicus Cardinalis Hoſtienſis, infulam pontificiam capiti Fœlicis imponit, quam cenſuerunt ad triginta millia aureorum. Ordinem pompæ pontificiæ, quam proceſſionem uocant, longum eſſet hic referre. Vltimo in loco, ſummus ipſe paſtor aureo tectus papilione, triplicē geſtans coronam, populoq; benedicens, inceſſu maturo procedebat, Marchione de Rotelen, & Conrado de Vuinſperg equum eius ductantibus. Poſthac cœnitatum & pranſitatum, ubi nec lex Orchia, nec Faunia, nec Licinia locū habuit, horis circiter quatuor. Pincernæ ſummo Pontifici pulcherrima proles duo filij fuerunt, Architriclinus Marchio Salutiarum.

Fœlix ille fuit Decanus militum in ſolitudine Rippaliæ, Gebennenſis diœceſis.

Prandium Papale.

De hoc Amedeo Sabaudiæ duce, ſcribit Rup. Volater. lib. iij. Geog. quod rogatus ab Oratoribus quibuſdam, ſi quos haberet canes uenaticos, eis oſtēderet, Annuit ut poſtera die redirent. Cum uero adeſſent, ingentem mendicorū multitudinem oſtendit, unà diſcumbentium: Atq; hij ſunt, inquit canes mei, quos alo quotidie, quibus ſpero me cœleſtem gloriam uenaturum.

DE STATV CONCILII BASILIENSIS, EX Epiſtola Aeneæ Syluij x. ad Lupum de Portugal, Legum Doctorem.

COncilij Baſilienſis quis ſtatus ſit, iam te arbitror audiſſe. Rex Arragonum, qui more principum, non regnum fidei, ſed finem regno ſeruare uult, prælatos ſuos ex Baſilea iuſſit abire. In omnibus rebus, præclarus princeps, in hac mirabilis. Rurſus Gallici, Veneti, & Florentini, qui Pontificem ſuū Eugenium quaſi Deum uenerantur, excluſo ex Appulia Renato rege, fidem aliam induerunt. Mira rerum mutatio, qui ante fauebant Concilio, iam impugnant: qui impugnabāt, modo fauent. Luſus iam eccleſia eſt, qualem de pila fieri uidemus, dum huc atq; illuc impellitur, luſorum ictibus percuſſa. Sed aſpicit illa ex alto Deus: & quamuis raro in terris expendere homines digna ſupplicia cogit, nullum tamen in ſupremo eius iudicio malum impunitum relinquit. Li-

berum arbitrium nobis dedit,nos ut libet,uiuere ſinit,laxas dimiſit mortalibus habenas:rationem tamen rerum omnium,dum iudicabit orbem,exacturus eſt: tumq́ uidebunt principes,an propter eos regna fuerunt inſtituta,an ipſi propter regna,qui ſuis omnia ſeruire libidinibus uolunt.

Et inter Epiſtolas Syluij legis clxxxiij.Epiſtola: ſcribit Caſpar Schlick Cancellarius Imp. ad Cardinalem ſancti Angeli dominum Iulianum: Illi Cardinales qui tanto tempore autoritatem eccleſiæ,ac generalium prædicabant Conciliorum,ut mori pro illa uelle uiderentur,unis ſui regis literis,quibus non mors, ſed priuatio beneficiorum mandabatur, Baſileam dimiſere. Sapiunt quippe, fide potius q̃ plebe uolunt carere. Non tamen procul abierunt, ſed apud Solotorn reſident,ſecundos iuſſus expectantes. Recedunt enim inuiti: ſed magis ſtringit burſa quàm honor. Quid enim ſaluis infamia nummis?

Anno Dñi mill.ccccxlix. Cum Ludouicus Cardinalis Arelatenſis à Concilio Baſilieñ.ad Germaniam inferiorem miſſus, & legationis iam munere functus, Baſileam redire uellet,quarto ſupra Argentoratū miliario,à Iohanne comite de Eberſtein,& Baronibus de Lutzelſtein, uiolenter inuaditur, obtuitur, & equis mulisq́ onerarijs ſpoliatur. Cardinalis aūt uix euaſit ad oppidū Benfelt feſtinās, quē,audito ciuitatis nomine,reſpondiſſe mox ferūt: Bene ualet pro nobis. Captiui in arcem Franckenburg ducūtur, Cardinalis ad Sletſtat cōductus, cuidam Iohanni de Lapide,qui tres linguas probe nouerat,inter cętera dixit: Si nobiles illi qui nos ſpoliarunt, ſcirent in quibus negocijs legationem ſuſceperimus, & quantū pro gloria & laude & incremento Germanicę nationis laboremus,non ſolum nos non ſpoliaſſent,ſed corpore & rebus & cōmeatu nos iuuiſſent.

In ſeſſione quadam Cōcilij Baſilieñ. fertur dixiſſe: Ecce Chriſtus uendebatur pro xxx. argenteis,ſed ego preciosius multū,quia pro ſexaginta millibus aureorum per Gabrielem quondam Eugenium tradendis & exoluendis, ut captiuaret,& ſibi præſentaret,fui uenundatus. Qui ceperant Cardinalem, factum excuſabant,quod frater Cardinalis,cum Armiaci uaſtaſſent Alſatiam, in Dambach fuiſſet magno incōmodo incolarū: hinc putabant in omnes Gallos ſibi ius eſſe: tandem per epiſcopum Argentoraten. Rupertum & ciuitatē, res fuit cōpoſita.

In Cōcilio Baſilienſi Iulianus legatus Card. Tit. S. Angeli, multis nominibus cōmendabatur Sigiſmundo Rom. regi: ibi rex reſpondit: Tamē Romanus eſt.

Ex decretis Concilij Baſilien.

Inter uaria decreta Concilij Baſilienſis, libet unius & alterius meminiſſe.

Iudæis & infidelibus prædicetur uerbum Dei.

Seſſione xix. decretum fuit de Iudęis & Neophitis,ad orthodoxam fidem cō uertendis. Quod Dioceſani omnes,quoſdam in literis diuinis bene eruditos aliquotuicibus annuatim deputent in locis,ubi Iudæi uel alij infideles degunt, ad explicandum illis catholicæ fidei ueritatem, ut infideles cognito errore deſiſtant. Ad quam prędicationē ſub pœnis tam commertij,per fideles illos interdicendi,q̃ alijs ad hec opportunis, ipſos accedere compellāt. Ipſi Dioceſani uero & prędicantes,ita ſe erga illos propitios,ac charitate plenos exhibeāt, ut nō ſolū propalatione ueritatis, ſed & alijs humanitatis officijs ipſos Chriſto lucrifaciāt.

Studia linguarum in precio habenda.

Et ut prędicatio ſit fructuoſior,prędicatoresq́ habuerint cognitionem linguarum: omnibus modis ſeruari pręcipitur Conſtitutio ędita in Concilio Vuienenſi,de diſcendis linguis,Hebræa,Chaldaica, Arabica, Græca. Et qui prædictas linguas docere debent,debita ſtipendia accipiant.

Concubinatus inhibitus.

Seſſione xx. decretū,ut publicus cōcubinarius à perceptione fructuū omniū ſuorū beneficiorū triū menſiū ſpatio,ſit ipſo facto ſuſpēſus,quos ſuus ſuperior in fabricā uel aliam euidentē eccleſiarū utilitatem cōuertat. Quod ſi non dimiſerit, uel dimiſſam aut aliam publice receperit,iubet hęc ſynodus omnibus beneficijs omnino priuandum. Eſt autem publicus concubinarius, qui mulierem de incontinentia ſuſpectā & infamatā tenet,& admonitus per ſuperioē,nō dimittit.

Hoc eſt idolum Veneris in locum crucifixionis ſtatuere. Vide Chronica Vrſperg. ſupra.

Grauiter aūt inuehitur ſynodus in eos,qui iuriſditionē eccleſiaſticam habentes,pecuniarios queſtus à concubinarijs percipere nō erubeſcūt, patiendo eos in tali fœditate ſordeſcere. Et cū omne fornicationis crimē lege diuina prohibitū ſit,monet oēs laicos,tam uxoratos q̃ ſolutos,ut ſimiliter à cōcubinatu abſtineāt.

Quomodo

QVOMODO BOHEMI VOCATI AD BASIliensem ſynodum,& quo itinere uenerint.

ANno Domini Mccccxxxi. Menſe Auguſto Cardinalis Iulianus (rebus non
ſuccedentibus, nam Bohemi ſemper ſuperiores erant, quanquam à nouo Pon-
tifice Eugenio ſententia anathematis damnati) uoluit ut Baſileam uocarentur.
Quare Iohannem Gelhuſium Monachum Mulbrunnenſem, & Hammannum
Offenburgium, conſulem Baſilienſem miſit primum ad Sigiſmundũ Cæſarem
Feldkirchij tum agentem, deinde ad Fridericum ducem Auſtriæ, pro componen
do bello, quod huic erat cum Philippo duce Burgundiæ. Fiebat hoc, ut reddita
pace, tuto liceret Baſileam uenire, literas accipiunt à ſancta ſynodo Sigiſmundo
Cęſari reddendas, quibus Bohemi & Moraui ad Concilium uocabãtur, has ille
mox in Bohemiam perferendas curauit. At cum Sigiſmundus in Italiam profi-
ciſceretur, Imperialem à Pontifice coronam ſuſcepturus, protectorem interim ue
lut uicarium Concilio dedit Vuilhelmum Bauariæ ducem. Porrò cum ſynodus *Vuilhelmus Bauariæ dux, protector Concilij.*
monita fuiſſet, noſtras conditiones pacis à Bohemis accipere uelle poſt fœdam
illam fugam, arbitrans hoc ignominioſum eſſe, miſit Iohannem Niderium The
ologum, & Iohannem Gelhuſium, qui commodum redierat, ut uicinum Bohe
mis populum conſolarentur, & Morauos, Bohemosque ad Concilium ante uo-
catos, ad ueniendum ſedulo urgerent. Hij Baſilea diſcedentes, Monacum uer- *Monacum.*
ſus (oppidum eſt Bauariæ) iter inſtituerunt. Vbi Vuilhelmum ducem, protecto-
rem Concilij ſalutant, & monent, ut quamprimum Baſileam ueniat. Mox Fride
ricum Marchionem Brandenburgij, Iohannem ducem Bauariæ, & Senatum
Norinbergenſem, ac alios Principes ac dominos partim literis ſynodalibus, par-
tim ore adhortati ſunt, ut nullo pacto fœdus cum Boemis inirent, quod Eccleſiæ
nocere poſſet. Rogabant & nomine Concilij, ut ſi Bohemi legatos ſuos Baſileã
mittere uellent, deducerẽt eos, per ſuã quiſque regionẽ ſaluos. Omnes ſe hoc factu
ros receperunt. De uocatis Bohemis dici non poteſt, quã gauiſi fuerunt omnes, *De uocatis Bohemis omnes gauiſi.*
pręſertim laici, cũ etiã lacrimas emitterẽt. Et tabellarius Norinbergẽſis, qui literas
Concilij in Bohemiã tulerat, retulit quãta cum reuerẽtia literas accepiſſet conſul
maioris ciuitatis Pragẽſis, & quibus ipſe pręmijs fuiſſet donatus. Multũ laboratũ
eſt per Egrenſes, Fridericũ Marchionẽ Brandenburgẽſem, Iohannẽ Bauarię du-
cem, & Senatũ Norinbergenſem, de literis Cõcilij in Bohemiã mittẽdis. Porrò
Bohemi non per omnia noſtris fidentes, in literis petebãt, ut Oratores Concilij *Egra.*
cũ Principibus uicinis ad Egram uenirẽt, ſuos quoque illic adfuturos ut de cõmeatu
ſiue publica fide danda, quẽ ſaluũ conductũ uocãt, & alijs rebus tractaretur. Men *Publica fides.*
ſe Aprili uenerũt Egram Oratores ſacri Concilij, Heinricus Abbas S. Aegidij No
rinbergẽſis, Iohãnes Nider Theologus, Prior domus pręedicatorũ apud Baſileã. *Oratores Concilij ad Egram.*
Fridericus de Parſpergo, Decanus Ratiſponenſis, M. Heinricus Tocgius Canoni
cus Magdeburgenſis, Albertus paſtor apud S. Sebaldũ Norinbergę, & Iohannes
Gelhuſius, Mulbrunnenſis monachus, cũ illuſtribus Principibus Friderico Mar-
chione Brandenburgij, & Iohanne Bauarię duce, ac alijs proceribus ferè cum cc.
& l. equis. Menſe Maio Egram uenerũt. Bohemi cum xix. equis. Heinricus Toc-
gius poſtridie eleganti oratione Bohemorũ nuncios ſalutauit, Euangelium illud
uſurpans, declaransque, Pax uobis. Mox ipſi propoſuerũt, quã atrocibus iniurijs à
nobis fuiſſent hactenus affecti, eamque rem extitiſſe cauſam tot utrinque cladiũ, gau
dere ſe, quod tandem ſpes affulſiſſet, ut audirent aliquãdo. Obſides poſtulabãt Bo- *Bohemi petunt obſides.*
hemi, non quoſuis, ſed Principes & nobiles. Id cũ noſtris non placeret, & res ita
differret, cepit uulgus apud Egrã clamare, quo minus cum Bohemis procederet
concordia, per Eccleſiaſticos ſtare & Principes. Proinde piẽtiſſimi Principes Fri-
dericus Marchio Brandẽburgẽſis, & Iohannes Bauarię dux, ſuapte ſponte ſe obli
garunt. Hoc idẽ paulopoſt, rogãte ſynodo, fecit protector Concilij Vuilhelmus
dux Bauarię, item ipſa ſynodus, & Cęſar Sigiſmundus. Pręterea promiſſio facta
eſt, hoc idem omnes Principes & Ciuitates pręſtaturos, per quorũ ditionẽ eſſent
profecturi Bohemi, atque adeo ipſam ciuitatẽ Baſilienſem. Poſtulatũ & hoc eſt à
Bohemis, ut ipſe Cęſar pręſens eſſet in ſynodo, quã fieri poſſet plene cõgregata.

Conuentus Egrenſis durauit dies xxi. In quo fuerunt etiā ornatiſſimi uiri, Petrus Volkamer, conſul Norinbergenſis, & Conradus Cuonhofer, iuſſu, ſumptuq; ſuæ ciuitatis. Venerunt Bohemi, & quamq; audiſſent noſtros miranda pollicentes, adhuc plane non fidebant. Quare delegerunt duos nuncios, Nicolaum Hunpoltzium. & Iohannem Zanenſem, qui Baſileam irent, & cuncta diligenter explorarēt. Hos Conradus Epiſcopus Ratiſponenſis, & Conradus Seglauer, Decanus Eiſtettenſis, Catelſpurgū uſq;, ubi Marchio degebat, deduxerūt: in hoc à ſynodo paulo ante emiſſi, ut expiſcarētur, an eſſent uenturi Bohemorū legati. In comitatu uero è noſtris erāt, Abbas Eberacenſis, & cęteri nuncij ſacri Concilij. Cum Biberacum ueniſſent, quidam infœliciter curioſus, ex altero Bohemorum nuncio quęſiuit, unde nam eſſet, Reſpondit is ſe Zaczenſem eſſe. Illic, inquit ille ſunt execrabiles hęretici, & peſſimi homines &c. Qui propter huiuſmodi conuicium, ueluti uiolator publicæ fidei, ſtatim in carcerem raptus eſt, plus pœnæ depenſurus, niſi ipſi nuncij Bohemorum, & Abbas Ebracenſis, precibus hominem liberaſſent. Cum ueniſſet Baſileam, uino & piſcibus fuerunt à Senatu donati, manſeruntq; illic dies quinq; & dimidiatum. Hij nuncij cum fuiſſent domum reuerſi cum diplomatibus Concilij, indicaſſentq; quæ uiderant, rem uidelicet agi ſerio, nec ſubeſſe dolum, delecti ſunt Oratores ad Concilium mittendi de regno Bohemiæ, & Marchionatu Morauiæ, Iohannes de Kraimtz, Iacobus de Vurzies ſonitz, Beneſius de Makrouuitz, Iohannes Veluuar de Praga, Mathias de Clumdezan, Laurinus de Hradiſſe. Gregorius de Curia, Nicolaus ſcriba Pragenſis, M. Iohānes de Roccizano, M. Petrus Payne de Anglia, Procopius ductor exercitus Thaboritarum, Nicolaus de Pelerzunau, Marcoldus de Zbaraslauitz, Martinus de Chuidmi, & Petrus Zaczenſis. Qui cum in Tuſca conueniſſent, illinc per noſtros in Cambiā ſunt producti, cum xxxij. equis per nobiles uiros, Hinskouetū, Pflugium, Pauelſtorferum, Fridericum Prępoſitum Ratiſponenſem, & alios ubi Conradus Ratiſponenſis Epiſcopus ſubſtiterat. Ex Chambia Suenkendorphiū itum eſt, atq; cū iam Norinbergæ uicini eſſent, Mathias Clumpezanus prefectus, Pieſtenſis uexillum protulit, cuius una pars crucifixi imaginem habebat depictā, altera calicem Euchariſtiæ figura ſuperpoſita, ſicq; Norinbergā ſunt ingreſſi. Verum, cum à noſtris moniti eſſent, id poſtea nuſq; fecerunt. Norinbergenſes pręter uinariū atq; piſcarium munus etiam xxij. equites conceſſerunt, qui illos Vlmam comitarentur. Ex Norinberga Albertus Marchionis filius, in Guntzenhuſium produxit. Oetingenſis comitis miniſtri Nordlingam, & poſtero die Vlmam, Vlmenſes porrò Biberacum & Sulgouiam uſq; inde exceptos, Iacobus Truchſes de Vualpurgo, eques auratus Stockacum produxit. Satellites ducis Bauarię Vuilhelmi, Schaffhuſium poſt deduxerunt, illic naues ingreſſi, Baſileam uenerunt quarto die Ianuarij. Nona eiuſdem menſis, cum ſynodum acceſſiſſent, Iulianus Cardinalis orationem ad eos habuit, ſummo patrum conſenſu benigne & luculenter eos adhortans ad ea quæ unionis ſunt & pacis. Ex re ſua facere Bohemos, qui aquæ fluenta apud Conciliū quęrerent, matremq; tandem audire ſtatuerint. Reſponſum eſt à Bohemis, ſe neq; Concilia, nec Eccleſiam contempſiſſe, aduerſus inauditos ſententiam Conſtantiæ latam, nihil de religione Chriſtiana detrahere. Interrogati quæ nam eſſent illa in quibus à Romana Eccleſia diſſentirent, quatuor articulos propoſuere.

Catelſpurgum. *Biberacum.* *Baſilea.* *Vexillū Bohemorū.* *Norinberga.* *Guntzenhuſium.* *Nordlinga.* *Sulgouia.* *Stockacum.* *Schaffhuſen.* *Baſilea.*

I. De communione diuinæ Euchariſtiæ, ſub ſpecie panis & uini.

II. De ciuili dominio, quod clericis interdictum, diuina lege dicebant.

III. De prædicatione uerbi, quam liberam omnibus arbitrarentur.

IIII. De publicis delictis, quæ nulla ratione toleranda putabant.

Verum cum Iulianus legatus etiam alia ſe accepiſſe de Bohemis affirmaret, qꝫ religiones mendicantium inuentum diabolicum prędicarent. Aſſurgens Procopius, neq; hoc falſum eſt, inquit. Nam ſi neq; Moſes, neq; ante eum Patriarchæ, neq; poſt eum Prophetæ, neq; in noua lege Chriſtus, neq; Apoſtoli inſtituere mendicantes, quis non intelligit diaboli, tenebrarumq; opus eſſe? Excepta eſt ingenti auditorum cachinno Procopij uox. Selegerunt Bohemi quatuor Magiſtros

Religiones mendicantium ex diabolo. *Procopij Bohemi uox riſu excepta.*

ſtros qui ſuos articulos ex diuina lege ſumptos oſtenderent, qui eos confutarent ex cœtu patrum totidem. Diſputatū eſt quinquaginta diebus, multa in utramq; partem adducta. Miſſi & Oratores ex Cōcilio in Bohemiā, multa agitata; nunc pacis ſpes facta, nunc belli metus. Inter hos primarius fuit Philibertus Epiſcopus Conſtantienſis, natione Gallicus. Legati Baſileam remiſſi, qui declarationem ſu per articulo cōmunionis expeterent. Quumq; nulli eſſent Eccleſiæ redditus, ex quibus ali templorū miniſtri poſſent, iuſſit Imperator ex fiſco regio per ſingula Canonicorum capita hebdomadatim aureum nummum diſtribui, minoribus clericis dimidium dari. Ea res annue aureorum ſex millia Pragæ apud Eccleſiam cathedralem abſumpſit. Hæc Syluius. Oratores Concilij in Buhemiam miſsi.

Turcarum Imperator ea tempeſtate ſæpe antea ab Imperatore oppugnatus, cum non ſolum treugas, ſed perpetuæ pacis fœdera cum Imperatore iniens, miſit Baſileam ſolennes ad id perficiendum Oratores. Sciens Imperator, in Eccleſiam iuſſit apparari ſuggeſtum, in quo imperialibus fultus ornamentis, conſederat. Ante Oratores ibant qui dona ferrent, uiri duodecim, alij duodecim uirorum paria fuiſſe contendunt, qui manu ſinguli geſtarent aureos cyphos apertos, Imperatori dono. Succeſſit alius ordo, ferentium uaſa aurea geminata, procul dubio non uacua, ſed aureis nummis plena. Inde tertius ordo ferentium pannos, uoluto & auro precioſos. Poſt omnes quidam ferebant ueſtem ſerico, auro, gemmis, incomparabilem. Quæ omnia Imperator ſuo ordine excepit. Perfecto propter quod uenerant negotio, honoratos, & pro magnificentia ſua donatos, remiſit domino ſuo, quem etiam non paruis muneribus uiciſſim honeſtabat. Turcæ Legati ad Conciliū Baſilienſe.

Interea & Grecorum Imperator Iohannes miſit Oratores ſuos ad Concilium Baſilienſe, optans omnimodam fieri unionem.

Imperator Sigiſmundus Comitia Francophordiæ indixit, ad reformandum imperij ſtatum in capite & membris. Conſtituit enim ſummæ prudentiæ uir induſtrius, iam euo maturus à ſuo ordiri gradu, ut omnia componens, cæteris iuſtiori cauſa immineret. Primo, quid ad Imperatorem pertineret, quę uigilantia, quæ inſtantia, quæ ſingulorum in ſuis iuribus defenſio. Secundo, quid à ſuis debeatur Imperatori, quæ obſequia, quæ obedientia & ſubiectio. Tertio, de imperij iuribus. Quarto, de imperij neruis, de uectigalibus, ſine quibus ne inferior quidem principatus poſſet conſiſtere. Sed admonere potuit, cogere renitentes non potuit. Quis enim leonibus, urſis & lupis (ut ille in figura monſtrabat) extorquebit aquilæ primarias pennas? Quinto, commonuit quemq; ſui ordinis, ut regni Principes iuſtitiam facerent, itinera publica ſecura preſtarent, latrones inſectarentur. Alb. Krantz.

Iam annus erat Mil. cccc. & xxxvij. Cum Sigiſmundus Romanorum Imperator & ipſe finem uiuendi fecit, multos euacuans principatus, de quibus oriri contentio plurima formidaretur, ſi unicam filiam non reliquiſſet, quæ nupta Alberto Auſtriæ duci, finem fecit controuerſiarū, nam per illam ſucceſſit in regnis Vngariæ atq; Bohemiæ, breui etiam poſt perueniens ad regnum Romanorum.

SIGISMVNDI MORS.

Corpus Sigiſmundi in Varadino, ut ultima uoluntate conſtituerat, tumulatum eſt, Barbaram Imperatricem uxorem, Sigiſmundi morte inſoleſcentem, cum iam nouum maritum quęreret, cui regna ſociaret, proceres uinciri iubent. Vna ipſa captiua, & Imperatoris cadauer deuehuntur, miſerabile ſpectaculum, & rerum humanarum ſingulare documentum. Infamis Imperatrix, quæ ſtultas uocauit omnes fœminas, quæ uolūptatibus non inſeruirent. Sigiſmundi mors.

De Sigiſmundo Aeneas Syluius in Europa ſic ſcribit. Multa huius Sigiſmundi egregia facinora memoriæ prodita ſunt. Inter quæ illud preclariſſimū, quod Eccleſiam Catholicam in tres partes diuiſam, coacto apud Conſtantiam generali Concilio ad unitatem redegit. Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Angliam, huius rei cauſa peragrans Vitoldo Lituaniæ duci, ut ſe regem appellaret, miſſa corona indulſit.

dulſit. Prius tamen ille uita deceſſit, quam ſolennia coronationis expleret. Pruſiam, quam rex Poloniæ fratribus beatæ Mariæ, Teutonicorũ armis ademerat, reſtitui iuſſit. Cum Venetis duce Pipone Florentino grauia bella geſſit. Vuenceslaum Bohemiæ regem, Germanum ſuum, ꝙ regno inutilis eſſet, coniecit in uincula, ꝗbuis negligenter cuſtoditũ, magno reipub. malo, quidam Bohemi è carceribus ſurripuerint, coronã imperij ab Eugenio Pontifice Romę accepit, Bohemia, poſt multas calamitates, uix tandem potitus eſt, Marchiam Brandenburgenſem Friderico Burgrauio Norinbergenſi dono dedit, filiam Elizabet ex Barbara natam, Alberto duci Auſtriæ in matrimoniũ copulauit, illiq; demũ apud Zuoymã Morauiæ ciuitatem morienti, regna quibus pręfuerat, ultima uoluntate reliquit.

Anno Domini Mccccxxxvij. Dum Sigiſmundus Sueuorum terram perambulat, & Vlmam uenit, ecce eadem die quoddam genus piſcium copioſe, de regni finibus Vngariæ, incognitum per piſcatores ibidem, illico prenſum, & ad Imperatoris præſentiam delatum, apparebat. Quod Imperator non ſine grandis ammiratione myſterij proſpiciebat. Hij ſunt (inquit) nobilis Vngarię regni ueri regnicolæ, nobis obuiando, cateruatim occurrentes, & nos in regnum noſtrũ reuerſurum, requirendo nunciantes. Eamus igitur uiſuri terram noſtram. Recedente rege, piſces diſparuerunt. In itinere moritur in oppido Snayme, Olmacenſi diocesis. Hæc Malleolus.

Græci interea, ut erat conſtitutum, ad Concilium properabant, qui & ſi galeas haberent obuias à ſummo Pontifice prouiſas, tamen ſuis in nauibus uenere Venetias, Iohannes Imperator, Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitani, ad ſeptingentos erant uiri, in eorum comitatu, prælati, nobiles, docti. Eugenius Pontifex, & de aduentu Græcorum, & ꝙ occaſionem Concilij per eos haberet, inſtitit transferre Ferrariam, deſuper emittens litteras Baſileam, & in omnia loca opportuna. Græci quidem, ubi intellexere motũ Pontificis, ut ei gratificarent, grauabãtur in Baſileam tranſire. Sub hoc tumultu Chriſtianiſmi, uacabat imperiũ, Papa unionis Græcorum cauſam pręſe ferens, patres Concilij, Ferrariam uocat.

Vacat imperium.

QVI EX GRAECIA AD CONCILIVM uenerint Ferrariam.

OPeræprecium eſt agnoſcere, qui ex Gręcia uenerint, Patres & Principes. Ipſe dominus Ioannes Imperator Conſtantinopolitanus, dominus Demetrius deſpotes illuſtriſſimus, dicti regis Germanus, quiſq; ſuis cum proceribꝰ, Patriarcha Conſtantinopolitanus cum infraſcriptis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & Officialibus curiarum, Archiepiſcopus Trapezontinus, Epheſinus, Chiſitenſis, Heraclienſis, Monenbuſſienſis, Sardenſis, Nicenus, Nicomedienſis, Tornobenſis, Lacedemonienſis, Mitilenenſis, Noldebacenſis, Rhodienſis, Amenteſienſis, Suranenſis, Nelauſenenſis, Dronienſis, Athenienſis, Corinthius cum multis alijs omnes Archiepiſcopi, cum multis ſine nomine Epiſcopis, Officiales, Patriarchatus Conſtantinopolitani, qui Græce Σκαυροφεροὶ appellãtur, hoc eſt cruciferi, Magnus Scacelarius, Magnus Cartophilax, Magnus Eccleſiarcha, Protodicus, Nemerophilax cum quinquaginta Clericis. Abbates, Magnus Prothoſyncelus, Abbas Gerontinus Pantonatoris cum alijs multis Abbatibus, Ambaſiatoribus. Hij omnes Principes Eccleſiaſtici & ſeculares traxere in comitiua & miniſterio octingentas perſonas. Hæc igitur per catalogum paucis referuntur, ut dolentes uideamus, quid, quantumue in capta Conſtantinopoli amiſerit Chriſtianiſmus, ut ſummo dolore proſequamur tantam iacturam Chriſtianitatis. Excepti ſunt hij permagnifice Ferrariæ. Erant plures ex eis qui linguam callerẽt latinam. Erant rurſus ex latinis multi qui ſciebant Græce. Inceptis tractatibus cepit peſtis ſeuire in eo loco, quæ ratio fuit transferendi Concilij Florentiam, ibiq; cepta Ferrariæ ſunt continuata, diuq; diſputatum ſuper articulis & punctis diſcrepantiæ, Latinorum, Græcorumq;. De proceſſione ſpirituſſancti, de Symbolo Niceno. Oſtenſum diſcrepantiam eſſe magis in uerbo quam ſenſu. Interpretes erant Nicolaus Euboicus, Ambroſius Camaldulenſis Abbas. Fit unio Orientaliũ & Occidentalium eccleſiarum, quæ utinam manſiſſet.

Iactura Chriſtianorum, in amiſſa Conſtantinopoli.

Transfertur Concilium Florentiam.

Albertus

ALBERTVS II. XXXVI. GERMANORVM Imperator.

ANno Chriſti M.ccccxxxviij. Principes Electores in Francofordiam euocati, elegerunt in regem Romanorum ALBERTVM Auſtrię ducem, Sigiſmundi prædeceſſoris generum, qui iam ante coronas Vngariæ & Bohemiæ in dotem promeruit, per eandem ſuam conthoralem, coronatus Aquiſgrani.

De hoc legis in Syluio capite primo Europæ: Albertus apud Albam regalem cum coniuge coronatus, Bohemiæ quoq; diadema ſuſcepit, cuius fœlicitatem admirati Germanię principes, & ipſi ſuum ſanginem extollere decreuerunt, Romanum ei cõmittentes Imperium. Id Alberto ſuſcipere non licebat, niſi primores Hungariæ indulgerent, quibus haud ex uſu uidebatur ſuum regem Teutonibus imperare, atq; ob eam cauſam iureiurando Albertũ obligauerunt, ne ſuo inuſſu Imperium acceptaret. Vocati tamen ad regem, qui tum fuit Vuiennæ, uicti precibus, prębuere conſenſum. Ille imperio auctus, ad Hungariam rediјt, aduerſus Turcas, qui tum Raſciam inuaſerant, arma moturus. Sed dum Budę moram facit (ea eſt regum ſedes) iudex ciuitatis natione Teutonicus, Hungarum quempiam ob delictũ fluuio dimerſit. Id Hungari moleſtiſſime tulerunt, quibus Teutonicum nomen exoſum eſt. Excitatur tumultus, Hungari arma corripiunt, obuios Teutones paſſim trucidant. Iacobus Marchianus ordinis Minorum profeſſor, tumultum ſedaturus, Saluatoris crucifixi ſimulachrum geſtat, modo precibus, modo lachrymis furorem incenſæ plebis lenire conatus eſt. Sedato tumultu, Georgius Palocius Strigonienſis eccleſiæ pontifex moritur, apud quem præcioſa regni ſuppellex in cuſtodia fuit. Rex Strigonium petit, & regina cum eo: aperiuntur arcæ, in quibus theſaurus obſeruabatur, coram regina. Illa, clam ſubtracta corona (quam ſacram appellant) fideliq; anui tradita, arcas claudit atq; obſignat.

Albertus paulopoſt Dranum uſq; fluuium proficiſcitur, ibiq; caſtrametatus, maiores copias expectat, cum quibus Turcas inuadere poſſit, Sindronium obſidentes: prius tamen expugnatum eſt oppidum, quàm auxilia uenirent. Ipſe Budam reuerſus, cum dyſenteria laboraret, Vuiennam repetere ſtatuit, ſiue moriturus inter ſuos, ſiue quod aerem in quo fuerat nutritus, conſeruare aliquid ad ſanitatem ſperabat: ſed in itinere magis ac magis morbo affectus, relicta uxore pręgnante, obſignatoq; teſtamẽto, in uilla quæ Longa dicitur, vi. Calend. Nouemb. è uita deceſſit, religioſus princeps, & qui liberalitate ſimul iuſtitiaq; præſtaret. *Peponibus delectatum, ferunt dyſenteriam incidiſſe.*

Fuit quoq; in bellis audax, & manu promptus. Morauos ac Bohemos armis ſubegit: Polonos late uagantes intra regnũ ſuum cohercuit. Magna de ſe Chriſtianæ Reipublicæ promittere uidebatur, nec minora populi de ſua uirtute concœperant: pulcherrimæ ſpei ſatisfieri, breuitas uitæ non ſinit. Repente occidit, quę breui ad ſummum potentiæ creuerat: neq; enim biennio toto imperauit princeps longiori dignus uita, & in quo ſpes erat recuperandorũ de Imperio iurium perditorum. Statuta eius procera fuit, neruoſum & ualidum corpus, facies terrifica, more gentis eraſa barba, ſuperius labium intenſum: ueſtem haud ſplendidam balthenis auro granis cinxit, nec uuquam lateri defuit enſis. Corpus eius in Alba reconditum eſt. Cognita regis morte, conuenientes Hungari, indignum ac periculoſum æſtimant, tantum regnum unius fœminæ iudicio ſubiacere, reginam magnis precibus hortatur, Vladislaum Poloniæ regem, qui populum armis tuetur, ſibi ut uirum aſciſcat. Conſentit mulier, ea conditione adiecta, nè quod filio præiudicium fiat, ſi maſculum pariat. Legantur in Poloniam prælati Eccleſiarum, & principes regni: quibus iter agentibus, Ladislaus poſthumus naſcitur, qui mox ut in lucem prodiјt, apud Albam regalem & baptiſmum Chriſtianæ fidei ſignaculum, & militiæ cingulum, & ſacram Hungariæ coronam, quam mater penes ſe habuit, eadem die accepit. Inde ſublatus, in tutela Friderici tertiј Cæſaris, duodecim fermè annis fuit, cui mater & ipſum & coronam commendauit.

RVSTICANA BELLA.

IN hac generatione ſub Sigiſmundo Imperatore in regno Hungariæ duo Ruſticana bella, autoribns duobus ruſticis, altero Antonio, altero Martino, cœpere. Antonius in transſyluanis regni partibus, Martinus poſtea in terra Nir & Zamſos keutz magna ruſticorum ui collecta, & nomine regio aſſumpto, uexillis eleuatis, in gentibus uelut inundatio quædam erumpentes, uiribus regnũ ipſum ſubijcere cupientes, huc illucq́; ferebantur, nobilesq́; uniuerſos ſibi occurrentes, interficiebant, ad uillas uero & oppida, ut illis adhęrerét, nuncios cum ſanguinolentis gladijs mittebant, nolentes uero inclinari, prædę & morti exponebant. Et in tantum ruſticana hæc potentia creuerat, quod & armati illos pauebant. Tandem multa procerum expeditione contriti & debellati ſunt, regibus ipſis morte mulctatis, cæteros qui euadere nequibant, alios oculis, alios naſo & labijs, alios uero manibus truncauere.

Anno Domini mill.ccccxxxv. Apud Caietam memorabili eſt euentu pugnatum. Captus Alfonſus rex, & cũ eo duo fratres, Nauarrę rex, & Henricus infans, Iohannes Antonius Vrſinus princeps Tarentinus, Mattianus dux, trecentiq́; alij illuſtres uiri. Capti reges ad Philippum uicecomitem perducti ſunt, quos ille nõ ut hoſtes, ſed ut reges & hoſpites penes ſe habuit: poſtremo ampliſſimis muneribus donatos, incolumes dimiſit: tatum clementiæ exemplum in hoſte. Sabel. Enne. x. lib. iij.

Cauſa Eccleſię interim uarie habuit. Miſit Papa nuncios Apoſtolicos in diuerſas mundi partes, iuſtificare factum ſuum, & accuſare Concilium: ſed tum ſuaſi Gręci & perſuaſi, pontificis partibus potius ꝙ Concilij inclinauere. Venit & Iulianus Cardinalis Baſilea, Ferrariam ſe conferens. Et inchoata eſt Ferrariæ rerum contrectatio, ſed propter incipientem graſſari peſtem, in Florentiam translato Concilio, perfecta eſt unio Græcorum, ſed tamen eodem quo ſępe prius, exitu.

Poloni in Bohemos.

Bohemi quidem huius Alberti tempore, Poloniæ regi ſe adiunxerant, & ſtudebant hũc facere regem Bohemiæ. Poloni magnum exercitũ duxerunt in Bohemiam, adiunctis etiam ſibi Thaboritis. Contra illos Imperator Albertus miſit Albertum Marchionem Brandenburgenſem: is aliquandiu cum eis pugnauit, quoad hæc cauſa inter Cæſarem & polonum componeretur.

Albertus Imperator magna copia in Vngariam iuit contra Ammuratẽ Turcã, qui Hungariam inueſtabat. At Ammirates non expectauit aduentum Alberti: oppugnata Sinderouia, abſceſſit uerſus Gręciam, & inuadit Theſſalonica.

FRIDERICVS III. AVSTRIAE DVX, XXXVIII. Germanorum Imperator.

FRIDERICVS III. XXXVII Germ. Imp.



Hoc ex inſcriptione ſigilli apparet,

ANno Domini mill.ccccxl. Imperio uacante, cõuenerunt Electores Francofordiam, & elegerunt FRIDERICVM Auſtriæ ducem, Erneſti ducis Auſtriæ filium, Alberti regis fratrem patruelem, adoleſcentem, mente ſenem, ætate iuuenem, xxv. enim aut circiter agebat annũ cũ eligeretur, in quo tum ſpes maxima fuit ſuſtinendi imperij: ſed erat ille Fabio Maximo propior quã Scipioni, multa reponens in cunctatione, nihil illi de celeritate conficiendæ rei. Prima illi cura fuit, ſublata de natione Germanica neutralitate, ſubdere colla Eugenio Pontifici. Placauitq́; Amedeum Sabaudię ducem, quem Baſilienſi Concilio creatũ pontificem, dixere fœlicem. Ille enim ſuaſu Friderici regis poſito pontificis nomine, ad pedes uenit

Frider. imp. impenſe pacis amator.

Eugenij

Eugenij; qui illum legationis titulo perornauit. Tum Concilium Baſilienſe paulatim ſubductis patribus cœpit euaneſcere. Scribit hic Krantz, Laus egregia Friderici pacem eccleſiæ reddidiſſe, ſed aliquanto maior, ſi hoc adieciſſet operi ſuo, ut auro prouinciæ non emungantur, uel ut ipſe patet patrum, ex auro quod ex Annatis corrodit Chriſtianiſmum tutaretur, non ſuos nepotes glorificaret. *Baſilien. Concilium euaneſcit.* *Pontifex Ro. notatus*

Erat autem Sigiſmundi filia Imp. Alberti uxor grauida: at Hungari nolebant expectare futurum hæredem, ſed elegerunt Vladislaum iuuenem regem Poloniæ, in regē Bohemiæ. Vngariæ hactenus præfuerat Iohannes Huniad Matthiæ pater. Hic Iohannes Huniad magna clade Turcā Amuratem affecit, ita ut Amurates cogeretur inducias facere. Vbi uero Vradislaus in Vngariam uenit, ſpes erat multorum (quoniam Polonia & Vngaria uires iungebant) quod aliquid magni eſſent contra Turcam effecturi. Et fieri poteſt, ad eam rem Vladislaum propenſo fuiſſe animo, honoris ambitione: quapropter Iulianus Cardinalis inducias factas cum Turca, diſſoluit, hoc prętextu: Non poſſe cum Turca pacem fieri, ſine conſenſu Papæ, quoniam totius Chriſtianitatis hæc cauſa fiet. Tum Vladislaus contra Amuratem exercitū duxit Varuam uſq;, quæ non longe diſtat à Conſtantinopoli, tametſi Iohannes Huniad hoc uehementer diſſuaſerit, utpote is, qui populi ſui uires ſatis perſpectas habebat, uiciſſim Turcæ potentiam & conditionem abunde tenebat, nec ſine magna cauſa cum Ammurate inducias fecerat. Et fertur cum Vladislaus à Vualacho Dracole peteret, ut & ipſe mitteret auxilia, quod Vualachus diſſuaſerit. Nihilominus filiū ſuū cū xx. mil. equitibus miſerit, & Vladislao dixerit, ꝙ donet ei ad illam profectionem celerrimū equum & præcioſum, & ſimilem dederit filio ſuo: nam non cogitet aliud, quàm uincendos & feriendos eſſe eos. Idcirco debeant ad manum habere iſtos equos, & cum neceſſitas expoſcat, inſidentes fuga ſibi conſulere. Turcæ uero circunſpecte omnia agebant: & antequam Hungari ſuos in ordinem redegiſſent, adoriebantur Turcæ. Vt autem Chriſtiani ſtrenuiſſime agerent, interfectis multis Turcis, tamen Turcæ multitudine ſuperiores uicerunt, & iuuenem regem Vladislaum interfecerunt. Poſthac Cardinalis Iulianus quoq; in fuga interimitur, dum iumen tum aquaret, ipſi aggreſſi hominem, quem auro refertum putarent, occiderunt. Huniad uero, utpote prudens bellator, prudenter agebat, & euaſit. Hęc ſtrages facta fuit anno Domini mill. ccccxliiij. decima die Nouembris. *Vladislaus Polonus eligitur in regem Bohemiæ.* *Vladislaus contra Ammuratem.* *Vualachus Dracoles.* *Equi ad fugam.* *Cardinalis Iulianus interimitur.*

Amurates poſt hunc conflictum factus fuit monachus Mahumeticus, putans quod in ſuo regimine ſatis effeciſſet, quod in clade euaſiſſet uictor: nec uoluit ultra fortunam experiri. Huniad uero rurſus congreditur cum Turcis, & ita eos anguſtauit, ut rurſus peterent Ammuratem regimento præficiendum, & ducem exercitus contra Huniad. *Ammurates fit monachus à conflictu.*

Poſthac ubi amiſſa fuit Conſtantinopolis, & Mahumetes Turcarum Imperator potenti manu Hungariam inuaderet, Huniad hūc Mahumetem grauiter oppreſſit, & ſuſtinuerunt Turcæ ingentem ſtragem. Hac ratione Huniad totā Europam liberauit. Nam ſi hæc inuaſio ſucceſſiſſet Mahumeti, ab Italia & alijs terris non abſtinuiſſet.

Poſt mortem Vladislai, Hungari Ladislaum iuniorem hæredem, filium filię Sigiſmundi, in regem ſuſceperunt. Sic Ladislao puero regnum Hungarię, quod cognominis eius alius Ladislaus in queſtionem uocauerat, ſine controuerſia redditur. Hic Ladislaus poſt aliquot annos adoleſcentiæ, Pragis mortuus eſt.

DE DELPHINO REGIS FRANCIAE FILIO, ET Armiacis, Alſatiam obſidentibus, & Suitenſibus apud Baſileam miſerabili clade proſtratis.

ANno Domini mill. ccccxliiij. Venit per hos dies Ludouicus Delphinus Vuienenſis, ac primogenitus regis Franciæ, cum magno exercitu infra limites Imperij, oppidumq; obſidione cinxit, cui nomē eſt mons Belligardi, quod ab imperio comites de Vuirtenberg habēt in feudum. Ibi cum *Ex Epiſtola Aeneæ Syluij 87.* *Ludouicus Delphinus.*

aliquandiu Delphinus maneret, cum caſtellanis tandem conuenit, ut ſibi ad cer tum tempus oppidum traderetur, quo lapſo, id libere reſtitueret. Nam aliter ui decreuerat expugnare, ut locum haberet in quo morari poſſet, quia non decebat regis filium in campis degere abſq; tecto. Poſtquam Delphinus Biligardi potitus eſt, famam undiq; ſui aduentus publicauit, ſed nõ uno modo apud omnes. Apud aliquos nanq; ſe in auxilium nobilitatis ueniſſe prædicabat, tanquam in Germania per communitates eſſet oppreſſa. Apud alios uero uocatum ſe dicebat per Rom. regem contra Suitenſes. Nonullis autem ſe uelle uendicare iura domus Franciæ aſſeuerabat, quæ uſq; ad Rhenum protendi dicebat. Et hac cauſa urbem Argentinam obſeſſurum ſe affirmabat. Dicebat etiam & propter ducem Sigiſmundum ſe ueniſſe. Et hos rumores ubiq; publicari ſtudebat, non quod ita eſſet, ſed quod fauorem ob eam cauſam ſeſe putabat habiturum. Dum hæc fama ſic percurrit, Nobiles Alſatiæ, quibus grauior uidetur Suitenſium dominatus, Oratores ad Delphinum mittunt, eumq; rogant, ut præſidia contra Suitenſes præbeat.

Variæ cauſæ aduentus Delphini.

Nobiles contra Suitenſes.

De Delphini exercitu uaria dicta ſunt: qui maiora ſequuntur, lx. millia hominum in eius comitatu ſantur haberi: qui minora, probant xxv. millia: medij uel xxx. uel vi. & xxx. millia cenſent eſſe. Concordatum inter Delphinum & Alſatieñ. xxv. millia hominum ex ſuo exercitu per hyemem in oppidis Alſatiæ recipi: ipſeq; Delphinus & Turricenſibus & alijs obſeſſis ferre opem promittit. Veniebant iam Delphini gentes, quæ uulgo uocantur Armeniaci, in ſubſidium cuiuſdam caſtelli, quod Suitenſes prope Baſileam obſidebant. Suitenſes ut hoc ſenſerunt, non expectatis hoſtibus, ad uiam pergunt, primasq; Armeniacorũ turmas inuadunt, ſtragem dant, plurimosq; neci præbent. Armeniaci retro pedetentim fugientes, ad maiorem exercitum ſe recipiũt. Illi ſanguinis cupidi, & auidi uictoriæ, dum gloriam quærunt propriam, ſalutem amittunt. Ventũ erat ad hoſpitale S. Iacobi, quod uix quatuor ſtadijs à Baſilea diſtat, ibi uniuerſa multitudo Armeniacorum in Suitenſes irruit, nonnullis ante portas Baſilieñ. poſitis, qui exeuntes obſeruarent, cęderentq;. Committitur atrox & miſerabile prœliũ, ceduntur q; ex utraq; parte plurimi. Horrendum auditu eſt. Euellebant ſanguinolentas ex corporibus ſuis ſagittas Suitenſes, ac truncatis manibus in hoſtes irruerunt: nec prius animam exhalabant, q̃ occiſorem ipſi occidiſſent. Quidam haſtis confoſſi, & onuſti telis, inter Armeniacos currentes, necem ſuam uindicabant. Erant quatuor Armeniaci, qui Suitenſem unum inſequebantur. Iamq; illi telum confoſſum ſtrauerant, & ſupra corpus graſſabantur: tum eius comes arrepta bipenni, in quatuor illos fertur: ex quibus duos obtruncauit, alios uero in fugam dedit, ac deinde ſemianimũ corpus ſuper humeris recepit, & inuitis hoſtibus portauit ad ſuos. Erat retro Suitenſes murus quidam horti S. Iacobi, qui illic ſe tutos ab una parte rebantur, ſolumq; in fronte pugnabant. Sed Teutonici qui cum Armeniacis erant, intrantes hortum, murum perfodiunt, Suitenſesq; à tergo feriunt, quę res magna cauſa ruinæ Suitenſium fuit. Pugnatur tum ante & retro. Iam uiro uir imminet, nec iam eminus, ſed cominus ferrũ ſtringitur. Suitenſes quaſi leones per omnem exercitũ in uictores uagantur, cędunt, ſternuntq; omnia, ut qui iam non in ſpem uictoriæ, ſed in mortis ultionẽ ſe pugnare ſciunt. Prælium à principio diei uſq; in finem tractum ęſt. Ad extremum non uicti Suitenſes, ſed uincendo fatigati, inter ingentes hoſtium cateruas ceciderunt. Victoria lugubris atq; cruentiſſima Armeniacorum fuit, campusq; liber eis manſit, non uirtute, ſed multitudine ſuperantibus.

Sententiæ uariant de exercitu Delphini.

Armeniaci, alias Armiaci.

Hoſpitale S. Iacobi apud Baſileam.

Memorabile.

Teutonici cum Armeniacis.

Ex Suitenſibus qui plures occidiſſe iurant quatuor millia: qui minus, mille & quingetos uiros cecidiſſe aiunt. Ex Armeniacis dicunt aliqui plures deſideratos eſſe, quàm ex Suitenſibus. Magna cædes equorũ fuit. Plures Teutones dum ulciſci Suitenſes uolunt, uitam amiſerunt. Suitenſes autem nulla res magis extinxit, quam magnanimitas, ſiue illa temeritas fuit. Nam dum hoſtes paruipendunt, eò deducti ſunt, unde exire non potuere. Qui ſapit, nec nimis timet hoſtes, nec contemnit nimis.

Numerus occiſorum Suitenſium.

Dum hæc

Oratores Ro. regis, ad Delphinum.

Legatio Concilij ad Delphinum.

Dum hæc aguntur, Rex Ro. Oratores ad Delphinum mittit, Epiſcopum Auguſtenſem, & Iohannem de Eich Doctorem, nonnulloſq; milites perſcrutatum, quid cauſę ſit ꝙ imperium cum exercitu ſit ingreſſus. Redeunt Oratores, & cum his Delphinus, ſuos ad regem deſtinat quinq; uiros præſtantes. Interim ex parte Concilij Baſilienſis, Cardinales duo, Arelatenſis & S. Calixti, pluresq; alij Doctores Delphinum adeunt, & cum his ciues Baſilienſes, deprecanturq;, ne uel Concilio, uel Ciuitati noceat. Is rurſus ſuos Baſileam cum his nuncios mittit, qui adhuc ibi ſunt. Habentq; diuerſos concordiæ tractatus: Nam & Oratores Papæ Felicis, & ducis Sabaudiæ, totiusq; Suitenſium factionis illic conuenerunt. Rumor eſt potiſſimum, urbem Baſilienſem tanq̃ regni Franciæ ſibi reſtitui, quod ſi fiat, magna priuilegia illi ciuitati pollicetur. Oratores autem Delphini, qui hic ſunt, aiunt Delphinum, uocatu regis, cõtra Suitenſes ueniſſe, dicuntq; ſe iam ſtrauiſſe magnam inimicorum manum, ſuaq; opera remotam ex Thurego obſidionem, petuntq; firmari pacta cum nobilibus Alſatiæ percuſſa, ſtationesq; in hanc hiemem exigunt, quæ ſibi ſi negent, non poſſe ſe dicunt abſtinere quin noceant. Habent iam Lauffenberg, Seckingen, & alia quædam oppida, ſed illa non ſufficere prædicant, Briſacum & Friburgum uolunt adiungi. Exinde Sigiſmundum Auſtriæ ducem, ad conſumandum matrimonium cum filia regis Franciæ, Delphiniq; ſorore tranſmitti quęrunt. Nihil adhuc reſponſi datum eſt. Faxit Deus, ut finis ſit bonus: Nam murem in pera nutrire, quam tutum ſit, Prouerbium docet, anguis torpentem frigore herinacium domi ſuſcepit, qui calefactus extenſis pennis, anguem domo pepulit.

Mus in pera.

Habent Chronica Argentoratẽſia ſcripta, Armeniacos bis irrupiſſe in Alſatiã. Primum per Lotharingiã & Vueſterichã, numero xij. millia apud Zaberniã ueniunt, & diebus xiiij. nemine contra ſtante, horrenda crimina deſignãt, tandem apud Mumpelgart rurſus in Galliã abeũt. Altera uice Armeniaci apud Mumpelgart erumpunt, non ſine ouatione nobilitatis Auſtriacę. Anno eodem Alſatiæ uicos, & nonnullas ciuitates, dolo, proditione, blandimentis intrant, fidẽ non ſeruant, fertiliſſimã terrã miſere uaſtant, igne, ferro. Vbi ſatis ſęuitũ eſt, & omne genus facinorũ cõmiſſum, inſuper omnia uitę alimẽta uorarunt, & oẽm libidinẽ in ruinas ædificiorũ expleuiſſent, mutilus fractusq; exercitus in Gallias traducitur.

Armeniaci dicti, die armen Gecken.

Ro. Guarinus lib. x. habet, ꝙ anno eodem de duorũ & uiginti menſiũ induciјs, inter Franciæ, Angliæq; reges conuenit, permiſſa utrinq; libertate merces cõmutandi, atq; inter ſe negotiandi, per quod induciarũ tempus ne miles ocio torpeſceret. Siciliæ regi Carolus ſuppetias tulit aduerſus Metenſes, & quoſdã Lotharingię incolas, qui ei non parebant. Admonitis Metenſibus obedire, cum dicto audientes non eſſent, eos Carolus circũſedit multis copijs, & Delphini pręſentia potens. Firmata obſidione Ro. Imp. de Heluetijs quęſtus, ꝙ imperio rebellarẽt. Carolus per Bourgalemoniũ Germanũ inſignẽ equitem orat, partem militũ ſibi contra deſciſcentem, à ſe Heluetiũ cõmunicet. Ea res cum ingrata regi non eſſet. Delphinum Baſileam cum copijs mittit, aſſiſtente illi Bourgalemonio Federici pręfecto. Dum aũt uiam pergit Heluetiorũ, non contemnendã manũ non longe à Baſilea offendit, in quos (cum in hortos quoſdã ſe recepiſſent) arma cõuertens Bourgalemoniũ ante alios amiſit, cum aliquot alijs interemptũ, fudit nihilominus hoſtem, & ad unum occidit. Inde ad ſanctũ Hypolitũ mouens, ſpe oppidi confeſtim oppugnandi, cum id fruſtra conatus fuiſſet, habuit tamen ſibi obtemperantes oppidanos. Sed Francus miles ſuo more ex agris prędas agens furentẽ gentem in ſe excitauit, ita, ut in diuerſis locis cõſociati, Heluetiorũ manipuli non paruam copiarũ partem occiderunt. Igitur Baurgalemonio mortuo, ſuiſq; partim occiſis, Delphinus regionis aſperitate cognita ad patrem, qui apud Nantium Lothoringiæ primarium oppidum erat, reuerſus eſt.

Hic capitaneus in Chronica Argent. uocatur Burckhardus Munch, hinc eſt adnominatio Bourgalemonius, fertur hunc dixiſſe, cũ uideret ſterni & cædi Suitenſes, Germanice (hie watten wir in roſen) ſed & homo bulla erat, uix enim effatus uerbum, cũ galeæ os aperit, uiſurus uictoriæ delitias, lapidis ictu lætaliter percutitur.

Præerat Metenſibus Iohannes Vitotus barbarus & ferus moribus homo, hic equo inſigni utebatur, in cuius cauda aſſutũ erat tintinabulũ, ut ingrediens, egrediensq;, ſęuus Imperator audiretur atq; cognoſceretur. Adeo quidẽ inhumanus, ut ex ſuis, aut ex hoſtibus captũ, neminẽ precio redimi ſuſtineret. Si aũt cõpertũ

haberet fœminas urbe egreſſas, de uirorum liberatione pertractaſſe, eas nece affi ciebat. Sed barbari crudelitatem uicit ciuium prouidentior modeſtia. Fatigati itaq; diuturna obſidione Metenſes, regem muneribus placant, ducentis ſcutorum millibus belli impenſas, compenſantes.

Alberti Brandenburgenſis bellum, contra Norinbergẽ.

Hoc tempore, qui fuit annus Mccccxlix. Brandẽburgenſis Marchio Albertus, cuius frater Fridericus Princeps elector, nouę prętrat Marchiæ, & alius Fridericus cognomento pinguis, ueterem tenebat. Ipſe interim Albertus Burggrauius Norinbergæ, illum dominatum pro ſuo gubernabat. Erat illi tum difficillimum bellum cum ciuitate Norinbergenſi, cum neſcio quid iuris pretenderet, quod imperialis illa urbs negaret. Fridericus Ro. Rex, ad omnia quietus permanebat, luctari ſinens utroſq;, magnis utrinq; cõtractis uiribus, aliquot pręlijs cõflixere. Multi Alberto Principes & nobiles tulere ſuppetias, multi quoq; comites, barones, milites, in aduerſis caſtris militauere. Marchionis fortuna aliquãdiu in deſperatione fuit, deinde quod uictus amiſit, recuperauit uictor. Sunt qui ſcribant Albertum Marchionem octaua uice ſuperiorem fuiſſe. Cum autem per duos annos, tracto bello, uaria inuicem & dediſſent & accepiſſent incõmoda, interuentu cõmuniũ amicorũ res in concordiã cum detrimento, ut fieri ſolet partium, peruenit.

Suitenſes contra Thuricenſes.

Anno Domini Mccccxliij. Suitenſes montani & feroces populi, cum Thuricenſes ex fœdere, quod cum eis pepigerant, deſciuiſſent: comparato exercitu, in eorum agrum cuncta uaſtantes exiere. Quibus cum Thuricenſes prelio congredi preſumpſiſſent, ad internitionem cęſi ſunt, prope capellam S. Iacobi leproſorũ domicilium. Tantaq; Suitenſium in uictos hoſtes crudelitas ac rabies fuit, ut eo ipſo in loco partę uictoriæ epulantes, congeſtis necatorum corporibus, ex illis & menſalia & ſedilia apparauerint, & aperientes hoſtium cadauera, cruorem biberint, corda dentibus laniauerint. Suitenſes impoſuerunt Thuricenſibus ſigno rubeæ crucis falſo aſſumpto, quo nobiles & Thuricenſes utebantur. Aeneas Syl. & Naucl.

Suitenſium crudelitas.

Anno Domini Mccccxlvi. Friderico tertio Ro. Imp. regnante, magnũ quodam, & penè diuinum beneficium collatum eſt uniuerſo terrarum orbi à Iohanne Guttenberg Argẽtoratenſi, nouo ſcribendi genere reperto. Is enim primus artem impreſſoriam, quam latiniores excuſoriam uocant, in urbe Argentoratenſi inuenit. Inde Mogontiam ueniens, eandem fœliciter compleuit. Interea Iohannes Mentel id opificij genus inceptans, multa uolumina caſtigate ac polite Argentorati imprimendo, factus eſt breui opulentiſſimus. Huic ſucceſſit Adolphus Ruſchius, mox Adolpho Martinus Flachus, qui & ipſi Argentoratenſes in natali ſolo hãc artem cum laude & gloria exercuerunt. Sixtus Ruſinger Argentoratenſis. Anno Domini Mcccclxxi. Neapoli, quomodo imprimi poſſent libri, primus oſtendit. Ob quod factum Ferdinando regi, & Neapolitanę nobilitati chariſſimus fuit.

Alij uolunt Ioannem Fauſtium primũ Mogontiæ inueniſſe. Vuimphelingius in Catalogo Epiſcoporum putat Argentoratenſem ciuem incomplete inueniſſe, deſcẽdiſſe uero Mogontiam, ad alios quoſdã in hac arte inueſtiganda laborantes, ductu cuiuſdam Iohannis Gensfleiſch, ex ſenio cæci, in domo boni montis, Zům Gůtten berg / in qua cõpleta eſt hæc ars. At præſente Vrſo, nõ opus eſt quærere ueſtigia, ut habet Prouerb.

Adolphus Ruſcius.

Sixtus Ruſinger.

Sub idem ferme tempus Vlrichus cognomento Hañ, formas librarias, rem inauditam, nec unq; Romanis uiſam, Romam attulit. Fuit is natione Germanus, cui cognomentũ (ut dixi, erat Han) id latine gallum gallinacium ſignificat, hinc falſus Campanus, & aliquot docti, exiſtimauerunt hunc Vlrichum natione Gallum fuiſſe. De hoc Tetraſtichon Antonij Campani legimus:

Vlricus Han.

Anſer Tarpeij cuſtos Iouis, unde quod alis
Conſtreperes, gallus decidit, ultor adeſt.
Vlricus Gallus, ne quem poſcantur in uſum
Edocuit pennis nil opus eſſe tuis.

Beroaldus de Germania.

Beroaldus Hendecaſillabo celebrat Germaniam, rei frugi inuentricem.

O Germania muneris repertrix
Quo nil utilius dedit uetuſtas.
Libros ſcribere quæ doces præmendo.

Sunt qui putent fato datum Germanicis ingenijs, ut in ære tractãdo cum primis ex=

mis excellant, quod claret in ſtanno, impreſſoriarũ formularum, & alio inuento. Bombarda bellici tormenti genus, inuentum Germanicũ, aliquanto quam ſit impreſſoria ars uetuſtius, de quo ſupra & infra de Mortario, Germanicę Böler/ inuento. Anno Domini M d vi.

Böler.

BOMBARDAE INVENTAE.

Bombardæ inuentæ.

IN D. Malleolo hæc legis, De Pixidũ aut Bombardarũ inuentione, quæ aſcribitur cuidam Bertholdo nigro Alchiamiſtæ. Is primum Mercuriũ arte paratũ, uiſui, uiuentis Baſiliſci, qui cuncta uiuentia uiſu perimit, curioſe prępoſuit, & Baſiliſcus defecit, & Mercurium necare nequiuit. Vnde cõmotus Bertoldus, Baſiliſcum cum habitaculo ſuo, in pulueres igne cremauit. De quo Prouerbium vncken brenner/ quo Alchimiſtæ per Germaniã ſunt nuncupati. Proinde Bertholdus ingenio Philoſophico conſyderans, ꝙ naturaliter contraria contrarijs appoſita, ſe non compatiuntur. Et ꝙ frigidum & calidum in extremis ſumme ſint contraria, quod apparet, dum aquæ frigidę applicatur candens. Hinc non dubitans ignem fore caloris apicem, & ſulphuris materiem præ cęteris creaturarũ ignis capacem, hinc Salpetram frigiditatis ſummę gradum tenentem. Vnde Mercuriũ cum Sulphure Salpetraq́; firmiter in olla ærea ſuperius obſtructa, conſtipataq́; coniunxit, & ignibus uehementiſſimis applicauit. Et dum ſulphur incenderetur ab intra, contrarium cum contrario manere non potuit, ſed uas æreum confregit. Hæc uidens Berthold us ſua ſagacitate, fortiora demumq́; fortiſſima uaſa, metallina, ferramentiſq́; ſtrictiſſimis conflictu comprobauit, & nullũ tanti roboris firmari poterat, ut tantam uim ſuſtinere ualuerit, imò diſrupit, & ſua uiolẽtia repagulũ per parietes fortiſſimas, cum frangoris impetuoſa concuſſione, terribili colliſione & coruſcatione transfixit. Dies diem docuit, & inde horrendas belli machinas hodie habemus.

Fridericus Imperator. Anno Domini Mccccliij. Regni ſuo anno xij. cum Leonora coniuge, Luſitaniæ regis filia, Piſis excepta, quo ex Hiſpania ad tempus puella fuerat, naui delata. Romam decreto petijt, raro ulli Imperatorum itum eſt obuiam, ab omnibus ordinibus frequentius. Nec ita multo poſtquam Romam uentum eſt, ambo corona imperij ſunt à Pontifice donati. Dubitaſſe fertur ab initio uehementer Nicolaus Pontifex, ne in Friderici acceſſu, aliquis Romę motus oriretur. Quapropter ante illius aduentum loca quædam urbis mœnibus, præſidioq́; firmauit, & ut ciuium ſtudia ſibi magis conciliaret uiros Romani ſanguinis ſingulos, ſingulis pręfecit urbis regionibus. Hos uulgo Mareſcallos uocant, ſuntq́; primi illi coccina ueſte donati, tenet adhuc mos, ut eodem nomine, pariq́; numero uiri creentur, qui urbem à graſſatoribus & ſiccarijs tueantur. Fridericus ex urbe Neapolim proficiſcitur, ubi exquiſitiſſimis honoribus eſt ab Alphonſo rege acceptus. Erat Alphonſus Leonoræ perneceſſarius, ſed apparatu nihilo inferiore. Veneti eum in Germaniam abeuntem, publico honore excepetunt. Nullus unquam hoſpitum maiori ſtudio & luxu ciuitatis cultus eſt, nulli tot ſpectacula exhibita, tot munera congeſta, ex Venetijs confeſtim ille in Germaniam tranſijt. Sabellicus fertur decem diebus fuiſſe apud Venetos, & inter prandendum dixiſſe, ſe amicum uelle eſſe Venetorũ, ſed poſteri eius multa damna eſſent illaturi, Comites itineris tum habuit Albertũ, fratruelem Auſtriæ ducem, & Ladislaum puerũ duodennem, Vngariæ & Bohemiæ regem, Auſtriæq́; ducem, ipſo pueritiæ flore decorum, & amabilem, & cui Itali multos annos, & multa bona imprecarentur. Ea uota uentus, ne prouenirent, tulit. Oſtenderunt hunc fata tantum terris, neq; ultra eſſe ſiuerunt, nam ut in Vuandalia Krantz habet, dum pro eo conſeruãdo, multa bella gererentur, dumq́; illum Bohemia ſuſcepiſſet alendum, & iam illi nuptiæ pararentur, anno ætatis decimo octauo, non ſine ſuſpitione ueneni moritur. Sed ad Fridericum redeo, qui tum paratus, ibat & redibat per Italiam, nulli formidandus. Videre ille potuit æquis oculis, quod priores non poterant, de uiſceribus imperij alios incraſſatos.

Frid. III. Romam uenit cum Leonora.

Frid. III. Neapolim uenit.

Frid. III. à Venetis ſplendide excipitur.

Ladislaus rex. 18. annorum moritur.

Hocdum

Heinricus. Carolus. Sigiſmundus.

Hoc dum uindicare contendit Heinricus vij. ueneno perijt, non ſine crimine flo-
rentinorum. Carolus eius ex filio nepos, qui ulciſci debuit, & imperij, & aui iniu-
riam euiſcerandis aquilæ uiribus inſtitit, dum pro extollendo ignauiſſimo filio
patrimonium imperij impendit. Sigiſmundus iam emortuā rem reperiēs, quod
uoluit implere nequiuit, dumq́ in alium reſpicit, qui ſe per Italiam duceret, tar-
do ſatis itinere penè irriſus, per mediam prouinciā uix penetrauit ad urbem, iam
conſpirantibus comitatibus cum Pontifice in cōtemptum Romani imperij. Sed

Frider. III. cunctator.

Fridericus nimiū quietus, tolerauit omnia. Cunctator, ut diu habebatur, ſaluta-
ris, quod maturitati dabatur, ſed illa nunꝗ peruenit, ut uim oſtenderet. Quoties
enim apud illum fieret rerum comploratio, ꝙ hæc & illa fierent, hæc & illa time-
rentur, ferunt reſpondiſſe. Necdum eſſe tempus illa emendandi. Nec tamen illo

Tempus emendandi.

uiuente, hoc tempus impletum eſt, neſcitur quando implendum. Iam res eò uer-
gunt, ut Alemannia, quæ pridem amiſit uiuacitatem, omnem deinde perdat im-
perij honorem, rebus inclinantibus ad exteros, & libertas ipſa à Turca uocatur in
diſcrimen. Hæc Albertus Krantz.

DE EXPVGNATIONE VRBIS Conſtantinopolitanæ, per Turcam.

Luctuoſa Chriſtianitati tēpora.

HAEC ſunt illa luctuoſa Chriſtianitati tempora, per quæ bicipiti Ro-
manorum aquilæ alterum deſectum eſt caput, cum iam in Orientē
ultra non aſpiciat, uix defendere potens, quod ei reliquū eſt in Oc-
cidente. Nam Turca dum contemnit adoleſcentiā regis Vngariæ,
nec ab Auſtria ſibi timet, uniuerſam Græciam inuadit, magnā Euro-
pæ partem auferens. Hoc Græculi Imperatores paſſi, dum in regna multa ſcin-
duntur, exemplo futuri latinis, niſi letargū iam mortalē induiſſent. Dum enim
Orientis imperium diuiditur in Andrionopolitanum, Trapezuntium, & Con-
ſtantinopolitanum, unum in tria, ſingulorum uires non tantæ remanſerunt, ut
truculentiſſimo hoſti Turcæ occurretur.

Hac ergo tempeſtate. Anno Domini Mccccliij. Mahumetes Magnus, Turca-
rum ix. Imperator, in dicto recens bello, poſtꝗ diu multūq́ pulſaſſet latera Ori-
entalis imperij, Conſtantinopolim urbem diu florentiſſimam, & in qua orbis
Chriſtiani caput alterū uideri poterat, terra, mariq́ oppugnauit, ſenſit enim Græ-
canicorum effœminatam molliciem. Tum demum auxilia popoſcit Græculus
Imperator, Nicolaus ſummus Pontifex, miſſis ad illum literis, primū exprobra-
bat diſceſſum ab unione catholicæ Eccleſiæ, quam Florentię Græci, Armeni, Indi
excœpiſſent. Inde pollicitus eſt auxilia, ſed dum ille molitᷣ, & apparat: iam actū
erat de rebus. Ergo Turcarum imperator, poſteaꝗ lvi. diebus nulla permiſſa re-
quie, Conſtantinopolim oppugnauerat, & uir Italicus tutandorū murorum ſu-

Hic fuit Genuenſium claſſis præfectus.

ſcepiſſet pręfecturam, dum Turcæ acrius imminerent, quam urbici tuerentur, ca-
pta eſt, inſigne decus Chriſtianitatis, Conſtantinopolis. Innumera ciuiū multi-
tudo, ſine diſcrimine, ſexus, ætatis, ordinis perdita. Rex ipſe Conſtantinus Palę-
ologus, ut ferunt, qui inerant, fugientes: dum per auerſam ab hoſte portam cum
populo fugam parat, in ipſa preſſura conſumptus eſt. Sęuitum tamen eſt in cada-
uer mortui, truncatumq́ caput delatum eſt per caſtra, in cōtumeliam uictorum.
Prophanata templa, euerſa altaria, imagines, in primis crucifixi domini in caſtra
relata, conſputaq́ ridetur, cum inſcriptione, Hic eſt Chriſtianorum Deus, & ut
omnem protinus nobilitatem extinguat, iubet preconis uoce nunciari, quiſquis
ſe nobilis ære perſoluto uolet redimere in promptu permittere uictorem. Erupe-
re de latibulis miſeri ſperantes libertatem, detecti principes ciuitatū ſuo produn-
tur indicio. Mox omnes iubet gladio feriri. In Chriſti ſacerdotes crudelius deſæ-
uiens, plebem iuſſit in Aſiam uenundari, fœminas & puellas, ut mancipia diſtra-
hi. Stupratę ſacratæ uirgines, Matronæ in caſtra protractæ, libidinem impleuerūt
ſpurciſſimorum canum. Et illud æternæ Sophiæ conſecratū templum ſordidatū
contaminationibus Mahometicis, Illa tum ſunt facta, quę & dicta ſunt, difficilia

& auditu horrifica. Vxorem Imperatoris Conſtantinopolitani, filias, & alias nobiles matronas & uirgines, iuſſit tyrannus in conuiuium ſibi adduci. Ibi primum ſtupratæ, poſthac diſſectæ fuerunt. Qui talem ac tantam urbis calamitaté dignis defleat uerbis, neminem arbitror extare. Verum hæc & ſimilia exempla exoſam nobis facere deberét iſtorum tyrannorū & trucum beſtiarum ſeuitiem. Ferunt qui copias eius compertas habuerunt, trecenta fuiſſe millia, qui à terra oppugnarint: à mari triginta millia, trecentis uelis annotatis. Continuo in Peram Genuenſium Coloniam, Conſtantinopoli uicinam, delatus, tam horrenda cómiſit, quæ ne literis debent commendari. Potitus Græciæ capite, omnia facilius membra in ſuam redegit poteſtatem. Nam & Peloponeſum (quæ & Morea) poſtmodum omnem armis deuicit, & populum in ea captū, in ſeruitutem redegit. Idem in Achaia, Acarnania, Epyro, & maiori Macedoniæ parte fecit. Bulgariam quoq; totam, quæ iam annis DCCC. à Bulgaris tanquam limitaneis militibus excubitoribusq; Chriſtianorum aduerſus cæteram barbariem, inſeſſa fuerat, mox Chriſtianis abſtulit, & Raſciam, Seruiam, & quicquid ab Adrianopoli uſq; ad amnem Danubium interiacet, inuaſit. Vualachia præterea paulopoſt timore concuſſa, pro magna parte ad ipſum defecit. Lesbon, quę & Mitylene, nobilem Genuenſium inſulam, maxima cum humani ſanguinis effuſione cœpit, eiusq; infœlices animas in Aſiam omnes tranſportauit. Nec facile cómemorari poſſet, uirorum nobilium ac ſacerdotum multitudo, quos ubiq; cruentiſſima cęde capi fecit, ſenes, iuuenes, uiros ac mulieres in plateis ut oues interfici uidit, nullum matronis, nullum uirginibus ſeruans honorem. In Raſcia principibus illis, quos Deſpotas uocāt, oculos erui iuſſit, multaq; inaudita alia et dictu horréda cómiſit.

Calamitas urbis Hieroſolomytanæ.

Peloponeſus deuicta.
Epyrus.
Bulgaria.
Raſcia.
Seruia.
Lesbon.
Mitylene.

Calixtus Pontifex tum non deſijt concitare principes in Turcam, miſſis prædicatoribus qui commonerent populum, datisq; indulgentijs, per urbes ſigno ter in die facto, precibus iuuarentur fidelium, qui in perfidum hoſtem Turcam pugnarent. Miſit quoq; Patriarcham Aquileienſem, qui claſſe ſedecim triremium cum auxilio Vngarorum & Vuandalorum, Turcam triennio uexaret.

DE BELLOGRADO VEL ALBA GRAECA, uulgo Kriechiſch Weiſſenburg/ & Chriſtianorum contra Turcam uictoria.

Poſt aliquot annos cum idem ferociſſimus hoſtis in interiora Chriſtianitatis ducens, Bellogradum oppugnaret, cœlitus Chriſtianis auxilio proueniente, celebris ex hoſte uictoria prouenit, Iohanne Cuniad Vaiuoda pugnante: is pater fuit Mathiæ regis Vngarorum. Iohanne uero Capiſtrano de Minorum obſeruátia monacho, pro muris populū exhortante, & ad Deum clamante: O Ieſu reſpice, ades populo tuo pro te laboráti. Vbi ſunt miſericordiæ tuę antiquę? Veni protege populum tuum, nequando dicant gentes: Vbi eſt Deus eorū? Cæſa ſunt hoſtium multa millia, & pro numero noſtrorum plurima. Interceptæ hoſtis machinę bombardæ, & omnis generis bellicus apparatus. Eam noſtrorum uictoriam tam impatienti animo fertur hoſtis tuliſſe Turca, ut lachrymas uir ſęuus non teneret, ut barbam uelleret, & ea quæ ſolent inſani, faceret. O ſi noſtri tum principes uſi ea fuiſſent uictoria, recentem hoſtis cladem præmentes, nec ſiuiſſent reſumptis uiribus reſpirare, non extra ſpem fuiſſent tum omnem Europam fugato hoſte occupare. Sed languidum caput, defecta membra, tum non ſuſtinuerunt fortiter agere pro noſtris. Erant in Macedonia nónulli duces Chriſtiani, quibus animus fuiſſet hoſti occurrere, immo fugientem inſectari, ſi ſuppetias ullas ex Chriſtianis principibus ſperauiſſent.

Iohannes Cuniad.

Victoria Chriſtianorum contra Turcam.

Philippus dux Burgundię fertur in eam militiam dediſſe nomen, quod meminiſſet genitorem ſuum Iohannem fortiter aliquando cū Francis in gentem hanc pugnaſſe, etiam diu captum ſuo ære redemiſſe. Recte hic ſcribit Crantz formidandum, ne iratus Deus noſtris criminibus longius ſe retrahat, & propter eccleſiam nó recte ambulantem, in altum ut olim à ſynagoga regrediatur. Ipſe enim iudicat populos, & mundum omnem gubernat.

DE IOHANNE CAPISTRANO.

Iohannes Capiſtranus. De huius literis ad Rochenzan & uiciſſim, uide ſupra in Cõcilio Conſtant.

IOhannes Capiſtranus Minorita in Germaniam deſcendit, prędicans magno zelo uerbum Dei in Auſtria, Bauaria, Sueuia, Turingia, & Saxonia. In ciuitate Magdeburgenſi, in nouo foro, maxima ad illum confluente multitudine, cũ eſſet Germanicę linguę ignarus, Latino ſermone prædicabat latinis in tertiam horã, populo ſolis geſtibus eius, quos antea non uiderat, ſatis uehementer permoto. Aderat ex Germanis ſui ordinis fratribus uir æque doctus, qui poſt illum nõ minore tempore dicens interpretabatur populo quæ ille dixiſſet. Ita permouebatur auditorium, ut fœminæ abuſum in ornatu, uiri ludos quibus tempora perdunt, ſcacorum alearumq; in unum contulerint & combuſſerint. Sed ſpiritus ille torrens, quo tum commotus populus, illa quæ diximus fecit, ut non diu perſeueret. Facile redit res in abuſum, ut eſt hodie cernere per omnes terras & urbes.

Nicolaus Cuſanus.

Per ea tempora Nicolaus de Cuſa Cardinalis Teutonicus (quod tũ fuit monſtrum, coruo rarius albo) uir doctiſſimus, legatione fungitur ſummi pontificis per Germaniam, quod Pius pontifex Germanis, quàm à multa memoria ullus pontifex, affectior eſſet, quod Germaniam ille Germanicus noſſet, diu uerſatus in eius pcouincijs. Multa hic Legatus conſtituit in prouincijs quæ apud metropoles ſeruarentur. Peruenit Magdenburgum uſq; & Hildesheim, citra deſcendere non potuit, quod concitus in Italiam reuocaretur. Cum ueniſſet ad eccleſiam ſuam Brixinenſem in alpibus, deq; illa diſponere uoluiſſet, pro ueteri pontificum iure, non paſſus eſt Sigiſmundus dux Auſtriæ, ut ea in Germaniam tenderetur conſuetudo, quod Romani Cardinales Eccleſias Germaniæ haberent in Commendis: quomodo abbatias & monaſteria Italiæ, Galliarum, Hiſpaniæ, Angliæ, quæ una cauſa eſt in eis prouincijs creari Cardinales non in Germania. Graue oritur diſſidium inter Ducem Sigiſmundum & Cardinalem, uterq; ſuum gladium diſtrinxit in alterum. Captus Cardinalis, cuſtodiæ mancipatur. Pontifex execratione & maledictis inſectatur ducem. Mittit ille in urbem pro ſe Oratorem, qui pontifici reddat ſui facti rationem. Erat homo quidem doctus, ſed pertinax, qui uenerat Orator, & qui pontificem in minoribus, ſe minorem cognouiſſet, ardentius tuetur cauſam Sigiſmundi commendatam. Vbi non proficit, appellationem interponit, quæ extat, eamq; in urbe publicat. Interim Papa & ducem & nunciũ eius execrationibus duris inſequitur. Fugit Gregorius (hoc enim illi nomen fuerat) in Bohemiam, ibi ducta uxore, contemnit Pontificis execrationes. Interim omnis ducatus parens Sigiſmundo, eccleſiaſtico ſupponitur interdicto. Sed facile princeps cum principe conuenit, ubi Chryſoſtomus uenit in medium. Krantz in Vuandalia.

Sigiſmundus Auſtriæ dux contra Cuſanum

Cõmendæ Romanæ.

Sigiſmundus appellat à Papa ad Concilium

De hoc Gregorio Heymburg dicto, legis in Epiſtola Aeneæ Syluij 415. qua dilectis filijs Burgimagiſtris & Conſulatui oppidi Nurenbergen. hunc denunciat excommunicatum.

APPELLATIO VENERABILIS DOCTORIS Gregorij Hyemburg, contra Pium papam.

VIs Conſilij expers, mole ruit ſua. Vim temperatam in ſublime prouehit Deus. Papa Pius iam pridem per Breue Apoſtolicum, non teſtatum, ſed annulo Piſcatoris obſignatum, fertur excommunicaſſe Gregorium Hyemburg, nunquam euocatum cõtra legem Dei, qui damnaturus prothoplaſtum præuaricatorem, præmiſit uocationem dicens: Adam ubi es? Similiter & Cayn, fraterno adhuc ſanguine madentem, interrogans dixit: Vbi eſt Abel frater tuus? Sodomorum quoq; flagitia antequam Sulphuris exureret igne: Deſcendam, inquit, & uidebo, an clamorem qui ad me peuenit, opere compleuerint. Papa uero Pius, ui ſolâ fretus, omni conſilio neglecto, quàm tenuem telam orſus, quàm debilem texit rationem, quæſo uidete. Saluator, inquit, noſter Petrum Apoſtolorum principem ad gubernationem eccleſiæ ſubſtituit &c. Quis ignorat omnibus Apoſtolis Ieſu eſſe præceptum, ut eant in orbem, prædicaturi fidem, baptiſmum, & ſalutem. Quis neſcit paſſim omnibus eſſe promiſſum, ligatum eſſe in cœlis, quod ipſi ligarent in terris, & ſolutum

eſſe quod

eſſe quod ſoluerent? Sed quod Cephæ ſingulariter dictum eſt: Tibi dabo &c. hoc ait Hieronymus eſſe factũ, ut tolleretur ſchiſmatis occaſio. Et Ambroſius in Paſtorali ſuo dicit, quod nedum Petro trina interrogatione interrogato, an amaret, terna reſponſione ſubſequente, amare ſe, teſte ipſo interrogatore Ieſu, traditas ſibi eſſe claues, ſed & omnibus Apoſtolis contraditas. Apoſtoli quoq; poſt Aſcenſionem Domini conueniſſe, ac Petrum ſibi principem conſtituiſſe, & Antiochiæ in cathedram collocaſſe referuntur: nihil tamen de poteſtate uniuerſis Apoſtolis à Saluatore data, & ipſorum omnium uniuerſali miſſione diminuetunt. Ergo & hodie catholica exorat eccleſia, ſeſe per Apoſtolos ipſos continua protectione cuſtodi, quos Saluatot noſter uicarios tanti operis conſtituit pręeſſe paſtores. Horum legitimos ſucceſſores conſtat eſſe uniuerſalia Concilia, Chriſtianæ fidei firmamenta, quę pontificum actiones pro tempore ſaluberrimis doctrinis inſtruxerunt, errores emendauerũt. De quibus ſummus ille pontifex Gregorius ſcribit: Quiſquis illa deſtruere tentauerit, ſeipſum deſtruit. Sed quorſum hæc? eó certe pertingunt, ut conuellatur illa ſuperſtitio, in qua Papa Pius factionibus Cardinalis Cuſani aſtruit concilium, quod ſupra Chriſti uicarium eſſe nequit. Videte ergo, quam uim omnis Concilij extorrem Papa inferre tentauit. Nam ſi omnes Apoſtoli miſſi ſunt à Domino Ieſu, dicente illis: Ite in orbẽ &c. Quodcunq; ligaueritis &c. Quos conſtat cõciliariter poſtea eſſe congregatos, ac ipſum Cephen in Meſſem Domini miſiſſe. Quis dubitat ſacra Concilia uicem Chriſti gerere, quæ & cętui Apoſtolico ſucceſſiſſe comprobantur? Siquidem orbis maior eſt urbe. Subdit papa Pius, rem illam in conuentu Mantuano ſępe & multum eſſe diſcuſſam, quaſi Concilium adhibuerit procerum, uti ſacrę leges iubent, in rebus nouis conſtituendis, quas tamen pro nudo libitu plus euomuit, quàm edixit. Profecto quidem ipſe conuentum Mantuanum nuncupat conuentionem regalium & principalium oratorum illuc tranſmiſſorum. In illa certe nil de hijs ne cogitatum extat. Dicitur autem Papa Pius cum Cardinalibus ſuis ita decreuiſſe. Cur hoc, niſi quia uoluit Papa ipſe abuti poteſtate ſua, talia imponendo, & ſub uelamento militaris expeditionis in Turcam inſtaurandæ, facultates Germaniæ illius quæ eſt inter Coloniam Agrippinam & auſtriam: ac rurſus inter Daciam & alpes, qui Germaniam ab Italia diſterminant, medullitus exhaurire? Nam ex illis ſolis finibus oratores mantuæ ad tractandum conuenere. Illi quippe ſoli uidebantur apti papę quos luderet. Brabantia, Hollandria, Geltria, cum circumiacentibus, ordinarunt, clam illis, quos ſupra nominaui, utrum res acta ſit, nullus illorum interfuit tractatibus noſtris: ergo uim ſuam extorrim eſſe uoluit à ſenſu illorum, quorum æra concupiuit. Hinc profecto non inepte nec ſupine papa ipſe, negatis ſibi pecunijs, quas ſolas ardebat, ſuam ratus lædi maieſtatem, uim aſtutia conceptam totius concilij experte adhibuit: ac imprimis ſuam dimenſus poteſtatem, ſimul & imperatoris noſtri ſplendorem ante oculos ponens, putauit neminem reſiſtere poſſe. Veruntamen ſuam poteſtatem ſtupende, quæ latior eſt, quàm modo imperij gloria Romani, qui quondam caucaſi montis limite coartato, dehinc fracto caucaſi limite, per totum orbem uires ſuas terra mariq; exporrexit. Nunc autem auguſtorum deſidia anguſto limite cingitur. Nil profecto ſuis machinationibns in hijs quas imperialis tituli ſplendor illuſtrat, obſtare poſſe rebatur, niſi fortaſſe totius orbis Chriſtianus conuentus cieretur. Quod uniuerſale Concilium nuncupamus hãc ſanctiſſimam Chriſtianorum conuentionem, libertatis alumnam. Papa uelut iliacam horrens paſſionem, illam præuenire credens, uaniſſimo decreto antequam naſceretur condemnauit: ſed condemnando potius iudicauit. Cum enim ſedulo uetat, profecto magis timere deprehenditur. Nam quod ueteri ſilentio litura reſtrinxit, hoc totum inuida damnatio uiuificat: non aliter quàm qui latentes uires calcis, aquæ rigantis & gelidæ ſuperfuſione obruere cupiens, inuitus ac nolens exuſcitauit. Prudentius Solon ille Athenienſis, leges ornatiſſime compoſitas interrogatus, cur nihil ſeuerius in parricidas ſtatuiſſet, qui ſiccarijs longe immaniores eſſent, reſpondiſſe fertur: Ideo ſe reticuiſſe, ne uetando admonuiſſe

Concilia uniuerſalia Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.

Conuentus Mantuanus.

Pius Papa Germaniam ditiorem exhaurire uult.

Poteſtas Papæ latior Imperij poteſtate.

Auguſtorum deſidia.

Solonis reſponſum.

uideretur. Hunclocum Prælati capeſſite, qui libertatis ueſtræ certiſſimum eſt refugium, dignitatisq́ firmamentum. Infirmos rumpite caſſes, & inanes laqueos diſſipate, qui ſcholaſticis datis operam diſciplinis. Seculi uero principes, & uiri militares, ad bellaq́ doctiores, quibus eſt diſciplina. Sed quando proficiſcimini editiora loca hoſtibus intercipere, hunc eminentiſſimum locum uniuerſalis Concilij quęſo antecapite, unde uobis ſit proſpectus liberior, fortior, & interitior propugnatio, tutelaq́ ſecurior.

Generale Concilium ſacra anchora principum & prælatorũ.

Impoſtura Turcicæ exactionis.

Quod ſi Papa hoc tale tantumq́ aſylum interceperit, hoc roboris uallum fortaſſis demollitus fuerit, ſeu obruerit, antequã emineat uel oriatur: uos abiecto clypeo exarmati tandem precij uenalitate, hoc eſt, tributorum penſatione animas ueſtras redimere cogimini, pecuniaq́ ueſtra ſub uelamento militaris expeditionis aduerſus Turcas inſtaurandę, in damnatum & ſceleſtum uſum conuertetur, ſcilicet, in ſubſidium Fernandi, ex damnato complexu quondam Alfonſi Arragonum connixi, contra renatum regni Siciliæ hæredem legitimum & inclytum Iohannem Calabriæ principem, Chriſtianæ nobilitatis ac militaris gloriæ decus, & ornamentum, & exemplar imitabile. Et idcirco dicit Papa, Gregorium Heymburg ex diabolo natum, quia non ex damnato coitu, ſed legitimo coniugio eſt progenitus, quorum oſor eſt Papa, fautor baſtardorum, pro quibus longiſſimam ferè trium horarum prolixam fecit orationem, dum Fernandi baſtardi laudes Mantuæ perſonaret.

Papa fautor baſtardorum.

Gregorius Heimburg libertatis amator.

Quod uero Papa ſubdit, Gregorium Heymburg auarum, mendacem, & turbulentum: benedictis ſi certaret, bona audiret: ſed cum certet maledictis, alium quærat qui reſpondeat. Ego ex illo grege ſum, quippe cui facultates pro meritis minime reſponderunt, qui plura ſuffragia liberaliter impendi, quàm honoraria ſuſceperim: & libertatis amator plus ſemper fui, quàm blanditiorum, quæ mendacijs & auariciæ minime conuenire poſſunt. Sed ipſe aliquando audiet, inquam, quid geſſerit, qualem uitam egerit, & quid apud Comas. Sed opprimo me, pergens ad illius decreti uanitatem, in quo uetantur oppreſſi uel opprimendi ad Concilium prouocare quod non eſt: & quod (ut ait) Concilium ſupra Papam eſſe nequit. Iam ſupra oſtenſum eſt, cœtum Apoſtolicum fuiſſe ſupra Petrum. Et nunc affirmo, quod ſicut ad ſedem Apoſtolicam uacantem appellari poteſt, ſic ad Concilium quod nondum eſt congregatum, rite appellatur: quia poteſtas eccleſiæ immortalis eſt, quemadmodum ipſa eccleſia: quæ & ſi nunc diſperſa eſt, aliquando habet congregari: & hoc nunc maxime opus eſſe nemo dubitat, qui calamitates eccleſiæ intelligit & cognoſcit. Cuius ſi Papa partem eſſe fateatur, ſe utiq; minorem illa facere neceſſario eſt. Siquidem orbis eſt maior urbe. Papa autem hoc uetando, quid aliud agit, quàm quod cauſatur, quod eius imperium truculentiſſimum non ſuſtinemus: quod facultates noſtras, noſtro tam noſtrorum ſudore & ſanguine partas, in ſuas delicias effundere negamus: Velut ille, qui ex uulneribus à ſe iniectis retractum accuſauit telum parcius corpore ſuſcepiſſet, hoc dominicum in ſeruos extat imperium, quod in nos exercere cupit: hoc eſt ſeruile ſeruitium quod à nobis exigit, non filialis reuerentia, quibus certe nec peculium relinquere curat. Nemo ſanæ mentis hoc non percipit: nullus emunctæ naris homo non olfacit, quorſum tendat hæc tam grauis exactio.

Quid Pius apud Comas.

Sudorem Germanorum Papa in delitias ſuas uertit.

Excuſat loquacitatẽ.

Quod me uero loquacem facit, uir omni pica dicatior, Quid dixerim, niſi quod orationi non reſpondiſſe uelim, dicentis: Ignoras te an ignotum dare nobis uerba putas, cum tu peruideris oculis mala lyppus inunctus, cur in aliorum uitijs tam cernis acutum ut aquila, aut ſerpens Epidarius, hinc tibi contra euenit, inquirunt uitia ut tua rurſus & illi. Fateor quippe me uentoſitati uerborum pro tempore operam dediſſe, ac non ita, ut ciuilis & canonicæ traditionis præcepta contempſerim, Quę ille ne unquam quidem olfecit, nuda uerboſitate contentus.

Porrò ſi quid tale uitium apud me deprehendit, inepte tamen mihi exprobrauit, in quo ipſe potiſſime turget. Mihi ſatis eſt didiciſſe ciuiles ſententias, & quicquid

quicquid præcipuum habet ratio & induſtria, & quicquid ſacra tradunt utriuſq; iuris ſtatuta, hiſce literis & floribus exornare poſſe, & in alia grege profiteor, ipſe in numero ſit illorum, qui putant hæc omnia ui & artificio Rhetorũ contineri. Ergo ſi Papa ob id facinus excõmunicatum me edixit, quis erit eiectior ipſo, qui preter uerboſitatem nil habet in ſe uirtutis. Subdit & leſæ maieſtatis crimen reie-ctum. Credo eum pulicibus & muſcis has leges ediſſe, aut animalibus que de ta-bidis corporibus naſci ſolent, in occurſis aranearum telę, fragiles leges conſilij ex-torris æquauit, quas ſi culex, aut quod imbecillius animantiũ inciderit, euoluere ſe neſcit. Si quod autem ualidorum animantiũ incurrerit, penetrat atq; diſrumpit, neq; enim ſi cedulus aut coturnix contextum aptum eſt uincire uulturem uel aquilam. Irretiet ipſe reatiuos ſuos, & eos quos pro uili metu conſtrictos habet. Mecum erit, Deo dante, libertas Diogenis & Catonis. Nec ſaciatus eſt Papa con-uitijs uulgaribus, quando etiam hęreticum me audet nominare, ſiquidem hęre-ſim uoluit ſectã uel ſententiam nuncupare, ut Cicero noſter Cathonem recte ap pellat, hereticus ſum ego, qui aio concilium orbis Chriſtianę fore ſupra Papam. Hęreticus eſt Papa, qui contrariam ſectam uouet, uidete ꝙ nil grauius in eum di-co, qui tamen abiecta rerum & concilij moderatione, cuncta in me pro libitu ſcri bi iuſſit. Poſtremo nec adhuc ſaciatus Papa, conuitijs mandat, bona mea confi-ſcari, quæ utinam tanta eſſent, ꝙ rapacibus uiris hyatum ponere poſſent. Ergo inter bonos conuerſari uolo, qui uirtutes meas opibus ſuis foueant, & pluris faci ant ſuffragia mea, ꝙ locupletiam, quã ex mea ruina ſperare poſſent. Maiori etiã utentur conſilio, ꝙ Papa fretus eſt in procacitate ſua, pollicetur eis tandem Papa qui res meas inuaſerint, catholicorum hominum operas impendiſſe, maxime ridiculoſum eſt hoc uerbum, niſi ipſius Papæ ineptia iam antea uobis compro-bata eſſet, dum ipſe inceſtuoſos cõplexus, & uitia honeſtatis publice inita Man-tuæ, tam copioſe, quam loquaciter perſonauit. Expugnatis tunc araneorum te-lis, & infirmorum rhetium uinculis, nodiſq; diſſolutis, ad remedium moribus introductum, quo aduerſus ſuperioris truculentiam, & amariſſimas leges ſe tue-tur, innocentia ſtilum conuertere depropero. Et in primis conſtat plane ſemper & ubiq; ab inferiori ad ſuperiorem recte prouocare. Nemo enim tam obtuſi cor dis eſt, qui non in ſeipſo periculum fecit ã ſenſualitatis fragilitate, ad intellectua-lis potentiæ diſcurſum prouocando, ſed & qui morbo aut uicio animi tenetur, ut neſciat cernere uerum, ſi lapſus fuit in uitium. Is defecato tandem animo, ad ſe rediens, animi, ira, concilij, grauitate moderetur. Ideoq; laudata eſt illa muli-er, quæ à uinolento rege Philippo ad eundem ſobrium prouocauit. Sic ergo mi hi gradus primus ab irato Papa, qui me laceſſit ad eundem mitem factum ap-pellare, & ab oratore topyco ad eundẽ, ſi uentoſitate abducta, ſi muſis relegatis ad ſacras leges ſe conuerterit. Vbi diſcet neminem indamnatum rebus aut fama ſpoliare, nec quenquam inauditum condemnare. Deinde quia ſcriptum eſt Pa-pam omnes iudicare, ipſum autem à nemine iudicandum, quod & ego fateor, uerum quantum attinet ad ſedes ipſius, & Papalis poteſtatis plenitudinem, ſed non ita, ut ſub inimico & ſuſpecto iudice quiſquam cogat famam, aut res ſuas dẽ certare. Ad eundem itaq; prouoco, ſi ſe iuxta boni uiri arbitrium aſtrinxerit iudi-caturum, & is ſit appellationis meę gradus ſecundus. Si uero cauſam delegare malit, uirõ non ſuſpecto, rurſus ad eundem Papam, ſeu quem deleget, prouoco & appello, & hunc tertium appellationis meæ modum offero, meq; tali iudi-cio ſiſto. Et in ſumma Papali cognitione ea lege nunc me ſubmitto, ſi ſuſpitionis cauſa tollatur à medio, & hic quartus ordo omnem tollit tergiuerſationis no-tam, quam mihi inijcere poſſet Cuſani procacitas, cuius ductu hæc omnia di-riguntur. Quæ omnia, ſi Papa contempſerit, quid reſtat, niſi ad uniuerſalem Ec-leſiam prouocare, prout à ſenatu ad populũ Romanũ ſepe reperimus appellatũ. Nec obijciat mihi propter Eccleſiam non eſſe congregatam, quoniam id ipſum factionibus ſuis impeditur, & diſturbatur apud me nulla mora, culpa nuſq;, cum non per me, ſed per ipſum ſtet, quo minus fiat. Si quis enim mihi ius uocatum ui eximat, contumaciam remouet à citato, ſed omne uitium & crimen in ſe tranſ-

Leges Pij.

Libertas Heymæ burgi.

Cicero Cathonem hæreticum appellat.

Ab inferiori ad ſuperiorem recte appellatur.

A uinolento rege Philippo ad ſobrium appellare.

Appellationis gradus ſecundus.

Cuſani procacitas.

fertur. Papa metum intulit mihi, ipſe ſibi iuſtitiam indixit, qui ſe cõuitijs ſuis aduerſus me ſuſpectum reddit, qui ſe ſapientis arbitrio declinauit, de ſuſpitione experiri recuſat, nec iudicem ſuſpitione carentem, delegare dignatur, quiq; uniuerſale Concilium conciere negat. Hic ſi aduerſum me quicq; attentauerit, aduerſus ipſum prouoco gradatim atq; alternatim, ut præmiſi, & teſtimonium eius rei poſtulo, & de metu iuſto proteſtor coram uicinis. Quo ceſſante, proſequar, ſi opus erit, & oportunitas concedatur, prout iuris publici ratio poſcit, ſaluo iure addendi, omnibusq; remedijs, moribus, & lege introductis.

Aeneas Syluius. Anno Domini Mccccl viij. Deſijt Caliſtus Papa in humanis eſſe, & pius eius nominis ſecundus illi ſucceſſit. Aeneas Syluius antea nominatus, Senis ortus, picolominea nobili familia. Nullus unq; ad eiuſmodi dignitatis faſtigiũ exercitatiore uita peruenit, ut ad negotium & uirtutem, non ad otium natus dici poſſit, nullum ferè (citra armorum tractationem) publicum Chriſtianæ rei negotium, ſiue ſacrum, ſiue prophanum, iam inde à Baſilienſi Concilio incidit, cui non interfuerit, quum de eo ageretur, ut uetus Græcię prouerbium, tam illi conueniret, quam Aegei filio, cuius gratia eſt repertum, non ſine Theſeo. Per omnes honorum gradus, quos ſola uirtus peperit, ad pontificium decus eſt euectus. *Non ſine Theſeo.* Pontificatum adeptus, bellum ſuſtulit ex Vmbria, quod Iacobus Picininus nouarum rerum cupidus excitarat, pacis arbitrum ſe obtulit inter Ferdinandum regem, & Sigiſmundum Malateſtam. Cupiebat Pius Italiam quam pacatiſſimam habere, *Concilium Mantuę, contra Turcam.* ut hominibus Chriſtiani nominis, quibus publicum conuentũ Mantuæ indixerat, tutior ad id concilium fieret acceſſus. Ex omni Europa Principum & populorum legati mature adfuerunt. Eſtq; eo concilio actum de bello in Turcas comparando, exercuitq; diſertiſſimus Pontifex omnes ingenij uires, in tam pia, quam neceſſaria expeditione ſuadenda, ſed propoſitum non tenuit, Italorũ animis ad inteſtina bella magis quam externa inclinantibus. Nec Itali ſolum diſcordia laborare, ſed exteræ etiam gentes inteſtinis ſe bellis conficiebant. His Europa male laborante, res Chriſtiano nomini ſalutaris diſcuſſa eſt. Dictæ ſententię, qua id ratione geri poſſit, propoſitum periculum quod ceruicibus Chriſtianorũ ab illo hoſte immineret. Motę ſunt omnibus lachrymę, Pio dicente, cum eorum calamitates exponeret, qui à barbaris in captiuitatem quotidie abducerentur. Pontifice autem ex Mantuanis Romam redeunte, adeũt illum Oratores Hyberorũ, quos Georgianos uocamus, prẹſidium implorantes. Item Trapezuntij miſerunt legatum auxilium in Turcas orantem. Sed poſtea cõpertũ eſt Imp. Trapezuntinũ, uni ex Turcarum Principibus filiam ſuam deſpondiſſe, ibi certe inſtans metus, plus potuit, quam ſpes dubia & longinqua. Sab.

Anno Domini Mccccl xij. Fridericus Imp. obſeſſus fuit in arce Viennenſi à ciuibus, quibus auxilio frater, dux Albertus erat. Vnde coactus fuit Imp. à rege Bohemię Georgio auxilium petere. Boemus Fridericum liberauit, arte uſus, ut neq; periret, neq; uinceret.

Legatus Apoſtolicus miſſus, ut excitet contra Turcas. Annus erat Mccccl xiij. Cum in quadrageſima nuncius Apoſtolicus, Epiſcopus Cretenſis, in ciuitates Vuandalicas ueniret, ut exciret populũ in expeditionem, quam Papa Pius inſtituerat, belli ſocietate inita cum duce Burgundię Philippo, & Venetorum principatu in Turcam. Sed magno & inconſulto feruore publicantiũ, multi in caſſum inſtituere profectionem, ſiue cõmeatu, ſiue armis, cum ignoraret homo Italicus linguæ non gnarus, quid clamatores in populum tuliſſent. Ridiculum uulgus ex omni ordine concurrit. Stabant ad ędes ſacras, ſtipem publicam petentes, hoc cõmeatu grande iter, longinquam & diuturnam expeditionem inire uolentes, ſacrilegium ducebant, ſi quis uerbo interpoſito conaretur quenq; auertere. Ipſi ſibi ſomnia finxerunt, monitos ſe per uiſionem, crucem ſumere: alius in ueſtibus, alij etiam in cutem impreſſam crucem ſe reperiſſe, ſunt ementiti. Peruenere in urbem Romam, ſine numero multi. Miratur Papa colluuiem inermium pauperum, ridebat ſimplicitatẽ & inſcitiam, & ut urbem exoneret, permittit illis remiſſionem peccatorum. Philippum Burgundię iam feneſcentem, & laboris faſtidio recuſantem, fruſtra expectabat. Venientes peregrinos *Colluuies inermium contra Turcam.*

grinos armatos, inermesq́ iuſſit benedictione collata redire. Ipſe Papa biduo ante uidit in portu nauigantem ducem Venetorũ, & iam febre exanimatus, quieuit in pace, ab Ancona Romam reductus, à nepote Senenſi Cardinale tumulatus.

Papa Pius moritur.

Doctos magis dilexit, quam fauit uitio temporũ, ſummã dignitatẽ adeptus, quicquid otij dabatur à publica adminiſtratione, id totũ literis impendebat. Sępius inter ſuos teſtatus, id demum eſſe, unde uera uoluptas perciperetur, quapropter multo pluris libros faciebat, quã gẽmas aut unicornes. Candidus & diligẽs ſcrutator fuit ueteris & recentis hiſtorię. Sententias in Prouerbij modum ſcriptas reliquit, tales & ſimiles. Diuina natura, fide magis quã diſputatione cõprehendi poteſt. Chriſtiana fides, nõ qua probetur ratione, ſed à quo dicatur, uidendũ eſt. Neq́ poteſt auarus pecunia expleri, nec doctus rerum cognitione. Plebeis loco argenti eſſe debent literæ, nobilibus auri, gemmarũ principibus loco. Artifitioſa oratio, ſtultos flectit, non ſapientes. Litigatores, aiebat, auiculę ſunt, forum area, iudices retia, aucupes cauſarum patroni. Dignitatibus homines dandi, non dignitates hominibus. Graue Pontificis onus, ſed illi beatum, qui bene fert. Indoctus Epiſcopus, ſimilis aſino: corporã, malus medicus: imperitus ſacerdos, animas perimit. Sacerdotibus magna ratione ademptũ connubiũ, ſed maiore quadam reſtituendũ. Sed de Pio plura fortaſſis quã inſtituta breuitas patiatur. Sedit ſexennio, & ſancijt, ne quis à Pontifice Max. ad Concilium appellaret.

Sententiæ Pij ſecundi.

Matrimonium ſacerdotum.

Libet hic referre quæ de pace Eccleſię & Concilio ſcripſit, Aeneas Syluius ad Caſparem Schlick, Cancellariũ Imperialẽ. Epiſtola eſt liiij. Omnibus diſplicet ſchiſma, omnes abhorrẽt. Viam aũt ſopiendi hoc malũ Carolus rex Franciæ, & tutam & breuem oſtendit, ut fiat conuentus Principũ, uel eorũ Oratorũ in communi aliquo loco, ibiq́ una recipiatur concluſio per omnes. Ad hoc aũt pergendum opus eſſet rurſus ſcribere cunctis Regibus, Principibusq́, ut Oratores ſuos Argentoratũ uel Conſtantiã mitterent, pleno mandato ſuffultos, ad pacẽ Eccleſiæ pertractandã. Fienda eſſet rurſus expenſa, quæ anno pręterito facta eſt, uix trecentorũ aureorũ. Paulo plus Conſtantinus in cõgregatione Niceni Concilij expoſuit. Hæc uia non poſſet impediri, nec Papa uel Conciliũ reniti poſſent, tanq̃ hoc abſq́ ipſis fieri nequiret. Licet enim Principibus ſęcularibus cõuenire inuito clero, & tũ illic unio fieri poſſet, Nam ille Papa indubitatus eſſet, cui omnes Principes obedirent. Non uideo clericos, qui uelint pro iſta uel illa parte martyrium ferre. Omnes hãc fidẽ habemus, quam noſtri Principes, qui ſi colerent idola, & nos etiã coleremus, & non ſolũ Papã, ſed Chriſtũ etiã negaremus ſeculari poteſtate urgente, quia refriguit charitas, & omnis interijt fides. Vtcunq́ ſit, pacẽ deſyderaremus, quæ ſiue per aliud Concilium, uel per conuentũ Principum detur nihilipendo. Non enim de nomine, ſed de re contendendũ eſt. Voca panem, ſi placet lapidẽ, & da mihi dũ fameſco. Non uocat̃ Conciliũ, uocet̃ cõuẽtus, uocet̃ cõciliabulũ, cõgregatio, ſynagoga, nihil intereſt, dũ ſchiſma depellat. Hæc ille.

Nec Lectorem fugiat, quæ in dialogis Aenec
de geſtis Concilij Baſilienſis legimus.

Aeneas Syl. Rectori & Vniuerſitati, ſtudij Colonienſis S. D. Homini Chriſtiano, qui uere Chriſtianus uult dici, nullam rem magis cordi eſſe conuenit, quam ut fidei ſibi per maiores à Chriſto traditæ, puritatem ſeruari, ab omnibus immaculatam ſtudeat. Et quippe, ſi quando aduerſus Euangelicas traditiones aliquid aſtruitur, ſurgendum populariter eſt, & ad commune reſtringendum incendiũ, afferre aquam omnes tenemur. Nec timendũ eſt, ut inimici aut inuiſi fiamus, uerum dicentes. Reſiſtendum eſt quibuſcunq́ in faciem, ſiue Paulus, ſiue Petrus ſit, qui ad ueritatem non ambulat Euangelij. Quam rem feciſſe per hos dies, Vniuerſitatem ueſtram gaudio in hoc ſacro Baſilienſi Concilio, gaudemus omnes. Allatus namq́ ad nos eſt tractatulus quidam ueſter, quo imperitam, uel uerius dicam, temeritatem illorum arguitis, qui & ſubiectum generali concilio Romanum Pont. & ſupremi iuditij tribunal in Eccleſia eſſe diffitentur, quos ſic uiuacibus rationibus, & ſcripturarũ ueritate pręmitis & retunditis, ut nec tanq̃ lubrici angues ſe euoluere, nec in aliquo cauillari, aut ſibillare queant.

BREVIS

BREVIS DE VITA AENEAE SYLVII commemoratio.

SENA urbs Hetruriæ eſt. In qua Aeneas Syluius ortus, ingenue educatus, bonas literas gnauiter amplexus eſt, in quibus ſtrennue atq; fœliciter ſe geſſit, ut Delphicam lauream hiſce meruerit. Hinc ob eruditionem, uitęq; integritatem in patriæ ſuæ Senæ Epiſcopum electus eſt. Inde Romanus Pontifex eum Cardinalitio galero donauit. Poſtremo in ſedem Apoſtolicā exaltatus eſt, ac Pius Papa ſecundus appellatus. Vixit poſt ortum ſeruatoris circiter annum Mcccclvij.

EPISTOLA DIVI HVLDERICHI AVGVSTENſis Epiſcopi, aduerſus conſtitutionem de cleri cœlibatu, plane referens Apoſtolicum ſpiritum.

Quam (cum Aeneas Syluius tituli S. Sabinę, Presbyter, Cardinalis, ac Senenſis Epiſcopus, in ſua Germania cum Auguſtę Vindelicæ mentionem facit, inceſſit) libuit hic ſubijcere, iudicium eſto apud lectorem, ueri & publicæ utilitatis amantem. Tranſimus inquit Campidonā, & Memmingam illuſtria oppida, Auguſtam Vindelicam, S. Vdalricus huic præſidet, qui Papam arguit de concubinis, ad Licum fluuium iacentē, qui uixit anno nongenteſimo, ætatis ſuę lxxxiij.

HAEC eſt reſcriptio S. Hulderici Epiſcopi, in qua Nicolao Papæ, de cōtinentia clericorum non iuſte, ſed impie, non Canonice, ſed indiſcrete tractanti, ita reſpondit. Nicolao domino & patri peruigili, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ prouiſori, Huldericus ſolo nomine Epiſcopus, amorem ut filius, timorem ut ſeruus. Cum tua ò pater & domine decreta ſuper clericorum continentiam nuper mihi tranſmiſſa, à diſcretione inuenirem aliena. Timor quidam turbauit me cum triſtitia, timor quidem propter hoc quod dicitur paſtoris ſententia, ſiue iuſta, ſiue iniuſta timenda eſſe. Timebam enim infirmis ſcripturæ auditoribus, qui uel iuſtæ uix obediunt ſententiæ, ut iniuſtam conculcantes libere onerosa, immo importabili paſtoris pręuaricatione pręcepti ſe obligarent. Triſtitia uero uel compaſſio dum dubitabam, qua ratione membra cauere poſſent capite ſuo tam graui morbo laborante. Quid enim grauius, quid totius Eccleſię cōpaſſione dignius, quam te ſummę ſedis Pontificem, ad quem totius Eccleſiæ ſpectat examen à ſancta diſcretione, uel nimium exorbitare? Non parum quippe ab hac deuiaſti, cum clericos, quos ad continentiam coniugij monere debebas, ad hanc imperioſa quadam uiolentia cogi uolebas. Nunquid enim merito communi omnium ſapientum iuditio, hæc eſt uiolentia, cum contra Euangelicam inſtitutionem, ac ſancti ſpiritus dictationem, ad priuata aliquis decreta cogitur exequenda? Cum ergo plurima ueteris ac noui Teſtamenti ſuppetant exempla ſanctam, ut noſti,

Arguit uiolentiæ Nicolaum Huldericus.

diſcretionem docentia, tuæ rogo, ne graue ſit paternitati, uel pauca ex pluribus huic paginę interſeri. Dominus quidem in ueteri lege ſacerdoti coniugium conſtituit, quod illi poſtmodum interdixiſſe non legitur. Sed in Euāgelio loquitur, Sunt Eunuchi, qui ſe caſtrauerūt propter regnum cœlorum, ſed non omnes hoc uerbum capiunt, qui poteſt capere capiat. Quapropter Apoſtolus ait: De uirgini-

Deus ſacerdoti coniugium conſtituit.

bus pręceptum domini non habeo, conſilium autem do, quod etiam iuxta prędictum domini, non omnes hoc conſilium capere poſſe conſyderas, ſed multos eiuſdem conſilij aſſentatores, hominibus, non Deo, pro falſa ſpecie continentiæ placere uolentes, grauiora uides cōmittere, patrum ſcilicet uxores ſubagitare, maſculorum ac pecudum amplexus non abhorrere, ne morbi huius aſperſione adusq; peſtilentiam conualeſcente, nimirum ſtatus labefactetur Eccleſię totius, propter fornicationem dixit. Vnuſquiſq; ſuam uxorem habeat, quod ſpecialiter ad laicos pertinere idem mentiuntur hypocritæ, qui licet in quouis ſanctiſſimo ordine conſtituti, alienis reuera uxoribus non dubitant abuti. Et quod flendo cer-

Mala ex introdicto matrimonio.

nimus, omnes in ſupradictis ſęuiunt ſceleribus. Hi nimirum nō recte ſcripturam intellexerunt, cuius mamillam, quia durius preſſere, ſanguinē pro lacte biberūt. Nam illud Apoſtolicum: Vnuſquiſq; ſuam habeat uxorem, nullum excipit, uere

niſi profeſſorem continentiæ, uel eum qui de continuanda in domino uirginitate præfixit. Quod nihilominus tuam, pater uenerande, condecet ſtrenuitatem, ut omnem, qui tibi manu uel ore uotum faciens continentiæ, poſtea uoluerit apoſtatare, aut ad uotum exequendum ex debito conſtringas, aut ab omni ordine canonica authoritate deponas, & hoc ut uiriliter implere ſufficias, me oésq; mei ordinis uiros adiutores habebis non pigros. Verum ut huius uoti neſcios omnino ſcias nõ eſſe cogendos: audi apoſtolum dicentem ad Timoth. Oportet, inquam, Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris uirum: quam ne quis ſententiam ad ſolam eccleſiam uerteret, ſubiunxit, Qui autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Similiter, inquit, diaconi ſint unius uxoris uiri, qui filijs ſuis bene præſint, & ſuis domibus. Hanc autem uxorem à ſacerdote benedicendam eſſe, ſancti Syluestri papę decretis ſcio te ſufficienter docuiſſe. His & huiuſmodi ſanctis ſcripturæ ſententijs regulæ clericorum ſcriptor non immerito concordans, ait, Clericus ſit pudicus, aut certe unius matrimonij uinculo fœderatus. Ex quibus omnibus ueraciter colligit, quod epiſcopus & diaconus reprehenſibiles notãtur, ſi in mulieribus multis diuiduntur: ſi uero unam ſub obtentu religionis abijciunt, utrunq;, ſcilicet epiſcopũ & diaconum, ſine graduum differentia, hic canonica damnat ſententia. Epiſcopus aut præſbiter uxorem propriam nequaquam ſub obtentu religionis abijciat, ſi uero reiecerit excommunicetur: & ſi perſeuerauerit deijciatur. Sanctus quoq; Auguſtinus, ſanctæ diſcretionis non inſcius, nullum, inquit, tam graue facinus eſt, quin admittendum ſit, ut deuitetur peius. Legimus præterea in ſecundo tripartitæ eccleſiaſticæ libro hiſtoriæ, quod cum ſynodus Nicena hæc eadem uellet ſancire decreta, ut, uidelicet, epiſcopi, præsbiteri, diaconi, poſt conſecrationem à proprijs uxoribus, uel omnino abſtinerent, uel gradum deponerent, ſurgens in medio Paphnutius, ex illis martyribus, quos Maximus imperator, oculis eorum dextris euulſis, & ſiniſtris ſuris inciſis, damnauit, contradixit: honorabiles conſeſſus nuptias, ac caſtitatem eſſe dicens concubitum cum propria uxore: perſuaſitq; concilio ne talem ponerent legem, grauem afferens eſſe cauſam, quæ aut ipſis, aut eorum coniugibus occaſio fornicationis exiſteret. Et hæc quidem Paphnutius, licet nuptiarum expers, expoſuit, ſynodusq; eius ſententiam laudauit & nihil ex hac parte ſanciuit, ſed hoc in uniuſcuiuſq; uoluntate, non in neceſſitate, dimiſit. Sunt uero aliqui qui ſanctum Gregorium ſuæ ſectæ ſumunt adiutorium, quorum quidem temeritatem rideo, ignorantiam doleo: ignorant enim quod periculoſum huius hæreſis decretum à ſancto Gregorio factum, condigno pœnitentiæ fructu, poſtmodum ab eodem ſit purgatum. Quippe cum die quadam in uiuarium ſuum propter piſces miſiſſet, & allata inde pluſquam ſex millia infantum capita uideret, intima mox ductus pœnitentia, ingemuit, & factum à ſe de abſtinentia decretũ, tantæ cædis cauſam confeſſus, condigno illud, ut dixi, pœnitẽtię fructu purgauit: ſuoq; decreto prorſus damnato, apoſtolicũ illud laudauit conſilium, Melius eſt nubere q̃ uri: addens ex ſua parte, Melius eſt nubere quam mortis occaſionem præbere. Hunc forſitan rei euentum, ſi illi mecum legiſſent, nõ tam temere, credo, iudicarent, dñicum ſaltẽ timẽtes preceptũ: Nolite iudicare, ut non iudicemini. Inde Paulus dicit, Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? ſuo dño ſtat aut cadit, ſtabit autem, potens eſt dominus ſtatuere illum. Ceſſet ergo ſanctitas tua cogere, quos tantum deberet admonere, ne priuato, quod abſit, præcepto, tam uetrei q̃ nouo contrarius inueniaris teſtamento. Nam, ut ait ſanctus Auguſtinus ad donatum, ſolum eſt quod in tua iuſtitia pertimeſcimus, ne non pro lenitatis Chriſtianæ conſideratione, ſed pro immanitate facinorũ cenſeas coercendũ: quod te per ipſum Chriſtum ne facias obſecramus: ſic enim peccata compeſcenda ſunt, ut ſuperſint quos peccaſſe pœniteat. Illud & Auguſtini uolumus te recordari, quod ait, Nihil nocendi fiat cupiditate, omnia conſulendi charitate, & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Item de eodem in timore Chriſti, in nomine Chriſti exhortor, quicũq; non habetis temporalia, habere non cupiatis: quicunq; habetis, in eis non præſumatis: dico au-

Epiſcopus unius uxoris uir.

Paphnutij zelus pro matrimonio.

Caſtitas eſt concubitus cum propria uxore.

Sex millia infantium capita in uiuario inuenta.

Peccata cohérceantur ut ſuperſint quos peccaſſe pœniteat.

tem non ſi iſta habetis damnamini, ſed ſi in iſtis præſumatis damnamini: ſi propter talia magni uobis uideamini, ſi generis humani conditionem communem propter excellentem unitatem obliuiſcamini. Quod nimirum poculum diſcretionis ex illo fonte apoſtolicæ hauſeritis prædicationis, Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem, alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem: ubi & ſubditur, Qui habent uxores tanquam non habentes, & qui utuntur modo tanquam non utantur. Item dicit de uidua, cui uult nubat tantum in domino. Nubere autem in Domino eſt, nihil in contrahendo connubio quod Dominus prohibeat attentare. Hieremias quoq; ait: Nolite confidere in uerbis mendacij, dicentes: Templum Dñi, templum Domini, templum Dñi eſt. Quod Hieronymus exponens: Poteſt, inquit, & hoc illis uirginibus conuenire, quæ iactant pudicitiam ſuam impudenti uultu, præferunt caſtitatem, cum aliud habeat conſcientia, & neſciunt illam Apoſtoli definitionem de uirgine, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quid prodeſt corporis pudicitia animo conſtuprato, ſi cęteras uirtutes, quas propheticus ſermo deſcribit, non habuerit? Quas quidem, quia te aliquatenus habere uidemus, & quia diſcretionem, licet in hac re neglectam, in alijs tamen uitę tuæ conſtitutionibus eam honeſte conſeruatam non ignoramus. Huius intentionis prauitatem cito correctutum non deſperamus, & ideo non quanta poſſumus grauitate, iſtam licet grauiſſimam negligentiam corripimus & iudicamus, quanquam enim ſecundum uocabula, quæ uſus obtinuit, ſit epiſcopatus pręsbyterio maior, tamen Auguſtinus Hieronymo minor eſt, & à minori quolibet non eſt refugienda uel dedignanda correptio, pręſertim cum is qui corripitur, & contra ueritatem, & pro hominibus niti inuenitur. Neq; enim, ut ait ſanctus Auguſtinus ad Bonifacium, quorumlibet diſputationes, quamuis catholicorum & laudatorum uirorum, uelut ſcripturas Canonicas habere debemus, ut nō liceat ſalua honorificentia, quæ illis debetur, aliquid in eorum ſcriptis improbare atq; reſpuere, ſi forte inuenerimus quod aliter ſenſerint, quàm ueritas habeat, diuino adiutorio uel ab alijs intellecta, uel à nobis. Quid autē ueritati magis contrarium poteſt inueniri, quàm hoc, cum ipſa ueritas de continentia loquens, non unius hominis, ſed omnium planè, excepto numero, profeſſorum cōtinentiæ dicat: Qui poteſt capere, capiat. quod iſti unde neſcitur inſtigati dicant: Qui non poteſt capere, feriatur anathemate. Quid uero per homines fieri poteſt ſtolidius? quid diuinæ maledictioni obligatius, quàm cū aliqui uel epiſcopi uidelicet uel archidiaconi ita præcipites ſint in libidinem, ut neq; adulteria, neq; incœſtus, neq; maſculorum proh pudor turpiſſimos amplexus ſciant abhorrere, quod caſta clericorum coniugia ſibi dicant fetere, & ab eis non ueræ iuſtitiæ compaſſione clericos ut conſeruos cogant uel moneant continere, ſed ut ſeruos iubeant ac cogant abſtinere. Ad cuius imperij, ne dicam cōſilij, tam fatuam, tamq; turpem addunt ſuggeſtionem, ut dicant honeſtius eſt, pluribus occulte implicari, quàm aperte in hominum uultu & conſcientia cum una ligari. Quod profecto non dicerent, ſi ex illo, & in illo eſſent, qui dicit: Vę uobis Pharisęis, qui omnia facitis propter homines. Et per Pſalmiſtam: Quia hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Dominus ſpreuit eos. Hi ſunt homines, qui prius deberent nobis perſuadere, ut in cōſpectu eius, cui omnia nuda & aperta ſunt, erubeſcamus peccatores eſſe, quàm in conſpectu hominū mundi eſſe. Licet ergo merito ſuę prauitatis nullius conſilium mereantur pietatis, nos tñ memores humanitatis diuinę eis conſiliū autoritatis nunquàm à pietate uacantis, per uiſcera miniſtramus charitatis. Dicimus nempe: Eijce primū hypocrita trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies ut eijcias feſtucam de oculo fratris tui. Illud quoq; rogamus eos attendere, quod Dominus dicit de meretrice: Qui ſine peccato eſt ueſtrū, primus in eam lapidē mittat. quaſi diceret: Si lex iubet, ſi Moyſes iubet, iubeo & ego, ſed cōpetentes legis miniſtros exigo. Attenditis quid additis, attendite quęſo & quid eſtis: quia ſi teipſum, ut ait ſcriptura, perſpexeris, nulli unquàm detraxeris. Significatum eſt nobis etiam de quibuſdā eorū, qui tanta apud ſe intumeſcant elatione, ut gregem Dñi, pro quo boni paſtores animas nō dubitant miniſtrare, iſti uerberibus abſq; ratione præſumant lania

Nubere in Domino.

Corporis pudicitia quando prodeſt.

Qui poteſt capere, capiat.

In eos, quibus fetent ſacerdotum coniugia.

Qui gregem Domini uerberibus laniant.

mant lania

mant laniare, quorum ſententiam S. Greg. deplorans ait: Quid fiet de ouibus, qñ paſtores lupi fiunt? ſed quis uincitur, niſi qui ſæuit? quis uero perſecutorẽ iudicabit, niſi qui dorſum ſuũ ad flagella patienter miniſtrauit? Operæpretium eſt aũt ut audiatur, quo fructu tantũ eccleſia Dei ſcandalum, tantũ clerus deſpectum & ab ipſis epiſcopis, & ab eorũ infidelibus patiatur. Nec enim eos infideles dicere dubitauerim, de quibus Paulus Apoſtolus dicit ad Timot. Quia in nouiſſimis tẽporibus diſcedent quidã à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorũ in hypocriſi loquentium mendaciũ, & cauteriatam habentiũ conſcientiam, prohibentiũ nubere. Hic eſt aũt, ſi diligenter inſpiciatur, totius eorũ manipulus zizaniæ, totius conuentus inſaniæ, ut dum clerici licita unius mulieris conſortia phariſaico deuicti, quid abſit, furore relinquere coguntur fornicatores & adulteri, & aliarũ prauitatũ turpiſſimi miniſtri, cũ ipſis efficiantur. Qui hàc in eccleſia Dei hęreſim ſicut cæci duces cęcorũ machinantur, ut uidelicet illud impleatur, quod Pſalm. eis, utpote eorũ præſcius erroris, taliter imprecatur: Obſcurẽtur oculi eorũ ne uideant, & dorſum eorũ ſemper incurua. quia ergo, nemo qui te, ò Apoſtolice, nouit, ignorat, quod ſi tu per tui decreti ſententiam, tantã futuram eſſe peſtilentiã ſolidę diſcretionis claritate perſpexiſſes, nunq̃ quorumlibet tam prauis ſuggeſtionibus conſenſiſſes. Debitę tibi ſubiectionis fidelitate cõſulimus, ut uel nunc ad tanti ſcandali ab eccleſia Dei propulſionem euigiles, & qua noſti diſcretionis diſciplina, phariſaicam ab ouili Dei extirpes doctrinam, ne ſcilicet unica Domini ſunamitis adulterinis diutius uſa maritis, gentem ſanctam, regale ſacerdotium, per irrecuperabile à ſuo ſponſo Chriſto uidelicet auellat diuortium, dum nemo ſine caſtimonia non tantũ in uirginali flore, ſed etiam in coniugali habita coniunctione, uiſurus ſit Dominum noſtrum: Qui cum Deo patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Sine caſtimonia nemo uidebit Deum.

Inuenta eſt hęc Epiſtola in quadam bibliotheca oppidi Veteris aquę, Germanice Aldwatter/in Hollandia, inferioris Germaniæ prouincia.

Hoc tempore florent Beſſarion & Cuſanus cardinales, Ludouicus Pontanus, Paulus Caſtrenſis, Antonius Roſellus Legiſtæ, Cermiſonus Sauonarola, Barzizius Medici, Peurbachius, Blanchinus, Aſtronomi, Argyropolus Philoſophus, & Perotus.

DE DISSIDIO DIETHERI DE ISENBERG, ET Adolphi de Naſſauu, Archiepiſcoporum Mogont.

PEr idem tempus, cum eccleſia Mogontina inſigni clade duos haberet pontifices electos in diſcordia, Pius Papa qui noſſet opes eccleſiæ dudũ in Germania uerſatus, annatam extorſit acerbius. Sed Dietherus de Iſenberg, qui potior in iure uidebatur, dum ut ferunt, annatam pro arbitrio Papæ non ſoluere, & de non ſollicitando pro Concilio ſacramentum præſtare recuſaret, confirmationem iam datam Papa retraxit, & æmulo ſuo cõtulit Adolpho de Naſſauu. Nihil actum uidebatur Apoſtolica confirmatione, quã uterq; tenebat, niſi arma ueniſſent in medium. Palatinus Fridericus tutabatur Dietherum, quare Imperator contra eum Vuirtenbergenſem ducem, Marchionem Badenſem, & Epiſcopum Metenſem commouet. Ii inuadunt ditionem Palatini, & capiuntur, duobus nobiliſſimis comitibus, uno de Helffenſteyn, altero de Salm, in prima acie occiſis, cũ triumpho ducti ſunt in arcem Heidelbergenſem, ibiq; ad annũ prope ſeruati, donec tandem legibus, quas uictor uoluit acceptis, dimiſſi ſunt. Vdalrichus Vuirtenbergenſis pro ſua liberatione centum millia florenorum dedit. Nauclerus. Propter horum trium principũ captiuitatẽ, Aeneas Syluius Papa conatur ducem Burgundię Carolum, Philippi regis filium, inſtigare contra Palatinum Rheni, Dietherum de Iſenberg, & comitem de Katzencelbogen. Vide Epiſt. cccxcvi. Dietherus urbẽ & arces habebat potiores. Concurrerunt aliquando armis in acie uicta pars Dietheri ceſſit. Deinde oppugnata ciuitate, captaq; armis auxilio comitis Palatini de Rheno. Dietherus cum nihil

Diſſidium epiſcoporum Mogont. Diethe ri de Iſenberg, & Adolphi de Naſſauu.

Anno 1462. Mogontia ſerua fit ex aurea & libera ciuitate.

hoſtili molitione perſentiret, penè in ipſa quietis ſuæ ſede interceptus eſt, calentē
adhuc lectulo unde dilabebatur.. Sęuitum eſt in maiores urbis, qui partē tutati
ſunt Dietheri. In miſeram ſeruitutē urbs pridē libera redigitur. Archiepiſcopus
cum clero dominatur. Rebus tamen inter ęmulos compoſitis, Dietherus depu-
tatas ſibi accepit arces cū prouentibus certus, ſi ad eum diem peruenerit, de Adol
phi ſucceſſione, idq́ꝫ poſt ſextum annum euenit. Tum enim Dietherus mortuo
Adolpho redditur eccleſię, ſed in quam ſeruitutem ciuitas propter eum uenerat,
in ea reliquit. Arcem quoqꝫ ad Rheni fluenta iuxta ciuitatem extruit, quæ pro fre
no ſit ciuitati, nequando reſurgat in priſtinas uires. Publicum inibi erexit litera-
rum palladium. Stipendia & præbendas deputat doctoribus & magiſtris, in eo
deſudantibus operæ literariæ.

EX ENARRATIONE FACTI DEPOSITIONIS domini Dietheri de Iſenburg, anno M.cccclxxxix. per Notarium quendam conſcripta, hæc deſumpta ſunt.

Iniqua petit Rom. Pont.

PApa Pius ob has cauſas potiſſimū aduerſabatur Diethero, propter quas
etiam priuauit.

I. Quia non conſentiret Dietherus in impoſitione Decimæ, Vigeſi-
mæ, aut Triceſimæ.

II. Quia Dietherus noluit ſe aſtringere Pontifici Romano, petēti, ne Diethe-
rus unqꝫ principes Electores conuocaret, abſqꝫ eius (hoc eſt Ro. Pont.) licentia.

III. Quia Dietherus noluit legatis pontificijs permittere, ut eorum libito con
uocarent clerum. Pius confirmare Dietherum detrectat, niſi ipſe Romam ueni
ret. Mogontinus uocationem ſuam ad Romam egrefert, infirmitatem excuſat.
Vt ipſe Dietherus Romā ueniat.
In comitijs Vuiennæ, & poſthac Bombergæ Oratores Dietheri grauiter in lega-
tos pontificios inuehunt. Excommunicatur Dietherus per auditorem Cameræ,
Coloniæq́ꝫ publicatur. Hinc Mogontinus exarſit in ira, & de uindicta ſuſcipien-
da cogitat ui. Gregorium Heymburg doctorē accerſiuit in Conſiliarium ad co-
Gregorius Heymburg.
mitia Norinbergenſia. Scribit Dietherus ad principes Germaniæ contra Papam
& ſedem Apoſtolicam, ſatagens ut exoneretur natio Germanica ab oneribus cu
riæ Romanæ, cōtra decreta Conciliorum Conſtant. & Baſilieñ. Solutio Anna
Onera Germaniæ.
tarū propter exceſſiuā taxā articulorū unus erat. Inſtituitur appellatio à Papa ad
generale Conciliū. Fridericus comes Palatinus Reni, dux Bauarię, & Fridericus
Marchio Brandenburgenſis, & alij principes adhęrēt appellationi. Summa quę
danda fuerat per Dietherum, erat xx. millia, ſexingenti & iiij. floreni. Scribuntur
Epiſtolæ Electorum acres ad Papam.
duę epiſtolę à duobus Electoribus, Palatino & Brandenburgenſi, ad Papā, acres
& pungentes, complectentes hos ſex Articulos. Primus, De tollenda Decima.
II. De reuocanda cōſtitutione Mantuana. III. De auferendis annatis ſecundum
decreta Cōcilij Baſilieñ. IIII. De cōgregando cōcilio. V. De grauamine illato
ſingulariter electo Mogontino, & adhęrēdo appellationi ſuæ. VI. De accipien-
do in hijs remedio, dato quod Papa non uellet hæc facere ut incepta ſunt.

Reſpōdetur à Pontificijs oratoribus ad omnia, afferūtur argumēta, ne ad futu
rum Conciliū appelletur: defenduntur Annatę, excuſatur Simonia, pragmatica
ſanctio confellitur, habēt oratores pontificij colloquiū ſecretū cū Diethero, pro-
ponitur Mogontinū nō poſſe inferre bellū Papę Romę, ſed uiciſſim. Capita ap-
Minæ Romanorum.
pellationis faciunt libellum famoſum. Minantur Oratores de alio pręfiniendo,
Mogontinā eccleſiā Archicathedralem, facere Suffraganealem. Duci uult Papa,
non cogi. Cardinalis de Cuſa ſcribit ad fratrē Mogontini Iohannē de Iſenberg,
hortans, ut moneret fratrē ſuū, ut humiliaret ſe, & peteret ueniā à Papa. Has lite-
ras Dietherus à fratre in Hœſt accipit. Intererea & Papa Pius duobus Electori
bus, Palatino & Brandenburgenſi ſcribit, ſe excuſans, quod taxam non auxerit.
Vera in Papā dicere, peccatum eſt.
Scribit dilectis filijs Decano & Capitulo Mogontino, conqueritur de Diethero,
qui uellet ſedem Apoſtolicam humiliare, & Imperialem euehere: & quod uera
etiam in Papam dicere, eſſet contra iuramentum Epiſcoporum.

Poſthæc

Poſthæc aggrauatur Dietherus per auditorẽ Cameræ, huius admonetur Dietherus per Archiepiſcopos Colonienſem & Treuerẽſem. Interea Oratores Pontificij, & legati Alberti Marchionis Brandenburgenſis ſerio agũt pro pace. Exemplum Tridentini adducitur, qui cum obnoxius eſſet Eccleſiæ à tempore Calixti Papæ in xxi. millibus ducatorum, petiuit gratiam humiliter ab electo Pio, & dimiſit illi totum debitum. Decanus Vuormatienſis præuidens mala futura nobili patriæ, clamans & appellans, importune uadit ad Dietherum, & obtinet, quod coram uno notario, & duobus teſtibus Dietherus appellationi renunciat. His peractis, Oratores Papæ mittunt Romam duos nuncios. Res inter Cardinales ultro citroque agitatur, ponderabant multum malum exemplum, quod ſi ita dimitterent, autoritas Apoſtolicæ ſedis prorſus peſſum daretur. Ergo ſecunda uice concluſum eſt, ut priuaretur Dietherus & prouideretur alteri.

Exem. Tride.

Dietherus priuatur.

Voluiſſet quidem Papa, quod Capitulum elegiſſet, uerum propter ſcandalum ui tandum obmiſſum eſt, quare Papa dominum Adolphum proprio motu elegit propter nobilitatem generis, propter doctrinam. Et quia dilectus Imperatori, & quia dilectus etiam à ſubditis Eccleſiæ Mogont. & à maiori parte capituli, & quia cum ipſo Diethero coelectus fuerat, & quia multos habebat conſanguineos, & amicos, quorum fretus auxilio poſſet poſſeſſionem Eccleſiæ uendicare. Poſthac Dietherus, & complices excõmunicantur, & execrantur, & inhibetur, ne quis eis panem, uinum, carnes, equos, currus, baliſtas, lanceas, & id genus adferat. Argentorati & Spiræ ualuis Eccleſiarũ affigi præceperat Pius. Executores conſtituerat Archiepiſcopum Colonienſem, & Argentoratenſem, & Decanos Treuerenſem, & Argentoratenſem.

Adolphus de Naſſauu eligitur.

Dietherus & cõplices excõmunicantur.

Hæc facta ſunt Anno Domini Mccccl xi. Viciſſim à Diethero & ſuis; hoc eſt, Friderico Palatino, & Philippo Comite in Katzenellẽbogen, interdicitur omnibus Papiſticis literis & proceſſibus, ſub pœna capitis. Et cui conſtiterit de nuntijs talibus, ut capiantur, & præfectis Principum præſententur. Interea ſcribit Pius oppidis Reingauiæ, ut Adolphum de Naſſauu Eccleſiæ Mogontinæ, Archiepiſcopum & Paſtorem habeant. Et anno Domini Mcccclxij. implorat à duce Burgundione auxilia contra Dietherum, ut ex ſequentibus literis apparet.

COPIA LITERARVM PII, SECVNDI RO. PONT. ad ducem Burgundiæ, contra Dietherum de Iſenberg.

DILECTE fili Salutem. Credimus nobilitati tuæ abunde cognitũ eſſe Dietherum de Iſenberg, ob eius obſtinatã duritiem & cõtumaciã, aliaque grauia ipſius demerita Mogontina Eccleſia depoſitum, & priuatum à nobis extitiſſe, & dilectum filium Adolphum de Naſſauu, ad eandem Eccleſiã fuiſſe promotum. Credebam Dietherum iuſtæ ſententiæ noſtræ acquieturum. Verum ipſe in reprobum ſenſum penitus conuerſus, & Dei ac noſtro & ſedis Apoſtolicæ honore contempto, ad arma deuenit, & ad ruinam deſolationemque nobiliſſimæ illius Eccleſiæ anhelans, adiuncto ſecum & accito Friderico, comite Palatino Rheni, omniũ conatu nixus eſt, & nititur facere, quæ poteſt ad deſtructionem Eccleſiæ prædictæ. Et licet Adolphus cum ſuis fautoribus hactenus magno animo reſtiterit malitiæ Dietheri & complicum, resque ad bonum & fœlicem exitum directa uideatur. Tamen ex inſperato accidit noua calamitas, quæ non parum rationes noſtras conturbauit. Nam ut te iam intellexiſſe opinamur, capti ſunt in bello Epiſcopus Metenſis, Marchio Badenſis, & comes de Vuirtenberg. Propter quod credibile eſt partes Adolphi, & eius fautores non parum eſſe conſternatos, & opus eſt, ut eis celeriter ſuccurratur. Nos itaque, quibus hæc res, ſupra quã dici poteſt, pro noſtro & dictæ ſedis honore, cordi eſt, cum animum in multas partes uerteremus, tua nobilitas potiſſimũ occurrit; quæ ſua potẽtia laſſis rebus facile ſuccurrere poſſit. Proinde hortamur eandem, & per Chriſti charitatem requirimus, ut quam celeriter, prout rei neceſſitas poſtulat, uelit potenti manu ſua auxilia oportuna prædicto Adolpho ferre. Conſideret excellẽtia tua in hoc agi de honore Dei, & ſanctæ ſedis

Capti tres Principes.

Inter epiſtolas Siluij eſt 395. epiſt. in qua ſcribit: Nos ſimul [illegible] ipſo imperatore [illegible] muni nomine nob[illegible] tati tuæ, aut [illegible]leč [illegible] fi lio Carolo, [illegible], cōtra P[illegible]ti[illegible] therum de Iſ[illegible]g, & Comitē de Katzē belleboge, et illis adherentes & ſequaces Capitaneatum committimus.

ctæ ſedis matris tuæ, quæ audacia & ſcelere Diet heri non leuiter uiolata eſt. Nos autem cum ſemper de tua nobilitate opinionem catholici Principis geſſerimus, omniaq; magna de tua potentia nobis metipſis polliciti fuerimus, perſuademus nobis, nihil unq̃ à tua excellentia gratius & acceptius nobis fieri poſſe, quã ſi celerrime Adolpho auxilium tuleris, & tale auxilium, ut Eccleſia Mogontina, quæ illi Canonice à nobis commiſſa eſt, à ſæuitia & uiolentia Dietheri dicti comitis liberetur. Hoc erit opus dignum tanto Principe, acceptiſſimum Deo & nobis, & ex quo immortalis gloria excellentiã tuam ſit ſequutura. Datum in Abbatia ſancti Saluatoris Cluſeñ. dioceſis xxviij. Iulij. Pontificatus noſtri anno quarto.

PIVS SECVNDVS DILECTO FILIO FRANCISCO Decano Tolletano Subdiacono, nuncio, ac Oratori noſtro.

DILECTE fili Salutem. Ex literis dilecti Petri Franci, Collegę tui datis ex confluentia ſexta die pręſentis menſis, accepimus de pręlio cõmiſſo cum comite Palatino, & de captiuitate Epiſcopi Metenſis, Marchionis Badenſis, & Comitis de Vuirtenberg, quod nobis certe diſplicentiam attulit, nam per ea quæ apparebant, confidebamus eos Eccleſiæ Mogontinæ cito fœlicem exitum habituros. Sed propter hoc non eſt ſpes abijcienda, maximeq; confidendum eſt in potenti manu Dei, quæ nunq̃ iuſtitiam ſuccumbere permittit. Vt autem cito ſuccurratur, uolumus ut cõmunicato conſilio cum dicto collega tuo, tu aut ipſe, prout, melius inter uos conuenietis, propere ſe conferant ad dilectũ filium nobilem uirum Philippũ ducem Burgundiæ, eumq; omnibus rationibus & ſuaſionibus inducere conemini, ut in hac re conſilium prębeat, & quam celeriter pro noſtro & Apoſtolicæ ſedis honore auxiliũ & opem Adolpho prębere uelit, nam nulla in re poſſit nobis complacere, prout nos etiam efficaciter ad eum ſcribimus. Vtimini igitur in hac re omni ſtudio & celeritate, pro ut rei importantiam poſtulare cognoſcitis. Datum in Abbatia ſancti Saluatoris Cluſenſis dioceſis, ſub annulo piſcatoris, die xxviij. Iuli. Mccccl xij. Pontificatus noſtri anno quarto.

Sub Diethero de Iſenburg, effectum fuit per Iureconſultos & Curiæ Romanæ fautores, ut Iohannes de Vueſalia probatiſſimæ uitæ Theologus, Concionator Vuormatienſis examinaretur. Quoniam de mandatis Apoſtolicis, de ieiunio, de indulgentijs, ut uidebatur minus iuſte ſentiret. Paradoxa hæc ferebãtur à quibuſdam Thomiſtis, ex illius concionantis ore fuiſſe excepta, mox damnata per M. N. hereticæ prauitatis inquiſitores. M. N. Gerhardum Elten de Colonia, & M. N. Iacobum Sprenger. Anno Domini Mcccclxxix. Mogontiæ.

PARADOXA D. IOANNIS DE VVESALIA SACRArum literarum Doctoris, ac concionatoris Vuormatienſis, quæ feruntur à quibuſdam Thomiſtis, ex illius concionãtis ore fuiſſe excepta, mox damnata per Magiſtros noſtros, Gerhardum Elten de Colonia, & M. N. Iacobum Sprenger, Anno Domini Mcccclxxix. Mogontiæ.

AN prælati habeant autoritatem inſtituendi leges. Reſpondeo, quod non: quia Chriſtus in Euangelio dicit diſcipulis ſuis: Euntes in uniuerſum mundum &c̃. Ecce commiſit prædicare Euangelium: ergo non debent, nec poſſunt nouas leges facere: ſed debent fideles ad hoc inducere, ut ſeruent Euangelium. Item, Docete omnia quæ mandaui uobis &c̃.

Omnes Chriſtiani, quantumcunq; docti & ſapientes, non habent autoritatem exponendi uerba Chriſti. Quis uellet dicere inter homines mentem Chriſti quam ipſe prætendit in ſuis uerbis, niſi ipſe ſolus?

Quare oculati expoſitores, exponendo comportant textus, unum exponendo per alium.

Indulgentias nihil eſſe credit.

Gloſſę,

Gloſſæ non credit.

Doctorum ſcriptis, etiam ſanctorum quantumcunq;, non credit.

Mandata Eccleſiæ non ligant ad peccatum.

Adueniat regnum tuum &c. Ibi non petimus regna cœlorum, quia illud non uenit ad nos.

Raro reperio, uel nō duos unanimes literatos, etiam in fide, nullus tenet mecum, dempto Euangelio, ubi omnes ſumus concordes.

Deus ab æterno condidit librū, in quem ſcripſit omnes ſuos electos: quicunq; autem in eo non eſt ſcriptus, nunq; inſcribetur in ipſum in æternum. Et qui in eo ſcriptus eſt, nunq; ex eo delebitur. Abſq; ſpecificatione dixit, unde ſimplices occaſionem mali, ſeu malum ſumpſerunt.

Sola Dei gratia ſaluantur electi. Et quem Deus uult ſaluare donando ſibi gratiam, ſi omnes ſacerdotes uellent illum damnare, aut excommunicare, adhuc ſaluaretur ille. Et quem Deus uult damnare, ſi omnes presbyteri, Papa, & alij, uellent hunc ſaluare, adhuc iſte damnaretur.

Quod timeat, quod noſtri doctores male, ficte, & falſe, exponant ſacram ſcripturam.

Si nullus unquam Papa fuiſſet, adhuc ſaluati fuiſſent, hi qui ſaluati ſunt. Et quod Papa, & Epiſcopi, & ſacerdotes nihil ſint ad ſalutem, ſed ſola concordia ſufficit, & pax hominum, & pacifice uiuere.

Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, ſic ſcilicet, quod uelit poteſtatem non eſſe.

Si ſanctus Petrus inſtituiſſet ieiunium, forte ideo feciſſet, ut eo melius piſces ſuos uendidiſſet.

Chriſtus nunquam inſtituit aliquod ieiunium, nec prohibuit quemcunq; cibum quocunq; die ſicut carnes.

Sacrum oleum eſt ſicut aliud oleum, quod comedis domi in offa.

Chriſtus nullum feſtum præcepit celebrare. Item nullam orationem docuit, niſi dominicam: neq; mandauit ſacerdotibus canere, uel legere ſeptem horas canonicas, iam longas, iam breues matutinas: Sic miſſa iam eſt grauata in Chriſtianitate. Dum enim beatus Petrus legeret miſſam, præmiſſo ſolo Pater noſter conſecrauit, & ſe & alios communicauit, tunc totum fuit expeditum: nunc uero oportet ſacerdotem ſtare in miſſa ad horam uel ultra, ſuſtinēdo frigus, quod noceat ei ad annum uel amplius. Et ſic homo interimit ſeipſum.

Sancta Eccleſia non inſtituit ieiunium: neq; tempore ſeptuageſimæ interdixit celebrare nuptias.

Si quis confiteatur, iniungitur illi ardua pœnitentia, ut peregrinetur Romam, uel ad alia remotiora loca, ſtrictum ieiuniū: quod dicat multas orationes. Quod Chriſtus non fecit, ſed ſolum dixit: Vade, noli amplius peccare. Sic grauata eſt Chriſtianitas per humanas leges, & conſtitutiones.

Scriptura ſacra non dicit, ſpiritum ſanctum procedere à filio.

Peregrinantes Romam fatui ſunt; quia hic inueniſſent & obtinuiſſent, quod alibi quæſierunt.

In ſymbolo fidei circa illum articulum, ſanctam Eccleſiam: ego non pono catholicam, neq; Hieronymus ponit: quia catholica, id eſt uniuerſalis: ſed uniuerſalis cōgregatio omnium baptizatorum non eſt ſancta, ſed maior pars reprobata. Sed forte quidam appoſuit, & poſtea uenit in conſuetudinē totius multitudinis. Alſo gat es zů in der Chriſtenheyt.

EXAMEN MAGISTRALE AC THEOLOGICALE DOctoris Ioannis de Vueſalia, Concionatoris Vuormacienſis, pręſidentibus Magiſtris Noſtris, hereticæ prauitatis inquiſitoribus, M. N. Gerhardo Elten, & Iacobo Sprenger, de ordine Prædicatorum.

ANno Domini Mccccl xxix. Reuerendiſſimus preſul Moguntinus, Dietherus Iſenburgius, miſit literas ad Vniuerſitatem Heidelbergenſem & Colonienſem,

ſem,inſtigantibus,imò cogentibus Thomiſtis quibuſdam, ueritus, ne denuo ab
Epiſcopatu eijceretur, iuſſu Romani Pontificis, quod cõmeruerat ante leuibus
nes uerbis,Romanorum in uendendis Pallijs, notata auaritia. Et minabantur ei Ro
mani pręſulis iram,quam pridem non tam ipſe fuerat expertus, quàm tota Mo-
guntia & capta,& direpta, ac à uictoribus nullũ non contumeliarũ genus paſſa,
an (unde ferunt Pium Pontificem ad Moguntiæ mentionem ſemper ingemuiſſe,
quod ius ſuum tam inſigni damno uindicaſſet) Miſit inquam literas ad antedi-
ctas uniuerſitates pro Theologis examinaturis articulos M. Ioannis Vueſalię de
hereſi ſuſpectos. Ad quas quidẽ literas ego N.N. nomine Vniuerſitatis reſpondi.

Itaq; feria ſexta proxima poſt Purificationis,conuocatione facta omnium do-
ctorum Heidelbergenſium,& magiſtrorum,ſuffraganei, comitis de Vuertheim
uicarij,comitis de Sulms cuſtodis,Breitenbach,Macarij,Canonicorum Eccleſiæ
Moguntinæ,plebani Francphordienſis, Rectoris Vniuerſitatis,& Decani facul-
tatis artiſticæ ſtudij Moguntini,prelatorum Eccleſiaſticorum,& doctorum con-
ſulum,preſulis inclytiſſimi,conſultatum fuit de modo, ordine,proceſſu,inſtitu-
tione examinis. Et concluſum,quod M. N. Vueſalia iuſiurandũ facere deberet,
quod pręſentare & tradere uellet omnes tractatus,opera, ſcripta ſua qualiacunq;
quæ condidiſſet,ut per proprios ſermones uinceretur. Qui aũt ab eo iuramentũ
reciperent,deputabantur comes de Vuertheim,Michael Heim,fiſcalis Epiſcopi,
Decanus S. Victoris, Ioannes Fauſt, & notarius. Adiungebatur, quod doctores
Heidelbergenſes cum tribus alijs,ſcilicet Macario,Decano S. Victoris,& quodã
alio perſpicerent tractatus eius,errores excerperent,de articularent. Tempore in-
termedio aduenerunt Doctores Colonienſes religioſi, M. N. Gerhardus Elten
inquiſitor, & M. N. Iacobus Sprenger, ordinis Prędicatorum. Inter quos libelli
diuidebantur, ut quiuis perlegens turpes errores extraheret, in quibus de hæreſi
ſuſpectus iudicaretur.

Sabbato, Doctores Heidelbergenſes & Colonienſes, articulos excerptos Ar-
chiepiſcopo pręſentant,& modum incipiendi,continuandiq; dicunt. Præſul ni-
hil eorum inſpexit, quia in unum non erant redacti. Præterea cœtus doctorũ re-
uerendiſſimo patri, M.N. Gerhardum, ut inquiſitorem hereticę prauitatis obtu-
lit, qui ſuſceptus honorifice,literis teſtimonialibus ſe habere huiuſmodi autorita
tem,docuit & probauit. Statutus eſt dies, hora, locus examinis, ad feriã ſecundã
apud Minores,cum quibus in captiuitate morabat̃ doctor Vueſalia. Deinde unã
omnes doctores & magiſtri Heidelbergenſes cum Archiepiſcopo prandebant.

Huius doctoris Ioannis de Vueſalia examini, & inquiſitioni interfui ego ipſe,
qui hæc ſcribo in Moguntiaco, ſub Archiepiſcopo domino Diethero de Iſenbur
go,qui ad ſe uocauerat Theologos Heidelbergenſes: & uenerunt dominus do-
ctor Nicolaus de Vuachenheim, ſolus de uia (ut dicunt) Modernorum, domi-
nus doctor Heruicus de Amſterdamis, dominus doctor Iodocus de Calbo. Ex
Agrippina uocati fuerunt,& uenerunt M. N. Henricus de Elten,ordinis Prędica
torum,inquiſitor hereticæ prauitatis, M. N. Iacobus Sprenger, ordinis Prędica-
torum,& quidam alius eiuſdem ordinis.

Magiſter Ioannes de Vueſalia longo tempore graui morbo laborauit,nihilo-
minus inquirebatur ab eo ſatis feruide. Quædam negauit ſe dixiſſe, quædam ut
præ ætate & languore potuit,conabatur interpretari. Et ipſe per ſeſe etiam alle-
gabat ſuam diuturnam infirmitatem.

Dempto ſolo articulo de proceſſione ſpiritusſancti, in alijs uidetur nõ ita gra-
ui cenſura fuiſſe caſtigandus,ſi inducię datę fuiſſent,ſi conſultores ei fuiſſent adhi
biti,ſi nõ omnes uno ſolo dempto,fuiſſent de uia realium. Et niſi forſitan impe-
tus quidam irrepſiſſet in religioſos,triumphandi de ſeculari, & pręſertim de eo,
qui illorum Thomam peculiariter non coluerat, forſitan poterat cum eo mitius,
humanius, & clementius, benigniusq; actum & proceſſum fuiſſe. Deum teſtor,
D. Engelinus. qui omnia nouit, hũc proceſſum qui cum eo ſeruatus fuit uſq; ad reuocationem,
& librorum ſuorum exuſtionem,uehementiſſime diſplicuiſſe magiſtro Engeli-
D. Keyſerſperg. no de Brunſuico,maximo Theologo,& magiſtro Ioanni Keiſersbergio,duobus
utiq;

utiq; uiris, cum doctis, tum integris. Præcipuè magiſtro Engellino uiſum fuit nimis præcipitanter cum tanto uiro actum eſſe. Immo non uerebatur aſſerere multos articulos eius, & maiorem partem poſſe ſuſtineri. Nec obticuit de ſimultate Thomiſtarum contra Modernos, & de gaudio triumphandi religioſorum contra ſeculares.

Pio ſucceſſit Paulus huius nominis ſecundus, Venetus patria, & is nihil intermiſit, quod ad expeditioné in Turcam pertineret, prędeceſſoris ſui Pij inchoata perfecturus, in quã rem publicas in urbe ſtationes & ſupplicationes habuit cum populo, ſcripſitq; Imperatori, ut euocaret principum conuentum in locum commodum, in quem ipſe legatum ſuum plena mitteret facultate. Qui cum in Norinbergam eſſet inductus conuentus ad diem Iacobi, paucis comparentibus, tendit ur in diem proximum Trium Regum in Ratiſponam. Sed tantundem etiam cum peractum eſt, aderat Franciſcus Picolomineus Cardinalis, Pij Pontificis nepos, qui diu literis Vuiennæ incumbens, linguam calleret Germanorum, cuius nomine Iohannes Antonius Campanus in conuentu Principũ, artifitioſam orationem plenam laudibus antiquæ Germaniæ habuit. Sed nihil cum Fabio cunctatore uolebat Pontifex, ut expeditio bellica ex uiribus Germaniæ fieret in hoſtem, ſed ſurdo narrabat fabulã, ꝙ nec Imperator armis delectaretur, nec neruos belli ex Italia, Germaniaq; teneret. Quo enim uolitaret inplumis aquila? Italiã Papa cum Principibus aliquot, & communitatibus tenet. In Germania uero patrimonium imperij Principes occupant electores. Alb. Krantz in Vuand.

Paulus ſecundus Venetus, hic auariſsimus fuit, ſub quo res Pontificalis magnã inclinationẽ facere cepit.

Hac æſtate ab Imperatore uenerunt literæ ad Concilium Lubecenſe, ſuper Decima, ad bellum in perfidos Turcas, ab laico populo perſoluenda. Difficile fuit inſolitam rem ibi primum intentare. Quieuere autem ſecundã expectantes iuſſionem. Interim explorantes, quid apud alios ea in re ageretur. Ab Eccleſijs, quo minus tum exigerentur. Obſtitere Archiepiſcopi ad Rhenum, etiam appellationis obiectu parati occurrere.

GEORGII SCANDERBEGI HISTORIA per compendium.



ANno Dñi mill. cccclv. tempore Amurathis & Mahumetis Turcarũ Imp. claruit GEORGIVS Caſtriotus, dictus Scanderbegus, Epiri Albaniæq; dominus. Is adhuc adoleſcens, à patre ſuo duce Iohanne Caſtrioto, Turcarum Imperatori Amurathi, cum tribus alijs ſuis fratribus, obſidũ loco traditus fuit. Tum dictus Georgius. Turcæ uero propter magnifica eius facta indiderunt ei nomen Scanderbeg, quod perinde ſonat, ac ſi dicas: Magnus Alexander. Is cum aliquot annis in Turcę aula fuiſſet, tandem ſingulari Dei ordinatione in patriam redijt, armata hanc manu occupans, & fœliciter cõtra Imperatorem Turcarum Amurathem & Mahumetem pugnans. De hoc habes præclaram hiſtoriam per libros xij. Marini Barletij Scodrenſis, de geſtis Scanderbegi, per Iohannem Pinicianũ nuper uerſam in Germanicum: quam cum eruditi percuperent latinè legere, nec offertur quod ſciam) hodie, libuit ex prolixo Germanico per Epitomen quædam hic referre. Nam Scanderbegus ſua magnanimitate, ſæpenumero totius Orientis robur & uires fregit, totius orbis oculos in ſe conuertens. Nec contentus in Epyro & Albania præclare & heroice agere, uerum totũ ſe impendit, quicquid Hungariæ incommodaret, auertere. Tandem in Italiam profectus, & Gallorum fa-

Caſtriotus dictus à patre & familia.
Epyrota uel Epyrenſis, ab Epyro.
Albanus ab Albaniã quam poſſedit.

Scanderbeg, id eſt, Alexander Magnus.

Marinus Barletius.

ſtum ſuppreſſit. Neapolitanum regnum mirabili fortitudine ex manibus inimicorum eripuit, uero domino & poſſeſſori reſtituens.

Libertas ſub Scanderbego. Huius herois tempore omnia feruebant gaudio, paſſim audiebatur dulce nomen libertatis. *Parentes Scanderbegi.* Patre natus Iohãne Caſtrioto, matre Voiſana, principe Tribalorum, quæ nouem liberos peperit, puellas quinq;, Mariam, Iellam, Angelinam, Vlaicam, Mamizam: & maſculos Repoſium, Conſtantinum, Staniſam, & Georgium, qui iunior fuit.

Cum uero Amurathes Turcarum princeps Macedoniam bello moleſtaret, Græcos ſub iugum ſummittens, Iohannes pater diuturno bello exhauſtus, cogitur pacem petere, quæ illi contigit, datis omnibus ſuis filijs obſidibus. At impius hoſtis iuxta Mahometanam ſectam, abductos Caſtrioti liberos iuſſit circuncidi: mox mutata illis nomina, & Georgius dictus Scanderbeg: quod ſi interpreteris, ſonat, Alexander dominus. Conſtituuntur præceptores, & ut ingenium humanũ capax eſt, nec ſeptis includi uult, breui didicit idioma Turciceũ, & Turcicas, Arabicas, Græcas, Italicas, & Vandalicas literas. *Ingenium Scanderbegi.* Interim corporis etiã uires acquirendo, fame, ſiti, frigore, uigilijs ſe exercuit, & præclare factis charior factus Amurathi, dignitate Sanzachi, quæ altera eſt poſt Baſſos, ornatur, & equitibus v. mill. præficitur. *Dignitas Sanzachi.* Vix natus annos xviij. iuſſu tyranni in Aſiam abit, domi foriſq; conſpicuus. Nudus cum nudo Scytha duellum habet, & uincit. In Burſa quæ Bithiniæ caput eſt Aſiatici regni, cum duobus ex Perſide, Iaca & Zampſa congreditur, certe Hercules contra duos. Poſthac ſæpe in Europam profectus, contra Chriſtianos & Græcos abſoluti Capitanei functiones obit. In Nicomedia, Pruſia, & Otrea, nobili Aſiæ ciuitati, præſente Amurate fortiter agens.

Pater Scanderbegi moritur. Moritur autem in Epyro Iohannes Scanderbegi pater, tyrannus Croiam occupat, ut qui defuncti liberos apud ſe haberet. Fratres Scanderbegi tyrannus ueneno necat, ipſe uero uti Hercules in precio habetur. Sed ut uirtus inuidia non caret, & arma regum ſunt uenenum, clancularię artes, fictæ calumniæ, falſę accuſationes, defertur apud Ottomannum, ſed uirtus iuuenis ſuperat, mox contra Georgium principem & deſpotem Seruiæ, glorioſe pugnat. *Conſilium Scanderbegi de recuperanda Croia.* Cogitat qua ratione à ſeruitute tyranni ſe liberet, maxime de recuperanda Croia. Egregius ſimulator, cum à morte patris primarij Epyri ad eum mitterent. Eſt autem Croia metropolis Epyri, natura munitiſſima urbs, & planè talis, ut ſecluſa fame, omnia bellica machinamenta facile contemnat. *Croia.*

Cum autem Deſpotes Myſiam recuperaret, & ruſſus impar uiribus Amurathi perderet, accõſilio Iuliani Cardinalis S. Angeli, quem Eugenius miſerat, regem Ladislaum auxiliatorem imploraſſet, id intelligẽns tyrannus, Baſſam Romaniæ, & Scanderbegum mox in Vngaros præmiſit, cum uiginti millibus, ipſe mox re ſuo cum reliquo exercitu ſequuturus.

Huniades Ianeus uictor Turcarum. Eo tempore Huniades Ianeus (à quo Turcas ſæpe uictos conſtat) triginta quinq; millia militum habebat, & apud Morauam fluuium, Baſſa & Huniades congreſſi ſunt. Scanderbegus cum uideret rés Turcarum infœliciter habere, auxilio amicorum cum primis Ameſæ nepote ex fratre in Vngarorum partes ſecedit, Secretarium Baſſæ capit, literas ad præſides & magiſtratus Croiæ ab eo extorquet, in quibus nomine Amurathis Scanderbego ciuitas & omnis præfectura traderetur. *Literæ pro Croia recuperanda.* Confectis literis, mox Secretarius & alij decollantur, quo res Amurathi celetur diutius.

Scanderbegus uero, qui cum Vngaris & Hunniade antea de rebus inſtituendis conſultarat, uictor magno itinere feſtinans ſoluit, vij. die Dibram uenit regiunculam in fine Tribalorum, lxx. mill. paſſus habentem à Croia, unica illic tantum eſt ciuitas Sfetigradum, in confinio Macedoniæ. *Sfetigradum.* Hic ſubſtitit Caſtriotus, uocatis ad ſe quos uoluit, ſecretiſſime aperit ſua conſilia, habentur cuſtodiæ.

Ameſa argutus iuuenis, Scanderbegi ſecretarium ſe ſimulans, Croiæ præfectũ accedit, alloquitur (uolente & diſponente Deo) illi creditur, & iam Barbarus conuertit ſua, ut paret abitum.

Ita Scan-

Ita Scanderbegus Croiam patriam ſuam recuperat, magno Croenſium gaudio,qui ceu è ſomno exporrecti uidebantur,adepto principis ſui Caſtrioti filio. Turcæ qui inhabitarant,partim pelluntur, partim occiduntur. Ameſam mittit cum aliquot Dibrenſibus ad Dibram,ut nunciet recuperatã Croiam, ut cogitent de libertatate,maxime cum Amurathes huius Stratagematis ignarus, & ſatis negotij habeat cũ Hungarico bello. Proclamatur facto mane ſecuritas omnibus, qui poſitis armis uellent baptizari,& Chriſtiani fieri : ſed ſurdo fabula,adeo à teneris aſueſcere magnum eſt. Orabant Caſtriotum,ne ſe cogeret,non poſſe in eis aboleri traditiones maiorum : Volentibus,non inuitis ,hęc exhibenda.

Offertur libertas & baptiſmus.

Poſthac Scanderbegus ciuitatibus Croię uicinis annunciat uictoriam,& occupatam Croiam,ipſe in inferiorem Dibram profectus. Ibi fortuna ſocium laborũ, Moſen Golentem Petri,ſibi addidit,nobiliſſimum ac conſultiſſimũ uirum. Reliquas uero ciuitates,nec muris,nec hoſtium præſidio munitas, facile occupauit, populo minime inuito,& ſua ſponte ſequente, ac proclamante eum uindicem libertatis. Multi etiam principes & heroes Scanderbego ſe iunxerũt. Inter quos erant cõſanguinei eius,Muſachius dominus Angelinæ,Goicus & Georgius Streſij fratres,nepotes ex ſorore Iella,Stephanus Ceruonichius,& alij, ut interim taceam de ingenti multitudine,quæ confluebat ad hunc. Et cum iam armatorum duodecim millia aſtarent,pulcherrima & bene longa oratione eos affatur, conſilia ſua illis ſubaperiens,& libertatem deprædicans , & quod fortunæ ſucceſſus laborem ſit iuuaturus. Moſen cum tribus millibus equitum ad Petrellam urbem non quidem amplam (ſed quia in ędito montis ſita) inexpugnabilem, hyemis tempore ita occupauit,ut ne militem quidem perdiderit. Ipſe patientiſſimus laboris & uigilantiſſimus,nam ab eo tempore quo in Epyrum redijt , nullam noctem ultra duas horas dormiuit.

Moſes Golens.

Scanderbeg uindex libertatis.

Conſanguinei Scanderbegi.

Deuicta Petrella, Petra alba (quæ triginta millibus paſſuum à Petrella,& à Croia xxv. paſſuum ſita eſt) capitur, ſita in Aemathia in faſtigio montis, infra ad pedem montis præterfluit fluuius Aemathus. Deinde petũt Stelusium,quod diſtat ij. Mill. & D. paſſus à Petra alba, à Croia circiter v. mill. In hoc quidam baptizati ſunt,alijs libertas promiſſa, nulli ex publico uictus denegatus.

Petrella capitur.

Supererat Sfetigradum,ab Illyricis ſancta ciuitas dicta, ſita in ſuperiori Dibra in ſummo monte, diſtans à Croia paſſus ccccclxxx. Gotti uero & Gallogræci ueteres urbes (quas reges & principes Macedoniæ & Epyri extruxerant) ferè omnes ſolo ęquarant in illis locis : nam Croia extructa fuit à Carolo ex familia Thopiarum,quo tempore Scanderbegus Epyrum recuperauit.

Sfetigradum.

Cum ergo Sfetigradum ſe nollet dedere, habita deliberatione Moſes cum trecentis millibus oppugnant,alij redeunt Croiam in hyberna : erat enim tempus incommodiſſimum bello, pluuijs,niue,glacie. Scanderbeg militi dona & immunitates elargitur. Baptizatur Ameſa cum alijs .

Hæc ex primo libro Mar.

AMurathes cum audiuiſſet,quæ in Hungaria acciderant, de Baſſa interempto,& Scanderbego in Epyrum elapſo,immo de Croia per hunc occupata,grauiſſime omnia fert,cum ſuis conſilia tractat, de Hungaria cum potentiſſimo exercitu inuadenda.

II. liber.

Amurathi ira contra Scanderbegum.

Hic mire uariant ſententiæ,alijs huc,alijs alió ſpectantibus, Scanderbegum nouum hoſtem , rerum bellicarum ſcientiſſimum , minime ſpernendum eſſe. Deſpoti Miſiam potius reddendam , quàm inuito Marte pugnare uelle. Sic tyrannus legatos mittit in Hungariam, petit pacem in decennium,reddit Miſiam Chriſtianis.

Myſia Chriſtianis redditur.

Tum Scanderbegus obſidionem Sfetigradi ſoluit,& Mocream regiunculam prope Triballos inuadit, ditionem ſuam ampliorem quàm pater habuerat, faciens. Incolæ libenter & iugum Amurathę, & memoriam abijciebant,inſignia & uexilla Scanderbegi hilares ſequebantur. Hæc erant in Area rubra bicipites Aquilæ.

Inſignia Scanderbegi bicipites aquilæ in area rubra.

Hæc non fugiebant Amurathem, qui indies in Macedonia & Alchria cum au xeſi audiebat, quę Caſtriotus ageret, duas Dibras iam dediſſe ſe, & imminere de ditionem Sfetigrado, & Mocream deſciuiſſe. Hinc tyrannus accenſus, ingentē exercitū conſcribit, ut oēs copias, atq; adeò ipſum nomē Scanderbegi perdat.

Scanderbeg conſcius conſiliorum Turcæ. Horum Turcæ conſiliorum ab amicis quos Scanderbegus in aula tyranni adhuc habebat, admonitus, cū principibus Epyroticis & Illyricis fœdus icit, & ut hoc ſynceriter fieret, comitia indicit Scanderbegus, non Croię, ut inanem gloriā fugeret, nec Apollonię Dayni, aut Xabiaci, quę erāt urbes Epyroticæ, ſed in Lyſſo uel Aleſio, ij. mill. & cc. paſſuum à Croia, inter hanc & Croiam ſita ſub Venetis. *Comitia in ciuitate Lyſſo.*

Sed hic libet egredi, antequam enumerentur nomina eorum, qui in hijs comitijs fuerunt, & originem Epyrotarum uel Albanorum referre.

Albania. Quę nunc Albania dicitur, olim Macedoniæ portio fuit ad Occidentem uerſa, inter Dyrrachium & Apolloniam, non incelebres priſco ſeculo ciuitates. Sermo genti neq; Gręcis, neq; Illyricis notus. Credimus hoc genus hominum ex Albania quondam ueniſſe, quæ uicina Colchydi in Aſiatica Scythia memoratur, ut ſæpe barbarorū inundatio nationum Græcię atq; Italię prouincias occupauit.

Camuſa potens. In hac terra potens Camuſa fuit, qui Chriſtianis parentibus ortus, parum tenax catholicæ fidei, ad Mahumetis inſaniam declinauit. Sed quàm leuiter Chriſtum deſeruit, tam facile Mahumetis ſacra cōtempſit. Redijt enim ad paternam legem: & quamuis utranq; religionem contempſerit, neutri fidus, Chriſtianus tamen mori, quàm Turca maluit. Paulopoſt Conſtantinopolitanam cladem morbo extinctus. Georgius Scanderbegus eius hæreditatem accepit, nobili loco natus, qui ætatem pene omnem in armis pro Chriſti nomine pugnando conſumpſit, multas & magnas turmas bello uicit atq; deleuit, ſolusq; quodammodo illam regionē in Euangelio Chriſti cōtinuit. Hęc Syluius in Europa ca. xv. Sed ad inſtitutum qui uenerint ad Comitia. *Hæc ſcribit Aeneas Syluius in Europa ſua de Scanderbego, cap. 15.*

Qui ad comitia à Scanderbeg inſtituta contra Turcas uenerint. Ariamnites Thopia Golenus, uel Teutonice Dilhar/ab Aeante fluuio, quem incolæ Vauiſſam uocant, uſq; ad ſinum Ambratium dominus fuit. Hic Ariamnites apud Macedonicos & Epyroticos cognomēto Magnus dictus fuit, qui magnifica egit pro fide Chriſtiana, grauiſſimus hoſtis, quoad uixit, Turcici nominis. *Ariamnites grauiſſimus hoſtis Turci nominis.*

Poſt hunc Andreas Thopia, uir nobilis, dominus tractus inter Tyrannam & Epidamnum, & eorū locorū quæ iam incognita ſunt. Scura Muſachiema Cherabi, Cmiere Vlixes. Eſt autem Cmiere locus montanus è regione Corcyre. Cimerotas uocant bellicoſiſſimum populum. Venit & Georgius Streſius. Et ex Muſachijs multi adfuerunt. Præterea potentiſſimi principes Nicolaus & Paulus Duraginus, domini terræ ultra fluuium Drinum, Epyrotæ uocant Xadrunam, uſq; in ſuperiorē Myſiam, ubi multa ueſtigia uetuſtatis, & marmorea ſepulchra, multorum Romanorum Imperatorum, & aliorum principū nomina in ſe continentia, ubi Paulus Apoſtolus fidem Chriſti prædicauit. Venit item Lucas Zacharias, dominus ſuperioris Xandrinæ, & ciuitatis Dayni dominus, ubi præterfluit amenus fluuius Drinus, qui Epyrum à Dalmatia & Illyrico ſeparat, non minor Erydano. Adfuit & beatus princeps Petrus Hiſpanus, cum Alexio Boſdario Vruoo & Mirco filijs. Item Leccas Duſmanus uicini Petri & aliorum, quibus Peones & ſuperiores Pelagones uſq; in Myſiam Sardonici parent. Poſt illos uenit quoq; Stephanus Cernouichius, cum Iohanne & Georgio liberis. Nec defuerunt his comitijs Veneti. Hij omnes pro communi ſalute contra Turcam auxilia fortiter polliciti ſunt. Tum Scanderbegus longam orationem habuit, huc omnia argumenta dirigens, ut fides Chriſtiana contra Turcas impijſſimos hoſtes uindicetur. Dum hæc comitia habentur, Amurathes Alibaſſam cum xl. equitibus emittit contra Scanderbegum. Tum Caſtriotus relicta Croia, & conſcripto exercitu, maſcula oratione eos affatur.

Volebam in uſum lectoris, qui auet Latina legere præ Germanicis, totam hāc Georgij Scanderbegi hiſtoriam (ſeu Panegyricum potius) libris xij. comprehenſam, hic poſuiſſe: ſed quia ſpes bona me habet, propediem nos Latinam hanc hiſtoriam habituros, hic dimitto.

De Carolo

DE CAROLO BVRGVNDIONE, & bello Burgundiaco.



ANno Domini Mccccclxvij. Philippus Burgundiæ dux, Brugis moritur, princeps ſuo tempore in armis ualens, prudens, & à ſuis miro modo amatus, hic Carolum filium habuit ſucceſſorem.

Anno Domini Mccccclxviij. CAROLVS Burgundię dux in Leodienſes mouet, adiutore fretus rege Franciæ, & incredibilem ſtragem fecit in acie, miſerabilius uero ſæuiuit in capta urbe, multa millia dorſo colligata, merſit in profluētem, pro eo φ Epiſcopum, eorum ducem de Burbon, conſobrinū Caroli indigne habuiſſent, Gallus uenerat pro Leodienſibus, ſed conuerſus cœpit eos cum duce oppugnare. Refert Gaguinus, irrumpentibus ferociter Burgundis, Ludouicus Gallię rex primùm, deinde Burgundus ciuitatem intrat, fitq; mox paſſim occiſio & ſtrages, uirginibus uis, & religioſis mors infertur, neq; indulgētia ulla militum in pueros fuit, quin etiā ſtupratas à ſe uirgines, miles necat. Sacerdotes rem diuinam facientes in templis, gladio pereunt, nec ſaciatus fuit hoſtis tam multa cæde, prædas ex omni ciuitate, & ex templis ſacrilegia fecit, incenſa poſtea urbe, & muris diruptis. Tum Peronam (inſigne erat fuſile ex auricalco, quod in libertatis argumentū foro erexerunt) inſigni forma cum inſcriptione carminū, iuſſit Carolus uictor auehi, ac in Burgenſem urbem deportari, ſtabatq; omni tempore Caroli ibidem, ſed Maximilianus iam rerum potitus, poſt Carolum permiſit Leodienſibus, ut in ſuam referrent urbem.

Caroli bellum contra Leodienſes.

Hoc tempore per mediam Brumam Frid. Imp. religionis ergo Romam uadit, ingreſſus Italiā paruo comitatu, nemini formidabilis, paucis etiam uenerabilis. Excepit illum Paulus Pontifex perbenigne, multa gratificans, & de ſalute Reipub. Chriſtianæ colloquens Peregrinum Romipetam, pro ſuo tumore Itali tranſire ſinebant, ſi non irridebant, ut qui meminiſſe poterant ex annalibus, non ita conſueſſe ex Germania Imp. Ro. deſcendere. Viuere tum cernebant Fridericum, quod antea difficulter crediderunt, qui nulla inſigni ædita opera, ſe uiuere declararet. Solebant enim per contemptum ex Germanis Itali requirere, uiueret ne, an mortuus eſſet Imperator, quem nullis ſuis iniurijs, nullis Reipub. Chriſtianæ dettrimentis commouentem ſe audiſſent. Alb. Krantz.

Fridericus peregrinus Romipeta.

Anno Domini Mccccclxx. Mahumet Turcarum Imperator Euboiam inſulam Gręciæ, tūcà Venetis tentam inuaſit. Et Nigropontum ciuitatem illius inſignem expugnādo ſolo æquauit. Deinde in Octobri exercitus Turcarū ſatis debilis, per alpes & nemora Vngariam ingreſſus, uſq; ad Zagabriā libere graſſatus, x. millia captiuorū utriuſq; ſexus in miſerabilē captiuitatem deduxit. Quo malo ineſcatus geminata uice circa natalē Chriſti Pannonicā oram nullo reſiſtēte iterū uaſtauit.

Eodem anno Iſabek, aliàs Iſaac Satrapa Imperatoris Turcarum, Boſnę regnū tunc detinens, cum xv. millibus equitum ex Boſna in Croaciam in Carniolam tranſgreſſus, inopinatā excurſionē ingerēs, & omnia ferro & igne uaſtans, tribus illic menſibus abſq; omni repreſſione libere immoratus, uiginti millia hominū pecorū ritu, in perpetuā ſeruitutē detrudēda abegit: nulla deniq; mora facta captiuis catholicorū in arces & ciuitates ditionis ſuę cōductis, per eandē uiam qua uenerat, Carniolā reuerſus, alia rurſus uiginti millia hominū impune abduxit. Quū uero Fridericū Imp. apud Ratiſponā conuentū agere ſenſiſſet, cum quindecim millibus equitum mirabili celeritate per Croatiam ad portas & mœnia Laybaci uenit. Poſtridie copias partitus, partem unam per alpes, qui Carniolam à Styria diuidunt, tranſmiſit: & xxx. millia hominū capta abduxit. Alterā per Sauū in Illyricū, tertiā per Trāſiluaniā ultra Danubiū cladibus oīa cōplens egit. Chr. Po.

Anno Domini Mcccclxxi. Poſt Paulum Venetum fit Papa Sixtus quartus, Sauonenſis liberaliſſimus. Iubileum ad xxv. annos tantum reduxit.

Hoc æuo gymnaſia liberalium artium Ingolſtadij, ac Tubingæ in Germania, ſicut & antea paulo apud Friburgum, Baſileamq; fundantur.

Caroli tempore, duo apud Gallos nomina, diu ad ignominiam ferebantur: Burgundorum ſcilicet, quos Franci hoſtes habebant. Et Armygniacorum, quorum generali appellatione Francos Burgundi deſignabant. Et legitur de quodã, qui cum non permitteretur ingredi ciuitatem Parienſem à cuſtodibus, Pariſios per contumeliam Burgundiones appellarit, cui in pœnam lingua candenti ferro perforata eſt, & ipſe deinde in exilium actus. Rob. Guar. lib. x.

Anno Domini Mcccclxxiij. Venit Imp. Frid. Argentoratum, & cum eo Maximilianus filius, Archiepiſcopus Mogont. Epiſcopus Aeiſtettenſis, Albertus & Ludouicus duces Bauariæ, Carolus Marchio Badenſis, Comes Eberhardus de Vuirtenberg, cum multis alijs comitibus & nobilibus. At cũ Imperator peteret, quæ libertati urbis aduerſarentur, Senatus, populuſq; Argentoratenſis annuere non potuerunt. Hinc indignatus Fridericus, abijt: & cum Friburgum, Baſileam, Colmariam, Zaberniam perambulaſſet, uenit Mogontiam, deinde Treuerim, ubi Carolus Burgundiæ dux cum equis tribus millibus eum conuenit.

Frid. III. & Carolus Burgund. Treueris.

Anno eodem. Duo omniũ ætatis noſtræ maximi Principes, Frid. Rom. Imp. & Carolus Burgundiæ dux cõuenere in Treuerim, de rebus magnis acturi. Nam alia publice agebant de Gelria, quam pridem Carolus ab Arnoldo duce coemiſſet. Item de communibus Chriſtianiſmi caſibus, de bello in Turcam inferendo. Quædam etiam clam egerũt, pauciſſimis in Concilium admiſſis, de quibus hoc ferebatur in publicum, ut Carolus accepta de manu Imperatoris corona rex ſalutaretur, Galliæ, Belgicæ, aut Burgundiæ, nam olim Burgundia regnum erat. Potiſſimum uero id ferebant imperij rebus maxime profuturum, ut Carolus per imperium uicarius rex conſtitueretur, ad edomandos imperio rebelles, & ut ſubiugum mitterent, qui olim ad imperium pertinuiſſent. Sed ubi de rebus non conuenit, ꝙ Imp. ſine aſſenſu Principum electorum, nihil ſuper his rebus poſſet conſtituere. Dictu ſpetioſum eſt, quo ſe honore inuicem præuenirent, ſalutantes, deducentes, deferentes. Cum interim Carolus dux, ꝙ magnũ haberet in armis exercitum, ceſſit Imperatori urbe, foris in Monaſterio collocatus, magnis ſe muneribus mutuo miſſis, honorabant: ſed incomparabiliter excelluere, quæ dux Imperatori donaret.

Carolus ambit uicariatum imperij.

Quod Burgundus uicariatum habeat imperij, in terris Gallicanis ultra Rhenum, uide epiſtolã Aeneæ Syluij. 395.

Anno eodem, Dux Lotharingiæ colligit exercitum, quaſi inuaſurus Epiſcopũ Argentoratenſem. Id cum intelligeret Epiſcopus, & Reſpub. Argentoratenſis, ſex millibus armatorum, & omnis generis apparatu bellico ſe muniunt contra aduentantem hoſtem. Lotharingus hoc cognito, mutat conſiliũ, & inſtituit urbem Metenſem clam inuadere, ſed nec hoc ſucceſſit. Poſthac dux ueneno perit, & Lotharingiam Reinhardus comes de Vuidemunt, iure hæreditario conſequitur, & fit Lotharingiæ dux, benignus hæres ſubditis, diuitibus & pauperibus. Sed Carolus Burgundus in eum paulo poſt mouet, & maxima damna infert huius ditioni, & ſubditis.

Carolus Nuſsiam obſidet.

Anno Domini Mcccclxxiiij. Carolus Philippi filius, Noneſium, quod alij uocent Nuſſiam, obſedit Colonienſis agri oppidum, per integrum annum, quoniam Capitulum Colonienſe, Rupertum eorum Epiſcopum fugarat, hũc Carolus reſtituere uolebat. At Carolo Burgundo huc ſpectante, ut imperio dioceſim Colonienſem adimeret. Fridericus Imperator grauem expeditionem parat aduerſus hunc. Poſtq; Colonienſis ciuitas eum ex diuerſorio Auguſtæ liberaſſet, expoſitis florenis ter centũ millibus, & ſingulis hebdomadibus darét florenos mille. Marchio Albertus Brandenburgenſis erat exercitu præfectus, uexilliferimperij Albertus Saxoniæ dux, Chriſtiernus Danorum rex, Roma rediẽs, deflexit in caſtra Caroli ducis Burgundiæ, & euocatis aliquot Principibus, Friderico Brunſuuicenſi, Magnopolenſi, & eo quem itineris totius comitem habuit, Iohanne duce Saxoniæ, cum multis comitibus tentauit, ſi poſſet rem, quæ bello querebatur

compoſitione

compoſitione pacata, in ſuos terminos reducere. Sed fruſtra impendit apud Carolum operam, q̃ certo certior eſſe uidebatur Carolus, urbem, uel deditione, uel armis in ſuam redigere poteſtatē, quæ tamen ſpes eum deſtituit. Inerat enim in Noneſio ualidum preſidium militum ſub preſecto capitaneo Hermanno Haſſie Lantgrauio, Archiepiſcopo. Variæ fiunt oppugnationes, deijciuntur muri, pluteis intus aggeres reparantur, turres crebris ictibus deformantur. Erumpunt aliquando obſeſſi, & manu collata hoſtibus non parua irrogant incōmoda. Multa utrinq; prelia agunt uiciſſim, inter obſidentes Angli, Lombardi magnis agminibus. Ab Rheno & terra firmatur obſidio, fame expugnare contendit, quando uis armorum non profuit. Interea Colonia imperialis ciuitas, implorat Imperatorem, ſciebat enim illa de imponendo ſibi, & alijs ciuitatibus iugo contendi. Diu promiſerat aduentum Imperator, ſed ut erat cunctator ſemper maximus, nec haberet in promptu quæ ex longiſſimo erant arma contrahenda, diu diſtulit. Venerat tandem cum Principibus electoribus, per Rhenum defluens. Et cum illo Moguntinus, & Treuerenſis, dux Saxoniæ Erneſtus, & Albertus Brandenburgenſis, Marchio, electores, cum ſuis agminibus. Monaſterienſis Epiſcopus Heinricus dē Schuuartzenburgo, expeditiſſimas ductabat copias, equites, peditesq;. Octoginta millia ferebantur ſub ſignis eius militare. Nihil motus dux, oppugnabat oppidū, & paratus uidebat manū cōferre Imperatori. Sed omnia cōſilio priuſquā armis Imperator experiri cōſtituit. Tandem ſoluta eſt obſidio, poſtq̃ imperij ſtatus grauiſſimas expēſas ſuſtinuiſſent fruſtra, ut Maximilianus imperatoris filius, Mariam, Caroli ducis unicā filiā, ſponſam, inde coniugē haberet. Ita Principes dimiſſis copijs in ſua redierunt. Alb. Krantz. Obſidione Nuſſiæ ſoluta, cū iam diſceſſuri eſſent Principes, aduolauit Heraldus ex Renato duce Lotharingie, qui eius nomine bellum Carolo denunciabat. Ille exceptū hominē principis ornatu perueſtiuit, quaſi qui iocunda attuliſſet. Sic honoratū remiſit ad dominū ſuum.

Friderici III. cunctator.

Maximiliano deſpondetur Maria, Caroli filia unica.

Anno eodem, Sigiſmundus Auſtriæ dux, Songauuiam & Briſgauuiam, quam uocant ditionem de Pfirt, Carolo duci Burgundiæ octoginta millibus florenorum uendidit, hoc pacto, ut repoſita hac pecuniæ ſumma, Songauuia & Briſgauuia ad Sigiſmundū uel ſuos rediret. Tum Carolus Petrum quendam de Hagenbach preſidem conſtituit emptæ terræ. Is intolerabilem tyrannidem Briſaci, & in tota ea ditione exercens, uatinianum ſibi odium bonorum omnium conciliauit. Rebus pub. Argentoratenſibus, Baſilienſibus ſuperbiſſime ſcripſit, q̃ non opus haberent Senatu & Conſulibus, quos eligerent ex ſartoribus & ſutoribus, nam ipſe mox uelit adeſſe, & ſiſtere preſidem, qui nec ſartor nec calcearius eſſet, nimirum ipſum ducem Burgundiæ. Populus Songauuiæ & Briſgauuiæ, cum grauiſſime ab hoc tyranno premeretur, legationem mittunt ad Sigiſmundū pro liberatione. Is cum ſcriberet Petro Hagenbach, nihil effecit, quam q̃ eum magis exacerbaret. Sigiſmundus dux fœdus icit cum Heluetijs, Ciuitate, & Epiſcopo Argentoratenſi, Baſilea, Colmaria &c. Argentoratum uero & Baſilea, pro redimenda Songauuia & Briſgauuia, conferunt octuaginta millia florenorum, indicitur ſolutio Burgundioni. Hagenbachius uero, cum crudelior fieret, indies magis ac magis, poſt multa ſtupra uirginum, & honeſtiſſimarum matronarum, latrocinia, & nefanda ſcelera perpetrata, iudicio ſiſtitur, & tandem capite decollatur ante ciuitatem Briſacum. Cum autem in ſuperiori Burgundia, in Ellekort, & alijs oppidis, exercitum equeſtrem haberet Carolus, indies irrumpentem in Songauuiam, & depredantem. Argentoratenſes cum alijs confœderatis, Ellekort oppugnant, & occupant, antehac occiſis Burgundionum duobus millibus. Erant autem hij confœderati. Sigiſmundus dux Auſtriæ. Dux Rupertus, Epiſcopus Argentoratēſis. Ciuitas Argentorat. Epiſcopus Baſilienſis, & ciuitas. Heluetij, & eorū confœderati. Colmaria. Seleſtadium. Keyſerſperg. Mulhuſen. Munſter. Turcken. Oberneheu. Roſſen, & quicqd erat nobiliū in diſtrictu horū.

Songauia oppugnatur.

Petrus Hagenbach.

Sigiſmundi & ciuitatum fœdus.

Ellekort oppugnatur.

Anno Dñi Mccccl xxv. Ciues Argentoratenſes quinq; monaſteria extra urbis mœnia ſita, propter motū Caroli funditus demoliti ſunt. Carmelitarum. Sancti Marci. Sanctę Agnetis. Sancti Johannis in uiidis, & Pœnitentium.

Cum

Cum autem Comes de Blomunt ualde noceret Suntgauiæ, anno Domini Mcccclxxv. Argentoratenſes duobus mille uiris acceptis, & bombarda illa ingenti, quæ à xviij. equis uehebatur, concedunt ad alios confœderatos, & ita oppidum & arx Blomunt oppugnatur & occupatur. Præterea aliæ arces quatuor à confœderatis inuaduntur & capiuntur.

Dux Lotharingiæ Reinhardus, cum ſibi quoq; metueret à Carolo, petijt in fœdus recipi. Quo tempore Carolus Burgundiæ dux, totam Lotharingiã, excepta ciuitate Nanſe, quam Nantium uocant, uel Nanſeium inuadit.

Reinhardus ad arcendum malum uicinum, & ad defendendam hanc patriã, in fœdus recipitur, & per confœderatos illi auxilium decernitur.

Anno eodem. Confœderati in Lotharingia, conueniũt apud Bergarten, cum Burgundione congreſſuri, ſed quia is inſtructior erat, quam ꝙ ſuperari poſſet re infecta diſceditur, relictis tamen Lotharingo in Nanſen, octo millibus equitum ac peditum, & aliquot machinis bellicis.

Anno eodem. Stephanus Palatinus Moldauię, exercitum Mahometh Cęſaris Turcarum, centum & uiginti millia pugnatorũ habentem, cui & Beſſarabi auxilia ferebant, Valachiam populãtem circa palum Rakouietz, & fluuium Berliad, proprio marte, quinq; tantummodo millibus Siculorũ, quorũ terram ab Hungariæ rege abſtractam, in ſuam ditionem redegerat magna clade, ſed non in cruenta ſuorum uictoria, mirabili Dei potentia fudit, uix quadraginta millia pugnatorum habens, in quibus maior pars agreſtium erat, nec in ſuperbiam ex hac uictoria elatus, diebus quatuor continuis ieiuniũ in pane & aqua egit. Per uniuerſam quoq; terrã ſuam, bannum edixit, ne quis auderet ſibi, ſed ſoli Deo uictoriã illam appropriare. Cum iudicio omniũ uictoria illa ex uno eo ſtetit, omnem regionem Valachiæ, per quam Turcæ ituri erant, longe ante Stephanus Palatinus flammis exuſſerat, quæ res maximi adiuméti ad uictoriam fuit Thurcis, & equis eorum macię conſumptis. Omnes fere Turcas captiuos, pręter principaliores palis ſuffixit, cadauera interfectorum cremauit, unde oſſium illorum extãt aliquot acerui, quatuor duces Thurcarum principales, & triginta ſex ſigna militaria, manubiasq; nobiles Kazimiro regi Poloniæ in Lithuaniã per primores ſuos Stephanus tranſmiſit. Rex autem Hungariæ Mathias ſcripſit Papæ, Cęſari, & alijs regibus ſe inſignem Thurcarum exercitum, per gentes ſuas, quorum Stephanus Valachiæ Palatinus ductor erat, deleuiſſe. Stephanus Palatinus aliquos captiuos Sixto Papę miſit, & ſcriptis auxilia popoſcit. Miſit & Mathię regi Vngariæ pares manubias. Nec his legationibus ad amicos Stephanus cõtẽtus. Ad ipſum quoq; infeſtiſſimum hoſtem ſuum Mahomet, Cęſarem Thurcarum inſignem legatum dona non mediocria ferentem, miſit. Quęſtus eſt ſe à quibuſdam Thurcarum latrunculis & exulibus temerarie, & pręter ſcientiam Cęſaris, laceſſitum eſſe. Illam omnem furum & exiliatorum manum, in manu Dei potenti confeciſſe, petens ut reliquię huiuſmodi latrunculorum, ſi quæ in dominiã ſua refugiſſent, ſibi traderentur, pari ſupplicio cum cęteris pœnas meritas ſoluturę. At Cęſar legatione huiuſmodi exaſperatus, legatos iure gentium uiolato in ergaſtulis aliquandiu tenuit. Poſtea omni ſubſtantia ſpoliatos pedites, & penè nudos Valachiam remiſit. Hęc ex Chro. Pol.

Anno eodem exercitus Mahumeth, Cęſaris Thurcarum, ab Andronopoli ſol uens, ad Caffam inſignem Ianuenſem ciuitatem, quę ſe ab eius exitio per annos xxiij. ex quo Conſtantinopolis capta erat, muris fortiſſimis & altiſſimis munire non ceſſauit, manu nauali & pedeſtri perueniẽs, ipſam cum Thartarici exercitus auxilio obſidendo & impugnãdo, ſexta die per fraudem primorum ciuium Italicorum, alijs ignorantibus, cœpit. Et ciuitate potitus, continuo traditores cum uxoribus, pignoribus, & omni familia in uincula coniectos, ad claſſem ſuam deportauit. Vulgo autem pepercit, & in ciuitate illud permiſit, media parte omniũ ſubſtantiarum ablata. Succeſſu temporis in perpetuam captiuitatem ſuſtulit, & non niſi Thurcas illic locauit.

Anno eodem, in menſę Auguſto, locuſtę ad longitudinẽ unius digiti humani, capita

capita inſtar ueſpertilionum habentes, apparuerunt, quæ ex Pannonijs per Morauiam & Sleſiam prodiſſe ferebantur. Longitudo congregationis earum trium miliarium, & latitudo unius cum medio miliari. Volabant ordinatis aciebus. Loca frugum & arborum in quas cadebant, deuorabant, nil præter terram & fimum ſordidum relinquentes: denſitatem earum uix ſol penetrare potuit.

Hoc anno Mathias rex Hungariæ in ripa fluuij Saue, munitionem à Turca erectam expugnauit, & redijt. Turcæ uero in magna multitudine ingreſſi regnū Hungariæ, nemine reſiſtente, uſq; ad Varadinum graſſati, ciuitatem & uniuerſam regionem uaſtarunt.

Anno Domini mill. cccclxxvi. Cum collatione facta Mathiæ Hungariæ regi ducenta millia aureorum, ad conterendum Turcam, mittuntur: interim copioſus Turcæ exercitus ex regno Boſinæ ſubito adueniens, totam Carneolam Corinthiani, partem Styriç Saltzburgēſiſq; epiſcopatus grauiter adflixit, & uſq; ad mōtes Italiæ graſſatus eſt. Multas catholicorū cateruas in captiuitatē perpetuā abducens. Inſuper quinq; propugnacula fortiſſima ex lignis in littore Hiſtri in parte inferiori caſtri Smiderale per regē Mathiam fabricata expugnauit. Chro. Pol.

FATALE BELLVM CAROLI APVD Nanſeium.

ANno Domini mill. cccclxxv. & anno mill. cccclxxvi. fatale ſibi bellum Carolus ingreditur: nam magno exercitu expeditionē dirigit in Nanſeium, & in obſidione quæ durauit hebdomadibus decem, bombardis muros quatiendo, & oppugnando grauia incommoda intulit. Viciſſim qui in ciuitate erant, oppugnabant hoſtem: nam inerant multi præſtantes Germani, pedites & equites, inſtructi & ipſi pixidibus bellicis. Ardebat autem in eam ciuitatem Burgundio Carolus. Obſeſſi petunt præſidia à confœderatis, maxime alimoniam. Quare confœderati rurſus ſe recipiunt in Lotharingiam, ut ab obſidione ducē Carolum cohercerent. At quia ingenti exercitu inſtructiſſimus erat, ut nihil poſſent exequi, redeunt domum. *Nanſeium primū obſidetur.*

Verum cum Carolus decem hebdomadibus in obſidione Nanſeij fuiſſet, nec poſſet occupare ciuitatem, res compoſita fuit, ut Germani cum eorum ſubſtantia diſcederent, at bombardas & alia bellica illic permitterent. Ita Germani ex Nanſeio exeunt, & Burgundus ingreditur. *Nanſeium deditur.*

Cum autem Carolus ciuitatem Nanſeium & totam Lotharingiam acquiſiuiſſet, conuocauit nobilitatem ducatus, & coegit ut ſibi iurarent. *Carolo iurat Lotharingia.*

Hoc tempore Reinhardus Lotharingiæ dux latebat, ita ut nec confœderati, nec quiſquam alius ſcire poſſet ubi ageret, an uita functus, an adhuc aura ueſceretur ætherea.

Carolo Burgundione ita totam Lotharingiam poſſidente, et fugato Reinhardo, uictor magno exercitu mouet ad oppidum Heluetiorum, Granſe dictum, & hoc obſidet quadraginta millibus, grauiſſime oppugnans, & maxima damna inferens. Viciſſim, qui in oppido, fortiter agunt. At quia quadringenti milites Heluetici pro pręſidio in oppido erant, ualde ſibi ab illis metuebat Carolus oppugnaturus locum. Quare proponit illis, ſi uelint dedere urbem, ſe permiſſurū, ut cum eorum ſubſtantia abeant. Datur fides publica: exeunt oppido, egreſſos mox excipit Carolus, & præcipit ſuſpendi omnes, ſeruata, ſi dijs placet, fide. *Carolus Granſe obſidet.* *Fides publica per Carolum frangitur.*

Poſthac Carolus caſtrametatur apud Granſen, putans fore, ut & caſtris & oppido munitus, poſſet hoc melius Heluetios ſubigere pro libito. Heluetij alijs cōfœderatis mox ſcribunt pro auxilio. *Caſtra Caroli apud Granſen.*

Anno Domini mill. cccclxxvi. Argentoratenſes cum quadringentis equis & panoplia bellica concedunt ad alios ſuos confœderatos: ij omnes miliari uno à Granſen conueniunt. Ita ſimul ante oppidum Granſen Carolum aggrediuntur, & extra caſtra profligant, ipſi caſtra occupant. Burgundiaci fuga ſibi conſulunt, cum tamen haberent in exercitu quadraginta millia uirorum. Ex illis ſex- *Fuga Caroli apud Granſen.*

centi trucidantur, ex confœderatis xxv. tantum uiri. In illis caſtris Carolus perdidit circiter quadringentas pixides anguillares, ſexaginta bombardas lapidiferas, uulgo Steynbuchſen/ix. maximas & capitales bombardas, ccc. uaſa cum puluere bombardico, octingentas pixides minores, hocfenbuchſen/ currus plus minus trecentos, cyſtas quadringentas, in quibus dux cum nobilitate ueſtes ſuas & ornamenta, & ſuppellectilem auri & argenti habebant. In ijs inuentæ ſunt circiter centum ueſtes aureæ & aliàs præcioſæ. Item cibi & potus ingens copia in his caſtris iuuenta.

Præda ingens ex caſtris Caroli.

A fuga Carolus alium conſcribit exercitum, & mouet contra Heluetios centũ millibus uirorum apud Mortheym, quod oppidum quoq; obſidione urget.

Mortheym.

Hinc rurſus confœderatis exhibetur negotium, & Anno Dñi mill. ccccLxxvi. menſe Iunio, rurſus copias contrahunt. Reſpub. Argentoratenſis mittit equites quingentos & quinquaginta, & trecentos cum pixidibus manuarijs: item duodecim pixides anguillares. Hoc tempore Lotharingiæ dux, qui putabatur perditus, Argentoratum uenit, præſidia implorans. Is centum equites collegerat: & audiens cōfœderatos ſimul eſſe, ad eos quoq; ſe recepit. Cum uenirent is, iam alij congreſſi fuerant cum Carolo, & in fugam rurſus compulerant. In eo prælio circiter xviij. millia Burgundionum perierunt, exceptis ijs qui in lacu uicino ſubmerſi fuerunt. Graue quoq; damnũ hic ſuſtinuit Carolus, nam circiter quatuor millia papilionum, & multas bombardas amiſit. Ita redeunt domum confœderati, uictoria læti & præda.

Fuga Caroli apud Mortheym.

Deinde reuerſo duce Lotharingiæ, & petente, ut confœderati pro recuperanda Lotharingia ſibi adeſſent: Anno mill. ccccLxxvi. menſe Iulio & Auguſto cō fœderati Nanſeium obſident, in quo Burgundus habebat mille trecentos equites, & acceptis utrinq; damnis, conditionibus certis deditur Nanſeium, & redit ad ducem Lotharingium Reinhardum.

Confœderati Nanſeium obſident & occupant.

Carolus uero conſcribens exercitum ſpe liberandi Nanſeij ab obſidione: ſed antequam ueniret opem laturus, iam dedita erat ciuitas. Hinc uehementer indignatus ſuis, iurauit ſe uelle Nanſeium habere, aut mori. Quare collecto exercitu, rurſus mouet ad Nanſeium ſpe occupandi. Dux Lotharingiæ hoc confœderatis mox ſignificat, qui rurſus in Lotharingia confluunt. Vterq; exercitus apud Moſellam, quiſq; ex uno latere caſtra figit, conflictu paruo habito, Carolus mouet ad obſidendum Nanſeium iam alterã uice. In hoc Reinhardus Lotharingię dux pectora habebat, aut uincere, aut mori parata. Minatur Carolus, ſi uincat, uelle omnes eos cruci affigere. Grauiſſima cum fame, non ſolum cum truci hoſte coacti ſunt confligere, nam antequam dedere uellent urbem, equos, canes, cattos, & id genus animalia comederunt: multiq; in ea ciuitate per menſis ſpatium nec panem guſtarant. Atqui hæc omnia ferebant ęquiſſiſſimis animis, amore principis. Is dies & noctes apud Heluetios & confœderatos ſatagebat, ut ſuos obſidione liberaret. Tandem circa Natalem Domini, cũ Reinhardus Lotharingiæ dux xx. millia ex Heluetijs & confœderatis coegiſſet apud ſancti Nicolai portũ ſatis inſtructa, liberis & fidentibus animis, ſoluũt à ſancto Nicolao mane, uerſus Nanſeium. Et anno Domini mill. ccccLxx. die Dominica, quæ erat Epiphaniæ feſtum, fit pugna non leuis, fulgent ſigna confœderatorum. Dux Carolus quadringentos grauis armaturę equites pręmiſit, ut hoſtes diſtinerent, donec ad pugnam pararetur, inſtrueretq; ordines pro rerum neceſſitate. Illi uero cum tumulum apprehendiſſent, maiores exercitus ſpeciem exhibebant in latum extenti. Sed nō erat ea ſegnities confœderatis, ut à paucis detinerentur. Igitur pulſis pro pugnatoribus, ipſa ad caſtra mox perueniunt. Strennue utrinq; agitur. Sed parati imparatos, feroces trepidos facile uicerũt. Sternuntur aliquot millia. Tum effuſa fuga, omnes ſigna deſerunt. Capiũtur Balduinus atq; Antonius, naturales Caroli fratres, prælium differentes, atq; hoſtem diſtinentes, ut fuga interim frater dilaberetur. Sed infœlix ad riuum malefidum occupatur, ibiq; incertum, quis, & à quibus tantus dux proſternitur atq; perimitur, nō excedens annum xl. Diu ignoratum eſt quo abierit Carolus, ſed repertũ à quærentibus cadauer, infertur Nanſeium,

Carolus ſecundo obſidet Nanſeium.

Carolus Burgundus perit.

ſcium: gelu facies intumuerat,ut dinoſci difficile poſſet. Frater in primis Antonius,Phiſicus deinde eius,aſſenſi eſſe Caroli.Puer imberbis qui galeam duci pręferebat,teſtatur eſſe cudauer domini: aderat enim dum caderet, & monſtrauit cędis locum. Rob.Gag.lib.x.ſcribit: At ille reuera dum ſe fuga ſaluare contendit,labente equo quem inſidebat,fuerat tribus uulneribus occiſus,uno ad caput ſecus aurem,ad dentes uſq; pertingens,altero ad fœmora, tertium ad anum. Id certiſſima fide compertum eſt,capto Baptiſta adoleſcente ex Columnenſium familia,qui duci eodem tempore familiariſſime obſequebatur, qui non dubia de illo indicia protenus oſtendit. Aſſenſusq; eſt teſtimonio eius Matthęus Portugallenſis ducis Medicus, atq; Antonius eius frater notus, quem Lotharingus captiuum habebat. Inuentum ducis cadauer nudum in pratello, quod riuulus alluit,ubi crux ex lapide erecta eſt in memoriam cadentis ducis. Sed diu inter homines ſpes & metus uariabant. Alij uiuum abreptum in manus Francorum regis perueniſſe: alij fuga elapſum,ſed ſponte exulantem abijſſe ad Germanos,ibiq; ſeptennem pœnitentiam uouiſſe, quam poſtquã expleſſet, inde cum potentia reuerſurum,& ſuas iniurias uindicaturum. Certe tempore Rodolphi Agricolæ Phriſij,uiri utriuſq; linguæ doctiſſimi,ut huius habet Epiſtola ad Iacobũ Barbirianũ,multus uariusq; ſermo de Carolo fuit. Verba eius liber ſubijcere.

Rodolphus Agricola Phriſius de Carolo Burgundiaco.

Quidam eſt,qui magna uulgi perſuaſione Carolus eſſe creditur,qui Bruxellę quod Sueuię oppidulum eſt,genus uitę ſupra humanum morem horridum atq; aſperrimum peragit,ſcito fuiſſe me plus octo diebus loco, qui una tantum mila ab eo diſtat oppido. Et iuiſſem eò,allocutusq; hominem fuiſſem, niſi grauiores uiri,& quibus res exactius poterat eſſe cognita,affirmaſſent mihi,Carolum eum non eſſe. Deinde rediens in naui caſu in colloquiũ familiaritatemq; cuiuſdam inſinuaui me,qui triginta amplius annis domus Burgundiæ miniſter fuerat. Is ſe dicebat apud Nanciũ poſtrema illa clade quæ accepta eſt, ordines duxiſſe,& captum fuiſſe cum multis,& Caroli corpus ſine ulla dubitatione certiſſimisq; ſignis illic agnitum ſepultumq; eſſe. Præterea ſe cum hoc uiro longum habuiſſe colloquium,ſed illum conſtantiſſime negare Carolum ſe eſſe,& neq; ſtaturam, neq; loquendi,non dico ſonum,qui mutatur multis caſibus,ſed habitum & formam illam uerborum conuenire. Deinde barbam huic modicam eſſe,quæ Carolo latiſſima erat. Hunc rudes & craſſas,prorſusq; ruſticas habere manus, quũ Carolo teretes atq; ſubtiles eſſent. Præterea neq; cicatrices,neq; reliqua, quęcũq; eſſent, ſigna conuenire. Itaq; ſi qui illa ſpe teneantur, deceptum eos iri, & uanã eſſe exitu inuenturos. Vulgus tamen (qui mos illius eſt libentiſſime incredibilia quaſi comperta & loqui & credere) conſtantiſſime hunc Carolum eſſe aſſeuerat. Hæc Agricola.

Capti fuerunt hoc in prælio Comes de Naſſauu,Balduuinus & Antonius Caroli fratres naturales,dominus de Symont, dominus de Dyneſis, dominus de Arburg, dominus de Groy, iunior Marchio comes de Rœtel, & quidam alij. Naſſoius Argentoratum ductus fuit.

Rex Galliarum Burgundiam uult inuadere.

Rex Franciæ cum audiret exitũ belli, de cuius conſilio nõ credebatur alienus, paratam habuit expeditorum militum manum,quę Burgundiam ducalem iam ut putabat Coronæ adunatam, hærede maſculo non extante, acciperet regis nomine. Vbi refragatum eſt,arma intentabant. Idem fit de urbibus ad Somnam fluuium ſitis,de quibus etiam uiuente Carolo erat cum rege controuerſia.

Rex Galliarum Picardiam recipit.

Rex quoq; Franciæ tum Picardiam recepit,quæ in illum diem paruit Carolo duci,unde ille promptiorem ſuam militiam ſolebat deducere. Vrbes habet illa præclaras,Abatis uillam,Ambianum,maiores,cum non contemnendis alijs,& ſi impares ſint memoratis.

Erat Maximiliano,Imperatoris Friderici filio,deſponſata Maria, unica Caroli ducis filia,hæres legitima terrarum in occiduo intra Rhenum & Franciam. Ea puella cum per tempora,quibus de cęde patris fama inhorruit, Gandaui in Flandria eſſet,triſti accepto de patris morte nuncio,mox miſſis ſolẽnibus nuncijs in Artheſiam ac reliquas prouincias,quarum magis uacillaturam fidem proſpexit,

iuſſit accipere ſacramenta fidelitatis per ſingula oppida. Interea rex Franciæ

Maria filia Caroli uocatur à rege Galliarũ

ſollicitari fecit puellam, ut in propria perſona ueniens, homagiũ præſtaret, alioqui confiſcandis illius rebus, alios pręponeret. Non ibat illa, uerita quod res habuit, quod uenientem non dimitteret, ſed inuitam paruulo filio ſeruaſſet uxorẽ.

Rex obſidet Atrebatum.

Atrebatum interim rex obſedit. Res peruenit in tractatum inter regem & puellam. Vbi rex fecit allegari à ueteri memoria multa conuenta, in quibus eluxit, ut ferebant: Primum Burgundiæ ducatum nunc regno adunandum, ſtirpe uirili deficiente. Deinde Comitatum Artheſiæ per multas conuentiones, quarum literas exhibebat, nunc eſſe iuris regij, meritoq́ ab illo uendicari. Ex aduerſo prętendebant Ducales: uetera pacta nouioribus eſſe ſublata. Sed apparebat nõ tam iura quàm potentiam regiam formidari. Igitur ſi puella in coniugium Delphini inclinaret, non eſſe magnam de ſucceſſione quęſtionem: & hinc terris hæreditarijs plurima ex Francia poſſent euenire bona, pax in primis, & temporum tranquillitas: ab Germania non niſi bella, motus, perturbationes (uide uaticinium)

Vaticinium de Maria Caroli filia.

Iam puella Maximiliano duci animum inclinabat, nec potuit à ſententia dimoueri. Tumultuabantur Flandriæ maiora oppida, & ad libertatem, ſublatis oneribus, quæ uel Philippus, uel Carolus impoſuere, proclamabant. Prudens puella ſeruiebat tempori, multa diſſimulanter habens.

Hac ætate, relicta Caroli uidua dum uellet legationem mittere in Angliam ad fratrem Eduardum, audiuit nouam inter ipſos ſuos fratres perturbationem exortam. Nam dux Clarenſis in inſidijs, quas fratri parauerat, deprehenſus, ſolenni Perlamenti ſententia damnatus, capite immerſus uino trucidatur. Robertus Gaguinus habet: In Maluatici uini dolio uiuus extinguitur, & inde exemptus, capite truncatus eſt. Eius ſupplicij hoc genus fuit. Per eos dies apud Aruernos in cœnobio Iſſorienſi monachus quidam cũ hermophrodita eſſet, grauidus eſt effectus, aſſeruatusq́ ſumma diligentia, donec parturiuit. Ro. Guarinus.

Nuptiæ Maximiliani & Mariæ.

Anno Domini mill. cccclxxvij. Fine menſis Iulij, puella cũ Maximiliano duce nuptias init Gandaui. Erat in comitatu ducis, Epiſcopus Metenſis, Sigiſmundus dux Auſtriæ, patruelis, Otto dux Bauariæ, Marchiones de Baden, Comites de Vuirtenberg, & multa ſine nomine nobilitas. A nuptijs conſilium cogit gerendi belli. Viſum eſt ad regem Franciæ mittere Oratores, æqua petentes. Et ne ad arma, præceps iuuenis, ruere uideretur, per Oratores & Heraldos tentat pacem, ſed fruſtra. Rex Franciæ multis per Hannoniam atq́ Burgundiam, captis oppidis & arcibus, diſſimulanter tamen omnia fieri curauit, quaſi ignorante ſe res gererentur. Nam quoties oportunum uidebatur, animum oſtentabat pacis cupidum, cũ tñ hoſtilia omnia perageret. Ferunt nonnullos in Maximiliani fuiſſe cõcilio, qui regi omnia quę intellexerint, prodidiſſe crederentur, qua de re ſuſpecti, cũ etiã uerbis & ſermone notarẽtur, retraxerũt ſe in Franciam.

Induciæ.

Nato deinde ex Maria coniuge filio, Fridericus Tornacẽſis epiſcopus inducias procurauit anni totius. Rex Franciæ nato ducis paruulo miſit equum phaleratũ amicitiæ futurę pignus. Sed bello armãtur equi, bellum hęc armẽta minantur.

Equus phaleratus donum mittitur.

Sequenti anno Dola præcipua Burgundiæ ciuitas capitur à Francis, & diripitur per Suuiceros regi militantes.

Obſidio Morini.

Maximilianus deinde cõſilio rebus maturatis ualida manu egreſſus eſt ad obſidendũ Morinum. In ea obſidione certior factus de aduentu Francorũ, noctu retractis clam bellicis apparatibus, ordines inſtruxit, & quadrato agmine obuiam proceſſit hoſtibus. Iuxta Bonini oppidũ uenere agmina ſub mutuũ conſpectũ: Diſponũtur utrinq́ acies ad pręliũ. Iactis initio tormentis, pari animo progrediur uterq́ exercitus ad pugnam, pertinaciter utrinq́ pugnant. Dux ubi conſpexit Francorum pectora non cedere certa, ſed mori priusq́ fugerent, ipſe pedes cum peditibus cœpit inire pugnam, equitibus tamen in ſuo ordine durantibus. Vbi medium conſpexere ducem ſuum Alemanni, tum uero in pectora uigor penetrauit. Miſcentur ſtrages, Francorum multa millia perimuntur, capti nonnulli: Sed & ex ducalibus non pauci perierunt, ſed nihil ad numerũ Francorũ. Hęc prima ducis Maximiliani inſignis uictoria, magnũ illi nomen cũ gloria cõparauit.

Maximiliani prima & inſignis uictoria.

Anno

Officium prędicaturę Argentorati.

Anno Domini Mccccl̃xxviij. Inſtitutũ eſt officiũ prędicaturę in templo Argentoratenſi, ſub Roperto duce Bauarię, Epiſcopo Argentoratenſi, Iohanne comite in Helffenſtein, Decano. Ad quã rem Petrus Schottus, Conſul Argentoratenſis, uir integerrimus, impenſas non mediocres pręſtitit, ſupra ſeptingẽtos florenos, & operã dedit, ut Iohannes Geyler de Keyſerſperg, Theologię Doctor, ad illud munus primus uocaretur, qui xxx. annis pręfuit & profuit, & quod de Origene fertur, qualem habuit ſermonem, talem habuit & uitã. Habuit hæc ætas Parrochum etiam Argentoratenſem, uirum uita & doctrina probatiſſimũ, Iohannem Crutzer, Theologię profeſſorem, qui una cum Concionatore Keyſerſpergio, parare Domino plebem perfectam, dies noctesq́ ſtuduerunt.

Rhodus defenſa, cœleſti auxilio.

Anno Domini Mccccl̃xxix. Turcę armorũ terribili apparatu, Rhodum inſulã oppugnare adorti, bis omnino mœnia ſubierũt, mille & trecentis bombardarũ ictibus muri concuſſi, propugnatorũ ſunt uirtute defenſi. Duraſſe legitur hęc obſidio undenonaginta dies. Si uera ſunt, quæ ſcribuntur, fuit tum Rhodus cœleſti magis quam humana ope defenſa.

Hydruntum urbs obſidetur.

Anno Domini Mccccl̃xxx. Turca Hidruntem urbem in Apulię & Calabriæ finibus expugnat. Poſtq̃ xvij. dies obſediſſet, Epiſcopum loci dignitate & ætate uenerabilẽ, exquiſitis ſupplicijs excarnificauit, clerum extinxit, obuiũ populũ perdidit, iuuenes abduxit fœminis abuſus, & illa fecit quæ ſolent irati uictores omni crudelitatis genere ſeuiendo. Certe apparebat Turcã totis uiribus Italię incubiturum. Imminebatq́ ex eo Chriſtiano nomini ingens diſcrimen, niſi matura illius morte manifeſta Dei prouidẽtia terror ille diſcuſſus eſſet. Iam Papa Sixtus cœpit res propius intueri: iam mallet, quæ nepotibus impendit, in publicis Chriſtianitatis uſus conuertiſſe, de fuga ſanè in Gallias conſultat. Miſſis literis & nuncijs, Pontifex uult Principes excitare, ſed letargo laborabant. Interea defuncto Mahumete, Alphonſus rex Neapolitanus cum Senẽſibus bellum gerebat: audito uero nuncio de Hydrunte urbe capta, feſtinanter ſe in Neapolim recepit, & quoniã tyrannus mortuus fuerat, & Turcæ coacti redire ad ſua, Alphonſus facile recuperauit Hydruntem, & Chriſtiani nominis hoſtes Italia expulit. Magnus fuit ille Mahumetes bellator, per id tempus plurimis locis bella inferens gentibus, Rodienſibus, Calabris & Vngaris, & in medio feruore bellorũ, uir bello natus, moritur: qui plura cõfeciſſet unus, quã eius omnes ſimul precurſores. Reliquit filios duos de patris ſucceſſione contendentes. Maior natu Baiazeth, occupatis arcibus & urbibus primarijs accepit à ſubditis homagiũ. Minor uero cõfugit ad fratres hoſpitales diui Iohannis Rhodienſes, quorũ ſciebat acerbiſſima in gentẽ odia, pollicitus reddere Conſtantinopolim, ſi Chriſtianorũ uiribus reduceretur ad iuſtũ ſuum imperiũ. Magiſter ordinis teſtatus, hoc non eſſe ſuarũ uiriũ, ad Imperatorem miſit. Qui expenſis perinde grauari uiſus, ad regem Franciæ fecit peruenire. Ibi captiui ſpetie nobilis iuuenis diu habitus eſt, donec ſummo Pont. Innocẽtio mitteretur ab regni cancellario, paciſcẽte aliquot rubros galeros pro tanto captiuo. Papa illum in palatio tenuit diligenti cuſtodia, fratre, ut aiũt, illius aliquot ducatorũ millia, annua pollicente, ut diligentius ſeruaretur. Seruatus fuit uſq́ ad tempora Alexandri vi. qui Carolo viij. regnũ petente Neapolitanũ illum permiſit. Iuuenis, q̃ ita inter manus, uelut pila iactaret, dolore ãnimi cõtracto morbo, in itinere moriens, defecit. Sunt qui illũ ſponte ſumpto ueneno aiũt perijſſe.

Bellum regis Neapolitani cũ Senenſibus.

Mahumetes magnus bellator.

Baiazet.

Mathias Vngariæ rex.

Matthias interim Vngariæ rex, ſumpta occaſione uſus, quæ illi pręſtaretur per regnũ Turcarũ innouatũ, urgebat Turcam, pepuliſſetq́ omni uicina regione, niſi eodẽ in tempore ab latere Auſtrię uexatus, à Turca retractus, per hoſtiliorẽ Imperatoris noſtri capitaneũ ſe cogeretur defendere. Alb. Krantz lib. xij. cap. xxviij.

DE IOANNE VVESSALO.

HIs temporibus claret M. Ioh. Veſſalus Groningenſis, lux mundi olim uulgo dictus, raræ & reconditæ doctrinę uir, cuius ſancta quędam monumenta extant. Primo, de benigniſſima Dei prouidentia, omnia ſuauiter diſponente. Secũdo, de cauſis & myſterijs & effectibus dominicę incarnationis & paſſionis. Tertio, de dignitate & poteſtate Eccleſiaſtica, de uera & recta obedientia. Quarto, de

to, de Sacramento pœnitentiæ, & quæ ſunt claues Eccleſiæ, de poteſtate ligandi & ſoluendi. Quinto, quæ ſit uera cõmunio ſanctorum, de theſauro Eccleſiæ, de participatione & diſpenſatione huius theſauri, de fraternitatibus. Sexto, de purgatorio, quis & qualis ſit ignis purgatorius, de ſtatu & profectu animarum poſt hanc uitam. Deceſſit ex hac uita: Anno Domini Mccccl xxxix. Ita quælibet ætas habuit ſuos θεοδιδάκτους, & in fide electorum Dei, agnitioneq́ ueritatis, iudicio ſano præditos.

Anno Domini Mccccl xxxij. Maria unica Caroli filia, Archiducis Maximiliani uxor iam pregnans, cum nimio uenandi ſtudio teneretur quodam die egreſſa, dum feram forte conſpectam inſequitur, uel equo in preceps abeunte, uel alio caſu, certum enim non traditur, ad terram excidit, grauiter leſa, Brugas defertur. Ad eam curandam accerſiti ſunt undiq; medicæ artis ſcientiſſimi uiri. Sed malo artem ſuperãte, haud multis poſt diebus uita deceſſit, quum annos nondũ quinq; Archiduci nupta fuiſſet, gubernaſſet autem quinquennium.

Anno Dñi Mccccl xxxiij. Margareta Maximiliani Archiducis Auſtrię filia, deſponſata eſt Carolo Delphino filio, Galliarũ regis Ludouici xi. Is eodẽ anno moritur.

Gandauenſes iniqui in Maximilianum.

Hoc tempore Gandauenſes, qui occultis ſępe conſilijs in Franciã reſpiciebãt, ut adminiſtratione legittimę tutelę Maximilianum excluderent, filium eius Philippum, & filiam Margaretam, magna difficultate ex Bruxellis in Gandauum tranſtulerunt, iam tum cogitantes magis quam edicentes, ꝙ nullam patri relinquerent tutelam filiorũ. Quippe, quia re ipſa probabant magnas opes ſub manibus eius mirabiliter deperire, ut nulla pecunia, quantumcunq; magna, illi, ut dicebant, ſuffectura uideretur. Agente nimirũ facilitate, & profuſa liberalitate, quã illi ad prodigalitatẽ imputarunt. Sed iuſtos interpretes res accipiens, nihil aliud prodit, quam principis benignã & facilem humanitatẽ, quę pecuniarũ contemptrix, opes mauult perdere, quam à ſe triſtem quempiã diſcedere. Et in ſuos non uti liberalitate, quæ uirtus eſt Principum præcipua. Sed tum inuito Archiduce Maximiliano, pacem cum rege Franciæ inibant Flandrenſes.

Liberalitas Maximiliani.

Dux Valentinus Papæ filius.

Anno Domini Mccccl xxxiiij. Sixtus iiij. febribus decubuit, & cum pacem inter Venetos & reliquos potentatus confectã audiſſet, mox uitam exalauit. Poſt Sixtum iiij. fit Papa Innocentius viij. Poſt innocentiũ Alexander vi. hic filiũ habuit ducem Valentinũ, quem Pontifex Principẽ fecit Vrbinatem. Is ſymbolũ habuit, ô Cęſar, ô nullo, hoc eſt, aut Cęſar, aut nihil. Vltimum tandem aſſequutus fuit, hoc eſt nihil, nam propter mirabiles practicas ſuas, & indicibilem perfidiam tandem confoſſus eſt.

Aut Cæſar, aut nihil.

Clarent hoc tempore Iohannes Picus Mirandulæ comes, Barbatia Iureconſultus, Georgius Valla, Arculanus Manfredus medici, Iohannes de Regio monte Mathematicus, Hermolaus Barbarus, Politianus, Gaza, Platina, Sabellicus, Pomp. Lætus, Marſilius Ficinus, Aldus Manutius, & cęteri uiri doctiſſimi.

MAXIMILIANVS XXXVIII. IMP. GERM.

MAXIMILIANVS XXXVIII. Imp. Germ.



ANno Dñi Mccccl xxxvi. xvi. die Februarij: Fridericus Imperator MAXIMILIANVM Archiducem Auſtrię, filium ſuum Francophordiæ, in æde diuo Bartholomeo ſacra, conſortem imperij declarauit.

Eodem anno, menſe Martio, Fridericus Imperator, aſſiſtẽte Maximiliano rege, Principibus & comitatibus imperij, eorumq́ miſſis, conſentientibus: legem tulit de pace tuenda, per totũ decennium, ut nemo alterum in perſona aut rebus offenderet uia facti. Hæc pax per imperiũ à multis recipitur, maxime

maxime Sueuis, qui iuſſu Cęſareæ Maieſtatis ſocietatem & ligam fecerunt de pace illa inuicem conſeruanda,& contra omnes uiolatores aſſerenda.

Anno Domini Mcccclxxxvij. Fridericus Imperator Comitia habet Norinbergæ,ubi de unione & pace Principũ uariæ conuentiones ſunt habitæ, utq; omnia bella indutias haberent,concluſerunt. Id quod nemo ſeruauit.

Eodem anno Maximilianus à Brugenſibus capitur, in ipſa urbe, ſed Fridericus pater liberauit filium.

Anno Domini Mcccclxxxix. Poſt motus ciuiles, qui in Brabantia fuerunt, peſtilentię morbus aliquot locis atrociter ſeuijt. Ingentem enim fecit in duobus oppidis uaſtitatem, Bruxella & Louanio; illic duo & triginta, hic uiginti millia hominum extinxit.

Anno Domini Mccccxci. Maximilianus illuſtriſs. ducißam Britanniæ, per legatos, ſufficientibus mandatis uxorem duxit, ſed Carolus Galliæ rex, Margaritam filiam Maximiliani, ſibi deſponſatam repudiat, & Maximiliano deſponſatam rapit, uxorem ducit. Hæc Naucl.

Anno Domini Mccccxcij. Euecta ſunt Hiſpania centũ & uiginti quatuor millia familiarum Iudaicarum, rex edicto uetuit, ne aurum uel gemmas è regno exportarent, ſed cõmutatione rerum, pannum, uinum, & id genus alia ad uictum pertinentia, ſecundum debitam æſtimationem acciperent. In itinere ex his triginta millia peſtifer morbus abſũmpſit.

Anno Domini Mccccxciij. Obijt Fridericus tertius Imperator Romanus cum annos imperaſſet tres & quinquaginta.

Anno Domini Mccccxciiij. Maximilianus cœpit regnare à morte patris, cum quo uiuente, octo annis rebus gubernãdis prefuerant, poſthac ſolus annis uiginti quinq; imperauit. Quanq; autem Maximiliani imperium; initia, mediocria habuerit, ualde tamen auxit imperium Germanicum.

In initio imperij Maximiliani, Carolus Gibbaſus rex Galliæ, profectus eſt in Italiam,& occupauit Neapolim, ſequenti annó rurſus rediens in Gallias. Tum Ferdinandus iunior, rurſus recuperauit Neapolim & Gallos, quos iſtic rex reliquerat, fudit & fugauit auxilio Maximiliani.

Maximilianus, ut ſupra paucis attigimus, multa egregia bella geſſit, primum in Flandria & Brabantia, ubi pręclare multa egit, aliquorum meminit Krantz in Saxonia. Optandum uero eſſet, ut eruditus aliquis, magnifica facta, & conſilia prudentia inclyti herois colligeret,& conſcriberet. Bilibaldus Pirckhaimer Norinbergenſis, Philippo Melanchtoni aliquãdo dixit, Maximilianum ipſum ſuas res geſtas, aliquot annorum deſcripſiſſe, nam ſe nauigio uectum cum Maximiliano à Lindauu ad Conſtantiam, & cum in naui ocium haberet Imperator, uocaſſe ad ſe ſcribam, & dictaſſe illi res geſtas unius anni, idq; uarijs conſilijs & circumſtantijs. Et cum Pirckhaimerus putaret agi ſecreta quædam, ſecedere uoluit. Ibi Imperator manere iuſſit, & auſcultare. Ad ueſperam curauit, ut dictata legerentur Pirckhaimero, rogans, ut ei placeret equeſtre latinum, uulgo das reiter latein? Dicebat uero optimus Princeps, ſe percupere paucis complecti res geſtas, ut eruditi, qui uellent deſcribere & hiſtoriam parare, ex autographis certa haberẽt. Teſtatus autem eſt Pirckhaimer de perſpicuitate huius ſcripti, & q̃ à morte Maximiliani admiſus ſit, ſed non potuerit aſſequi.

Preclara bella Maximiliani.

Pirckhaimerus Norinbergens.



Anno Domini Mccccxciiij. PHILIPPVS Maximiliani filius, annũ agens ætatis xvi. Louanij, Brabantiæ, principatui inauguratur. In cuius uerba tanto conſenſu ac ſtudio ab uniuerſa multitudine iuratum, ut nunq; alias maiore.

Philippus Maximiliani filius.

Anno

Blanca Maria, Maximiliani uxor. Anno eodem Blanca Maria uirgo illuſtriſſima, Galeacij quondã uicecomitis & Mediolanenſium Principis filia, Maximiliano regi deſponſata, in oppidum Insbruck, ad tedas nuptiales traducitur, & ritu Chriſtiano copulatur; orationẽ tum habuit clariſſimus Iaſon Mainus, eques Romanus Iuris conſultus.

Anno Domini Mccccxcv. Maximilianus comitia habet Vuormatię, in quibus tria tractarunt. Primo, de reſiſtendo Turcæ. Secundo, de reſiſtendo Carolo, Galliarum regi occupanti quędã imperij in Italia. Tertio, de iudicio cameræ. In his comitijs Comes Eberhardus de Vuirtenberg, Dux Vuirtenbergenſis deſignatur. Hic cum ægrotaret anno Domini Mccccxcvij. uicinus morti fertur ſic oraſſe. Creator cœli, terręq; Deus, te queſo fac agnoſcam. Si quiſquam eſt, cui preter æquitatem graue nimis fuit imperium meum, reſtituetur is, rebus meis impenſis omnibus. Quòd ſi ne hoc quidem ſatis fieri poteſt, tibi benigne conditor, en hoc eſt quod offero, quod tibi deuoueo, corpus caſtiga iugiter, hoc piaculũ eſto. Pleniſſime aũt dixiſſet, ſi cum Auguſtino ita fuiſſet fatus: Tota ſpes mea in morte domini mei, mors eius meritum meum eſt, refugium meum, ſalus, uita, & reſurrectio mea, meritum meum, miſeratio domini. Quanto ille potentior eſt ad ſaluandum, tanto ego ſecurior ſum, hæc παρέργως.

Morbus Gallicus. Anno Domini Mccccxcvi. Quo Carolus octauus Gallorum rex, per Italiã exercitum ducens, Neapolim expugnauit, morbus quidam multis annis antea incognitus, homines Italiæ, deinde Germaniæ, & utrobiq; terrarum inuaſit, quem morbum Francię, ſeu Gallicum uocauerunt. Pariſijs groſſa uariola nuncupatus. In Hiſpania propinquiori, & in Aragonia morbus S. Sementi, ultra Hiſpanias, & in Granata morbus curialis (quia curioſe & crapuloſe uiuentes, inſequitur.) Mathias Machonienſis, ſcabiem fœdam uocat. Rodebat hic morbus facies humanas, & cetera corporis membra, uſq; ad medullas & oſſa, quibuſdã etiam nares eradicabat, & cum aliqui, uix tandem ſanarentur, relicta tamen in eis manſit quædam membrorum cõtractio. Exploratum fuit, hanc peſtem plurimum eſſe contagioſam, & manent in hodiernum diem morbi reliquiæ.

Hoc tempore Nicolaus Eremita Heluetius, ſumma abſtinentia claret.

Per id tempus Hieronymus Sauonarola, ordinis Prędicatorum, prędicat Florentiæ, huius hæc erant Themata: Italiam flagellis Dei expiandam, propter peccata multiplicia in Principibus, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus. Florentia ut beq; Rhoma euerſis, renouationẽ Eccleſiæ futuram, & ꝙ hæc cito deberent fieri. Turcas & Mauros noſtris temporibus ad Chriſtianum cultum conuerti debere. Prædixit etiam quendam alpes tranſiturum in Italiam, Cyro ſimilem, qui ſubuertere deberet Italiam.

Anno Domini mill. ccccxcviij. Fato conſumptus eſt rex Gallorum Carolus, is qui paulo ante Italiam cũ exercitu ingreſſus, & Romam uenerat, nolente ac mœſto pontifice, & Neapolim ultro ſibi deditam intrauerat.

Collegium pauperum theologiæ ſtudentum Louanij. Eodem anno Iohannes Standonc, patria Mechlinienſis, uir & literis Theologicis, & morũ ſanctitate inſignis, Louanij collegium pauperum inſtituit, quod à ſui inſtitutoris nomine Standonicum uocatur. Qui in eo aluntur iuuenes, primum Philoſophię, deinde ſacris literis operam impendunt. Complures in hoc contubernio euoluendis orthodoxorum uoluminibus adeo aſſiduam operam dederunt, ut doctiſſimi euaſerunt, alijq; ob egregiam doctrinam uocati ad eccleſiarum præfecturas, alij ad alios honores. Nihil dico de ſtudio pietatis, uigilijs, ieiunijs, precationibus, alijſq; conſimilibus progymnaſmatis, quibus ſacerdotiũ meditatur hæc iuuentus. Vtinam poſteritatis ergò qui diuites ſunt in præſenti ſeculo, etiam diuites ſint talibus bonis operibus, ut educentur Theologiæ candidati, & aliarum honeſtarum diſciplinarum ſtudioſi, ut nunquam deſint, & miniſtri eccleſiarum, & formatores iuuentutis. Nam ſi hic negligentes fuerimus, metuendum eſt, ne pro Chriſtianiſmo breui ſimus gentiliſmum habituri.

Huic inſtituto non eſt diſſimile Petri Bufleri ciuis Iſnacenſis ſanctum inſtitutum, de quo infra, anno mill. Dxxxiiij.

Sozinus & Iazan Iureconſulti, Alexander, Benedictus, Antonius, Beniuenius Medici

Medici,Iohannes Naucleras,Raphael Volaterranus,Robertus Gaguinus Hiſtorici,Rodolphus Agricola Phriſius,Iohannes Iouianus Pontanus, Petrus Crinitus,Stephanus Niger,Fauſtus Andrelinus,Carteromachius,Calepinus,Codrus Vrſeus,& Beroaldus,florent.

Anno Domini mill. ccccxcix. Heluetij cum uicinis,Auſtrię domui ſubiectis, bellum habuerunt,quare Maximilianus ex Gelria, ubi tamen ſatis habebat negotij,aduenit,ſubditos ſuos defenſurus: tandem poſt uarios conflictus, in quibus tamen circiter uiginti millia deſiderati ſunt ex utraq; parte,ceſſauit bellum. *Bellum Maximiliani cũ Heluetijs.*

Robur genti addit etiam loci ſitus, Iulio Cęſare autore, una ex parte Rheno flumine altiſſimo & latiſſimo, qui agrum Heluetiorum à Germanis diuidit, & hoc ad Septentrionem: ad Occaſum Iura mons à Sequanis: à Meridie Lemannus lacus & Rhodanus: ab Oriente clauſtra alpium ab Italis diſcernunt.

Anno Domini mill. D. Gandaui in Flandria Philippo Archiduci Auſtriæ natus eſt filius,qui baptiſmo admotus,Caroli nomen accepit. *Carolus V. naſcitur.*

Eodem anno Ludouicus rex Galliæ Mediolanum,& totam Inſubriam inuadit,pulſo duce. Adiuuabat regem tempus,& quod ſocietatem cum Venetis iam inierat,& quod dux ea tempeſtate ciuibus ſuis omnino inuiſus erat. Is in ſola fuga ſalutem conſtituens,magnis itineribus ad regem Maximilianum in Atheſim ęgre peruenit.

Anno Domini mill. D. i. Paſſim per Germaniam in ueſtibus hominum cruces uiſæ ſunt: immo non ſolum ſignum Dominicæ crucis,ſed & coronæ ſpineę, clauorum ſimilitudo,guttæ ſanguinis de cœlo ceciderunt. Interdum etiam intra domos & cubicula ea delapſa,mulieres ſæpe dies multos in ricis ſuis circuntulerunt. Hæc & his ſimilia ſignificabant iram Dei imminere hominibus. *Cruces.*

Anno Domini mill. D. ij. Per totam Germaniam morbus peſtifer inclementiſſime ſęuijt, præmonſtratum malum,ut quidam oppinati ſunt,per cruces, quę non multo ante in ueſtes hominum ceciderunt. *Peſtis.*

Anno Domini mill. D. iij. Alexander ſextus Rom. Pont. libinoſiſſimus, poſtq; ſedit annis ij. moritur. Narrant quidã ueneno interijſſe, quod filius eius ex Cardinalibus uni parauerat, ſed pocillatoris errore factum eſſe, ut Pontifex biberit.

Hoc anno moritur Iohannes Dalburgius Vangionum antiſtes, qui inter noſtræ ætatis pontifices facile doctiſſimus extitit,trium linguarum, Hebraicę, Grææcę & Latinę admodum peritus,quem non ſolum Germani, ſed & Itali ac Galli ſæpius admirati ſunt orantem, dum & Romæ ſub Innocentio viij. in publico peroraret conſiſtorio,& Pariſijs coram rege Ludouico in Parlemento quod uocant,mœcenas,hoſpes & patronus eruditorum omnium ſuo tempore. Præceptorem in Græcis literis habuit Rodolphum Agricolam.

Iohanni cognatus fuit Dietherus à Dalberg,uere nobilis heros, ad res componendas fœliciſſimus,& uere εἰρηνοποιὸς: qui,cum mentio fieret ob res adflictas eccleſiarum Concilio opus habere hæc fermentata tempora, ſolitus fuit dicere, quatuor eſſe iudices minime ſuſpectos,Concilio præficiendos, Biblia Hebræa, Græca, Latina, & Germanica: & tamen laicus erat, forſan reſpiciens ad illud, quod legitur de ueteribus Concilijs,quod ſemper poſuerint in omnibus ſeſſionibus Euangelia in medium. Hunc Dietherum ſæpe audiui dicentem,ſub annũ mill. Dxxiiij. Canonicis quibuſdam,ſe percupere dare omnia uina quæ haberet, (habebat uero non minus quàm xxx. plauſtra) ut quilibet eorum honeſtæ matronæ condormire poſſet: ad illud ſpectans,quod Heb. xiij. legitur: Honorabile inter omnes coniugium & cubile impollutum. Scortatores autem & adulteros iudicabit Deus. Et quod,proh dolor,hodie apud collegia,quæ σεμνεῖα eſſe deberent,& loca honeſtorum, Idolum Veneris in locum Crucifixionis ponitur.

Idem cum haberet ſub ſe pagos aliquot,& accideret, ut ex ſubditis quiſpiam delinqueret, ab hoc non mulctam pecuniariam (unde uxor & innocentes liberi luebant) accipiebat,ſed diebus Dñicis & feſtis in carcere, pane & aqua iuſtitiæ patronus plectebat tranſgreſſorẽ: ſic terrori erat male agentibus,& hoc tempore quo aliàs uacabãt labore,animaduertebat in malos, nõ ſibi gerens dominium.

Ingens ſaxum de cælo ſeptima Nouembris apud Enſisheym Elſatiæ oppi-dum cecidit.

Inſulæ quædam in Oceano antiquioribus ignotæ, hoc æuo ueluti nouus orbis, ab Americo Veſputio primum, & deinde à Chriſtophoro Columbano illuſtrantur.

Anno Domini mill. D. iij. Pius tertius Senenſis Papa ſedit ſolum xxx. diebus.

DE LIGA SOTVLARIA IN AGRO BRVXELLENSI exorta, uulgo im Brůreyn.

HOc anno in agro Bruchſellano Spirēſis diœceſis, ex pago Vndergrunbach, exorta fuit rebellio Agricolarum, quorum articulos coniurationis fuiſſe ſequentes, in additionibus Nicolai Baſelij ad Chronicum Naucleri legis.

Primus, ut aucti numero, omne iugum ſeruitutis excuterent, & Heluetiorum more armis libertatem ſibi uendicarent.

II. Admiſſus in hanc ligam ſotulariam, orationem Dominicam & ſalutationem uirginis quinquies in die pro uictoria flexis genibus oraret.

III. Symbolum conſtituerant quo ſe cognoſcerent, Virginem Mariam, & Iohannem Euangeliſtam. Item ut interrogatus à ſocio Germanice, Was iſt nun fur eyn weſen/reſponderet: Wir mögen vor den Pfaffen nit geneſen.

IIII. Vt abolerent omnē magiſtratū, & qui contra ſtaret, ut hos trucidarent.

V. Vt Bruchſellam oppidum inuaderent, mox Marchionatum Badenſem.

VI. Vt bona monaſteriorum, & eccleſiarum, & clericorum inuaderent, & inter ſe diuiderent, & numerum talium imminuerent.

VII. Vt ultra horas xxiiij. in nullo loco moram traherent, ſed pergerent ſemper, donec omnia ſuæ coniurationi ſubijcerent.

VIII. Spes eos bona habebat, libertatis amore, ciues & ruſticos, etiam non compulſos, ſibi facillime adheſuros.

IX. Vt extinctis monaſterijs & eccleſijs, nulli cenſus & decimas ſoluerēt, nec principibus, nobilibus, aut clero. Ita immunes futuri à uectigalibus & omni tributorum genere.

X. Vt uenationes, piſcationes, paſcua, nemora, & id genus alia, in communitatem reuocarentur, nec principū aut nobilium priuatis uſibus deſeruirent.

Hæc temeraria conſilia non potuerunt ſtabilire, quare pœnas dederunt expoſiti cruciatibus & morti: nam & Maximilianus rex ſuo mandato iuſſit in eos animaduertere.

Anno Domini mill. D iij. Poſt pium tertium fit Papa Iulius ſecundus Ligur bellator, ſedit decennio, & ne quid amplius ſanctitati deeſſet, Reſeruatum in pectore ueteratorie excogitauit. De hoc habes elegantiſſimum Dialogum, iudicij plenum, ætate Eraſmi natum.

Bellum Bauaricum. Anno Domini mill. D. iiij. Fuit bellum Bauaricum, in quo Maximilianus Cæſar, principes Monachi, contra Philippum Palatinum, & ducem Rupertum, Philippi Palatini filium tutatus eſt. Is putabat ſe uelle cum filia ducis Georgij Bauari, hæreditario iure Landshut, & eam Bauariæ partem poſſidere. At Rupertus in eo bello cum ipſa principe uxore moritur. Palatino autem Rheni per Cæſarem, Lantgrauium Haſſię Guilielmum, & ducem Vuirtenbergenſem multa adimuntur. Maximilianus etiam ingentes copias Bohemorum, uolentium auxilia ferre fudit. Poſthac Palatinus cum Cæſare in gratiam redijt.

Eodem anno Philippus Caſtellę princeps, Archidux Auſtrię, claſſe Hiſpaniā petens, aduerſo uento unà cum coniuge compelluntur in Angliam, unde ſecundis flatibus reſtitutis, prius muneribus magnifice à rege inſulæ donati, abiere, ſuā nauigationem in Hiſpaniam peragentes.

Omnes in regno Granatę cogūtur aut fidē Chriſti ſuſcipere, aut è regno migrare.

Anno M. D. v. Max. ducē Geldrię obſedit apud Arnheim, et coegit ad deditionē.

Anno

Anno Domini mill.D.vi. Philippus Maximiliani filius, rex Hiſpaniarum, & Burgundiæ dux moritur, quem principem fortuna terris oſtendit, ſed protinus ſubduxit: hinc incredibilis luctus Brabantiã cęteraſq; regiones ſocias occupauit.

Ludouicus xij. Francorum
Alexander Poloniæ & Bohemiæ
Emanuel Portugalliæ } Rex.
Iohannes Danię & Nortuegiæ
Philippus Germanus Hiſpaniarum
Ladiſlaus vij. Vngarorum

Conradus Celtes primus Germanus Poeta à Cæſare laureatur.

Eodem anno à Buſcoducenſibus nouum tormentorum genus inuentum eſt, quod Mortarium uocabant, in obſidione arcis Proyæ, quę ſita proxime Moſam inter Goricum & Buſcumducis oppida, opere & natura fuit munitiſſima. Ibi ijs inſtrumentis pila & grauiſſimas ſaxorum moles in altum eijciebant: hinc cum deciderent, paucis diebus arcis tecta omnia, ac deinde tabulata corruebant. *Mortarij bombardæ inuẽtio*

Leonicenus, Gattinaria, Optatus, Caballus, medici: Auguſtinus Niphus, Carolus Bouillus, Iacobus Faber Stapulenſis, Philoſophi: Petrus Bembus, Pandulphus Collenutius, Richardus Pacęus, Tricaſſus Chiromanticus, Trithemius Abbas, Vigo Chirurgicus, Stabius, Vernerus, Stœphlerinus, Mathematici, Mantuanus & Bebelius, clarent.

Anno Domini mill.D.vij. Maximiliano Cæſari diuturnum bellum fuit cum Venetis, in quo multum & ſæpe pugnatum eſt, magnæ mutationes factæ, Ludouicus Galliarum rex primũ Venetis adhærebat, poſthac ſe Maximiliano adiunxit. Papa Iulius primum Cęſaris partibus fauebat, poſtmodum cũ Venetis ſentiebat. Veneti melioribus quas habebant ciuitatibus deſtituebantur, Verona, Padua, Teruis, & multis alijs. Cum uero Pontifex ſe Venetis iungeret, uoluit & rex Franciæ Pontificem inuadere, qui tamen exercitum ſuum adhuc apud Cæſareanos in Italia habebat. Timens autem Cæſar, ſi Gallus potiretur uictoria, quod recta contenderet Neapolim, auſurus etiam Romæ aliquid, quod imperio Romano graue eſſet: quapropter Cardinalem Saltzburgenſem Matthęũ Langium à conſilijs Cæſari, mittit ad Papam, ut ſatagat pro pace, antequam Gallus committat prælium. Iulius uero cũ inſtructus eſſet Hiſpano & Italo milite, bene confiſus, res proſpere caſuras, noluit admittere pacem, ſed congreditur Gallo apud Rauennam die Paſchę, anno mill.D.xij. fit maxima ſtrages, utrinq; fortiſſime pugnatur, ſed uincuntur Pontificij, pereunt in eo congreſſu circiter xvi. millia. *Bellum Maximiliani cum Venetis.*

Accepta clade, Iulius cum Maximiliano libenter pacẽ inijt. Maximilianus uero ut regẽ Francię ex Italia euocaret, ipſe & Papa concitarunt Anglum, Germaniã & Heluetios contra Gallum. Ita coactus fuit Gallus cedere: & ita deinde Veneti cum Cæſare concordati fuerunt.

Rauennæ paulo ante natum fuerat monſtrum, cornu in capite, alas habebat, brachia nulla, pedem unum, ut auis rapax, oculum in genu, ſexum utrũq;, in medio pectore y pſilon, & crucis effigiem. Aliqui interpretati ſunt, cornu ſuperbiã: alas leuitatem & mentis inconſtantiam: carentiam brachiorum, defectum bonorum operum: pedem rapacem, rapinam, uſuram, & omnimodam auaritiã: oculum in genu, ſolum ad res terrenas mentis deflectionem: utrunq; ſexum, Sodomiam, & propter hæc uitia Italiam ſic nũc bellicis contritionibus quati: y pſilon uero & crucem, ſigna eſſe ſalutis: nam y pſilon figura eſt uirtutis. Ideo ſi ad uirtutem recurrant, & ad Chriſti crucem, ab his tribulationibus liberabuntur.

Anno Domini mill.D.ix. Septem homines ſylueſtres ex ea inſula, quę Terra noua dicitur, Rothomagum adducti ſunt, cũ cymba, ueſtimentis & armis eorũ. Fuliginei ſunt coloris, groſſis labris, ſtigmata in facie gerentes, ab aure ad mediũ mentum, inſtar liuidæ uenulæ, per maxillas deducta, crine nigro & groſſo, ut equina iuba, barba per totam uitam nulla, neq; pubes, neq; ullus in toto corpore pilus, præter capillus & ſupercilia: baltheum gerunt, in quo eſt burſula quædam ad tegenda uerenda, Idioma labris formant, religio nulla, cymba eorũ cor- *Homines ſylueſtres in inſula noua.*

ticea,quam homo una manu euehat in humeros. Arma eorum arcus lati, chordæ ex inteſtinis aut neruis animalium. Sagittæ cannę ſaxo aut oſſe piſcis accuminate. Cibus eorum carnes toſtę,Potus,aqua. Panis & uini & pecuniarum nullus omnino uſus. Nudi incedunt,aut ueſtiti pellibus animalium, urſorum, ceruorum,uitulorum marinorum,& ſimilium. Regio eorum Parallelus ſeptimi climatis plus ſub Occidente,quàm Gallica regio ſupra Occidentem.

Anno mill.D.x.Iulius Pont. Rom.reconciliatur Venetis, & exercitũ ducens, Mutinam capit & Mirandulam,quã Iohanni Franciſco Pico loci dño reſtituit.

Anno Domini mill.D.xi.Mirandula recuperatur à Gallis,& Mutina regi Maximiliano traditur. Bononia deficit à Pontifice.

Anno Domini mill.D.xij.Maximilianus camitia habet Treueris & Coloniæ, præſentibus principibus Electoribus,Vriele archiepiſcopo Mogontino, Philippo Colonienſi,Reichardo Treuirenſi,Ludouico Palatino & alijs. Ibi inter alia, quoniam ſuſpicio erat,ſchiſmatis oriundi, & grauaminum in eccleſia,neceſſario decernitur,ut Imperator & principes Electores,cum alijs principibus & ſtatibus imperij, qua ratione commodiſſime grauamina tollantur, & ſublato ſchiſmate,omnia in ędificationem inſtituantur,diſpiciant & probe conſultent.

Decreta contra blaſphemias. Decretum etiam contra blaſphemos, pœna marcę auri,uel capitali: & ut hoc decretum neminem fugiat,uiſum eſt principibus & ſtatibus imperij, ut concionatores & parrochi in quatuor primarijs feſtiuitatibus,Paſchę, Pentecoſtes, Aſſumptionis Mariæ,Natalis Chriſti pro cõcione populũ fideliſſime admoneant.

Et quoniam ex ebrietate blaſphemiæ, homicidia, & innumera uitia fluunt, grauiſſime interdicitur,ut Electores & alij principes in aulis ſuis nullos ex nobilibus ebrioſos perferant: & qui de uulgo,in corpore grauiſſime luant.

Hoc tempore dux Gelriæ Carolus,qui iam pridem in uerba regis Maximiliani,de pace ſeruanda,iurauerat,rupta concordia,bellum Brabantis intulit. Oppidum Thenenſe cepit, & captum dirupit, uiribus adiutus Gallorũ regis, qui iam inde ab obitu Philippi,Burgundiæ domui,hoſtis eſſe cœperat.

Hoc anno mirabiles & inauditi motus terræ urbem Canſtantinopolim uexauerunt,domus innumeræ & arces corruerunt: ars pręcipua tyranni collapſa eſt, ut ipſe cõpulſus ſit alió cõfugere,& multi homines turbine intercepti, interiere.

Eodẽ anno Zelimus Turcarũ xi.Imperator,qui Aegyptũ ſubiugauit & Syriã.

Leo decimus Florentinus Papa Poloni & Lithuani ad ripas Boriſthenis ingenti ſtrage Moſcouitas Ruthenosq́ ſuperant.

EXPVGNATIO BRIXIAE AD EPISCOpum Gurcenſem.

REuerendiſſime Princeps & Domine,D.mi unice, humilimam recommendationem &c. Profligatis Venetis hoſtibus ad inſulam Schalarum,ea die dux Nemurſij caſtra ad Herbedũ poſuit, ibiq́ die ſequenti requieuit. Venerat eó magnis itineribus,ut ſpeculatores hoſtiũ celeritate exuperaret: poſtridie autem illius diei Galli ex Herbedo Brixiam uerſus,ad Voltam territorij Mantuani mouent,ex eo loco otius ad montem Clarum caſtellum Brixiani agri proficiſcũtur. xv.uero pręſentis, uniuerſas ſuus copias ad uillam S.Euſemię locum duobus millibus paſſuũ ab ipſa urbe Brixię diſtantẽ, ad uiam cogit qua ad Peſcherum itur: ex eo loco ipſe dux omnibus medijs tentat ciuitatem,ut ſeſe dedat, tam inſigni ſuę urbi parcant, ſibi uxoribus, liberis, & facultatibus conſulant,expugnationẽ nõ expectent. Et quo facilius ad deditionem ducerentur, pollicebatur regem ipſum Francorũ,licet ab eo ultro defeciſſent,hanc ingentem iniuriam nunq́ recordaturũ,immo tantũ errorẽ libere condonaturũ, modo reſipiſcant,ac in clementiſſimi regis gratiam redeant: quippe qui tam nobilis urbis ruinã nõ deſideraret,ſed ut floreret perpetuo,& cõuertatur. Ea omnia ciuibus uarijs modis aperire ſtuduit,imo ipſum comitẽ Aloyſium de Auogaris,rebellionis autorẽ,ad deditionẽ ſollicitauit. Dũ hęc ageret, operiebatur Do. Iacobũ Triulltũ cũ ſex millibus peditibus,& magna Artellaria. Interea aũt nũcius ſuperuenit, quatuor millia Hiſpanorum ad padum cõſtitiſſe, coniunctura ſeſe militibus ho-

ſtium, ac

ſtium,ac una cum eis in ſubſidium urbis Brixiæ uentura. Qua re audita Namur-
ſij dux,non amplius, aut Artellarias, aut deditionem expectandam ſtatuit: ſed
quo populum adhuc ad deditionem,ſi non bonitate, terrore pœnarũ conſtrin-
geret,mittit Iacobum de Emps cum peditatu ſuo ad expugnãdũ clauſtrũ quod-
dam,ſitum in monte poſt arcem Brixienſem. Quod hoſtes propugnaculis & ag
geribus muniuerant,ne noſtris ingrediendę arcis,per poſticum copia fieret. Col-
locarunt pro illius loci pręſidio,mille ruſticos, Germanicus peditatus id magno
impetu aggreditur. Rurales,qui noſtrorũ uires ſufferre non poterãt, relictis pro-
pugnaculis, in Monaſterij clauſtris ſe abdunt, quos noſtri inſequuntur,& truci-
dant. Vbi autem per biduum ad S. Eufemiã exercitus fuerat, ac ſe pro deditione
incaſſum laborare pręſenſiſſet,peruenerant enim literę, quibus deditionem fieri
poſtulabat ad manus Andreę Girtti, qui eas clam ciuibus continuit. Attamen pe
titio ducis per uias alias,ignorante etiã Girtto , ample ſatis ad populi notitiã de-
ducta fuit,qui omnia tamen negligebant,confiſi hoſtium promiſſionibus. Dux
Namurſij uniuerſum peditatũ in arcem Brixianã in crepuſculo intrare iubet. Ipſe
cum equitatu poſt arcis portam remanſit, ea nocte locat quingentas lanceas ad
portã urbis S. Nazarij,ne hoſtibus fugiendi facultas daretur. Poterant enim ſolũ
per illã effugere,quoniã cęteras omnes terra obſtruſerãt,& faſcis circumdederãt,
ne noſtris ad eas aditus fieret,aut ciues uacillãtes, unã ex illis occupare, & Gallis
tradere poſſent. In diluculo diei,quæ erat xix. pręſentis, dux Namurſij acies in-
ſtruere,quẽlibet uexillo ſuo aſtare iubet. Primũ cum timpano Germanos & Gal-
los exclamare mandat,ut ſi qui aciem primã,quã Germani agmen amiſſum ap-
pellãt,ingredi uellet ad portã arcis,per quã in urbem itur contendere. Iuit eo pri-
mus cum uexillo ſuo trecentorũ peditũ. Capitaneus Fabianus, quem Germani
quoq; pedites,alij trecẽti & ultra ſpõte ſubſecuti ſunt. Ingreſſus eſt quoq; agmen
illud cũ ducentis Gaſconibus,Capitaneus Molardus,fuit in prima aciei huius li-
nea ipſe Molardus & Fabianus,Spurius Cleuie,& nonnulli alij tam Germanicæ
quã Gallicę nationis pręclari adoleſcẽtes. Iohannes aũt Kra,quẽ Franculũ appel-
lant,q hic uxorẽ,filiã Aloyſij de Milis duxerat, in illo agmine cecidit. Cõſtruitur
poſtea agmen magnũ,in quo uniuerſus peditatus & Germanicus,& Gaſconicus
erat,in illius acie fuit Iacobus de Emps cũ duobus ſuis fratribus,Philippus de Fri-
burgo,Ioannes Grannis Gaſconũ caput, & nonnulli alij Germani ductores,qui
omnes ſe ita ſtrenue geſſerũt,ut perpetuã laudẽ hac tanta uirtute emeruere. Con
ſtabat illa Phalanx ex tribus millibus, & quingẽtis Germanis, & mille ducentis
Epyreneis peditibus,ſeorſum ab illa,ipſe dux inſtruit turmã aliã ex quingentis ar
matis grauibus,qui cũ lanceis pedeſtres urbẽ quoq; ingreſſuri erant, in acie illorũ
armatorũ fuit ipſe Namurſij dux, cũ oĩbus ferè Gallicis nobilioribus capitaneis,
ſtabat agmen amiſſum prope portã, Phalanx Germanorũ & Gaſconũ in curia
ipſius arcis,& ad eius latus acies armatorũ cõſiſtebat,in hoc ordine oẽs per horas
fere quatuor ſtetere,expectãtes an adhuc urbs deditionẽ factura eſſet. Hoſtes aũt,
qui noſtros ea nocte oẽs arcẽ intraſſe audierant, in diei diluculo ad arma concla-
mant,equites tibicine cõuocãt, populũ clangore cõcuſſarũ campanarũ ad arma
excitãt. Erãt in urbe hoſtiũ Cathaphractes cccc. Velites q baliſtis pugnãt, mille.
Stradiottę Dccc. pedites inſtructi ij. millia,ruſtici,& plebei urbis, q ad arma con
currerãt circa vi. millia & ultra. Hi oẽs ſtabãt noſtrorũ impetũ expectãtes. Vbi aũt
dux Namurſij phalanges ſuas uſq; ad quartã diei horã ordinatas cõtinuiſſet,nec
de deditione eſſe ſperandũ cognouiſſet, cũ ſuis cõſiliũ inijt, paulo poſt Philippũ
de Friburgo,& Iacobũ de Emps,germanici peditatus capitaneos,ad ſe euocant,
illis urbẽ oĩno aggrediendã eſſe exponũt,propterea adhortanẽ quo ad ſuos mi-
lites cõtionẽ habeãt,ut quo eſſent aĩo aĩati, aucupẽt. Habet igiẽ ad eos cõtionẽ
Philippus de Friburgo,illis ꝓponit ducẽ uelle urbẽ illã ui et eorũ uirib⁹ expugna-
ri,ad hortaturq; ꝓpterea ut ſtrenui animi ac tã priſtinę uirtutis quã gloriæ memo-
res eſſe uelint,gallos,ac totius Francię nobiliores una cũ ipſis,aut morituros oẽs,
aut hac uictoria potituros. Et qui aut mori aut urbe potiri uelint,eleuato brachio
oſtenderẽt,reliqui uero ex acie egrederenẽ,tũc ſubito maximo animo, eleuatoq;

brachio,aut moriemur conclamāt,aut urbe potiemur, & quiſquis cuſpidem ſuā cultello inſecuit,ne lubrica elabi poſſet,ſed inſectionibus aſperata, firmius mani bus cōtineretur. Exponit poſtea ipſe Philippus,ducis nomine, ut ingreſſi urbem Citadellę parcerent. Quippe quæ Gallis auxilio fuiſſet in defectione urbis, ut in arcem confugiſſent,reliquam partem urbis,& diriperent,& quoſcunq; nullis ex ceptis trucidarent. Protinus tantę prędæ indulgentia uniuerſorū animi exhilara ti,ſicut ut ſeſe quiſq; ad ſummā ſuam fœlicitatem iturum putaret. Arx aūt Brixiæ, in eminentiore urbis parte,monte ſatis accliuo ſita eſt,duo ſunt itinera ex ea parte,quæ in urbem uergitur,alterum ad ciuitatem ipſam, alterum ad urbis Citadellam. Hoſtes autem duo capita Bombardarū in porta Citadellę habuerant,è quibus continue globos ante Arcis portam tranſuolantes,eijciebant:ſic ut exitus arcis admodum ob frequentes ictus hoſtium, difficilis,ac periculoſus fuit. Agmen autem amiſſum,ſenſim arcem exibat,& alter alterum,ubi bombardarū periculū euaſerat,expectabat:qui omnes cōiuncti, phalange inſtructa, ſecundum muros urbis cliuum deſcendere. Adeſt ſtatim monaſteriū S. Floriani, in quo Robonus Briſygella cum ſexcentis peditibus, acie ſua inſtructa, monaſterioq; munito noſtros expectabat,quos noſtri cito profligarunt. Quotquot fugientes,conſequuti ſunt,trucidarunt: ubi autem hi qui ad portam uſq; Cytadellę, uerſus urbem, ubi bombardas illas diſpoſuerant,profligatos,& trucidatos, & noſtros adeſſe conſpexerant,& ipſi nonnullis eorum interemptis,& artellarijs relictis,fugę ſeſe accinxere,ingreſſi ſunt itaq; noſtri,ſuperata & deuicta Citadella,urbem. Eſt autem ante eam uicus ſtrictus,& poſt locus ſatis ſpatioſus, in uico illo mulieres ex feneſtris, in noſtros lapides demittebant, ut in eo loco nonnullos perdidimus. Vbi autem ad illum locum ſpatioſum peruenere, aderant ibi nonnulli equites & grauis & leuis armaturæ,qui fortiter in principio noſtris reſiſtebant,ſed cū in ea planitie per quartam unius horæ partem,acriter pugnatum eſſet,tandem hoſtes trucidati, & reliqui in corpus ipſius urbis profligati ſunt, milites noſtri hos inſequuntur uſq; ad portam ipſam interiorem urbis,tanta fuit hoſtium fuga,ut hanc quoq; portam noſtris apertam dimiſerunt, & illam noſtri tumultuarie ingreſſi, niſi à Molardo pręmoniti eſſent hoſtes, omnes ſuas uires ante illam continere: Diſtabat enim parum a foro,noſtri igitur,quia pauci aderāt,affuit enim ſola prima aties,quæ ex octingentis peditibus conſtabat, qui ſubito conſilium capiunt, ac portam ne hoſtibus opprimerentur,occludunt. Bombardam alteram, quam in porta Citadellę conquiſiuerant, ad portam illam oneratam puluere & globo diſponunt. Interea magna phalanx, & quingenti Galli armati ſuperueniunt noſtri portam quam occluſerāt,protinus reſerāt. Hoſtes ubi bombardā in ſuam aciem directam,in faucibus portæ proſpiciunt, ruptis ordinibus hinc inde, quo quiſq; ſaluti ſuæ fuga conſuleret,diſcurrunt: noſtri fugientes, ferro impetunt, & quam plurimos necant,tranſit hanc portam prima acies, ad forum pergens,ubi hoſtium Cathaphractes, turmas ſuas continebant , ſequitur illam armatorū caterua,quæ uicum amplum,quæ ad dexteram per mediam urbem uiam ducit, ingreditur. Magna Phalanx aciem primam propere inſequitur. Hij omnes ſtrenue ordinibus ſeruatis,turmis quam ſtrictiſſime coadunatis, cum hoſtium cataphractis congrediuntur,hij in foro in acies noſtras pleno equorum concurſu, & acutiſſimis haſtis ſtrenue irruūt,illis ruptis ferreis malleis, ex omni latere noſtros impetunt. Sed quia noſtri ordines ſuos cōſtanter conſeruarūt,illęſi,equitibus ho ſtium interemptis,remanſere,eos enim ex omni uico, ſeruatis tn̄ ordinibus inuaſerunt & eneruarūt. Hoſtes ubi cathaphractes, tum trucidatos, tum profligatos, proſpiciunt, paſſim diffugiunt,ac portam S. Nazarij aperiunt noſtri,hos (relictis tribus millibus Germanis, cum omnibus capitibus in foro) phalange inſtructa, inſequuntur, hoſtes ad portam illam, dum ita tumultuarie fugiunt, maximam cladem accepere. Sub ea Fœdericus Conterinus, Venetus Velitum prouiſor, Theodorus Fraſchma eques,Baſta Stradiotarum capitanei, cum nonnullis alijs uiris ſtrenuis cecidere, & quotquot portam exiuere ab Gallis, qui ad eam collocati fuerant, capti ſunt, & inter reliquos quam plurimos ipſe Aloiſius Anogacus

deprehenſus

depręhenſus eſt. Solus aũt Dominicus Buſichi, Stradiotarũ dux, cum centũ ferę equitibus, pauciſſimiſq; exutis, & uulneratis peditibus aufugit. Quęrit forſan Reuerendiſſima D. V. Si Galli ante portã aderant, quo pacto hi euaſerint. Sciat igiť plures hic capiẽdos quã captores fuiſſe. Germani uero & gaſcones, exceptis illis qui in phalange, in foro conſtiterant, per omnes uicos urbis currunt, quoſcunq; inueniunt, mactant, & ferro impetunt, in domos irruunt, ac penetralia monialium, clauſtra ubiq; inceſtantur, & diripiuntur, ruſticos, milites, & quoſcunq; alios iugulant & enecãt, nullorũ pręter mulierũ & infantiũ rationẽ habentes. Vbi aũt uniuerſa hoſtiũ militia pauciſſimis captis ceciderat, tota urbs deprędatur. Ciues qui armati inuenti ſunt, trucidantur: reliqui cum uxoribus, liberis, & uniuerſa familia, capiuntur, bona diripiuntur, uiduæ, nuptę, innuptæq; puellæ, paſſim uiolantur, cuilibet domo quam ingreſſus fuerat, pro arbitrio uti, & abuti licitũ erat. Andreas uero Giriti in hoſpitio ad ignem ſeſe calefaciens, à capitaneo S. Columbæ, cum ſua familia, ac Anthonio, Iuſtiniano, Veneto, Brixiæ pretore, qui triduo tantum hunc magiſtratũ geſſit. Item Paulus Monfronus cum filio inter pugnandum captus eſt. Hæc fuit, Reuerendiſſime Princeps, miſerabilis diriſſimæ urbis expugnatio, cadauera per omnes uicos & plateas, fora, & ſubuias urbis enecata, infinita uidi, & in aliquibus locis ita frequentia, ut ſi quis per uicos equitauerat, non euitare potuit, quin equus continue cadauera calcaret, per domos mulieres, aut uiros captos torqueri, aut ſe uel filias uiolari, magno & continuo ululatu exclamantes, & plorantes, audiret. De interfectorũ numero nihil certi eſt, tantũ tamen fuiſſe cenſeo, ut octo millia excedant, ex noſtris uero non credo uiginti interiiſſe. Gemmæ, pocula argentea, ueſtes purpureę, & omnis ſerici generis precioſis pellibus fultę, per ciuitatem à militibus uendendę, circumferebantur. Poſtera die ipſe dux edictum fieri iubet, ne quis amplius captiuos interficiat, nec captiuos ſupra decimum & quintum annum non agentes, ex urbe educeret. Die illa ſequente comes Aloyſius de Anogaris, proditionis autor, pręſente ipſo duce, capite truncatus, ac poſtea in quatuor partes diſſectus, ad portam S. Nazarij patibulo appenditur. Gallorũ equitatus & peditatus omnis, iam in agrum Parmeñ. & Cremeñ, ad ſtationes, quo Bononiæ propinquiores ſint, reuertitur ipſe dux, tot, tantiſq; rebus hac hieme magna celeritate confectis, ſcilicet Heluetijs à Mediolano auerſis, Bononia ab Hiſpanis tutata, hoſtibus Venetis ad inſulam ſcalarum profligatis, & Brixia expugnata, ad Mediolanum, requieſcendi gratia, ſeceſſit. Quæ omnia Reuerendiſſime P. V. pro debito meo diligenter ſignificare uolui, cui me etiam atq; etiam commendo. Datum Veronæ, die xxiiij. Februarij. Anno Domini M. D. XII.

COPIA SEV EXTRACTVM NOVARVM quæ ueniunt ex caſtris Gallorum, die xi. Aprilis. Anno Domini M. D. XII.

SCribunt imprimis, quod dum exercitus Gallorum eſſet ſub menibus Rauennæ heſterna die, quæ fuit decima huius menſis. Cum idem Galli eſſent in Parlamento cum ciuibus, & tractarent de deditione, ſubito nunciatum eſt adeſſe exercitum Pontificis & Hiſpanorũ, propter quod Galli ſubito mouerũt totum exercitum, ſubleuatis etiã impedimentis, inſtruxerũt acies, & ſic acie inſtructa, ſteterunt, tota die expectãtes Pontificios & Hiſpanos uſq; ad horam quintã poſt meridiem, conflicturi cum eis, qui ueniebant uerſus Pignetã, Rauennę approximando ciuitati, ut ſuccurrerent ei. Compulſi aũt fuerunt idem Galli leuare artellariã ſuam, cum qua concutiebant iam mœnia ciuitatis Rauennę approximando ciuitati. In leuatione aũt ipſius Artellariæ milites, qui erant intra ciuitatem, eruperũt in Artellariã, in cuius cuſtodia erat D. Fridericus de Gonzaga, cum aliquot peditibus Italicis & Gaſconicis. Qui Gaſcones territi, huiuſmodi eruptione retraxerunt ſe, D. Fridericus cum Italis reſtitit erumpentibus, & retruſit eos intra ciuitatem, & ſi alij ſubſecuti fuiſſent, immixti ciuibus ciuitatem ipſam intraſſent, & cepiſſent eam in illa eruptione. D. Fridericus habuit ictũ in fronte, ſed non grauem

Exercitus

Exercitus uero Pontificis, & Hiſpanorum appropinquabant Gallis, & arbitra batur, quod eſſent conflicturi cum ipſis, ſed exercitus Hiſpanus diuertit ab eis, & caſtrametatus eſt in dicta Pigneta Rauenne, in loco ſatis forti, circiter mille paſſus remota à Gallis, Galli uero redierunt ad mœnia ciuitatis, unde mouerant caſtra. Et licet pluries in ciuitate illa nocte fuerit, & clamatum, & pulſatũ ad arma. Galli tamen non mouerunt ſe, nec concuſſerunt mœnia bombardis, ſed deliberarunt in conſilio omnino cum ipſis Hiſpanis confligere, uno uel alio modo, quomodocunque poſſent, & eadem nocte fecerũt pontem ſupra unum canale, quod erat medium inter Gallos & Pignetam Rauennę, ubi caſtrametabantur Hiſpani, die ſequenti quæ fuit Paſchæ, Galli diluculo tranſiuerunt dictum pontem, & ceperunt appropinquare Pontificijs & Hiſpanis & primo res eſt cepta agi, ex utraque parte cum Artellaria, cum qua pugnatum eſt, ad duas horas quę edidit magnam ſtragem in utroque exercitu, continue tamen Galli progrediebantur, & appropinquabant Hiſpanis, deinde ceperunt conſerere manus, Prima pugna cepta eſt ab equitibus grauis armaturæ, qui erant in Antiguardia, & ſtrenue diu pugnarunt equo marte. Deinde peditatus primæ aciei, ſeu antiguardię ceperunt etiam conſerere manus, & exorta eſt maxima ſtrages, ex utraque parte. Vrgentibus aũt Gallis cepit inclinare acies Hiſpanorum, quæ tamen ſuſtinuit conflictũ ad duas horas, & ſic pugnatum eſt quatuor horis, tandem Pontificij & Hiſpani ceperunt uertere terga, & cędes eorũ aucta eſt, quos continue Galli urgebant. Lucrati ſunt Galli petias xiiij. Artellariæ, quas ſolum ſecum Hiſpani aduexerant. De numero occiſorum tunc iudicabant à vij mil. in viij. millia. De Gallis mortui ſunt in eo prælio Dux Namurſij dominus de Alogra, Grotta, & uulneratus lętaliter dominus de Lancret, mortuus dominus de Bardaſon. Capitanei mortui, Philippus de Friburg, Iacobus de Emps, Fabianus, Molardus, Moyart, Mongyaron, & Bonetus, grauiſſime in caput uulneratus, & multi alij mortui, & uulnerati magni uiri, quos neſciebãt tunc nominare. De exercitu Pontificio & Hiſpano, neſcitur quis ſit mortuus, niſi quod retulerat D. Fabricius de Columna, quod erãt mortui multi magni uiri. Capti autem de eodem exercitu Hiſpanorum erant, ipſe D. Fabricius de Columna, Cardinalis de Medicis Legatus, Marchio Piſcherorũ. Dominus Iohannes de Cordona, Comes de monte Leonis. Comes Iohannes Franciſcus de Mirandula. Comes Petrus Nauarus. De uice rege neſciebãt quid eſſet, aliqui credebant ipſum, cum circiter tribus millibus peditũ, & bono numero equitum euaſiſſe.

Dux Namurſij fuit ille, quẽ uulgo le Grand maiſter de Milan nominant.

Anno Domini MDxiij. Heinricus octauus Anglię rex, cum ualida bellatorum manu Caletum traiecit, bello adorturus, Galliæ populos illuc argento & auro, quod ingens ſecum aduexerat, nõ modo Cęſarem Maximilianum, ſed omnem quoque Brabantiæ, Flandriæ & Hollandiæ, nobilitatem ad ſe iuuandũ pertraxit. Lectiſſimum equitatum ac pedites cõplures è Gallia miſſos, qui Morinos, quos obſeſſurus hoſtis putabatur, commeatu leuarent. Maximilianus partim occidit, partim in fugam compulit, ex quibus trecenti quinquaginta capti, inter quos & nobiles aliquot regni Gallorum fuerũt, ſigna bellica nouem amiſſa, currus onerarij centum quinquaginta abducti. Poſt hæc Romanus & Anglus, magnanimi principes duo Maurinos, quam gentem præſidio firmauerat Galliæ Rex Ludouicus, omni armorum genere expugnare adorti, murorũ partem deiecere, atque hinc, cum ingens terror ciuitatem inuaſiſſet, facta eſt deditio hac lege, ut ui abſtineret miles. Ingreſſus Cæſar Anglo ceſſit urbis Imperium: poſtea deditum eſt & Tornacum. Huius oppidi ciues permulti, ne militarem diutius feritatem pati cogerentur, nouas ſedes in Flandria & Brabantia quęſiuere. Henricus huius urbis, à Cæſare Imperio ſibi relicto, incredibili ſumptu, arcẽ intra muros extruxit, multis incluſis ædificijs. Hic pręſidium habuit perpetuũ, donec poſt aliquot annos Gallo urbs reddita eſt, quæ nunc paret Carolo Cæſari: adempta iterũ Gallo per Cęſareanos exercitus. Quo tempore bellum Anglus cum Gallo gerebat in prouintia Morinorũ, Iacobus rex Scotię, à rege Galliarũ, ut quidam putant mercede conductus. Angliæ fines ingreſſus, cæde, incendijs, ruinis, direptione, omnia miſcuit

Morini expugnatio.

miſcuit, omnia terrore impleuit, donec Reginę ſtudio contractus exercitus, antē quam interior Anglia ureretur, ei occurrit, atrox prælium committitur. Scoti regem ſuum dum acerrime ante ſigna pugnat, circumuentum amiſerunt. Victor Anglus ad ſua reuertitur.

Anno Domini mill. D. xv. Carolus Philippi filius Louanij, quemadmodum pater, auus, & proauus fecerant, celebratis conditionibus & ſtatutis, ac obſeruandorum priuilegiorum facta confirmatione, Brabantiæ principatum ſuſcepit, nō unius tantum urbis, ſed & prouinciarum gaudio incredibili.

Anno eodem huius Caroli ſoror Maria aue cta eſt in Hungariam, nuptura Ludouico Hungarorum & Bohemiæ regi.

Anno Domini mill. D. xvij. Iohannes Franciſcus Picus Mirandulæ comes, ad Leonem decimum, & Concilium Lateranenſe, orationem habuit, de moribus Eccleſiæ reformandis. Et cum antea ſæpenumero ſermo habitus de ſtatuendis legibus, ipſe de legum cuſtodia, contra luxum, libidinem, auaritiam, pro pietate iuſtitia, cæteriſq; uirtutibus differit: Conquerens quod multi principes priſcam ſimplicitatem in aſtutiam, caſtitatem in nequitiā, liberalitatem & parſimoniam in luxum & auaritiam conuerterunt. Apud pleroſq; religionis primores, ad quorum exemplum componi atq; formari plebs ignara debuiſſet, aut nullus, aut certe exiguus Dei cultus, nulla bene uiuendi ratio atq; inſtitutiō, nullus pudor, nulla modeſtia ſit, Iuſtitia uel in odium, uel in gratiam declinauit: pietas in ſuperſtitionem penè procubuit, uirtus uitio uertitur, uitia loco uirtutū honorari ſolent. Sacras ędes & templa lenonibus & Catamytis commiſſa, nefarijs lupis, optimi paſtoris ouilia, demandata. Sanguine Chriſti redemptos non debere debilitari in plumis. Quid plumarum (inquit) feci mentionem, & ſcortorum præterij cateruas, & greges exoletorum, & coempta & diuendita ſacrificia?

Oratio Iohānis Frāciſci Pici, de reformandis Eccleſiæ moribus, ad Leonem decimum, in cōncilio Lateranenſi.

Hortatur Leonem decimum, ut luxum cohibeat cuiuſcunq; ordinis, modum ponat ambitioni, compeſcat indomitos & effrenatos libidinis obſcenę furores, ſuſpectis ſacerdotum, quod & legibus eccleſiæ cautū eſt, contubernijs, frena conſtituat, efficiat ut piorum uirorū patrimonia in bonos uſus diſpertiantur, ne amplius ab impuris heluonibus, ab omnium ſcelerum gurgitibus abſorbeantur.

Patrimonia piorū uirorum.

Terret Leonē exemplo Heli, grauiſſime hic punitus à Deo, qui non animaduertit in liberos, ij tamē dormiebant cum mulieribus, noſtra tempeſtate fœminæ abiguntur, ad eorum libidines explendas & meritorij pueri à parentibus cōmodantur. A ſacerdotibus petit uitæ innocentiam, & morum diſciplinam, nō exactiſſimam illam quidem & præcellentiſſimam, ſed mediocrem. Non petit, ut inſtar Hieronymi ſaxo pectus identidem uerberent, ſed nec ut meretricum pectora, baccatis monilibus, nec crepidas hydaſpeis gemmis exornēt. Nec poſtulat ut Hilarionis inediæ aſueſcant, ſed ne Sybaritarum cœnas aut æmulentur, aut ſuperent. Nec efflagitat, ut in ſpinis & niue uolutentur more Franciſci & Benedicti, ſed cum mollem Cyrnorum plumam ingenti pecunia mereantur, aut redimendis captiuis, aut uirginibus nuptui tradendis iure optimo dedicata, id planè damnat. Monet, Martini exemplo, nudis ueſtes tribuendas potius, quā coccineis atq; purpureis pannis cooperienda iumenta.

Exemplum Heli.
Meritorij pueri.
Hieronymus.
Hilarion.
Martinus.

Illius maxime cuſtodia legis conſulat Pontifex, qua ſanctiſſime cauetur, nē multa ab uno ſacerdotia, quibus annexa ſit animarū cura poſſideantur. Diſpenſatio quam Bernhardus recte uocauit diſſipationem, effecit, ut iam non multa non plura, ſed innumera teneant multi, qui ne diaconi quidem officio mereantur defungi.

Sacerdotia curata.
Diſpēſatio diſſipatio.

Tandem in epilogo cōmonet Leonem Pontificem Romanū, ubi edomuerit peſſimæ uitæ monſtra, uel extinxerit, ne poſtea repullulent, adhibenda erit legūm cautio, & ſeuerior aliquanto diſciplina: Non in ueſtibus modo & ſumptibus, ſed in ſtudijs ſacræ linguæ utriuſq; Teſtamenti recognoſcendæ, & cum antiquis & caſtigatis primę originis exēplaribus conferendæ. Solennes ceremonię de quibus fuere olim quæpiam difficultates, prioribus oblatæ ſynodis, ſtatuendæ firmandæq; ſunt, Quotidianæ preces redigendæ in ſtatum & probatum ordinatum

Studia ſacræ linguæ.
Ceremoniæ.
Preces.

Hiſtoriæ. dinatum ordinem, & ueræ hiſtoriæ ab apocryphis nugis ſegregandæ. Præſcribenda principibus uiris officia, ut ſcelerata illa & Reipubublicæ deletrix opinio licere quæ placeant, & à uulgi animis omnino amoueatur & penitus exulet. A diuturnis diſſenſionibus tandem quieſcant, daturi operā eis officijs, quę mortales euehunt ad immortalitatem. Hæc Iohannes Franciſcus Picus.

Deletrix Reipub. opinio, licere quæ placeant.

ERASMVS ROTERODAMVS.

ERASMVS ROTERODAMVS Teſtamentum nonum Græce & Latinæ reſtituit. Germaniamq́ ſuam literis humanioribus adornat. De quo infra plura.

Anno Dñi mill. D. xviij. A Carolo Hiſpaniarum rege contra Maranos miſſus exercitus, ualidam in ea gente urbem cepit, ac deinde occidit quadraginta Barbarorū millia. Poſt hanc uictoriam Carolus auo ſuo Maximiliano Cæſari adempta hoſtibus magni precij uexilla duo tranſmiſit.

D. MARTINVS LVTHERVS.

Fridericus elector Saxoniæ. ANno Domini mill. D. xviij. Sub Illuſtriſſimo principe Saxoniæ duce, Electore ſacri Imperij, Catholicæ & Apoſtolicę ueritatis amātiſſimo principe, D. MARTHINVS LVTHERVS de indulgentijs ſcribit ad Leonē decimum Pont. Max. hoc titulo: Beatiſſimo patri Leoni decimo Pont. Max. frater Martinus Luther Auguſtinianus, æternam ſalutem &c.

In Præfatione ad Leonem x. meminit Lutherus Indulgentiariorum concionatorum, qui in ſcandalum & ludibrium Eccleſiaſticę poteſtatis auariſſime prædicauerint, & libellos ediderint, inſatiabilem & inauditam auaritiam teſtantes, immo Confeſſores iuramento adegerint, ut hęc ipſa inſtantiſſime populo inculcarent, unde populo (ut Propheta ait) carnem deſuper oſſibus eorum tollebāt, ac uno illo ſcandala ſedarent, uidelicet, terrore pontificij nominis, ignis commi natione, & hęretici nominis opprobrio. Lutherus innocenti & quieta conſcientia primum leuiuſcule illis reluctatus fuit, dogmata eorū in dubium & diſputationem uocando. Itaq; ſchedulam diſputatoriam edidit, doctiores tantum inuitando. Miraculum autem uidetur Luthero, ſic in omnem terram exiuiſſe ſuas propoſitiones, oſtendens ſe inuitum uenire in publicum, at reuocare nō poſſe.

Schedula diſputatoria.

In fine Pręfationis ſic ſe ſubmittit: Quare beatiſſime pater, proſtratum me pedibus tuę beatitudinis offero, cum omnibus quę ſum & habeo. Viuifica, occide, uoca, reuoca, approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam uocem Chriſti in te pręſidentis & loquentis agnoſcam. Si mortem merui, mori non recuſabo: Domini enim eſt terra & plenitudo eius, qui eſt benedictus in ſecula, Amen, qui te & ſeruet in æternum, Amen. Anno Domini mill. D. xviij.

Rogat uero Lutherus ſingulari epiſtolio Reuerendum patrem Iohannem Stupitium, Auguſtinianę familię Vicarium, quod uelit has ſuas ineptias ſuſcipere, & qua fieri poteſt induſtria, ad optimum Pontificem Leonem decimum tranſmittere, ut ſint ibi Luthero, aduerſus ſtudia malignantium, uice alicuius paracleti. Minacibus ſuis inimicis, Reuchlinianum illud etiam reſpondens: Qui pauper eſt, nihil timet, nihil poteſt perdere.

PROTESTATIO D. M. LVTHERI Anno M. D. XVIII.

Quia hęc eſt diſputatio Theologica, quo pacatiores faciam animos, primum proteſtor, ut in ſcholis fieri ſolet: Me prorſus nihil dicere aut tenere uelle, niſi quod in & ex ſacris literis primo, deinde Eccleſiaſticis patribus, ab Eccleſia Romana receptis, hucuſq; ſeruatis, & ex Canonibus ac Decretalibus pontificijs habetur, & haberi poteſt &c.

Has Concluſiones quia Syluester de Prierio, ordinis Prædicatorum, conuellebat per dialogū, Entellus ſcilicet Dareti ſe opponens, Lutherus reſpondet Prierio, ut qui rumores ponebat ante ſalutē, & ut dicitur, Encomium ante uictoriā. Et fundamenta Syluestri omittit, ponit autem illa ſua:

Primum

Primum illud Pauli: Omnia probate. i. Theſſ. v. Gal. ij. Si Angelus de cœlo aliud uobis euangelizauerit.

Secundum illud Auguſtini ad Hieronymum: Ego ſolis eis libris qui Canonici appellantur, hunc honorem deferre didici, ut nullum ſcriptorem eorũ erraſſe firmiſſime credam. Cæteris autem quantalibet doctrina ſanctitateq́; polleant, non ideo uerum eſſe credo, quia illi ſic ſenſerunt &c.

Tertium illud Cle. de Pœnit. & remiſſ. C. Abuſionibus. Queſtoribus nihl licere (in uenijs prædicandis) proponere populo, quàm quod in eorum literis continetur. *Cle. de pœnit. & remiß. C. Abuſionibus.*

Et in fine reſponſionis ad dialogum Syluestri ſcribit Lutherus ad lectorem: Opiniones maneant opiniones, non autem onera Chriſtianorum. Non faciamus opiniones pares articulis fidei, & Chriſti Pauliq́; decretis. Et pudeat tandẽ Theologos huius uocis, quam doctiores apud amicos effutiunt: Sic dicerem in ſcholis, ſed tamen (maneat inter nos) diuerſum ſentio. Sic dicimus in ſcholis, ſed tamen (maneat inter nos) non poteſt probari ex ſacris literis &c. *Vox Theologorum ſophiſtarum.*

Poſthac Eckius impugnat Propoſitiones Lutheri. D. Andreas Bodenſteyn Archidiaconus Vuittenbergẽſis, Apologeticas propoſitiões parat pro Luthero.

Lutherus deinde de Pœnitentia ſcribit. De uirtute Excommunicationis. De meditanda paſſione Chriſti. De digna præparatione ad Euchariſtiam. In decẽ præcepta, & alia quædam.

ACTA D. MARTINI LVTHERI, APVD THOmam Caietanum, Tit. S. Sixti Cardinalem Auguſtæ. Anno mill. D. xviij.

MArtinus Lutherus obedientiam Romanę Eccleſiæ præſtitit, & Illuſtriſſimi principis Electoris, ducis Saxoniæ Friderici, qui antea laborauerat, ut cauſa ex urbe committeretur, ſumptu, & epiſtolis commendatitijs prouiſus, Auguſtam uenit, ad Carmelitas diuertit, ſatis clementer ſuſceptus à D. Cardinale legato: hic de mandato Papæ tria Luthero propoſuit facienda.

I. Vt ad cor rediret, erratusq́; reuocaret.

II. Promitteret in futurum abſtinere ab eiſdem.

III. Etiam ab omnibus abſtineret, quibus Eccleſia perturbari poſſit. *Cardinalis Caietanus Luthero tria proponit.*

Cum autem Lutherus peteret doceri, in quibus erraſſet: Legatus extra uagantẽ Cle. ſepti protulit, quæ incipit: Vnigenitus &c. quod contra eam aſſeruiſſet propoſitione lviij. Merita Chriſti non eſſe indulgentiarum theſaurum. Secundo, Cardinalis contra vij. propoſitionem Lutheri uoluit fidem nõ eſſe neceſſariam acceſſuro Euchariſtiam.

Altera die præſentibus quatuor Cæſareę maieſtatis ſenatoribus, adductis Notario & teſtibus, proteſtatus fuit Lutherus, proprie & perſonaliter legens coram Reueren. D. legato in hunc qui ſequitur modum. *Proteſtatio Lutheri præſentibus Cæſareanis.*

In primis, Ego frater M. Lutherus Auguſtinianus, proteſtor me colere & ſequi ſanctam Romanã Eccleſiam, in omnibus meis dictis & factis, præſentibus, præteritis, & futuris. Quod ſi quid contra uel aliter dictum fuit, uel fuerit, pro non dicto haberi & habere uolo.

Verum quia D. Cardinalis ex mandato Papę exegit, ut ſuper diſputatione de Indulgentijs tria faceret:

I. Redirem in cognitionem mei, & errorem reuocarem.

II. Cautelam præſtarem de futuro non repetendis.

III. Promitterem abſtinere ab omnibus, quæ Eccleſiam Dei perturbarent.

Hodie proteſtor, omnia quæ dixi, mihi ſana, uera & catholica uidentur. Tamen ad ſuperabundantiam offero me perſonaliter hic uel alibi, etiam in publico reddere rationem dictorũ meorum. Quod ſi hoc nõ placet Legato, paratus ſum uel in ſcripto, ſuis obiectiõibus, ſi quas habet, reſpõdere, & ſuper his audire ſententiã & iudiciũ Vniuerſitatũ Imperialiũ, Baſilieñ. Friburgeñ. & Louaniẽſis. *Iudicium Vniuerſitatum.*

Tandem admiſſa ſcriptili reſponſione, abitum eſt.

Reſponſio Lutheri ad legatum.

Mox Lutherus parat reſponſionem ad Legatum, docens, Merita Chriſti non committi hominibus. Pontificis uocem audiendam, quæ conſona ſit ſcripturæ. Pontificem errare poſſe, reprehendi debere, Act. xv. Preterea oſtendit in materia fidei non modo generale Concilium eſſe ſuper Papam, ſed etiam quemlibet fidelem, ſi melioribus nitatur autoritate & ratione. Extrauagantē cōtinere falſa.

Concilium & quilibet fidelis ſuper papam.

II. Infallibilem eſſe ueritatē, ꝙ nullus eſt iuſtus, niſi qui credit in Deū. Acceſſuro ad Sacramentū, neceſſariū eſſe ut credat. Fidē in abſolutione neceſſariā eſſe. Quod à ueritate ſcripturæ non poſſit diſcedere. Lucem ueritatis ſe quęrere &c.

Thomiſtica theologia

At Cardinalis ſcripturas audire nolebat, ſine ſcriptura diſputabat, gloſſas ex capite ſuo cōmentabatur, diſtinctionibus quibus fœcunda eſt Thomiſtica Theologia, ac uere Protheus quidam, omnia eleuabat. Tandem Lutherus accepto mandato, non redeundi ad conſpectum Legati, niſi reuocare uellet: manſit tamen eodem in loco. Tum uocato Reuerendo Iohanne Stupitio Vicario, Cardinalis multis egit, ut ad reuocationē ſpontaneā Lutherum adduceret. Manſit & ſequenti die Lutherus, nihil mandabatur. Tertia die Dominica quoq; manſit, et literas dedit, ſed nihil reſpondebatur. Quarta die manſit, & nihil fiebat. Idem ſilentium quinta die paſſus. Tandem conſulentibus amicis, præſertim cum antea iactaſſet ſeſe habere mandatum, ut Lutherum & D. Iohannem Stupitium uicarium incarceraret, diſpoſita Appellatione affigenda, receſſit, ſat periculoſam obedientiā ſe præſtitiſſe arbitratus. Lutherus αὐτόπτης καὶ ὑπηρέτης, hęc in Actis ſcribit, & cauſam reddit, quare ſe Pontifici ſubmiſerit, & quod etiam ueriſſime dicta cum humilitate & timore debeant aſſeri & tueri. Præmit quædam & tacet, quæ putat lectorem ſentire non ſine gemitu. Tandem proteſtatur Lutherus ſe colere Romanam eccleſiam & ſequi in omnibus, ſolum illis reſiſtat, qui nomine eccleſiæ Romanæ, Babyloniam nobis ſtatuere moliuntur.

Iohannes Stupitius.

Mandatum papæ de incarcerādo Luthero

Nota

Lutherus colit Romanam eccleſiam.

Hoc tempore Leo Papa x. Thomę Caietano Legato ſcribit, quoniam Hieronymus epiſcopus Aſculanus, auditor Camerę, Martinum Lutherum ad perſonaliter comparendum coram eo citaſſet, & hic pontificia benignitate abuſus, audacior effectus: quare per prędictum auditorem Camerę iam Hęreticus declaratus eſſet: & deberet Lutherus, inuocato ad hoc Maximiliani Rom. Imp. electi, & reliquorum Germaniæ principum, communitatum, potentatuū tā eccleſiaſticorū ꝙ ſecularium brachio, cogi, compelli, & in Legati poteſtatem redigi, ac ſub fideli cuſtodia retineri, donec Legatus à Pontifice aliud haberet in mandatis. Quod ſi in pertinacia ſua perſeueraret, & ſeculare brachium contemneret, deberent in omnibus Germaniæ partibus Luthero adhærentes, per edicta publica, ad inſtar illorū, qui olim in Albo prętorio ſcribebantur, pro hęreticis excōmunicatis, anathematiſatis, & maledictis publicari: etiam Duces, Marchiones, Comites, Barones, & quæcunq; communitates, Maximiliano Imperatore excepto. Inſuper eccleſiaſtico interdictui oppida, terras, & loco ſubijci, ad quæ prędictum Martinum declinare contigerit: immo infames fieri ſeculares, & feudis priuari, hic nō obtemperantes Papæ. Obedientibus uero, indulgentiam plenariam promitti. Datum Rome apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die xxiij. Auguſti, Anno mill. D. xviij. Pontificatus Leonis vi. anno. Iacobus Sadoletus.

Literæ pontificiæ contra Lutherum.

Luthero adherentes excommunicati.

Pàpæ adherentes indulgentiam plenariam habent.

Hoc Breue datum fuit xxiij. Auguſti, anno xviij. Lutherus citatus vij. Auguſti, & ſic intra datum Breuis & citationem, cucurrerunt xvi. dies.

Hic lector ponat calculum, & inueniet, Hieronymum epiſcopum Aſcalenſem ante inſinuatam citationem Luthero, aut intra xvi. diem poſt inſinuatam, proceſſiſſe, iudicaſſe, damnaſſe Lutherum. Sanctus mos & ſtilus Romanæ curiæ, eadem die citare, monere, accuſare, iudicare, damnare, declarare.

Stilus Romanæ curiæ æquiſsimus, ſcilicet.

Poſt hęc cū Cardinalis per amicos Iohannē Stupitiū, & Vuenceslaū Lyncū, niteretur Lutherū à uero flectere, ſcribit eidē Lutherus, & promittit materiā de Indulgentijs ſe poſthac nolle tractare, modo illis imponatur modus aut ſermonis aut ſilentij, qui eū in hāc Tragœdiā ſuſcitauerint. Vocē ſponſę audire cupit, & eccleſiā ſequi. Tandem Lutherus anno à natiuitate Dñi mill. D. xviij. Indictione ſexta, die uero ſabbati xvi. menſis Octob. Pont. Leo. x. anno vi. à Papa nō bene

Lutherus uocem ſponſæ audire cupit.

informato

informato, appellat ad melius informandum, preſente notario publico & teſtibus, Gallo Kunigunder de Herbrachtigen, & Vuentzeslao Steinbeis, & Barptolomeo Vtzmair presbyteris, Auguſtenſis dioceſis, teſtibus.

DE DISPVTATIONE LIPSICA.

Anno Domini M.D.xix: Cœpta fuit Lipſiæ diſputatio, excellentium doctorum Iohannis Eckij, & Andreæ Carolſtadij. xxvij. Iulij.

Deinde ſecunda diſputatio D. doctorum Iohannis Eckij, & Andreæ Carolſtadij, quæ cœpit xv. Iulij.

Tertia diſputatio eiuſdem D. Iohannis Eckij, & D. Martini Lutheri, quæ cœpet iiij. Iulij.

EPITOME VERO LIPSICAE DISPVTATIonis, ad Iohannem Oecolampadium, per Philippum Melanchtonem, eſt hæc.

NEq; referre multum puto, neq; tu magnopere deſyderas ſtudium ac uoluntatem animi erga te mei pluribus uerbis declarari. Nam eiuſmodi auſpitijs animos noſtros optimus ille ſynceræ charitatis ſpiritus conciliauit, ut amicitiam noſtram neq; labefactari ullo caſu in tam uaria omnium rerum humanarum uiciſſitudine poſſe ſperem, neq; uulgaribus illis, & per gratias pedaneis ſuffragijs id genus literarum, qualibus ferè aluntur amicitię, altius actutam radices. In utrunq; ſpiritus incumbit pariter, ut inadita ſit amicitia, tum ſimultati, tum nugacibus iſtis blanditijs. Atq; utinam illius queam grato pectore beneficiũ agnoſcere, qui talem, nõ dico Theſea, ſed Chriſtiana fide amicũ nobis iunxerit. Nemo enim planè mortaliũ eſt, cuius pręſentior in me iam inde à puero uſq; fuerit beneficentia, q̃ tua, eaq; uere liberalis, ac prorſus τὸ γυμνὸν τῶν χαρίτων referens. Neq; enim rationes noſtrę ſinebãt æquare beneficiũ beneficio. Quã parte quandoquidẽ tu pręſtas, quęſo permitte uincere nos amando. Ariſtoteles eum, qui beneficio quempiam affecerit, ab illo tantũ uult amari, quantũ meretur beneficiũ, aũt certe beneficij gratia. Argute ille quidem, ſed non omnino probè. Neq; enim nobis ſcopus eſt amoris noſtri, beneficium ullum tuum, ſed ille autor amicitię noſtrę Chriſti ſpiritus. Tu interim quicquid officij amico dediſti, cõmuni charitatis iure debebas, uiciſſim in nominibus tuis nos quoq; ſumus, non defuturi officio, ſi quãdo caſus aliquis feret. Iam uero quod attinet, nolui, quandoquidẽ reliqua ferè in ſtudijs literarũ cõmunia habemus, fruſtrari te ijs, quæ expectatione maiore q̃ pro re Lypſię de ambiguis quibuſdã theologorũ, ut uidetur, locis acta ſunt. Nec opinor nihil referre tua, qui & pro theologici nominis dignitate, in illo Sueuię theatro urbe Auguſta ſacrũ panegyriſten agis, & ut theologicę literę pure, ſimpliciterq; doceantur, adniteris. Hæc uero diſceptandi prouincia primũ non ob aliud ſuſcepta eſt, niſi ut palam fieret inter ueterẽ & Chriſti theologiã, ac nouiciã & Ariſtotelicã quantũ intereſt. Verũ quid profectũ ſit, aut quorſum inclinarint res, mihi ſanè non eſt in procliui iudicare. Quod diligentius omnia proſequar, quæ ad cauſam attinent, ut non nihil certi ex ijs tu queas oculatior aſſequi. Varia proculdubio fama ad uos perferet, quapropter fide hiſtorica, & quàm ſimpliciſſimis ſubnotatis capitibus diſceptationis agam, ut intelligas, quid de quoq; cõtrouerſum ſit. Atq; ut inde ὥσπερ ἀπὸ γραμμῆς ordiar. Superiore anno ſententias, quas Martinus de indulgentijs propoſuit diſputandas. Eccius obelis notauit, amarulentius eſt ſcriptum, quàm ut hinc aliquid proferam. Ex illis reuellit aliquot Caroloſtadius in concluſionibus ſuis, quæ extant. Caroloſtadio reſpondit Eccius per Apologiam, in qua iam pleraq; mitius, q̃ antea in obelis. Apologiam ædito libello Caroloſtadius confutauit, longa eſt iniuria, longæ ambages, placuit ad ſummũ, ut cętera prætercam diſputare, dies dictus eſt. Lypſiam cõfluunt Ioh. Eccius Ingolſtad. And. Caroloſt. & Mart. Luther Vuittenberg. Rerũ ſumma in concluſiones coacta erat pauculas, quo certius id proponeretur, de quo diſputandũ eſſet. Satis opinor conſtare tibi quid de diſceptatione cõuenerit, uidelicet ut agerẽt cauſa excipientibus notarijs,

atq; id ſcriptum euolgaretur, eſſetq; iudicium penes optimum quenq;. Primum Eccius cauſatus eſt apud eos, qui deſignati erant ab illuſtriſſimo Principe Georgio Saxoniæ duce, Mecœnate humanorũ ſtudiorum, præfecti diſputationis, contra quam condixerat, uideri ſibi ex iure diſputantium eſſe, ne dictarentur, gliſcentem eorum uim, qui cõgrediuntur pugnaturi, ſenſim per ſtili moram deferuere, impetu augeri animos, contando labaſcere. Id ego neſcio an e ſimplicitate theologica uideri poſſit, ubi nihil tam præſtandum eſt, quàm ut ne quid impetu, ne quid temere, ne quid immodico animo dictum uideatur. Et ut in ſtudijs literarum, ac potiſſimum in negotio pietatis nihil puto neq; prius, neq; ſalutarius congreſſu familiari doctorum ac bonorũ, ubi ſententia cum ſententia, placidis ac tranquillis, minimeq; partinacibus animis confertur, ubi neq; uinci indecorum eſt, neq; uincere plauſibile, ita uix aliud cenſeo pernicioſius popularibus illis diſceptationibus, ubi non poteſt, quantumuis bonis non obſtrepere uictoriæ cura. Scis tu quàm multa prudenter in hanc ſentẽtiam ſcribat Nazanzenus, quàm multa item Eraſmus noſter. Iam uero conuenerat de Notarijs, neq; enim aliter perſuaderi poterat Caroloſtadius, qui cum primum ſuſceptũ eſt certamen, ibi certos quoq; iudices deſignari uoluit Eccius, non recuſauit Caroloſtadius. Itaq; die xxvij. Menſis Iunij, congrediuntur Ioannes Eccius, & Caroloſtadius. De libero arbitrio propoſitum eſt, an ſit aliquod nobis αὐθαίρετον bonum opus, hoc eſt, ut ipſi dicũt, an de congruo emereamur gratiam, cum facimus quod in nobis eſt, utor enim ipſorũ uerbis. Hoc cum agi deberet, uide quorſum contentione rapti ſint, & in quos ſcopulos impegerint, agi debebat, quid per ſeſe citra gratiam poſſet uoluntas noſtra, ipſi quæſtionem aliò rapiunt, & quatuor credo continuos dies in eo diſceptant. An uoluntas tantum recipiat bonum opus, ipſumq; bonum opus ſola efficiat gratia. In has Symplegadas coegerunt cauſam nõ ita multum neceſſariam, & planè alienam ab inſtituto Caroloſtadij. Dedit Eccius in uolũtate noſtra non eſſe uim genuinam, qua opus bonum producat, ſed aſcititiam tantum, eamq; quam fœneret gratia, id quod primum uidebatur oppugnare, deinde à Caroloſtadio rogatus, largiretur ne totum opus bonum eſſe à Deo, reſpondit, totũ quidem, non autem totaliter. Ecce autem ut argutum hoc cõmentum dignum maieſtate theologici nominis, adeo λόγους κυβίζειν cuius hodie liberũ eſt. Primum fatetur Eccius uolũtatem à Deo moueri, deinde ut conſentiamus, in noſtra eſſe poteſtate, inquit: id Caroloſtadius oppugnauit aliquot Auguſtini locis, & hoc Pauli fortiſſimi, Deus efficit in nobis uelle & perficere, atq; hæc, ni fallor, ſententia ſalua Caroloſtadio manſit. Quædam pro dogmate ſuo ex Bernardo tranſcripſerat Eccius, ad rem parum attinentia. Atq; hæc ferè ſunt, quæ cum Caroloſtadio Eccius. Integram credo hebdomadam perdidimus in his, quorum capita συντόμως notaui. His autoribus primum didici quid ſit quod ueteres σοφιστεύεσθαι dixerũt. Mirum, hæc omnia quo tumultu, quàm tragice tractata ſint, quo minus mirum eſt parum profectum eſſe, ſua enim ſilentia amat ſpiritus, per quæ nobis illabitur, ſeq;

Non ſunt hæc grammatelli uerba.

inſinuat cupidis, non gloriæ, ſed cognoſcendæ ueritatis. Non proſtat in porticibus ſponſa illa dilecta Chriſto, ſed in domũ matris ſuæ ſponſam introducit. Immo neq; ulli nos ſapientiæ cœleſtis radij pellucent, niſi iam ante cruce perpurgatos, mortuosq; priſtinis mundi elementis, ut cum Paulo dicam. Sub hæc & Martinus in harenã deſcendit, nam hactenus non ſatis certum erat congredi, qui cauſæ inuidioſæ iudices deſignare commode non poſſet pro iure appellationis ſuæ, tamen cum de eo conueniſſet, agi cœptum eſt de Romani Pont. autoritate, controuerſumq; eſt, an iure diuino probari poſſet Oecumenici Pontificis autoritas. Eſſe Oecumenicum Pontificem ingenue fatetur Martinus. In hoc diſputat, an iure diuino probari eius autoritas poſſit. In hunc locum, quandoquidẽ paulò aſperior eſt, dies quinq;, ni fallor, impenſi ſunt. Ibi multa acerbe Eccius, multa inciuiliter, breuiter omnia eiuſmodi, ut inuidiam apud uulgus Martino conflaret. Argumentũ primum erat Eccij, Eccleſiam ἀκέφαλον eſſe non poſſe, cum ciuile corpus ſit, eſſe igitur Papam iure diuino caput Eccleſiæ. Tum Martinus, Chriſtum ſe fateri caput eſſe, cum Eccleſia ſit regnum ſpiritus, non deſyderare aliud caput, ut

ad Col.

ad Col.i. Ad hæc locus aliquot ex Hieronymo & Cypriano addidit Eccius, qui quantum de iure diuino probent, ipſe uiderit. Iam & quidā loci manifeſte apud eoſdē ſcriptores in dubiū uocabantur, quos ipſe pro certis proferebat. Bernardi autoritatem ad Eugenium, ceu πανοπλίαν Achilleam iactabat, cum tamen & in eodem libro ad Eugenium ſint, quæ non omnino nihil ad inſtitutum Martini faciant. Cæterum Bernardo in hoc negocio quid debeatur, quis eſt tam ſtupidus, qui non intelligat? Ex Euangelio uſus eſt loco Matthæi: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. Martinus confeſſionem illam fidei eſſe uoluit. Petrumq; ibi perſonam uniuerſæ Eccleſiæ gerere, ſeq; Chriſtum petram uocare, idq; ex ipſius ſententiæ, ordine pluribus coniecturis coarguit. Item loco: Paſce oues meas, quod proprie ac priuatim Petro dictum eſt. Reſpondit Martinus, poſt parem Apoſtolis omnibus autoritatem traditam: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata &c. hæc enim uerba ſunt demandanti officij, Chriſtum docuiſſe, quid ſit paſcere, & qualem uoluerit eſſe, qui paſturus ſit. Ad hæc Eccius concilij Conſtantiēſis autoritatem allegauit, ubi inter damnatos articulos Huſſitarum eſt & hic, de neceſſitate ſalutis eſt credere Romanum Pontificem Oecumenicum eſſe, ibi iactatum uarie, concilium errare non poſſe. Prudenter ad hæc Martinus, non omnes articulos pro hæreticis damnatos, & reliqua, quæ hic omnia moleſtum eſt referre. Neq; huius eſt loci tractare, quæ ſit conciliorum autoritas. Hoc palàm eſt, non poſſe concilium nouos articulos fidei condere. Male audiuit ob hæc Martinus, quod uidebatur obſtrepere concilijs, quom ille nihil maiore religione præſtaret, quàm ut ſua concilijs eſſet autoritas. Ibi hæreſes, Bohemicæ factiones, & id genus crimina alia obijciebantur. Largitus eſt Eccius æqualem omnium Apoſtolorum autoritatem fuiſſe, nec conſectaneum eſſe, ut ſint æquales Epiſcopi. Intereſſe enim inter ἀποστολὴν & adminiſtrationem, cum non ſit ἀποστολὴ aliud niſi legatio εἰς ὑπακοὴν πίστεως Paulo ad Romanos autore. Neq; inter ἀποστολὴν & adminiſtrationem quid interſit, uideo. Intolerabile uiſum Eccio, alicubi recedere à Pontificijs decretis, aut à qualibuſcunq; uerbis alicuius è ſanctis Patribus. Verum, ſententiam ſuam de Pontifici. loco ad Galatas Martinus munijt, non ἀπροσχόδως quantum uideo. Ab ijs qui uidebantur eſſe aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt. Deus enim perſonam hominis non accipit, mihi autem, qui uidebantur eſſe aliquid, nihil contulerunt. Interim Eccius opinatur à Chriſto Apoſtolos lectos eſſe, ſed à Petro ordinatos epiſcopos, ex his æſtimes reliqua. Ad conſtitutionem, quæ recenſetur in Decretis, ne Romanus Pontifex uniuerſalis Epiſcopus nominetur, reſpondit, non quidem uniuerſalem Epiſcopum nominandum eſſe, ſed uniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum. Poſt hæc de purgatorio agi cœptum, cuius quæſtionis arbitror ſcopum ne attigiſſe quidem. Nam cum differendum eſſet, quam in purgatorium poteſtatem habeat Papa, cœpit Eccius aliam cantilenam, eſſe purgatorium, probari ut poſſit, id quod receptius eſt, quàm ut neceſſe ſit toties in ſcholas uocare. Locus eſt Machabæis uulgatus, quo ſententiam ſuam muniebat Eccius. Martino uiſum eſt in contentione, iuxta Hieronymi ſententiam, non ualere Machabæos. Contra ille, tantum deberi Machabæorum libro, quantum Euangelio, digna ſcilicet Theologo uox, & omnino id mordicus tenuit. Additus Pauli locus, ad Corinthios: Saluus erit, ſic tamen, quaſi per ignem, de quo ſcis ut uarient interpretes. Iam & hoc Matthæi: Eſto conſentiens aduerſario tuo &c. de carcere, & quod dicitur, donec ſoluerit extremum quadrantem, huc detorſit, quod uides unde petatur, & in quam ſit dictum ſententiam. Nephas eſt putare eō loci carcerem de purgatorio intelligi. Vellem Chriſti plebeculam fœlicius erudiri, quàm id genus interpretationibus, pleræq; longius à fontibus ducunt ſcripturam, quàm ut natiuam uim retineat. Iam & hoc in Pſalmo pro purgatorio produxit, Tranſiuimus per ignem & aquam, & neſcio quæ pari fide alia. De indulgentijs minore contentione diſputatum eſt, immo ipſi Eccio iocum & ludum ciebant. Ad ſummum de pœnitentia actum eſt, eius quæſtionis ſcopum

Eccij

Eccij enthymemata neſcio an attigerint, pœnas aliquas ſatisfactionis probabāt, quas admittebat Martinus. Cęterū pro ſingulis peccatis ad ſingulas pœnas depoſci pœnitētem à iuſtitia diuina, quas in poteſtate hominis ſit remittere, mihi per illas ratiocinationes non apparebat. Atq; hæc quidē ſunt potiſſima quæ in contentionem iſtam uniuerſam inciderunt, pleraq; alia magis ridicula ſunt, q̄ ut ijs te onerare poſſim, alioqui fœlicius occupatum. Duo reliqui dies dati ſunt Carolo. altero de obice, ut uocant, gratiæ actum eſt, quem largitur Eccius, nō tolli natura, ſed gratia, altero, an in quolibet bono opere peccemus. De quo pleriſq; cū ab Eccio, tum à Caroloſtadio egregijs ſcripturæ locis pugnatum eſt, mihi ſanè uiſus eſt Paul. vij. cap. ad Ro. nonnihil adiuuare ſententiam Caroloſtadij. Plura ſcripturus aliò ad neceſſarias operas auocabor, quanq; hæc fortaſſe immodicus, ſed placuit nugari tecum amiciſſimo, eaq; de re quam expectatione maiore q̄ fructu agi, ipſe uidi. De huiuſmodi diſceptationibus plauſibilibus, quid alij ſentiāt, neſcio, mihi quidem ἀπόχρισοι uidentur. Ingenia, eruditionem uariam, & multiplicem doctrinam hoc theatro oſtentarunt iſti, ex quibus ad pietatem, ut plurima fieret acceſſio, optarim. Cæterum apud nos magnæ admirationi pleriſq; fuit Eccius, ob uarias & inſignes ingenij dotes. Caroloſtadium è ſcriptis credo nouiſti, bonus eſt uir, & rara doctrina, planeq; nonnihil extra uolgi aleam eruditus. In Martino longo iam uſu mihi familiariter cognito, uiuax ingeniū, eruditionē, & facundiam admiror, ſyncerum & pure Chriſtianum animum non poſſum non deamare. Amicis communibus ex nobis ſalutem dicito. Scis quod dici Græcis ſolet πολέμου κενὰ πολλὰ, quare non eſt, ut de huius diſceptationis euentu, neq; famę, neq; ijs qui in ea famę ſtuduerūt, omnia credas. Vale, Vuittenbergę xxi. Iulij.

Yoannes Eccius.
Andreas Caroloſtadius.
Martinus Luter.

Anno Domini M. D. xix. Cæſar Maximilianus fatalem diem obijt, quum eſſet ingreſſus annum ætatis ſexageſimum tertium. Exequiæ ei celebrantur Auguſtæ, aderant præter equites aurei uelleris, illuſtriſſimi Hiſpaniarū regis frater, dux Ferdinandus, Guilielmus de Croi Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, D. Etardus de Marca, Epiſcopus Leodienſis, Philippus de Burgundia, Epiſcopus Traiectenſis: Princeps ob clementiam, placabilitatem, uoluptatum abſtinentiam, & alias uirtutes longe chariſſimus. Continuos ix. annos in caſtris agens, difficillima quinq; bella profligauit, Gallicum, Eburonicum, Sicambricum, Batauicum, Morinicum. Hic nobiliſſimę gentes, hic ſcientiſſimi bellicę rei populi, hic urbes opulentiſſimæ ad deditionem & pœnitentiam ab eo cōpulſæ ſunt. Quale nihil ſocer Carolus, nihil proſocer Philippus, excellentiſſimi duces, unq; conſequi potuerunt. Neq; uero poſtremum inter huius laudes uiri ponendū, quod literas & ingenia tam impenſe amauit, quodq; bonas artes non fouerit modo, ſed aluerit, atq; promouerit. Auxit huius mortui deſyderium Principis, atrocitas inſequentium temporum.

Anno eodem in Nortuuegia capta eſt belua marina, habens xij. ulnas longitudinis, cutem groſſitudinis unius pollicis, ſub uentre pedes duos ut canis marinus, mentum hirſutum, in ſuperiori mandibula dentes duos ſeſquipedales, tres digitos excedentes, uulgo Roſzmer dicitur.

ELECTIO CAROLI V. IMP.

ANno eodem, poſt mortem Maximiliani, Principes, electores conuenerunt Francophordiæ, Albertus Archiepiſcopus Mogontiæ &c. Marchio Brandenburgenſis, Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis, Comes de Vuida, Richardus Archiepiſcopus Treuerenſis, de familia Greiffenklauu, Legati Ludouici regis Bohemiæ, Ludouicus Palatinus Rheni, Fridericus Saxoniæ dux, Ioachimus Marchio Brandenburgenſis, hij unanimi conſenſu elegerunt Carolum ducem Auſtriæ & Burgundiæ, regem Hiſpaniarum, die xxviij. Iunij, & ita Maximiliano Carolus, auo nepos ſuccedit, qui quo tempore eſt electus Rex Romanorū, in Hiſpanijs agebat, unde per legationē euocatus, Fridericus Palatinus legatus erat, anno Domini M. D. xx. in Flandriam applicuit, doctiſſimi uiri erāt in regio

comitatu



comitatu, Eraſmus, Huttenus, Aloiſius, Marlianus, Maximilianus: à ſecretis Cæſari, Iohannes Ludouicus Viues, Georgius Halonius. Cæſar profunda nocte Brugas uenit, magna lætitia ſpectatorum, quem præcedebat Ferdinandus frater, Cardinalis à Croy, ſequebatur uero Margareta Augusta. Mox ſequenti die, hoc eſt, in feſto Iacobi, qui patronus eſt Hiſpaniarum, magna ſolennitas habita. Epiſcopo Cordubenſi rem ſacrã faciente. Eruditiſſimus D. Thomas Morus legatum agebat apud Germanos mercatores. Aderant Brugis oratores Venetorũ, Colonienſium, Norinbergenſium, Lubecenſium, Henricus dominus de Brunſchuuig, Legati ducis Lunenburgenſis, Legati Lantgrauij Haſſiæ, Chonradus Peutingerus. Die Lunę poſt feſtum Iacobi proficiſcitur Auguſtus Gandauũ. Frater Iohannes Glapeon ordinis Minorum de obſeruantia, ſermonem fecit in templo diuæ uirginis Brugis, preſente Cæſare. Thema erat: Redde quod debes. hæc ſtultiſſime deduxit & adulatorie. Poſthac ab Antuerpianis Carolus Auguſtus ſummo cum triumpho ſuſcipitur, id quod Petrus Aegidius graphice deſcripſit. Item à Leodinis, & eorũ epiſcopo Erhardo Marcano honorifice ſucipitur. Aquiſgrani exquiſitiſſimis honoribus acceptus, & imperij donatus inſignibus, in præſentia Electorum imperij. Aderant præter legatos uariarum prouinciarũ, Cardinalis Columnenſis, Legatus Romani Pontificis, Cardinalis Gurcẽſis, Cardinalis Sedunenſis, quem Heluetiorum uocant, Cardinalis de Croy, Cardinalis elector. A coronatione Coloniam uenit, & ad Mogontiam menſe Nouembri, à Theodorico Zobellio Canonico & Scholaſtico eleganti oratione ſuſceptus. Poſt aliquot dies Vuormatiam ad indicta comitia ſe recipiens.

Cardinales apud Carolum quintum.

Anno Dñi mill. D. xix. Prodeũt Cõmentarij M. Lutheri in epiſtolam ad Gal. Item in ſeptem Pſalmos pœnitentiales breuis declaratio. Quo tempore in Academia Vuittenbergenſi munificentia prudentiſſimi omnium ſtudiorum mœcenatis, Friderici principis & Electoris Saxoniæ, recta ſtudia in tribus linguis, Latina, Græca, & Hebrea, gratis docentur, Philippo Melanchthone Vuittenbergam & Germaniam pijs ſtudijs & honeſtis diſciplinis illuſtrante.

Commentarij Lutheri in Galath.

Eodem anno prodit Reſolutio Lutheriana ſuper propoſitione ſua xiij. de poteſtate Papæ.

Anno Domini mill. D. xx. Aſſertio omnium articulorum M. Lutheri per Bullam Leonis x. damnatorũ, ſcribitur ad Fabianum Fœlicẽ equitẽ Germanum.

Aſſertio articulorum Lutheri.

Anno eodem Lutherus ad Nobilitatem Germaniæ ſcribit, contra tres muros Papiſtarum, quorum primus eſt: Quod dicunt magiſtratũ prophanum in eos (ſpiritales ſcilicet) nihil habere poteſtatis, ſed e regiõe ipſi ſint ſupra prophanos.

Lutherus ad Nobilitatem Germaniæ.

II. Si urgentur ſcriptura, dicunt nemini licere hanc exponere, quàm Papæ.

III. Si Concilio urgentur, fingunt rurſus neminem poſſe indicere Conciliũ niſi ſolum Pontificem Romanum. In eo libro tractat & plura alia argumenta: Quod Papa non poſſit impedire liberum Concilium. Quæ in Concilijs agẽda: Faſtus Papæ tollendus. Quantum Germania Papæ ſoluerit annue, nimirum circiter trecenta millia florenorum. Abuſus annatarum. De abuſu menſis Pontificij, & quare ſit auferendus. Cur Epiſcopi Germaniæ nihil auſint contra Papam. Intellectus iactatiſſimæ ſententiæ: TV SVPPLEX ORA, TV PROTEGE, TVQVE LABORA. Ne Imperator Papæ ſubſit, ſed uiciſſim. Donationem Conſtantini falſam eſſe. Papę non oſculandos pedes. De uſu cœnobiorum & collegiorum. Quod ſacerdotes ſint uxorati. De electione plebanorum. Auaritiam fuiſſe cauſam interdicti matrimonij. Quis uſus excommunicationis. Minus Feſtorum. Libertas in cibo. Vt mendicitas commode aboleatur. Incom

moda ex Concilio Conſtantienſi: & quod probiſſimus Cæſar Sigiſmundus ſummum infortunium ſenſit ob non ſeruatam fidem Iohanni Huſs, & Hyeronymo. Hæreticos non per faſciculos, ſed ſcripturæ perſpicuitatem uincendos. De reformandis Vniuerſitatibus. Iudicium de Decretalibus. Prima doctrina puerorum ſit Euangelium. Luxus ueſtium per Germaniam. De luxu aromatum per Germaniam. De redditibus & cenſibus. De proſtibulis.

Theologi contra Lutherum.

Hoc anno contra Lutherum Theologi Louanienſes, Colonienſes, & Hieronymus Aleander ac alij, agere cœperunt.

De libertate Chriſtiana Luth.

Eodem anno ſcribit Lutherus de libertate Chriſtiana, ad Leonem decimum, in quo libro tractat hæc Paradoxa.

I. Homo Chriſtianus omnium liber eſt & dominus, ac nulli ſubiectus.

II. Homo Chriſtianus eſt diligẽs miniſter, & ſeruus oĩm, omnibus ſubiectus.

Lutherus de bonis operibus.

Anno eodem ſcribit de bonis operibus, ad illuſtriſſimum principem Iohannẽ ducem Saxoniæ, qui liber è Germanico in Latinum tranſpoſitus fuit.

Eraſmus ad Cardinalem Mogontinum de cauſa Lutheri.

Anno Domini mill. D. xx. D. Eraſmus Roterodamus ad Reuerendiſſimum Archiepiſcopum Mogontinum ſcribit, commonefaciens illius Celſitudinem, de cauſa doct. Martini Lutheri. In qua epiſtola inter alia meminit, à Monachis & Theologis damnata tanquam hæretica in libris Lutheri, quæ in Bernhardi Auguſtiniq; libris ut orthodoxa, immo & pia leguntur. Mundum oneratũ humanis inſtitutionibus, oneratum opinionibus & dogmatibus ſcholaſticis, oneratũ tyrannide fratrum mendicantium: qui cum ſint ſatellites Rom. ſedis, tamen eo potentiæ ac multitudinis euadunt, ut ipſi Romano Pontifici, atq; ipſis regibus ſint formidabiles. His cũ pro ipſis facit, Pontifex plus quàm Deus eſt. In his quæ faciunt aduerſus eorum commodum, non plus ualet quàm ſomnium.

Olim hæreticus habebatur, qui diſſentiebat ab Euangelijs, ab articulis fidei, aut his quæ cum his parem autoritatẽ obtinerent. Nunc ſi quis à Thoma diſſentiat, uocatur hereticus. Quicquid non placet, quicquid non intelligunt, hæreſis eſt. Græce ſcire, hæreſis eſt. Expolite loqui, hæreſis eſt.

Eodem tempore Iacobus Vuimphelingus Seleſtadienſis, Eraſmi epiſtolam ad Mogon. ad epiſcopũ Baſilienſem mittit, optans ut eius exemplo omnes Germanię epiſcopi Leonem Papam mitigent, ne uirũ, quẽ Chriſtianum & Euangelicum, nonmodo in doctrina, ſed in omni uita prædicant, funditus deleri ſinat.

Vuimphelingi uitã, uiri de literis pro ſua menſura & ætate bene meriti, mox infra habebis candide lector.

Lutherus Vuormatiam uenit.

Anno Domini mill. D. xxi. Martinus Lutherus Vuormatiam uenit, rationem fidei ſuæ coram Carolo quinto Auguſto reddit. Cum de fide publica illi danda apud principes ageretur. Et placuiſſet dandam illi eſſe, ferunt illuſtriſſimũ principem Philippum Lantgrauium, tum adoleſcentẽ, cum rogaretur, reſpondiſſe:

Fides danda & ſeruanda Luthero.

Non modo dandam, ſed ſeruandam eſſe fidem. Teſtimonium Germani & cordati principis. Hæc non ſemel retulit clariſſimus ac integerrimus uir, D. Iacobus Kirſcherus, illuſtriſſimi principis Philippi Marchionis Badenſis Cancellarius, qui cum principe tum concioni interfuit, cum de uocando Luthero rogarentur ſententiæ.

Lutherus de uotis monaſticis & Miſſa.

Anno Domini mill. D. xxi. Prodeunt liber Lutheri de uotis monaſticis, & de abroganda Miſſa: priorem dicauit patri ſuo, Iohanni Luthero: alterum fratribus ſuis Auguſtinenſibus, cœnobij Vuittenbergenſis, ut conſcientiam obfirmẽt uerbo Dei, contra portas inferi. Ex Eremo mill. D. xxi.

Anno eodem ex Pathmos ſcribit de Cõfeſſione, ad uere nobilem Franciſcum à Sickingen.

Didimus Fauentinus.

Hoc anno prodit Didimus Fauentinus aduerſus Thomam Placentinum pro M. Luthero. Oratio eſt ex qua cognoſcit lector, quibus ſycophãtijs & calumnijs oppreſſam uelint ueritatem, & extinctas bonas, hoc eſt, pias literas hi, qui ſophiſticen Theologiam, qui pontificum conſtitutiones, breuiter qui hominum traditiones uindicant: Et petit hæc oratio, ut nemo faueat Luthero niſi quatenus Euangelicæ ueritati fauere debet quiuis Chriſtianus.

Eodem

Eodem anno Vlrichus ab Hutten dialogos nouos, per quàm feſtiuos edit, Illuſtriſs. Principi domino Iohanni Palatino Rheni, Bauariæ duci & Spanheméſi comiti dedicatos, titulus eſt Bulla uel Bullicida, Monitor primus, Monitor ſecundus, Prædones. *Vlrichus ab Hutten.*

Anno Domini M.D.xxi. Ferdinandus Archidux Auſtriæ, cum Anna filia regis Vngariæ apud Lintz habet nuptias. Ité Ludouicus Vngariæ rex, cum Maria ſorore Caroli & Ferdinandi apud Ofen nuptias celebrauit.

Hoc anno Carolus v. Imp. auxilio Leonis papæ decimi, Mediolanum cum arce occupat.

Anno eodem prodeunt ſequentia. Sermones innumeri de Matrimonio. De Mammona. In Spalmũ cxviij. Beati immaculati: Commentarij in Spal. lxvij. Exurgat Deus. In Spal. xxxvi. Noli emulari. Super magnificat, ad Iohannem Fridericum Illuſtriſſ. principem modo electorem. Quod cor regis in manu Dei ſit. Quod angeli ſint & dij, boni principes, leones, dracones & feræ: mali.

Anno Domini M.D.xxi. Enarrationes Epiſtolarum & Euangeliorum ad Illuſtriſſ. principem Fridericum electorem. Eodem tempore ſcribit Lutherus de captiuitate Babylonica, Eccleſiæ præludium cum eiaculatione hac. LAETA LIBERTAS. Item carmine iſto annexo: *Læta libertas.*

HOSTIS HERODES IMPIE,
CHRISTVM VENIRE QVID TIMES?
NON ARRIPIT MORTALIA,
QVI REGNA DAT COELESTIA.

Anno eodem, tenente conuentu Vuormatienſi, Carolus amiſit aulę ſuæ duos præcipuos, Gulielmum Croium Archiepiſcopum Toletanum Cardinalem, & huius patruũ Gulielmum Ceuerium principem de Seruia, uulgo der von ſchiffern, primus marchio de Arſcoto: Ille Ianuario menſe perijt, ueluti floſculus tener, in ipſo exortu ſucciſus, nondum enim egreſſus erat, annũ uigeſimum tertium: Hic, ſed natu grandior, Maio inſequenti, naturæ conceſſit, ingenti theſauro in Auguſti Reipub. cõmodum relicto. Cui uero ſi uita diuturnior contigiſſet, aut nunquã ſuſceptum (erat enim pacis amantiſſimus) aut celerius confectum fuiſſet bellum, quod exarſit poſtea inter duos potentiſſimos orbis Chriſtiani principes, Carolũ Cæſarem & Galliarum regem Franciſcum, in quo etiã hodie fœlicem cataſtrophen pij exoptãt. Dominus Robertus de Marka comes de Arnberg dictus, orta lite inter ipſum & Dominũ de Embri, rurſus ab Auguſto deficit ad regé Franciæ, quare aliquot arces & oppida ipſius per comitem de Naſſauu captæ & diruptæ ſunt. Hoc anno Cæſareani occupatis Gallorum aliquot oppidulis, cum ingenti exercitu ad Maſſerias armis uindicãdas profecti, aliquot eam hebdamadas obſederũt. Locus ui defenſus capi non potuit, ſuburbana tantum tecta direpta ſunt et incenſa. Ob diſſidium dúcum hanc obſidionem ſolutam eſſe uoluit quidam. Alij tradũt, quoniam in Cæſareano exercitu multi diſſenteria grauiter laborarét, & oppidũ ipſum forti pręſidio tenebatur, appropinquante hyeme, obſidionem ſolutam, maxime etiam quod Markanus, græca fide agens, gallorũ equitum auxilio, currus centũ quinquaginta, qui annonã exercitui aduehebant, intercepit. *Gulielmus Croius. Gulielmus Ceuerius. Bellum Caroli 5. & Franciſci 1. Maſſeriæ uulgo maßyr.*

Anno eodem pridie kalend. Maias, conuentus Vuormatienſis, dimiſſus eſtã Carolo. Carolus Auguſtus in Brabantiam redit menſe Iunio, rebus in Germania compoſitis, Franciſco de Sickingen Germanici exercitus principe. *Finis comitiorum Vuormatienſium.*

Criſtiernus Danorum rex, terreſtri itinere ad Carolum Auguſtum uenit, & humaniſſime ſuſceptus eſt.

Anno eodem xiij die menſis Iulij, libri Lutheri Antuerpiæ combuſti, præſente Carolo Auguſto, per Aleandrũ & lictorem, adſtitit Egmonda & alij: ferũt prętorem Antuerpianum ſubridendo dixiſſe, cum illum alloquerentur Aleander et Egmonda. Conſilium impiorum non adiuues. Plebeius quidam interrogauit quid opus eſſet, accenſa teda et carnifice, cum alioquin ignis adeſſet: quidam reſpondit, iſtum honorem haberi, quia uerba Domini comburerentur. Alius, inquit, melius eſſe ligna uenũdari, ut Romæ pædicones iſto precio cõburerentur. *Libri Lutheri combuſti.*

Gandaui quoq; libri Lutheri combuſti opera Aleandri Egmondani, & Glapeonis. Hinc prodit epiſtola Vdelonis Cymbri Cuſani, de exuſtione librorum Lutheri, & monachorum Dominicanę factionis nequitia, ad Germaniæ proceres & ciues.

Rumor de tollẽdo Auguſto per uenenũ, carni bubalæ immiſſum, percrebuit.

Eodem anno Leo huius nominis decimus Pontifex Romę moritur. Ferunt ueneno extinctum, antea dictus Iohannes de Medicis, Angeli Politiani quondã diſcipulus. In cuius demortui locum anno mill. D. xxij. menſe Ianuario Hadrianus Florentius Traiectenſis, Cardinalis ſanctorum Iohannis & Pauli, aliquãdo

Hadrianus 6. Papa.

Caroli pędagogus, in Papã eligitur, eſtq; uocatus Hadrianus vi. Cũ Romę eligeretur, agebat is tũ in Hiſpanijs, regnorũ Caroli Cęſaris gubernator. Aberat enim Carolus ob negotia imperij. Moritur altero ſuę adminiſtrationis ineũte anno.

Hadrianus domum ſuam Louanij magnifice extructam, in uſum uertit ſanctis literis ſtudentium, ijſdem etiam in alemoniam relictis prouentibus annuis.

E regione Pontificij collegij habitat familia Standonica, de qua ſupra.

Grauamina Germanicæ nationis.

Hoc anno in comitijs Vuormatienſibus Grauamina quę habet Germania à ſede Romana & eccleſiaſiaſticis, per Electores & alios principes diligẽter fuerũt expoſita Cęſareę Maieſtati, Articuli hac de re cõſcripti ſunt circiter centũ. De iudicibus et cõſeruatoribus Rom. De uiolatione Iuris patronatus. Quod indoctis Agaſonibus ſtabularijs Romę beneficia conferuntur. De Annatis & harũ exactione, ubi olim expoſiti ducati x. iam ſoluendi centũ: nam Mogontia aliquãdo, Colonia, Saltzburgum, x. mill. ducatorũ pallium impetrarũt, iam xxiiij. millibus uix poſſunt. De confirmationibus & pallijs. De nouis officijs, Scutiferis, Ribiſtis, Parcionarijs, Paionarijs, Caſoratis. De commendis & incorporationibus. De regulis Cancellariæ. De ſeruatione pectorali, mentali, regreſſione. De Curtiſanis. De indulgentijs Stationarijs. De abuſu excommunicationis. Quod multi indocti ordinantur. De ſynodis neglectis. De mala uita cleri.

Gallorum rex Franciſcus cũ exercitu ſuo in Hannoniam uſq; uenit, captis quibuſdam obſcuris oppidulis & incenſis: cui cum Cæſareani occurreſſent, paruis factis pręlijs, & utrinq; aliquot nobilibus captis & cęſis, in Galliam redijt.

Carolus Auguſtus unà cum rege Danorum ac cæteris principibus Brugas uenit, ibi expectans aduentum Cardinalis Eboracenſis Angli. Habuit Cęſar in comitatu ſuo regem Danorum, Archiepiſcopũ & principem Cremenſem, Comitem Vuirtenbergenſem, Epiſcopum Leodienſem, Epiſcopum Vltraiectinum.

Cardinalis Eboracenſis Ceremoniæ.

Cardinalis Eboracenſis in comitatu ſuo habebat doctiſſimos uiros, Thunſtallum, Thomam Morum, Gulielmum Montiorũ, Eraſmum Roterodamum.

Cardinali Anglo prandenti & cœnanti, flexis poplitibus (id quod inter Germanos inauditum) miniſtrabatur, aſtantibus multis Anglis nobilibus.

Nomen Auguſti aureis literis ſcribendũ.

Hieronymus Aleander ſenatui Brugiano bullam Leonis x. & Cęſareę Maieſt. exhibuit: & cum nomen Auguſti deeſſet, & unus Senatorum cauſam inquireret, inquit Aleander, Aureis hoc nomen literis ſcribendum.

Iſabella Danorum regina moritur.

Anno mill. D. xxij. Cum Chriſtiernus Danorum rex aliquot annis in Germania inferiori egiſſet, regina Iſabela uxor eius, Caroli ſoror, in languorem incidit, quo poſtea breui maximo uiri ſui dolore conſumpta eſt, & ſepulta Gandaui: Fatis, ut putatur, uolentibus, ut quæ urbs naſcentem Carolum fratrem uidiſſet, eadem quoq; ſororis amantiſſimę cineres haberet.

Mediolanum capitur

Mediolanum à Romano Pontifice & Heluetiorum exercitu, diffugientibus metu Gallis, captum eſt, in gratiam Caroli Auguſti.

Ianuenſes ad Cæſarẽ deficiunt.

Ianuenſes à Gallo ad Cęſarem defecerunt, & imperata fecerunt, quod putabatur initium Cęſareani nominis exaltandi per Italiam.

Poſtilla Lutheri.

Anno eodem prodit poſtilla Lutheri ſuper Epiſtolas & Euangelia, ad generoſum comitem Albertum à Mansfelt, dominum Schrappel & Helderungen, in qua prædicat ſermonẽ, inſtat tempeſtiue intempeſtiue, arguit, increpat, exhortatur, opus peragit Euangeliſtę, ſummam uitę Chriſtianę inculcans.

In Pſal. xxi. Deus Deus meus, lucubrationes Lutheri, anno eodem.

Eodem

Eodem anno de traditionibus humanis fugiendis.

Anno Domini M.D.xxij. Huldrichus Zuinglius Apologeticum Archetelem ſcribit ad Reuerend. Dominum Hugonem de Hohenlandenberg, Epiſcopum Conſtantienſem, de tota cauſa doctrinæ pietatis.

Eodem anno Iohan. Oecolamp. apud clariſſimum Franciſcum à Sickingen Germaniæ equitem et Imperatorij exercitus Capitaneũ Ebernburgo, Lectionem Epiſtolæ & Euangelij uernaculo ſermone plebi promulgat præſentibus nobilibus & clariſſimis uiris Diethero à Thalburg Hartmudio à Cronberg, qua de re extat Oecolampadij Epiſtola.

Anno Domini mill. D.xxiij. Quod Ieſus Chriſtus natus Iudæus.

Eodem anno ſermones xxiij. uariorum argumentorum.

Eodem anno ſcribit ad ſtatus Imperij Norinbergæ cõgregatos, contra eos qui inuertunt aut uitiant mandatum Cæſareum, cuius ſumma erat in quatuor articulis. Vt Euangelium doceretur iuxta expoſitionem doctorum Chriſtianorũ ab eccleſia approbatorum. *Comitia Norinbergæ.*

II. Quod Archiepiſcopi et Epiſcopi eruditos in ſacra ſcriptura ordinent, qui iudicent de concionibus, an recte uel ſecus doceatur.

III. Vt nihil noui excudatur uſq; ad tempus Concilij quod non per prudentes à magiſtratu ad hac ordinatos admiſſum ſit.

IIII. Quod perſonæ ſpectantes quæ matrimonij onus ſubeunt, aut monaſticum inſtitutum relinquunt priuilegijs eorundem careant.

Eodem anno ſcribit apud Eccleſiam eſſe ius de doctrina iudicandi, doctores aſciſcere, aut reijcere.

Sed longum fuerit omnia enumerare, quæ D. Lutherus & Philippus Melanchton his annis ædiderint.

Carolus v. redit in Hiſpanias. Iohannes Cornelius nauta, nauigatione decem dierum ab Anglico littore uehit. Hic nauta regem Philippum illuſtriſſimi Auguſti patrem ultima nauigatione in ſumma tempeſtate in Hiſpanias uexerat, & reginam Danorum una cum principe Vltraiectino in Daniam uexerat. Vir diues & peritiſſimus rei nauticæ.

Hadrianus papa Romæ reformationem tentat, laborat pro pace & concordia apud principes & R.P. Item pro auxilio Rhodijs ferendo obſeſſis à Turca & regno pannoniæ. *Rhodus deditur Turcæ.*

Anno Domini mill. D.xxiij. Rhodus Imperij Chriſtiani antiqua propugnatrix Tyranno Turcarũ. Solimano dedita eſt. Cuius nobiliſſimæ urbis ſemper lugendam deditionẽ, qui fando audiendóue temperare à lachrymis poteſt, mea quidem ſententia non nouit, quantum Rhodiana uictoria Turcarum uires auctæ ſint & noſtræ acciſæ. Verum (ut quidam ſcribit) nunc omnes quærelæ etiam neceſſariæ ſeræ ſunt atq; ingratæ, quandoquidẽ Occidentis principes, quos neque obſidio neq; poſtea excidium mouit, poti ſunt calice furoris indignationis & iræ Dei. De hoc bello habes libros tres elegãtiſſimos Iacobo Fontano Brugenſi autore cum Epiſtola exhortatoria Philippi Melancht. ad Archiepiſcopum Mogontinum, ut deliberet non modo de bello Turcico, ſed etiam de ſanandis Eccleſiaſticis diſſenſionibus. Ex lib. primo tantum libuit ſubijcere hic epiſtolam tyranni & iuramenti, ut hinc ex unguibus (quod dicitur) leonem æſtimes. *Iacobus Fontanus Brugenſis.*

SOLYMANVS TSACCVS DEI GRATIA, REX REGVM, dominus dominantium, maximus Imperator, Byzantij & Trapezuntis &c. Reuerẽdo patri Philippo Vilerio Liladamo, magno magiſtro Rhodi, equitibusq; ſuis & uniuerſo populo.

COmmouerunt me afflictiſſimæ gentis meæ cõmiſeratio, & ſumma iniuria ueſtra. Impero igitur uobis per celerem inſulæ & arcis Rhodiæ deditionem pie ultroq; conceſſa gratia, ſecure abeundi cum omni precioſa ſuppellectile, aut ſi libet manendi ſub imperio meo, in nullo nec tributo quidem minuta libertate & religione ueſtra. Si ſapitis, præferte amicitiam & pacem bello crudeliſſimo. Nam *Epiſtola Turcæ ad Magiſtrum Rhodi.*

uictos ui manent acerbiſſima omnia, quæ uicti à uictoribus pati ſolent, à quibus non defendent uos arma, domeſtica externaue auxilia, nec ingentes muri, quos radicitus euertam. Valete bene: Quod tunc demũ fiet, ſi potius quàm uim amicitiam malueritis, quæ neq; fraudi, neq; dolo uobis erit. Iuro Deum, cœli terræq; autorem, iuro quatuor Euangelicę hiſtorię Chronographos, uicies quater mille prophetas lapſos è cœlo, ſummumq; inter hos noſtrum Mahumetem adorandos, item manes aui patriſq;, tum hoc ſacrum auguſtumq; meum imperiale caput. Ex regia noſtra Conſtantinopoli.

MOS IVRANDI THARTARORVM.

Mos iurandi Thartarorum. Mos Thartarorum eſt ſuper frameas iurare, & aquam ablutionis gladiorum, atq; framearum epotare, atq; uerba talia adijcere. Quicunq; pacta, ligam & fraternitatem uiolauerit, aut contra eam uiolandam inſurrexerit, uel aliquiſpiam intentauerit, à frameis incidendus, occidenduſq; pereat, & tanq; aqua defluat atq; euaneſcat. Ex lib. iiij. Chro. Polonorum.

Oratores ex Africa ad Carolum in Hiſpanias. Anno Domini M.D.xxij. Ad Carolum Auguſtũ uenerunt in Hiſpanias quatuor Oratores ex Aphrica, illuſtres Principes cum muneribus, & xxiiij. Camelis onuſtis, Elephantibus, uarijs feris, leonibus & beſtiolis, offerentes ſe & ſua.

Gallina aurea. Venerunt eodem tempore ex Indię parte illa, quæ nuper per prefectum maris Hiſpanici inuenta eſt, quatuor alij Oratores a xij. regulis miſſi, hij omnes auium pennis ornati, & plumati erant, obtulerunt gallinam auream cum xij. pullis aureis, ornatis gemmis & lapillis pretioſiſſimis. Criſta gallinæ erat ex carbunculo, roſtrum ex adamante, pennæ erant gemmę. Aſportarunt & uarias aues & ueſtes ex pennis auium factas. Item tentoria bellica ex plumis. Item tela & ſcuta. Hij nomine xij. regulorũ Indię, Cęſareæ maieſtati nutu & ſignis obedientiã prẹſtiterũt.

Anno Domini M.D.xxij. Comitia frequentia Norinbergæ habita fuerunt, in quibus legatus Adriani Pontificis, & regis Vngarię contra Turcam ſollicitarunt. Hic Adrianus ad Comitia Norinbergenſia, anno eodem legatum ſuum Franciſcum Cheregatum miſit, & cõmiſit, ut libere confiteretur coram ſtatibus imperij, in hæc uerba. Nos ſcimus ꝙ in hac ſancta ſede iam annis aliquot, multa fuerunt abominabilia, abuſus in rebus diuinis, ſuperfluitas traditionum, & ꝙ tandem omnia in deterius corruerint. Nec mirum eſt, ꝙ infirmitas à capite in membra, à Papis in minores prẹlatos deriuatir. Nos omnes, hoc eſt prælati & Eccleſiaſtici, declinauimus, quiſq; in uiam ſuam, nec iam diu fuit aliquis qui bonum operaretur. Sed hæc non eſt noua querela, lege Bernhardi ſermonẽ ad prelatos in Concilio Renenſi. Item ſuper Cantica.

Breue Hadriani contra Lutherum. Hoc tempore prodit Breue Hadriani Papæ vi. ad Friderichum Saxoniæ ducem, contra Lutherum.

Hoc Anno Hadrianus vi. Carolus Auguſtus, Heinricus octauus, Anglorum rex, Ferdinandus dux Auſtriæ, & ciuitates Italiæ, unà cum Venetis fœdus ineunt contra Gallorum regem Franciſcum primum.

Hadrianus Papa moritur. Hadrianus vi. Pont. Ro. natione Germanus, patria Vltraiectinus, ante Pontificatum Louanienſis Academiæ Cancellarius, & collegij ibidem apud diuum Petrum Decanus, Caroli Auguſti pręceptor & alumnus, Cardinalis Dertuſenſis, ſedit annos duos, obijt Romæ anno Domini M. D. xxiij. Iohannes Baptiſta de Macerata ſuſpectus fuit de ueneno dato.

Medicus qui pollicetur peſtem ſe prohibiturum. Medicus quidam fuit, qui quatuor millia ducatorũ petijt, pollicitus ſe peſtem prohibiturum. Is magica arte per taurum effodit fontem, è quo ſi quis biberet, immunis eſſet. Hic medicus tandem combuſtus, libri eius allati Hadriano Pontifici, & inter ſecretiſſimas eius chartas inuẽti poſt mortem ipſius. Hinc quidam colligunt, magicis artibus ad hoc faſtigium euectum. Deus nouit, qui humiliat & ſublimat, pauperem facit & ditat, Pſal. cxi. Ita Hadriani Pontificatus inſignis fuit. Primo, peſte in urbe Roma ſupra centum millia hominum abſumente. Secundo, Rhodi expugnatione à Turca. Tertio, Bello pernicioſiſſimo inter Carolum Auguſtum & Franciſcum regem Galliæ.

Anno Dñi M.D.xxiij. Incompatabilis heros, & clariſſimus eques Germanus

Franciſcus

Franciſcus à Sickingen, infœlici bello implicitus, quod geſſerat anno ſuperiori contra Archiepiſcopū Treuirenſem, per Ludouicum Palatinum electorem, Philippum Haſſiæ Lantgrauiū, Reinhardum Archiepiſcopum Treuirenſem in arcé Landſtall obſidetur, & decuſſo ex bombardarū ictu, tramite leditur, & moritur, uir plane dignus, cui pax diutina cum ſumma potentia contigiſſet, adeo iuſtitiæ religioni, literisq; prouehendis, erat addictiſſimus.

Anno eodem in regno Granatę, circa autumnum multæ ciuitates & arces abſorptæ ſunt, & in Neapoli circa feſtum Galli, tantæ fuerunt tempeſtates, cum pluuijs & tonitruis, ut arces multæ, & pagi, ac ingentes arbores corruerent, & locó amouerentur.

Anno Domini M.D.xxiiij. Carolus Cęſar in perſona ſua propria, contra Galliæ regem Franciſcum bellaturus, mouit.

Anno eodem Clemens Papa vij. eligitur, antea Cardinalis de Medicis.

Menſe Ianuario in Haga comitis Holandiæ, mulieres ſeditionem excitarunt, ob uectigalium potoriorum exactionem contra publicanos.

Anno Domini M.D.xxv. Soror ducis Friderici, uxor ducis de Luneburg, hoc anno filiam ſuam monialem è monaſterio materno præcepto abſtulit.

Georgius Marchio Brandenburgenſis, magnus Pruſſiæ magiſter ordinis Teutonicorū uerbum Domini cum ſuis ſuſcepit, & filiam ducis Holſatię uxoré duxit.

Anno eodem Fridericus dux Saxoniæ, clariſſimus princeps moritur.

Anno eodem Franciſcus huius nominis, Gallorum rex primus in Italia apud Papiam à Caroli Cęſaris exercitibus memorabili prælio uictus, capitur. *Gallus à Cęſare uictus apud Papiam.*

Eodem anno Carolus Cęſar menſis Martij undecimo die, Iſabellam Emanuelis, Liſitanorum regis filiam, eius qui nunc regnat ſororem apud Hiſpalim Bethicæ, urbem Hiſpaniæ in matrimonium accepit, eos Saluiatus Cardinalis ſummi Pont. legatus ſtabili iunxit connubio. Ex eadem coniuge, benignitate Dei, uirilem ſtirpem habet. *Nuptiæ Caroli.V. cum Iſabella.*

Per idem ferè tempus Gallorum rex, cum aliquādiu captiuus in Italia fuiſſet, tandem naui impoſitus, ad Cęſarem in Hiſpaniam perducitur. Conditiones pacis exacto unius anni ſpatio factas, apud alios legis, referre longius eſſet. *Gallus in Hiſpaniās ducitur.*

DE AGRICOLARVM SEDITIONE.
Anno Domini M. D. XXV.

DE agricolarum ſeditione, quæ hoc anno fuit per Germaniam, mihi in præſentiarum uſu uenire poteſt, quod de Carthagine dixit Saluſtius: Tacere melius eſſe, quam pauca dicere. De qua, unde ceperit, per quos creuerit, quibus de cauſis, quot ſodalitia habuerit in agro Rhenenſi, ut coierint Zabernię, & in Lupfſtein, Scheruuiler, Nuiuuiler &c. Qua ſeueritate Magiſtratus in eos animaduertere coactus, & Germania ruſticorum cędibus polluta ſit, D. Nicolaus Gerbelius Phortzenſis, uir doctus, uetus, & facundiſſimus Secretarius, Illuſtrium heroum Capituli Argentoratenſis, quatuor libros parauit, eoſdem lectorem expectare uolo. Mihi enim, & ſi uelim, in hac anguſtia temporis, non uacat pluribus ſcribere, & materia eſt uberrima, ſed digna poſteritate, ut alieno periculo edocta diſcat ſubdita eſſe cuiuis humanę creaturę propter Dominum, ſiue regi, tanq; precellenti, ſiue preſidibus. Nec unq; habere pretextum malitiæ libertatem, aut Euangelij nomine ſe querere. Tantum hoc libet hic dicere, qui cœleſtem Chriſti Philoſophiam, quę gratuito Domini fauore his annis Germanię annunciatur, & ſuper inenarrabili Dei munere, nemo ſatis gratias agere poſſit, imputare uelit, quod ab hac δἰς δἰα πᾶσῶν diſtat, ille ſanè mihi toto cœlo errare uidetur, & in Cathalogum eorum referendus, qui Tertulliani tempore ad odij in Chriſtianos defenſionem, pretexebant illam quoq; uanitatem, quod exiſtimabant omnis publicę cladis, omnis popularis incōmodi, Chriſtianos cauſam eſſe, ſi Tyberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arua, ſi cœlum ſteterit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianus ad leonem acclamatur.

Seditio Agricolarum. *D. Nicolaus Gerbelius Phortzenſis.* *Vanitas Chriſtianos cauſam eſſe publicæ cladis & popularis incommodi.*

Oro hic

Clades ante Chriſti aduentum.

Oro hic uos, qui filium Dei conculcatis, qui tantam negligitis ſalutem, quæ cum primum enarrari cepetit per ipſum dominum, his temporibus per prędicationē nobis cōmittitur, ante Tyberium, id eſt ante Chriſti aduentū, quantæ clades orbem & urbem ceciderūt? Legimus Hierapolim, & Delon, & Rhodon, & Con inſulas multis cum millibus hominum peſſum abijſſe. Memorat & Plato maiorem Aſię & Africę terram Atlantico mari ereptam. Sed et mare Corinthium, terrę motus ebibit, & uis undarum Lucaniam, Italię abſciſſam, in Sicilię nomen relegauit. Hęc utiq; non ſine iniuria incolentium accidere potuerunt. Vbi tunc Euangelium? Sed nec Tuſcia, nec Campania de Chriſtianis querebantur, tum Vulſinios de cœlo, Pompeios de ſuo monte profudit ignis. Nemo adhuc Romæ Deum uerum adorabat, cū Annibal apud Cannas, per Romanos annulos, cædes ſuas modio metiebatur. Seditiones audite ſunt in Germania, in Vngaria, Carinthia...

Seditiones ante prædicatū Euangelium.

uis, & paulopoſt in Sicilia &c. cum nec natus eſſet Lutherus, aut alij, qui hac ætate docent ueritatis & publicæ utilitatis amore. Et ſi quis excutiat ueterum annales, reperiet pleraſq; ſeditiones ex immodicis exactionibꝰ ortas fuiſſe: ex rapacitate officiorum, ex repertis nouis titulis, plurimum emungendi à populo. Tum accidit iuxta prouerbium: Nimium tenſus rumpitur funiculus, & uicta demum populi patientia, in ſeditionem erumpit: quę res florentiſſimis quondam imperijs exitium attulit. Athenęus ſub finem lib. vi. ſcribit: Multæ uero myriades ſeruorum in Attica compedibus uinctę operabantur in Metallis, quos Poſſidonius à dominis ſcribit defeciſſe, & occiſis ijs qui Metallis præfuerunt, occupaſſe arcem in Samo, ac diu deuaſtaſſe Atticam. Id autem eodem tempore factum eſt, quo & in Sicilia exorta eſt alia ſeruorum ſeditio, aut potius multę. Perijſſe quidem ſupra centum myriades ſeruorum conſtat. De ſeruilibus tum bellis σογγραμμα hiſtoriā edidit Cęcilius Rhetor & Spartacus. Ex his uerbis Athenęi habes eodem tempore & Atticam & Siciliam, & paulo poſt Italiam conflagraſſe bellis ſeruilibus. Non igitur mirum, ſi pari fato urgente Germania nuper uno fere, eodemq; tempore exarſerit ſeditionibus agricolarum.

Seditiones ex exactionibus.

Athenæus lib. 6. de ſeditione ſeruorum in Attica.

Seditio ſeruorum in Sicilia.

Ruſtici faſsi ſe nō eſſe Euangelicos.

Quid q͂ primi agricolę ſub Sigiſmundo comite à Lupffen tumultuantes, ad quos cohercendos miſſus fuit nomine fœderis Sueuici, illuſtris comes Guilielmus à Furſtenberg propalam fatebantur, ſe non eſſe Euangelicos, nec Euangelij cauſa confluxiſſe, putantes hinc ſtulti agricolæ poteſtatis fauorem ſe demeriturõs abnegatione Euangelij, quo digniores ſunt, confeſſores quam negatores. Ego, quod ſępenumero dixi de occiſis ruſticis, nō uereor hic etiam ſcribere. Hoc legitur Luc. cap. xiij. Cum nunciaretur Chriſto de Galilęis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuerat cum ſacrificijs ipſorum. Reſpondēs, dixit illis: Putatis q͂ hi Galilęi prę cunctis Galilęis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non dico uobis, imò niſi reſipueritis, omnes ſimiliter peribitis. Aut illi decē & octo ſupra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos, putatis q͂ debitores fuerint, ultra cunctos homines habitantes Hieroſolymis? Non dico uobis, imò niſi reſipueritis, omnes ſimiliter peribitis. Diuerſa merita facientium, & diuerſa paſſorum. Aliquãdo qui perſequutionem patitur iuſtus, aliquando qui facit, iuſtus eſt. Eſt poteſtas regis, eſt uis gladij cognitoris, ſunt ungulæ carnificis, ſunt arma militis, eſt diſciplina dominantis, eſt ſeueritas boni patris. Habent hæc omnia modos ſuos, cauſas, rationes, utilitates. Victoria uti magnum eſt. Obijciebatur Seuero, q͂ manſuetudine molliorem poteſtatem, & contemptibiliorē imperij feciſſet. Hic uero reſpondit, ſed ſecuriorem atq; diuturniorem. Vtinam benefactis tyrãni nomen omnes heroes effugiant, utinam nulli ſint δημοβόροι βασιλῆες, quod conuitiū apud Homerum, Achilles iacit in Principem ſibi gerentem imperium. Omnes ſint populi paſtores, nulli prędones. Nec fruſtra in Luca additur ſimilitudo de arbore fici ſuccidenda, quæ nec in tertio anno fructum fert, ſed inutili onere terram prẽmit, qui habet aures audiendi audiat. Charitas, quæ perfectionis uinculum eſt, ſi conglutinarit magiſtratum Chriſtianum, Principes, nobiles, & omnes in eminētia conſtitutos ſubditis, & uiciſſim ſubditos magiſtratui: hic curabit, ut prẽſit, profit, benefaciat, proſpiciat ſubditis. Illi uiciſſim reddent quod debetur, cui tributum

Locus Lucæ cā. 13 de ſeditioſis, per Pilatū interemptis.

tributum

tributum, cui uectigal uectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem, & ita proceres, ſuos poſſidebunt non dimidiatos, ſed totos, hoc eſt corporũ potientur, animis minime alienis, nec habebit locum prouerb. Oderint dum metuant. Hic fateor, concionatorem pium & doctum (qui fidelis eſt & prudens diſpenſator) multum poſſe, ut non iuerim inficias, indoctos ϗ ἀλλοτριοεπισκόπους, qui nõ miſſi cucurrerunt & uerba uiuentis Dei peruerterũt, frigidã ſuffudiſſe Ruſticis, aliàs ſatis ad res nouãdas æſtuantibus. Quod Iudas peccauit, nemo bonus Petro imputabit. Iohannes Carion in ſua Chronica parua meminit, quod in Alſatia, Sueuia, Francia, Orientali, circa Rhenũ in Thuringia ſpatio trium menſiũ, ultra centum millia Ruſticorum ſint occiſa. Fertur de Scaplero quodam qui xij. articulos conſcripſit, quos intitulauit de Chriſtiana libertate, hoc continentes, ne Tributũ & cenſus ſolueretur Magiſtratui, per hos articulos putant uulgus excitatũ. In Doringia ciuitate Mulhuſenſi erat Thomas Muntzerus, is ſpem faciebat reformandæ Eccleſiæ, & iactabat Deum illi reuelaſſe multa, ac dediſſe gladium Gedeonis, ad interficiendum omnes impios, quare & eduxit uulgus, ut arces nobilium diriperent. Atqui per principes Saxoniæ & Lantgrauium coherciti ſunt, et ſupplicium ſumptum de primarijs: Hic Muntzerus primus incepiſſe Anabaptiſmum putatur. In hoc uerſu habes & Galli captiuitatem & ruſticorum ſeditionem. Captus erat Gallus, coeunt cum rure cohortes.

Hoc anno D. Lutherus ſcribit contra ſeditioſos. Et poſt hunc Iohannes Brentius Eccleſiaſtes Hallenſis, ſcribit de clementia Principum erga ſeditioſos, ſeueritatem Lutherani libelli pie promitigans, cum diſcrimine ruſticorum, qui uolentes aſpernati omnem magiſtratũ, tumultuati ſunt. Et qui coacti fuere turmas Corydonum accedere, inuiti & reluctantes.

DE ANABAPTISTIS HORVM TEMPORVM.

QVONIAM recte Auguſtinus ſcribit, in libro de hęreſibus. Multũ adiuuare fidele cor, ſi noſcat quid credendum non ſit. Et forte non errauerit, qui dicat ex mala uita eorum qui iactant Euangelium, cuius πληροφορίαν non habent, hanc multiplicem ſectam exortam. Quare unde ceperint, quos duces habuerint. καὶ προδρόμους. Et quam uarijs capitibus hæc hydra fuerit, ut quæ habuerit Muntzeranos, Orãtes, Silentes, Somniantes pueris ſimiles, Synceros, impeccabiles à baptiſmo. Liberos, Binderlianos, Sabbatarios, Maderanos, Hofmannicos, & nuper exortos circumciſos &c. & quam pugnãtes hij inter ſe opiniones. Pios etiã ac electos hac errore aliquandiu implicitos fuiſſe. De Thoma Muntzero quem putant quidam primariũ authorem huius irrequietudinis.. Quid is in Doringia & Saxonia egerit. Quid alij apud Heluetios coryphei, ut Muntzerani è Saxonibus in Heluetiam ſtatim profecti, quid iſtic Fœlix Manzius, Grebelius, Blaurock, paulo uero poſt Balthaſar Pacimontanus Vualdshuoti. Quid Vuormatiæ Iacobus Kutzius. Vt Iohannes Denckius (qui cum Baſileæ nulla externa ui adactus Chriſtianiſſime reuocaſſet) Chriſtiane i Domino obdormijt. De Ludouico Hetzero, qui grauiter lapſus, ſed poſt ſeriam pœnitentiam Conſtantiæ decollatus fuit, anno mill.D.xxix. De Nicolao frey, Argentorati ſubmerſo anno mill.D.xxxiij. De Melchiore Hoffmãno qui Argentorati adhuc detinetur in uinculis, de eius pſeudopropherijs & fanaticis conſilijs. Quæ in ſynodo Argẽtoratenſi anno M.D.xxxiij.cum eo acta ſint. De Monaſterienſibus, & regno paucorum dierũ, & tota iſta cauſa. Vt per Bernhardum Rotmannum cœperit, Iohannem de Layden, et Iohannem Matthiam promota ſit & uires acquiſierit. Vt illuſtriſſimus ac Chriſtianiſſimus Princeps Philippus Lantgrauius, et alij ex pijs magiſtratibus, niſi ſunt malis principijs obſtare, & ſaniſſimis cõſilijs ad uiam ab errore reducere. Quem librum Reſtitutionum doctrinæ & uitæ Chriſtianæ emiſerint Monaſterienſes Anabaptiſtæ. De mirabilibus iſtic actis ut ſibi uidebatur, poſt Baptiſmum. De depoſitione Magiſtratus. De obſidione ciuitatis fortiſſima. De occupata poſt longã obſidionem, de Rege, Knipperdolling & Bernhardo Krechting captis & extremo ſupplicio

affectis,& quicquid ad totam iſtam cauſam pertinet,in qua horrenda Dei iudicia nobis propoſita ſunt,quoniam materia ubertima,& ſinglarem librum expoſcit,nec iam uacat in Epitomen redigere,& hactenus quæ ſcripta leguntur, ferè Germanica ſunt. Si nemo ſequenti hoc biennio prodierit, qui hæc poſteritati latinitate commendarit,ego ſimplici dicendi filo, ſi uixero, & intellexero hæc nō diſplicere, candidis lectoribus, & unitatis eccleſiarum amantibus,uolente Deo, tradam.

Iohannes Ludouicus Viues charus uir. Hoc anno doctiſſimus ac piiſſimus uir,Iohannes Ludouicus Viues, ad Senatum Brugenſem,duos libros ſcribit,de ſubuentione pauperū, ſiue de humanis neceſſitatibus,planè tales, qui ab omnibus Rempub. Chriſtianam amantibus, iure legantur. Primi libri hęc ſunt capita: I. Origo humanę neceſſitatis ac miſeriæ. II. Neceſſitates hominū. III. Quæ ſit ſit benefaciendi ratio. IIII. Quā ſecundum naturam ſit benefacere. V. Quibus de cauſis quidam à benefaciendo deterrentur. VI. Quomodo inopibus agendum. VII. Quibus uitiis impediantur à benefaciendo ii qui poſſunt. VIII. Nullas cauſas debere nos impedire à benefaciendo. IX. Quæ unicuiq; à Deo dantur, non propter ipſum dati ſolum. X. Non conſtare pietatem & Chriſtianiſmum ſine beneficentia mutua. XI. Quantum & quomodo cuiq; benefaciendum. Secundi libri capita ſunt: I. Quantopere conueniat rectori ciuitatis curare pauperes. II. Collectio pauperum & profeſſio. III. Qua ratione eis omnibus proſpiciatur uictus. IIII. Cura puerorū. V. Cenſores & Cenſura. VI. De pecunia quæ his ſumptibus ſufficiat. VII. De iis qui uel ſubita aliqua uel occulta neceſſitate urgentur. VIII. De iis qui nouas has conſtitutiones improbabunt. IX. Nihil debere obſiſtere,quo minus hæc quæ diximus,fiant. X. Commoda ſi hæc fiant humana & diuina.

Item ſcripſit opuſcula aliquot uere Catholica,ac inprimis erudita,hiſce titulis: Introductio ad ſapientiam Satellitium ſiue ſymbola De ratione ſtudii puerilis. Commentarius doctiſſ. in lib. de ciuitate Dei, Auguſtini.

Scripſit idem uir ad Carolum quintum Cæſarem, de concordia & diſcordia in humano genere libros quatuor,plenos utiliſſimarū hiſtoriarum, & digniſſimos lectu pro hoc tempore turbulentiſſimo. De pacificatione librum unū. Quā miſera ſit uita Chriſtianorum ſub Turca librū unū. De diſciplinis libros xx. quos omnibus ſtudioſis ꝙ commendatiſſimos eſſe uelim,qui eruditionē inſtrumentum maximarū rerum pietati iunctam uolunt. Et quod Hieronymus de Lactantio dixit: Præbe magiſtrum. Idem hoc illi de Viue dicant: Atqui plura expectamus de frugi uiro. De ratione dicendi. De conſultatione. Analogiam Latini ſermonis in peculiari libro. Librum de ratione linguarum &c. & alia, utpote ex ſalutari uiro ſalutaria.

Anno Dñi mill. D.xxvi. Turcarū arma uagata ſunt latius intra Hungarię fines, ꝙ Chriſtiani nominis regibus decorum eſſet. *Ludouicus Hungariæ rex occiditur.* Hoc tempore Ludouicus Hungarorum rex cum fidei hoſtibus conflixit,ſed militum numero longe inferior, & à ſuis,ut quidam tradunt, etiam proditus,tandem fugere cogitur: dumq; fugit, in paludes coniectus profundo limo cū ipſo equo hauſtus eſt. Cadauer eius poſtea inuentum, Viennę Auſtrię urbe ſepelitur. *Alii uolunt ſepultum in Stuluueiſſenburg, Alba regali.* Præſenti ſucceſſu ferocior factus hoſtis, quę ante pugnā nō adierat loca peruaſtauit, nō hominibus, non iumentis, nō pecoribus, nō arboribus infœlicibus frugiferisu'e, nō ſatis ipſis, non tectis pepercit.

Hoc anno Bohemi Ferdinandum Archiducem Auſtriæ in regē eorū eligunt.

Hoc anno menſe Septembri Papa Clemens vii. ingentem exercitum conſcripſit, adiutus potentatibus principum & communitatum, contra Carolum quintum Imperatorem. Quare clariſſimus heros Georius à Fronſperg Germanus, cum aliquot milibus Germanorum in Italiam mouit.

Anno Domini mill. D.xxvii. tres ſoles uiſi alicubi duplici iride incluſi.

Hoc anno filius Imperatoris Tartarorum, magna ui Poloniam inuaſit,& grauia damna intulit,tamen tandem hoſtis ſuppreſſus & captus fuit.

Eodem anno illuſtriſſimus princeps Iohannes Fridericus Saxoniæ dux, iam Elector,cum filia ducis Cleuenſis celebrauit nuptias apud Dorgen.

Eodem anno Ferdinandus Archidux Auſtriæ, in die diui Mathiæ, ab epiſcopo Olmutzenſi Pragę in regem Bohemorum coronatus. Sequenti die uxor Ferdinandi regis Vngariæ filia, in reginam Bohemię coronata fuit.

Eodem anno Ferdinandus rex contra Iohannem Vuayuuoda comitē in Vngariā mouit, & multas arces ac oppida occupauit. In eo exercitu Marchio Caſimirus à Brandenburg ſupremus Capitaneus fuit, nec diu poſt uixit.

Hoc anno Ferdinandus Comitia habēs Budæ, uulgo Ofen, in quibus electus eſt in regem Vngariæ. Dies autem coronationis in feſto Simonis & Iudæ apud Stuluueiſſenburg habitus eſt.

VRBIS ROMAE EXPVGNATIO, PER EXERCItum Imp. Cæſ. Caroli quinti, auſpicijs Borbonij, quę contigit anno mill. D.xxvij. paucis narrata.

FOelices ſucceſſus Caroli Cæſaris, toti Italiæ non modicam formidinem iniecerunt, tam diu retenta ditione Mediolanenſi, quanquam potentiores Itali fortiter obniterentur, & toties fruſtrato Galliarum rege in repetendis inſubribus, tandem etiā capto, ac in Hiſpaniam abducto. Quare uiſum eſt Clementi vij. Pontifici Romano, fœdus Italiæ principum & maximarum ciuitatum inſtituere, quo tutiores eſſent aduerſus ingruentem Cæſarem, & ad illum excludendum (nam hoc planè agebatur) ualidiores. Hanc ipſe ligam ſanctiſſimam appellauit, ueluti natam, autore eo, quem orbis ſanctiſſimi nomine ſalutat. Ad hęc conſilia turbanda, nihil prius habuit Imperator Carolus, quàm exercitum in Italiam quàm primum mittere, qui cunctis minaretur, pręſertim Florentinis, qui pace diuturna, auctis opibus, & ciue ſummo Pontifice ſuperbi, de nouo fœdere mirum quā attollebant criſtas. Itaq; iubetur Georgius à Fronſpergo clarus eques, & notę uirtutis, toties iam ducis munere in proximis bellis, imò pręlijs, fœliciter functus, exercitum conſcribere, quem ille contractū otius in Alpeſtri Rhetia ad Atheſim uergente, ſub initium anni quingenteſimi uiceſimi ſeptimi ſupra milleſimum in Italiam duxit. Statim aderant cum aliquot millibus Hiſpanorum Carolus dux Borbonius, cui ſumma totius exercitus præfectura tradita eſt, ac princeps Arauſienſis, Burgundiorum manu comitatus. Sed & Conradinus Lepontinus cum quatuor uexillis Germanorū militum, qui cremonæ pręſidium Cæſareum agitauerant, ſeſe coniunxit. Continet autem uexillum non ſupra quingentos milites, ſæpe pauciores. Paulo poſt Italorum phalanx acceſſit, quos ducebat Mutius à Columna. Iam ad famam tam numeroſi exercitus Italia male ſibi conſcia, mire turbata erat. Proinde Pontifex Romanus autor conſpirationis, nepotem ſuum Iohannem Medicen cum lecta manu perditorum nebulonū, quorum pars indigenæ erant, pars ab Hiſpania uenerant, miſit unà cū Iohanne Franciſco Vrbini duce, qui à Venetis conductus erat, Germanis obuiam, ut arceret illos, nec Padum tranſire ſineret. Sed iam traiecerat exercitus. Itaq; quum depellere nō poſſet, profligare multo minus, perſequi cœpit, & circunquaq; uexare, donec paulo poſt in aggere quodam ictu ænei tormēti fuit extinctus. Amiſſo nepote ſuo, qui fœderatorum ſummus dux fuerat, ſolicitus Clemens quū uideret Germanos ac Hiſpanos ad Parmam, & deinceps Bononiam urbes eccleſię Romanę deflectere, ſummiſit Muſchanum uicarium regni Neapolitani, qui apud Borboniū ſubditos Pontificię ditioni pecunia redimeret, quo prorſus ab omni maleficio abſtinerent milites, & in aliud territorium tranſirent. Is legatus cū incautius proficiſcitur, captus eſt, ſed mox liberatus. Poſtulata ſunt ter cētena ac quinquaginta aureorum millia. Tantam ſummam nemo uoluit præſtare. Itaq; quū haud ita procul Ferraria aliquandiu ſtatiua habuiſſent, urgente eos rerum omnium penuria, ſic ut non ſolum commeatu deſtituerentur, ſed & ueſtimentis, atq; adeo calceis iam carerent, deportato prius Georgio à Fronſpergo Ferrariam, curandæ ualetudinis cauſa (nam ſigna quædam paralyſis iam in eo apparebant) magnis itineribus Florentiam contendunt. Quam rem haud illibenter audierunt Romani, ſperantes à periculo ſe tutos, quū Florentini peterentur, & cupie-

Fœdus Italiæ.
Sanctiſsima liga.
Georgius à Fronſperg.
Carolus Borbonius dux, princeps Arauſienſis.
Mutius à Columna.
Iohannes Medices.

bat Pontifex ſpectator tantum eſſe belli. Verum ſecus eſt uiſum ſuperis, & uetus ac uerum eſt uerbum, conſultum malè conſultori peſſima res eſt. An ſua ſponte, an potius aureis aliquot globis tacti duces exercitus retro ceſſerint parum liquet. Hoc conſtat, eos qui Florentiam petere uidebantur dicto citius Romam aduolaſſe, perpetuo ueſtigijs inſiſtente duce Vrbinate, ſed citra noxiam inſignẽ. Via militari minime ſunt profecti, ſed per montes & loca confragoſa ac ſyluas, dum compendium itineris ſectantur, tanta celeritate, ut nunciũ præuerterint, nec aduentare ſcirentur, niſi iam proximi Romæ. Quinto nonas Maias præmiſerunt

Senior Rentz Italice.

Senatorem ad portam urbis depoſcentem, ut aditus aduenienti exercitui pateret. Reſponſo nuncium minime dignatus eſt Laurentius à Cere Vrſinus Pontificiorum dux, ſed tantum dixit contemptim, ni abiret properè ſe de equo hominẽ ictu ænei globi tormentarij deturbaturũ. Itaq; redijt ad ſuos. Poſtridie ante mœnia urbis conſtiterunt. Sabbatum erat. Vulgo iactabatur tranſituros illac Neapolim, nec diu moraturos. At ſtatim apparuit, cuius rei gratia ueniſſent, dum caſtra figunt poſt diui Petri inter ueterem Romam, & quod Burgum appellant, iuxta campum, cui Sancto nomen. Id cum Pontificij uiderent, nec ipſi ceſſabant operibus ſe munire, ęneis tormentis duas noctes & intermedium diem, qui Dominicus erat, illos impetentes. Non uiſum eſt conſultum Borbonio, ſi inermes, & oppugnatorijs machinis nullis inſtructi, diu tẽpus tererent, hoſtium aſſiduis ictibus expoſiti. Libuit quamprimum experiri fortunam. Ergo bonis auibus pridie nonas Maias urbis oppugnationem diluculo nebuloſo adgrediuntur. Bis repulſi ſunt, tertio uicerũt. Hoc profuit irruentibus, quod quoties oppugnationem iterarunt, toties cadebat nebula, proſpectum Pontificis adimens, ut neſcirent qua maximè parte hoſtis irrueret. Ex ſtipatoribus Rom. Pręſulis numero ducentis, Heluetij erant, cum ad murum uiriliter pugnantes circundarentur, uix quinquaginta ſuperfuerũt, nam & in ęde diui Petri mox aliquot circa ipſum Clementem ceciderunt.

Hauptman Reſch von Zyrich.

Et Centurio Reſchius Turegienſis ex uulnere ad murũ grauiter affectus, in ſinu miniſtræ domi quieſcens, occiſus eſt. Borbonio quoq; ſtanti in ſcalis, globus ænei tormenti parum cautè à ſuis emiſſus, ut eſt plena periculi eius generis armorum tractatio, crus alterum ſub femore perfregit.

Caroli Borbonij mors.

Id accidit in oppugnatione poſtrema, qua expugnata urbs eſt, ex quo uulnere mox extinctus in ſacello Xiſti, in quod ſemianimis à militibus fuerat delatus. Hoc quod nũc dicetur, nemo credet fortaſſe, Pontifici adeò non fuiſſe curæ exercitũ iſtum, ut ſub urbis expugnationem ipſe in ædem diui Petri deſcenderet, ſpectaturus ſacrum, & nunciantes expugnationem primũ rideret, donec hoſtes in ipſum templum irruerent: nimium certe fretus Apoſtolico fulmine, quod nudius tertius in aduenientes iaculatus fuerat, in cuius execrationis diplomate hæc lecta ſunt uerba:

Excommunicamus Carolum dictum Borbonij ducem, & exercitũ eius, partim ex Lutheranis, partim ex Marranis conſtantem.

Significabantur autem Lutheranorum nomine Germani, ut Hiſpani Marranorum. Sed ad narrationem redeamus. Pontifex relicto ſacro, cui ſpectator aſſidebat quàm celerrime in altum ſe per gradus & oſtium quoddam ſubduxit, in Hadriani molem per nota ambulacra fugiens. Et qui ibi ſunt excluſi, iugulati ſunt ad unum omnes, non ſolum ex ſtipatoribus, ut ante diximus, ſed ex templi miniſtris & ex plebe nõ pauci: neq; enim maieſtatem diui Petri, in cuius templo hæc fiebant, quicquam reuerebatur prophanus miles, ne Pontifici quidem ipſi parſurus, ni fuga ac obiectis repagulis ſibi conſuluiſſet. Ad tumultum primũ captæ urbis cæteri quoq; cardinales omnes & epiſcopi ad Hadriani molem properant. Vbi dum uulgus trepidum nunc excluditur, nunc ſummouetur, ut magnatibus pateat aditus, in ponte multi mortales oppreſſi ſunt, & obtriti multi. Tantum ceſſarant Cardinales, Senenſis, Cæſarinus, Iacobatius, Tudertinus, & is qui à ualle cognominatur: & iam omnia fremebant militari furori circa arcem, quare uiſum aliò fugere. Patebat in proximo palatium ſancti Georgij conditum

Cardinalis à Columna.

à Raphaele Card. S. Georgij, in quod paulo antè uenerat poſt expugnatam urbẽ Cardinalis Colũnanus cũ ingenti lectorũ militum manu partes Cęſaris ſequens,

quum

quum tamen diſcedentes Germanos,nemo ſit acrius perſequutus. Sed hic Italo‑rum mos eſt, ſubinde mutare fauorem, ut res & fortuna ſeſe mutarint. In has ædes recepti ſunt. Interim non citra plurimorum ſtragem, Burgo ſancti Angeli direpto, regionis nomen eſt, ulterioris urbis partes inuadi cœperunt. Longum ſim facturus, ſi calamitatē deſcribere coner, quantum eſt paſſa ciuitas Romana. A Gothicis, Vandalicis, & Longobardicis temporibus, nunquam exitio propi‑or fuit. Nec innoxiorum ciuium bonis exſatiata militaris auaritia. Violata ſunt etiam templa, refractæ Veſtalium fores, cœnobitarum ſepta dirupta, contami‑nata ac direpta omnia. Fœlices erant, qui ſua tantum amiſiſſent. Torqueban‑tur inſuper homines, & iugulabantur, dum non habent quod nouo raptori tra‑dant. Senſerunt hanc inclementiam multi præclari uiri fautores etiam Cæſa‑ris, quorum aliqui inter cruciatus perierunt. In ſumma nihil intactum reliquit hoſtilis furor, pepercit nemini. Durauit hęc rabies non modicos dies. Miraris le‑ctor, quid nam egerint milites tanta præda potiti. Quieuiſſe putas. Imò tum rixæ & iurgia inter ipſos cœperunt. Nam aleam ludi paſſim exercebant, ubi ui‑diſſes uni iactui nunc trecentos aureos, nunc ſexcentos, ſæpenumero mille com‑mitti. Qui ſuffarcinata ueſte uenerat, quæ poculis aureis & argenteis turgebat, ſæpe abſq; interula diſcedebat. Vnde non paucos tanta deſperatio inceſſit co‑gitantes à qua fortuna excidiſſent, ut clauſis oculis in Tyberim præcipitarint. Iudæi, quorum magnus numerus illic, ne ſint omnia ſancta Romæ, perſolu‑tis pretijs ſeſe redemerunt, ex præda omnis generis uili empta ingens lucrum facientes. Porrò, qui molem obſidebant Hadriani, in qua Pontifex erat cum Cardinalibus, Epiſcopis, & Primatibus urbis, extremos muros ſuffodere cœ‑perunt, ut ſummiſſo puluere, tormentario, ſtructura diſſiliret. Sed impediebat aqua, quæ circundat peramplis foſſis arcem.

Quid hic attinet conuitia recenſere, quæ petulantia militaris in ſummum pa‑ſtorem & Cardinales ſubinde effudit? Quid contumelias commemorare, qui‑bus Chriſtianas ceremonias, ut quiſq; erat leuiſſimus, ita ſtudio maiori irriſit, dum ebrij milites, nunc Pontificiæ geſtationis ſimulacrum, repræſentant uui‑dum aliquem ſacris ueſtibus indutum, in lectica baiulantes: nunc benedicen‑tem Pontificem per deriſionem æmulantur. Interim parum plauſibile Roma‑nis auribus Lutheri nomen boatu horrido occinentes, ſi fors mitratorum ali‑quis de feneſtra proſpexiſſet. Pontifex tamen obſidionem tolerauit, uſq; ad o‑ctauum Idus Iunias. Nam eo die, quo uidelicet, hoſtibus urgente rerum omni‑um inopia ſeſe dedidit, rurſum ſuæ poteſtatis factus eſt, & in integrum, ut uo‑cant, reſtitutus, ut ſacerdotia conferret, donaret priuilegia, ac de rebus alijs ex more ſtatueret.

Conuenerat autem inter præſulem Romanum, & obſidentes in hunc mo‑dum. Milites intra arcem reciperentur, & hanc cuſtodirent: Pontifex cum ſuis illic maneret, donec militibus eſſet de ſtipendijs ſatisfactum. Statim itaq; Ger‑mani propugnaculum unum tantum, quod ingredienti dextrum occurrit, præ‑ſidio occupant Centurione Maynrado Ehingerio Vlmenſi. At Hiſpani, ut mi‑nime ſtupida Gens eſt, non contenti propugnaculum alterum, quod ad ſini‑ſtram eſt, occupaſſe, in porta arcis, etiam & in cœnaculis, per quę aſcenditur a‑ptis locis quinas militum ſtationes diſponunt, in ipſum quoq; Pontificis cubi‑culum præſidio inducto. Nam metus erat, ne elaberetur. Iam itaq; potieban‑tur arce Hiſpani, ſine quorum pęfectis militaribus, Larcone, & Iohanne Vrbinate, & ſuppræfecto Morono Mediolanenſi nihil agebatur, nimirum huc ſpectabant, quum tot præſidijs Hadriani molem ſtiparent. Admit‑tebant ad Pontificem, & excludebant, quos uoluiſſent. Minus poterant Ger‑manorum duo præfecti, primarij uirtute, & maiorum imaginibus clari, Con‑radus à Bemmelbergo oriundus ex Heſſia, quem uulgo milites paruum Heſſum appellitant, quòd fratrem habeat grandiorem, & Vuendelinus cognomento, Ad Lacum, Italorum Mutius à Columna, Radus Burgun‑dionum. Dum hæc geruntur, iam agebatur Iulius Menſis. Nec ſupererat

Conradus à Bemmelberg, eques auratus, der klein Heſs/ Wendelinus zům Weyre.

Romę, quod compilaretur à uago milite, & annona chariſſima erat, ac inualeſcebat peſtis. Itaq; totus exercitus ſublatis ſignis, Narniam proficiſcitur, præter eos qui præſidia agitabant in arce Pontificia, ceu memorauimus. Diſtat id oppidum xl. millibus paſſuum ab urbe. Expugnatur ſtatim, diripitur, & deſtruitur, inſtar Romæ. Immo ſæuitum ardentius in Narnienſes ferunt, prętexebatur cauſa, ni fallor, quod commeatum, quo nec abundabant ipſi, non ſubuexiſſent ad urbem. At non quieſcebant Hiſpani, niſi Hadriani molem ſoli tenerent, forte inſtigante Pontifice, qui ſperabat, ſe melius cum Hiſpanis, qui pauciores erant, tranſigere poſſe, quàm cum Germanis, gente effrena. Id quod paulo poſt accidit, ceu ſuſpicor, cum dimiſſus eſt. Perſuadent igitur Etimgerio, ut cum ſuis quinq; centurijs, uexillum enim habebat, ex arce diſcedat, Hiſpanicis pręſidijs locum cędens. Vix exierat, & ecce totus exercitus Nernia, Romam reuertitur menſe Septembri. Ibi rurſum tumultu miſcentur omnia. Agminatim adeunt Aldriani molem, & urbem ſe denuo direpturos, atq; adeò inflammaturos minantur, ni perſoluat Pontifex promiſſa ſtipendia. Quum efflagitandi, minitandiq; finem nullũ facerent, prodeunt ex arce tandem colloquij duntaxat gratia, ſi quo modo compeſci milites Germani poſſent, Archiepiſcopus Sipontinus, Archiepiſcopus Piſanus, Ioannes Matthęus Epiſcopus Veronenſis, egregiè doctus homo, & Antonius Puccius Epiſcopus Piſtorienſis: ex laicis, Iacobus Saluiatus conſobrinus Pontificis, & Laurentius à Rudolphis, frater Cardinalis a Rudolphis. Hos, ut dixi, colloquendi tantum cauſa progreſſos, arripiunt ſtatim auidi milites, & obſidũ loco tenent. Erat in Palatio Georgiano, cuius ante meminimus, camera non ita alto loco, ſed ferreis cancellis ſatis munita, in hanc iſtos contrudunt. Di boni, q̃ ſæpe producti ſunt in cõcionẽ ira frementẽ, & ſtipendia conuitijs, & minis expoſcentẽ: q̃ ſæpe ad ipſum patibulum adducti, quod in foro pro plectendis facinoroſis erat erectum? quàm multis iniurijs domo, foriſq; impetiti? Verba Germanorũ non intelligebant, ſed ſatis loquebantur ipſi uultus inſultantium. In ueſtibulo cubiculi, in quo obſides detinebantur, ſemper reperiſſes quinq;, raro pauciores, centurias militum, die noctuq; oſtium obſeruantes. Horum excubiæ durabãt horas xxiiij. Tum totidem centuriæ ſuccedebant in decedentium locum perpetuò. Sed ô Germanorum oſcitantiam. Dum ſoliciti pro foribus excubant, obſides noctu per ſumarium cubiculi pridie diui Andreę erepſerunt, nec uiſi poſtea ſunt. Quam rem prius reſciuerunt Hiſpani, qui Hadriani molem cum Pontifice tenebant, quàm ipſi excubitores Germani. Vide ingeniũ & ſolertiam Gentis. Nec mirum ſi à pręſule Romano, & obſidibus pecuniam tam inſolenter flagitabant, qui domum ſummi ducis, totius exercitus, Principis Arauſienſis, in demortui Borbonij locũ pridem ſuffecti, fœdum in modum diripuerant, ut ſibi metuens iuuenis, Senas profugeret. Huius loco dux eſt mox inſtitutus Marchio à Quoſta, qui hoc officio functus eſt, donec menſe Februario Neapolim proficiſci cogerentur: nam inuiti Romam relinquebant. Sed Galli per Picenum inſtructiſſimis copijs, nempe centum millibus peditum & equitum, ditionem Neapolitanam ſibi uendicatũ ibant. Quibus, niſi fuiſſet obuiam profectus exercitus Romanus, & pręcedendo reſtitiſſet, actum fuiſſet non ſolum de regno Neapolitano, ſed & de ipſo Cęſareo exercitu, qui hinc Gallis, hinc Italis medio loco conſiſtens, pœnas dediſſet: nam uelut inter Scyllam & Charibdim uerſans ab utriſq;, paulò poſt ad internitionẽ haud dubiè fuiſſet cęſus, ni maturaſſet abitum. Aiunt exercitum Germanorũ aduenientem, fuiſſe quatuordecim millium, diſcedentem octo duntaxat. Tantam multitudinem abſumpſerat lues, quæ Romę diu graſſata eſt. Ante hoc tempus ab Hiſpania literę uenerant, quibus Imperator apud Pontificem anxiè excuſabat ea, quæ Romæ nuper acciderat. Nam iniuſſu ſuo omnia eſſe geſta, nec ſe milites eos pro ſuis agniturum, qui tantum nefas auſi forent. Iubebatq; liberum dimitti cum ſuis Pontificem: id quod & factum eſt, ſed haud dubiè prius pecunia placatis Hiſpanorum animis, in quorum manibus erat, ut ſupra diximus. Videbatur autem timere ſolicitus Princeps, ne præſul Romanus ipſum inter eos, quibus ex Chriſtiano ritu communione piorum interdicitur, ſi non palàm, ſaltem occulte

retuliſſet

retuliſſet. Ad quæ reſcripſit Clemens, nunquam de Cæſare ſic ſe ſenſiſſe, ut pro ſacris abſtento iudicarit. Proinde meliora ſibi de ſede Romana promitteret. Ipſe mox Oruietum conceſſit.

Carolus Auguſtus coram Heraldis regum Francorum & Anglorum, iniuſſu ſuo Romam expugnatam, & Papam Clementem vij. captum, non ſemel proteſtatus eſt.

DE INCOMPARABILI HEROE IOHANne Reuchlino Pfortzenſe.

ANno Domini M. D. xxviij. Egregius ille trilinguis, eruditionis Phœnix Iohannes Reuchlin uita defunctus eſt, relicta poſteris, honeſtiſſimi nominis immortali memoria. Dum uiueret, & benefactis nomen ſuū immortalitati conſecraret, obſtrepētes habuit, aues aliquot pennis albis & nigris. Picas dicere poſſis, criſtam geſtantes uertice, roſtris & unguibus aduncis, uentre prominente.

Prędicatores Monachos intellige, ob libellum, cui titulus Speculum oculare, qui tametſi ſacramento & literis ſe obſtrinxerāt, ſe curaturos, ut cauſa illa perpetuo ſilentio obliteraretur à Pontifice Romano, tamen teſtati ſunt literis ad Romanenſes, quod pro concordia & extinctione cauſæ ſcripſerant, id nihil ex animo ſcriptum, ſed tantum auertendi periculi cauſa. Literę fuerunt miſſę Romam, à Cardinali Mogontino, à Palatino Principe electore, & à Concilio Prędicatorum, quod Francophordię tum coierat, iuxta exemplar exhibitum ijs, quos illi exorarunt arbitros inter Franciſcum Sickingerū, clariſſimū uirum, & patres ordinis. Monachi magna ui pecuniarum Petrum Anconitanū Cardinalem in officio continent, ut ſententia Spirenſis damnaretur, quam comprobarat antea Cardinalis Dominicus Grimannus. A ſententia Spirenſi, inquit hic Hochſtratus, Romam prouocarat à Spirenſi Epiſcopo, ut moras necteret, ut interim Reuchlino ſene defuncto, liceret inſultare, & cum mortuo luctari. Cardinalis Dominicus Grimannus, qui totius cauſę angulos excuſſerat, ſecundū iuſtitiam erat pronunciaturus, ſed ſollicitantibus Monachis, mox adiunctus illi fuit Petrus de Accolintis, Cardinalis Anconitanus, Tituli S. Euſebij, nudiſſimus ſacrarum literarum. Poſthac additus tertius, Bernardus Cardinalis S. Crucis, pertinaciſſimus Thomiſta. Quid hic Crimannus aduerſus duos potuit, quando ſententiæ non expenduntur, ſed numerantur? Sed dum opera doctiſſimorum quorundam Cardinalium, Cardinalis Sanctæ Crucis reuocatur, Hochſtratus ſuis artibus effecit, quoniam tota res ex actis pendebat, ut patribus, fratribus R. D. Theologis & utriuſque Iuris profeſſoribus, cognitio demandaretur. Hi erant de diui Dominici familia, ſollicitatores cauſæ, & ſimul cognitores. Nihilo tamen ſecius potentiſſima ueritas euaſit ſuperior. Nam ceperunt de ſcriptis Reuchlini, ſuffragia dicere in templo Beatæ Mariæ de pace. Georgius Benignus Archiepiſcopus Nazarenus, Theologus antiquæ eruditionis, & Epiſcopus Malfetanus, Græcus natus, idemque doctiſſimus ſenex, & Petrus Gryphus, Epiſcopus Forolinienſis contra Hochſtratum, ad confirmandam ſententiam Spirenſem. Quibus auditis M. N. Sylueſter Prioratis per Nicolaum de Schauenberg extorſit mandatum, ut uocant Apoſtolicū, de ſuperſedendo. Sic Monachi nihil omittunt ad perdendum Capnionem. Anconitanus non ſemel dixit Reuchlini patronis, Pontificem nolle contra eorum clientulum ferre ſententiam, neque iure licere quidem. At pro eo pronunciandum non eſſe, quod fratrum, & Theologorum agmina offendiſſe non expediat. Interea à Roma ſoluit Stephanus Roſinus, illic Cæſareus procurator, & Iohannes Vuick, patroni Capnionis, Grimannus extorris factus. Nazarenus Malphetanus, & Forolinienſis Epiſcopi mortui, qui iudices huius cauſæ, mortuus Cardinalis Senogallienſis, exautoratus Cardinalis Sancti Chryſogoni, deportatus Franciſcus de Sodorinis, uiri optimi, & integerrimi, atque amici præcipui Reuchlini, propter ſummam illius eruditonem.

Poſthac

Poſthac Hochſtratus Heret:pra:inquiſitor, cōtra Reuchlinū Iudex & actor, cum Mogontiæ ſederet, iamiam cōdemnaturus libellum huius, & peccatorem, ſcilicet, à facie terræ per ignem abſumpturus. Magontinus qui ſemper egit pro pace, per reuerendū D. Laurentium Truchſes à Bamborsfelden admonitus, mox iuſſit Imperioſis literis, ut Hochſtratus illi ceu ordinario permitteret de cauſa cognoſcere. Interea per pontificias literas Hochſtratus cogitur, iudicis partes cedere & actoris tueri, apud Spirenſem Epiſcopum. Iudices Spirenſes fuerunt Georgius dux Palatinus frater Germanus principis electoris, Epiſcopus Spirenſis. Dominus Thomas Truchſes de weſthuſen, tum ſcolaſticus, Georgius de ſchwalbach, cuſtos, Reuerend. Dominus Philippus de flerſcheim, tum cantor, modo Epiſcopus. Hij aſſumpto Vigilio & alio quodam inter Monachos & Franciſcum Sickingerum clariſſimum heroa, concordiam ęquam ſancierunt, quam tamen Monachi confirmatam iuramento, literis & ſignis monaſteriorū publicatam reſciderunt: Hactenus de Reuchlini cauſa. Cuius uiri memoria ſtudioſis & eruditis, ob hoc debet eſſe ſacroſancta, quod quemadmodum amator humani generis Deus, donum linguarum, ut olim per ſpiritum ſanctum Apoſtolis ad Euangelij prædicationem contulit. Ita, in hoc nouiſſimo tempore, cum uellet Germaniæ miſereri, & ad agnitionem ueritatis adducere, per Iohānem Reuchlinum electum famulum ſuum mundo renouarit. Idem efficiat, ut omnibus linguis omnes ubiq; prędicent gloriam filij Dei, ut confundantur linguæ pſeudapoſtolorū, qui Dei gloriam obſcurare nituntur, dum ſuam ſtudent attollere.

Anno Domini mill.D.xxix. die xxvi. Iunij ab hora decima uſq; ad mediā primam, uiſus eſt Halo circulus rotundus circa ſolem, colores habens ſimiles Iridi. Aiunt quatriduo antequam Ruſtici in Zabernia occiderentur, ſimilem circulum uiſum, Anno mill.D.xxv.

Bellum Caroli 5. cum Venetis & Gallo.

Hoc menſe motus fuit inter Heluetios, quinq; Pagenſes erant in armis, armantur contra hos Thuricenſes, Bernates, Friburgenſes, Solaturnenſes & Respubl. quædam, tandem compoſuerunt.

Hoc anno ſeditiōis ſpecimen fuit, & murmur Solatorni & Rotuuile propter uerbum crucis, alijs dicentibus, bonum eſt, alijs, non, ſed ſeducit turbas.

Hoc anno & pręcedenti maxima fames fuit, Venetijs et in confinibus, ut multi homines (maxime inopes) fame morerentur, fertur Turcam ſubueniſſe periclitantibus inedia.

Anno eodem & præcedenti, negotium ſuſpicionis contra Principes Euangelicos & ciuitates, per quendam Othonem à Back excitatum, fauore Domini pulchre compoſitum fuit. Iis qui coniurationis inſimulati fuerant, publice & priuatim literis ſe innoxios teſtantibus.

Galli Cæſareanos ſe mentiti.

Anno eodem Princeps Heſſorum Vuormatię agit cum confœderatis Sueuicis legatis Regis Ferdinandi, Imperatoris & cæterorum Principum. qui petunt, I. ut cœnobia reſtituat & ceremonias negat: ſe facturū niſi edoctum ſacris literis: II. ut ducem Vlrichum à ſe ableget, ne aliquid aduerſus Imperatoriam maieſtatem moliatur. Reſpōdit alere ut cognatum. III. & fortaſſis ut pecuniam Epiſcopis reſtituat, hic reſponſum, quod olim Lacedæmonij ad prolixam Epiſtolam Philippi regis Macedonum unica ſyllaba, οὐκ.

Anno eodem Veneti ut Cæſaris Caroli potentiam imminuerent, reſumptis armis ad Neapolim occupandā profecti ſunt, habebant ſub ſignis quinquaginta armatorum millia, hunc numerum auxit Gallorum aduentus. Cæſariani audita eorum appropinquatione nocturnis horis ſummo ſilentio egreſſi, cæſis uigilibus hoſtium caſtra inuadunt, & priuſquam ſomno exporrecti arma capere potuerūt, funeſtam Gallo Venetoq; pugnam fecere. Eſt poſtea totis utriuſq; partis uiribus in aciem deſcenſum & ſubito Ferdinandi Regis ad Cæſareanos superuentu in prælio, & mox in fuga multa hoſtium millia aut cæſa ſunt aut capta. Ea clade Rex Franciſcus magis irritatus, quinquaginta triremes inſtruxit, quibus onuſtis commeatu, machinis, alijsq; oneribus ad uſum belli neceſſarijs, impoſitos armatos ad Hiſpaniam miſit, qui domo profecti non multo poſt ſecundo curſu

Hiſpaniæ

Hiſpaniæ littoribus appellunt. Expoſitæ itaq; in cõtinentem copiæ maritima loca fœde populantur, & cum obuium nuſq; haberent hoſtẽ, ſpe occupãdi regnũ & regios filios apud Cæſarem obſides, liberandi longius progrediuntur. Haud ceſſauit in tanta occaſione Hiſpanus, nam procedentes à tergo adortus paſſim trucidat, præter eos qui cæſi & quos pauciores fuga texit, cęteri omnes capti ſunt.

Eodem anno menſe Iulio à Gallis non minus male pugnatum eſt, quum in ſuis uexillis, Aquilam geſtantes Cæſarianos ſe mentiti Mediolanum nullis obſiſtentibus intraſſent, atq; occiſis qui urbem tuendam ſuſceperãt Hiſpanis, arcem quoq; nullo ſe negotio expugnaturos ſperarent. Poſt dies enim non multos ijs de rebus certiores facti, Arangius Princeps & Andreas Adorius, diurnis nocturniſq; itineribus in agrũ Mediolanenſem contenderunt, ſuis qui in præſidio erãt, opẽ & ſuppetias laturi, dux arcis uidẽs adeſſe, quos per nuncios uocauerat Cęſareos exercitus Cæſareoſq; præfectos, ſubita facta eruptiõe, Gallos qui locũ cinxerant, adoritur. Dimicatũ eſt aliquãdiu fuitq; ab initio, cruenta et ambigua pugna exitu uero infœlix militi Gallo. Dum enim atrociter intra mœnia certatur, qui foris erant, Cæſariani urbe capta, ſuorum ſe copijs ingenti lęticia adiungunt, & fuſum fugatumq; Gallum cum cede ac ſtrage proſequuntur: Plurimi ex Gallis ſunt ea pugna deſyderati, Occubuere cum ijs pleriq; nobiles.

Anno eodem, Inter Pont. Rom. Clementem eius nominis ſeptimum. Carolum v. Franciſcum primum Gallorum. Ferdinandum Hungariæ ac Bohemiæ & Henricum Angliæ reges, Cameraci in ęde ſacra uirgini Marię, congregato ornatiſſimo agmine procerum, aſſiſtẽte omni faſtigio ordinis Eccleſiaſtici, auſpice Deo, circumfuſa ingenti officiorum ac magiſtratuum ciuilium multitudine, æterna pax eſt promulgata. Actum demum Italia, Hiſpania. Gallia & Germania bellicis curis ſolutæ quieuerũt. Ad hanc pacem cõponendã uenit Pont. Ro. legatus Cardinalis Saluiatus Cameracum: Veneunt & in eandem urbem, duæ illuſtres fœminæ Margareta, Caroli Cęſaris amita, & Ludouica Galliarum regis Franciſci mater, quibus ſolis cõmiſſum fuerat à Cæſare, & regibus faciendæ pacis negotium, qua iam promulgata Galliæ, rex Franciſcus, cum uniuerſo flore procerum regni ſui, Cameracum ingreſſus, Margaretam ſalutauit. *Pax cum Cęſare Pont. Rom. Gallo. Anglo.*

Quo anno inter Principes Chriſtianos pax coiuit, Ferdinandus multa ſibi prius à Turcis Hungariæ adempta loca recepit, & hoſtem ſuum Iohãnem Vayeuodam, qui ad ſe regni iura pertinere aiebat, fugere coegit. Hic ita ſe uictum & expulſum iniquiſſimo animo ferens, Turcarum tyranni rurſus implorat fidem. Viſa eſt huius cauſa Turcæ ſatis digna, quam totis uiribus tueretur. Itaq; cum ualidis exercitibus in Hungariam regreſſus, quæ non multo ante Ferdinandus recuperauerat, omnia rurſus expugnat. Inde ad Auſtriam ueniens in morem torrentis. Omnia ui ſua proculcat: Multo plura eius iuſſu ædita ſunt, in pios crudelitatis exempla, quam fatu ſcriptoue quis æquare poſſit. Alij luminibus priuati, his manus illis nares & aures præciſæ, horum filijs uirilia adempta, corruptæ uirgines, matronis mammæ mutilatę, pregnãtibus exectus uterus, flammis conſumpti partus. His patratis Viennam Auſtriæ urbem fama & opibus celebrem graui obſidione adortus eſt, ſexto Calend. Octob. Fama eſt eum ducenta & quinquaginta millia armatorum ſub ſignis habuiſſe. Obſidionis initio eruptione ex urbe facta pij repulſi ſunt, è quibus captos complures Turcarum Imp. Viennam remiſit nunciaturos ſuis, maximo & terrifico armorum apparatu ac uiribus adueniſſe hoſtem. Si deditionem facere ultro uellent ab omni iniuria temperaturum, contra ferro & igni ad unum omnes interituros, ſi pergerent obſidentis curſum impedire. Vbi uero contemptim ſe audire uidit, totus in ciuitatem uerſus fremere uehementerq; indignari, & cum parte multo maxima copiarum eo confeſtim deuolans, tormentorum crebris ictibus, muro locis aliquot diſturbato, ſuos urbem inuadere iubet. Atrociter Viennam milites adorti muros intrepide ſubeunt, fuit utrinq; magnum, ſed Turcis magis cruentum certamen. Pijs egregie & ualide urbem ſuam defendentibus. Ad hunc modum ſemel & iterum tentati noſtri multos è Turcis orco demiſerũt. Tertio Idus Octob. Impij tertium *Iohannes Vayeuoda. Viennæ obſidio. Numerus Turcici exercitus.*

muros oppugnare incipiunt,utrinq; clamor auditur: Duces ſuos quiſque ad locum deſtinatum ducunt, adſunt, hortantur, rem gerunt. Sed & hoc congreſſu impios uicerunt pij, ſaxisq; ingenti pondere eminus incutiebant, in ſubeuntes Turcas deuolutis. Iuuabat & illud quod faces certatim iacularentur intorquerentq;. Poſtrema oppugnatione tot labores deſudati,tantum ſanguinis fuſum, tanta eſt ædita Turcarum cædes, ut qui metu noſtrorum,Chriſtianam urbem ſtrenue propugnantium,ceſſerant,nullis poſtea potuerunt,ne Imperatoris quidem ſui,comminationibus eò adigi,ut recurrerent. Nullum puto à condito euo locum maiore mole oppugnatum, nullum magis ſtrenue defenſum. Vicies,ut fertur hoſtis ſubijt muros, uicies cum ingenti ſtrage à mœnibus repulſus Dei uirtute, nec non ducum,ciuium, & militũ fide manſit inter tot terrores res Vienenſis ad exitum, incolumis: maxime uero fide uirtute & fœlicitate illuſtriſſimi Principis Philippi comitis Palatini Rheni & ducis Bauariæ, defenſa eſt Vienna, cuius hinc extat beneficium, non ſolum erga patriam, ſed & uniuerſam Germaniam maximum & immortale. Turcarum Imperator poſt multos irritos conatus ſpe potiundæ urbis abiecta ad Idus Octob. exercitũ abduxit, ſexaginta hominũ millibus & amplius in oppugnatione amiſſis. Poloni teſtantur, quod circiter lxxx. millia amiſerit partim occiſa ante Viennã, partim fame & frigore mortua. Numerum annorum huius obſidionis in his carminibus habes.

Cæſar in Italiam quo uenit Carolus anno,
Cincta eſt Riphæis noſtra Vienna Getis.

Anno Domini mill. D.xxix. menſe Aprili, fuerunt magna comitia Spiræ: In quibus magna fuit frequẽtia, principum cum primis Eccleſiaſticorum, fertur inſignem papiſtam illic prædicaſſe, & inter reliqua dixiſſe ſe malle ab Euangelio quam Eccleſię ceremonijs deſciſſere, dignior qui cum uitijs dimicet, quam qui in comitijs prædicet. Princeps elector Saxoniæ. Item Lantgrauius Haſſiæ, illic habuerũt ſuos concionatores Euangelicos. In fine Comitiorum proteſtati ſunt, Principes aliquot & Ciuitates de non conſentiendo in quædã concluſa in præiudiciũ doctrinæ pietatis & Chriſtianę ueritatis. Legati quorundam principum tum rogati de Cataſtrophe Comitiorum Spirenſium, dixerunt: Minus pecunię, multum peccatorum. Plus inquietudinis.

Anno eodem, Cum ferè triennio maxima fames uexaret Germaniam & Galliam. Reſpu. Argentoratenſis exteris, ſupra centũ millia quartalia frumenti, uendidit. Huius pars fertur Mediolanum uſq; abuecta fuiſſe.

Eodem anno duo millia centum & quinquaginta pauperes, Gallos & Germanos, Reſpub. Argent. in monaſterio minorum, magna moleſtia & labore, ſuſtentarunt, in cibo potu ueſtitu & reliquis neceſſarijs corpori.

Eodẽ anno in hoſpitali aliquot hebdomadibus, quotidie quadringenti (ultra, eos qui cõmuniter iſtic habentur numero centũ & uiginti) fuerunt ſuſtentati.

Anno Domini mill. D.xxx. In Hoſpitio peregrinorum à feſto Iohannis baptiſtæ, uſq; in recurſum eiuſdem diei, Anno mill. D.xxxi. Peregrini hoſpitio excepti fuerunt, uiginti millia quingenti quadraginta octo, nam præfectus eius loci numerum hoſpitum ſingulis noctibus aduenientium aſſignat.

Anno Domini mill. D.xxx. à feſto Michaelis, uſq; ad diẽ Michaelis, anni mill. D.xxxi. in frumento communis eleemoſyna Reipu. Argentoratenſis (cuius Diaconus eſt uir pius dexter et perſpicax M. Lucas Batodius) expoſuit, mille nongenta quartalia & nonaginta quinq; quartalia. Puerorum Orphanorum numerus tamen fuit, centum quinquaginta, quorum media pars adhuc apud nutrices ſeruabatur. Hæc non ideo referuntur, quaſi non apud alios Principes & Reſpublicas, ſimilia uel maiora facta ſint, quoniam Chriſtus ubiq; habet ſuos. Aut quod contra pręceptum Chriſti Matth. vi. hinc inanis gloriæ cortagium quæratur. Quin potius ut iſtiuſmodi exempla nos & poſteritatem in ampliorẽ charitatem & dilectionem prouocent. Imò à calumnijs quorundam aſſerant, opus fidei & laborem charitatis impie traducentium.

SYNODVS MARPVRGENSIS, SVPER Sacramentaria cauſa.

ANno Domini mill. D. xxix. Illuſtriſſimus princeps Philippus Lantgrauius Haſſiæ, pro publica utilitate totius Germaniæ ac Chriſtianitatis, pro Eccleſiarum concordia prouehenda, Synodum inſtituit Marpurgi, ut ad ultimam Septemb. D. Lutherus & ſui, Oecolampadius item & Zuinglius conuenirent. Vtraq; pars annuit principi æquiſſimo. Ad initium Octobris uentum fuit Marpurgum, ibi illuſtriſſimus princeps humaniſſime excepit ſingulos, quenq; ſuo nomine ſalutans.

Ante publicum colloquium, primum priuata habuerũt D. Lutherus & Oecolampadius ſoli, Philippus & Zuinglius ſoli. Die ſabbati, quę fuit ſecũda Octob. Colloquiũ erat publicum, pro cuius exordio clariſſimus uir Cancellarius, nomine Principis, alloquutus fuit, ut poſitis affectibus, omnes quærerẽt gloriam Dei, & concordiam eccleſiarum: & egit gratias, quod adueniſſent. Cœperunt miſcere colloquia, & conferre ſcripturas cũ explicationibus patrum, D. Lutherus, Oecolampadius, Zuinglius. Triduo durauit colloquiũ, & duraſſet diutius, ſpe uberioris tum concordiæ futuræ, niſi horrendus ille morbus Sudatorius ſubito letaliter Marpurgum infeſtaſſet Principem cũ nobilibus, & uocatos diſperſiſſet. Tum conuenit in hiſce articulis, & anno mil. D. xxxvi. ex integro, laus ſit Deo ſuper inenarrabili ſuo dono. *Sudatorius morbus.*

Articulus de Sacramẽto corporis & ſanguinis, cui utraq; pars tum ſubſcripſit, hic erat poſtremus inter xv. articulos. I. De unitate & trinitate Dei. II. De incarnatione Verbi. III. De paſſione & reſurrectione Chriſti. IIII. De peccato originis. V. De fide in Ieſum Chriſtũ. VI. Quod hęc fides nõ ſit ex meritis, ſed ex dono Dei. VII. Quod hęc fides ſit iuſtitia noſtra. VIII. De uerbo externo. IX. De Baptiſmo. X. De bonis operibus. XI. De Confeſſione. XII. De Magiſtratu. XIII. De traditionibus humanis. XIIII. De baptiſmo paruulorum. XV. Credimus & tenemus omnes de cœna Dñi noſtri Ieſu Chriſti, ꝙ utriusq; ſpeciei uſus eſſe debeat iuxta Chriſti inſtitutionẽ. Quod miſſa non ſit opus, quo aliquis gratiam impetret, uel uiuis, uel defunctis. Et ꝙ Sacramentũ altaris ſit uerum Sacramentũ corporis & ſanguinis Dñi. Et ꝙ ſpiritualis manducatio eiuſdẽ corporis & ſanguinis cuiuis Chriſtiano imprimis neceſſaria ſit. Item uſus Sacramenti, quemadmodũ uerbũ à Deo omnipotenti datũ & ordinatũ ſit, ut per hoc infirmę conſcientię ad credendum commoueantur per ſpiritum ſanctum &c.

AD SYNODVM MARPVRGENSEM, SVPER Sacramentaria cauſa conferentem, Euritij Cordi exhortatio.

Inſignes uerbi proceres, argute Luthere,
    Suauis Oecolampadi,
Magnanimis Zuingli, pie Snepfe, diſerte Melanchthon,
    Fortis Bucere, candide
Hædio, præcellens Oſiander, ſtrenue Brenci,
    Amice Iona, acer Crato,
Et ſolida plus mente ualens quàm corpore Mœni,
    Magne Dionyſi, & Mecomi,
Ac reliqui, bona turba, uiri, quos inclytus Heros
    Princeps Philippus acciјt,
Chriſticolæq; ſuos urbes miſere miniſtros,
    Et Præſules Epiſcopos,
Vt noua tollatis diuiſæ ſchiſmata ſectæ,
    Veramq; monſtretis uiam:
Et cupido ſupplex uobis Eccleſia uoto
    Veſtros cadit flens ad pedes,

Atq; per intima nos communis uiſcera Chriſti
Adiurat, obſecrat, monet,
Vt ſanctis ſtudijs ſuperi pro laude tonantis,
Et omnium fidelium,
Querenda (hæc uobis incumbit cura) ſalute
Tractetis hoc negotium,
Vnde ratum iudex decretum prædicet orbis
Sancto profectum ſpiritu.

Sudatorius morbus.

Anno mill.D.xxix. Sub feſtum ſancti Michaelis, nouum & inauditum morbi genus, Sudatoriã uel Anglicam peſtem dixere, Brabantiam & loca finitima inuaſit. Fuit ea uis morbi adeo lætalis, ut quoſdã ante duodecim horas, plurimos ante uigeſimam quartã horam, ex quo ſudare cœpiſſent, abſumpſerit. Sed nuſquam ſeuijt atrocius, quàm Antuerpiæ, in qua urbe tridui ſpatio quadringentos aut quingentos homines extinxit. Languebant in domo una, ſeptem, octo, plures etiam. Miraculi loco habitum eſt, ſi unus mortem euaſiſſet. Immunes erant pueri & ſenes ab hoc malo. Qui media ætate eſſent, aut non multo infra hanc, ij incidebant in morbũ, prandentes, commeſſantes, dormientes corripiebat hæc peſtis. Ditiſſimi negotiatores lectis adfixi, medicos ad ſe uocabant, montes auri promittentes, ſi curarentur. Sed tantum erat malum, ut ipſi medici faterentur ſe neſcire quid eſſet. Ipſe uidi Euricium Cordum Medicũ Marpurgenſem doctiſſimum, ad hunc morbum ἀδημονεῖν expaueſcere & angi, nec diſſimulare anxietatem apud amicos.

IACOBI VVIMPHELINGI SELESTADIENSIS VITA, ex Epiſtola Eraſmi, ad Ornatiſſimum uirum Iohannem Vlattenum, lib. Epiſtolarum xxiij.

Ludouicus Drigenbergius, præceptor Iacobi Vuimphelingi

Iacobus Vuimphelingus à teneris annis educatus eſt in honeſtiſſimis literis, primum Seleſtadij, ſub Ludouico Drigenbergio Vueſtphalo, deinde Friburgi, mox Heydelbergæ, Pontificij iuris peritiam cum Theologiæ ſcientia non infœliciter coniunxit, & alioqui nullius honeſtæ diſciplinæ rudis, eloquentiæ uero tantum præſtitit, tum in carmine, tum in oratione ſoluta, quantũ uel à Theologo, uel ab illorum temporum homine poſſit requiri. Aſcitus Spirã,

Eccleſiaſtes Spirẽſis.

Eccleſiaſticæ munus non ſine laude geſſit. Inter hæc uir pius, ardens amore rerũ cœleſtium, eoq; pertæſus ſeculi, quod, teſte Iohanne, totum in malitia poſitũ eſt, de ſeceſſu cogitauit. Eius propoſiti conſortem habebat Chriſtophorũ ab Vtenheym, doctum pariter, & caſtiſſimæ integritatis uirum.

Chriſtophorus ab Vtenheym.

Atq; ut nudus ad nudũ Chriſtũ confugeret, quod erat Eccleſiaſtici cenſus, erat autẽ quod ad uitę mundiciẽ ſufficiebat, reſignauit. Cęterũ hoc cõſiliũ abrupit Chriſtophorus ad Epiſcopi munus retractus, amicis ita ſuadentibus futurum, ut ſi ad mentem tam piam acceſſiſſet authoritas, plures Chriſto lucrifacere poſſet, quàm ſi ſe abdidiſſet. Ille tamen ſua paupertate lætus, pergebat quod inſtituerat agere, rurſus Heydelbergæ

Aodleſcentia Vuimphelingi.

ſacros autores enarrans, & in his Hyeronymum. Ad hæc libellis æditis, & adoleſcentiam inſtituit, & ſacerdotes ad pietatis caſtimoniæq; ſtudium excitauit. Nec grauatus eſt amore pietatis agere pędagogũ aliquot magnæ ſpei adoleſcẽtibus, quorũ præcipuus nunc inter nobiles doctrina, ſynceritate, candore, prudentia,

Iacobus Sturmus.

nobiliſſimus Iacobus Sturmus, cuius conſilijs plurimũ debet tota penè Germania, non ſolum inclyta ciuitas Argentoratum.

Argentoratum.

Nec inuidia caruit ſancta hominis libertas: Romam excitus eſt homo & ſenio & hernia tardus, monachorum Auguſtinenſium opera, quod alicubi ſcripſiſſet, Auguſtinum non fuiſſe monachũ,

Monachi cõtra Vuimphelingum.

aut certe non talem, quales iam habentur Auguſtinenſes, quũ hi tamen illum exhibeant in tabulis ac libellis promiſſa barba, nigra cuculla, et zona coriacea. Hoc incendiũ ex minima ſcintilla latius euagaturũ, Iulij ſecundi preſſit autoritas, idq;

Fatale diſsidium horũ temporum.

bonorũ omniũ applauſu. Præter alias aduerſitates, quibus hominis uirtus exercita fuit, hoc fatale totius eccleſiæ diſſidiũ uehementer illum adflixit, ac tantum

non ad

non ad uitæ tedium adegit. Itaq; ſolitudinem & ſeceſſum fruſtra tentatū, ingraueſcentibus annis egit Seleſtadij, in ædibus Magdalenę ſororis, ex qua nepotes duos, quos paterno ſemper affectu complexus fuerat, reliquit, moribus & literis eleganter inſtitutos. Quorum Iacobus Spiegellius, Iuris prudentia clarus, prius Maximiliano Cęſari, mox regi Ferdinando fuit à conſilijs. Apud quem nuper Iohannes Maius, natu minor, in fratris locū ſucceſſit, aulæ primoribus, indolis elegantia, ac dexteritate morum iure optimo gratiſſimus. Annum attigit penè octogeſimum diutius etiam uicturus, ſi corpuſculi deficientis rationē ullam habere uoluiſſet. Iacobus Spiegellius D. Iohannes Maius.

CORONATIO CAROLI V. BONONIAE & Comitia Auguſtæ. Anno M. D. xxx.

Hic annus inſignis fuit coronatione Caroli v. Bononiæ, xxij. Februarij in æde Petronio ſacra, congregato flore procerum, & Eccleſiaſticis adſiſtentibus, Imperatoria corona inſigniuit eum Clemens Pontifex Romanus, eius nominis ſeptimus. Ab hac coronatione profectus in Germaniam, in profeſto corporis Chriſti uenit Auguſtam, ibi Principibus, & imperij ſtatibus pręſentibus Comitia habentur. Indicta ideo ut deliberetur de auxilijs contra Turcam atrociſſimum hęreditariū atq; ueterem Chriſtiani nominis, ac religionis hoſtem, quomodo ſcilicet illius furori & conatibus durabili & perpetuo belli apparatu reſiſti poſſit. Deinde & de diſſenſionibus in cauſa noſtræ ſanctæ religionis & Chriſtianę fidei, & ut in hac cauſa religionis partium opiniones ac ſententię inter ſe, in charitate, lenitate & manſuetudine mutua audiantur, coram, intelligantur & ponderentur, ut illis quæ utrinq; in ſcripturis ſecus tractata, aut intellecta ſunt, ſepoſitis & correctis, res illæ ad unam ſimplicem ueritatem, & Chriſtianam concordiā componantur, & reducantur, quare Cęſareę maieſtati fideles & ſubditi (uigore Cęſarei edicti, ꝙ ſinguli ſtatus imperij ſuam opinionem & ſententiā in Latina & Germanica lingua proponere debeant) articulos confeſſionis & fidei obtulerunt, Iohannes Dux Saxonię elector, Georgius Marchio Brandenburgenſis, Erneſtus dux Luneburgenſis, Philippus Landgrauius Heſſorum, Iohannes Fridericus dux Saxoniæ, Franciſcus dux Lunenburgenſis, Vuolfgangus Princeps ab Anhalt, Senatus magiſtratusq; Norinbergenſis, Senatus Reutlingenſis. Habet autem hæc confeſſio articulos fidei præcipuos numero xxi. Deinde articulos, in quibus recenſentur abuſus mutati, de utraq; ſpetie, de coniugio ſacerdotū, de miſſa, de confeſſione, de diſcrimine ciborum, de uotis monachorum: de poteſtate Eccleſiaſtica uide confeſſionem & Apologiam confeſſionis. Coronatiō Caroli V.

Item quatuor ciuitates, Argentoratum, Conſtātia, Memmingen & Lindauu, per legatos Confeſſionem, & fidei rationem Cęſareæ Maieſtati offerūt. Summa huius eſt in articulis xxiij. I. Vnde contiones ſint deſumptę, nimirum ex ſcripturis ſanctis. II. In quo à conſueta doctrina Eccleſiaſticorū diſceſſum ſit. III. Vnde ſit iuſtificatio noſtra. IIII. Cui fidei iuſtificatio tribuatur. V. Cui aſcribenda bona opera, & quam ſint neceſſaria. VI. Quid homo Chriſtianus agere debeat. VII. De ieiunio & oratione. VIII. De pręcepto ieiunij & orationis. IX. De diſcrimine ciborum. X. Quòd oratione & ieiunio nihil mereamur. XI. De inuocatione & cultu ſanctorū. XII. De Monachali ſtatu. XIII. De officio, dignitate, & poteſtate Eccleſiaſtica. XIIII. De traditionibus humanis. XV. De Eccleſia. XVI. De Sacramentis. XVII. De Baptiſmo. XVIII. De Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti. XIX. De miſſa. XX. De confeſſione. XXI. De cantu & oratione Eccleſiaſticorum. XXII. De imaginibus. XXIII. De magiſtratu prophano. Huic confeſſioni Papiſtę quidā, ſi dijs placet, cōfutatores, nomine Cęſareę Maieſtatis, admiſi ſunt reſpondere, & confellere hanc confeſſionem, ſed citra ſcripturam, & ſic plane, ut horrendis calumnijs grauarent innocentem cauſam. Hinc Reſpub. coactæ fuerunt, per Apologiam ſe purgare, quæ cōfeſſioni annexa eſt. Certe non ob aliam cauſam, quam ut uetus, uera & indubitata Chriſti Ieſu doctrina cognoſcatur, & per falſiſſimas confutatorum calumnias, nemini ponatur offendiculum.

Aquarum ingens alluuio.

Eodem anno Nonis Nouemb. Brabantię, Holandię ac Flandrię loca littoralia, maritimaq́; Selandiam propemodum uniuerſam dira aquarũ obruit alluuio ruptis aggeribus mari & fluminibus paſſim inundantibus, cum magna & hominum & rerum ſtrage, non tantũ pagi, ſed & oppida Flandriæ atq; Selandię enauigata ſunt cymbis fluuialibus. Ferunt maria omnia adeo inſolenter per id tempus aucta, ut ternis aut quaternis pedibus ſupergreſſa ſunt aggerem. Scio (inquit Hadrianus Barlandus) fuiſſe paucos admodum in Selandia, quos tam ſæua hæc tempeſtas non deprehenderit.

> Vidiſſes ruere per apertos flumina campos,
> Cumq; ſatis arbuſta ſimul pecudesq́; uirosq́;.
> Et rapere tecta cumq; ſuis penetralia ſacris,
> Et mare, & tellus nullum diſcrimen habebant.
> Omnia Pontus erat, deerant quoq; littora Ponto,
> Occupat hic collem cymba ſedes alter adunca.
> Et ducit remos illic, ubi nuper ararat.

Si noctu ueniſſet tam ſubitus & grandis cataclyſmus, non dubium quin plurima hominum millia fuerit abſumpturus.

Margareta Maximiliani filia moritur.

Eodẽ anno Mechlinię mortẽ obijt Cęſaris Maximiliani filia Margareta, anno ætatis li. Ea nocte uiſus traditur Cometes apud Hagam, comitis in Hollandia.

Romæ ingens uis aquarum.

Anno eodem Romæ pręter tonitrus ingentes, & crebros ignes, tanta uis aquarum cœlo decidit, ut altero ſe perituros diluuio metuerint homines, Tybris ſe effundentis impetu & publicæ & priuatæ domus corruerunt. Atrox uis tempeſtatis huius ſecum rapuit, & in alueum fluminis deportauit etiã ædificia, quæ trium aut quatuor fictilium lapidum denſitate conſtabant. Si quis uitę ſeruandę ſtudio & cupiditate conſcenderant, tecta alta domorũ, has uentorũ uiolentia humi decuſſos, Tyberinis undis abſorbendos dedit. Locis urbis depreſſioribus aquæ in triginta trium, aut ſex pedum alitudinem ſeſe extulerant. Vnde factum eſt, ut frumenti, quod tum erat in urbe, plus quam tria modiorum millia, fluctus abſumpſerint, pręter uinaria uaſa, quæ diſſoluta effuſo liquore aquis innatabant, & alia permulta precioſiſſima, quæ in penarijs hæc tempeſtas repperit.

FERDINANDVS XL. GER. CAESAR.

FERDINANDVS XL. Ger. Cæſar.



ANno Domini M. D. xxxi. die xi. Ianuarij Carolus v. Imp. frequenti procerum Germanię conuentu, Aquiſgrani FERDINANDVM Bohemię & Vngarię regem fratrem ſuum, ut gradum ei faceret ad imperiũ, regem Ro. declarauit.

Terræmotus in Luſitania.

Anno eodem, ſeptimo Calen. Febr. motu terrę, cõcuſſa eſt tota ferè Luſitania. Vlyſſiponę corruerunt mille & quingentę domus, ex omniũ ſpectatiſſimis, plus ſexcentę ruinã minatę ſunt. Templa omnia in lapidum aceruum redacta tradũtur. Hic motus terrę dies octo durauit, & quotidie per interualla redijt, ut ſepties aut octies interdiu huic periculo fuerint obnoxij incolæ, unde relicta urbe, homines in campis ſub dio agere ſunt compulſi.

Atrox peſtilentia.

Ad hęc, ex locis illis quidam ſcripſerunt certos hiatus factos, unde peſtilentiſſimus aer exhalaret, atq; hinc atrocem ortam peſtilentiam.

Cometes.

Hoc anno, menſe Aug. uiſus eſt Cometes in Germania, Italia & Gallia, ad Occidentẽ tribus hebdomadibus, de qua uarię doctorũ hominũ opiniones fuerũt.

Turca tentat Viennam.

Eodem anno agente Aquiſgrani, à coronatione, Ferdinando rege, tum ratus Turca ueniſſe tempus, quo rem Chriſtianã uel modico conatu affligeret, in Hungariam recurrit, Viennã iterũ tentare uolebat, ſed Imp. Carolus & Ferdinandus

Cęſar

Cæſar cum ad ſuos ſcripſiſſent, ut uiderent ne maius aliquod detrimentum Chriſtiana reſpub. pateretur, duces caſtra caſtris contulerunt, cum hoſte in aciem deſcenderunt, fuit id fœlix prelium, copiarũ Solymanni parte multo maxima, aut capta aut cęſa.

Eodem anno & menſe in littore Hollandię, non longe ab Herlemo, mare piſcem eiecit mortuum, qui longus fuit pedes ſexaginta octo, craſſitudini eius, qui uiderunt, triginta, oris hiatui, tredecim pedes tribuunt. *Piſcis longus pedes ſexaginta octo.*

Idem annus Ludouicæ matris Franciſci primi, Gallorũ regis morte, ac uictoria Polonię regis, contra Vayeuodam Muldanię Turcę tributarium, & Valachos inſignis fuit. Valachi bis eum Polono manus conſeruerunt, Polonus utroque pręlio ſuperior, priore Valachorũ ſex millia profligauit, ex quo numero multi cęſi, capti ſunt quam plurimi, altero, ipſum quoque Vayeuodam duobus uulneribus ſaucium fugere coegit. *[illegible]oni uictoria, contra [illegible]achos.*

BELLVM TYGVRINORVM CVM ALIquot Helueticis pagis. Anno M.D.xxxi. Et Zuuinglij mors.

ANno Domini M.D.xxxi. Vndecima die Octobris, cum nunciaretur bellum Tygurinis à quinque pagis, hora xij. diei, & hoſtis ex improuiſo iam imminiret ditioni eorum, mox egreſſi ſunt è Tyguro ciues numero M. cc. & circa Capell & Bremgarten inuenerũt hoſtem, ad ueſperam hora quarta in conflictu Tygurinorum, circiter tria millia confluxerãt, prefectus bombardarum Tygurinorum bis emiſit pixides in quinque pagenſes, nec in uanum, multis abſumptis. Inſuper qui pro patria pugnabãt, bis hoſtem in fugam adegerunt. Tandẽ Vri, Schuuitz, Vnteruualden, Zug (Lucernates enim non dicuntur adfuiſſe) ut belli euentus uarius eſt, uictores euadunt, ſed non ſine magno damno accepto. In hoc conflictu Tygurini ultra quadringentos uiros non amiſerunt, ſed illos preſtantes & incomparabiles. Inter quos fuit Vlrichus Zuinglius. De cuius uiri interitu clariſſimus uir Heinricus Bulinger, ſic ſcribit in libro, de functione Prophetica. In hoc homine ardens fuit amor iuſtitiæ, flagrans æquitatis ſtudium, & inexplebilis patriæ fœlicitatis cupiditas, contra uero, ſummum in flagitioſos, & extremum in flagitia odium. Nemo enim facile explicarit, quantis ſudoribus luxum inertem, ſanguinolentos largitiones, & multorum ſęuam expugnarit olygarchiam, & rurſus quanta cura auitam frugalitatem, probitatem, & ſanctum (Ioiadæ ad amorem) ſtuduerit reſtituere imperium, quas ob res, uir Dei ſanctus, pulchram tandem oppetijt mortem. Ab ijs enim cęſus eſt, quibus ipſe ſeſe tota impenderat uita, ut illos à largitionibus, bellis, luxu, peſſimis quoque ſuis ſtudijs, in uiam reduceret iuſtitiæ. Hæc autem mortis uiri iuſtiſſimi, ueriſſima eſt cauſa, ut ut alij alias necis iactitent cauſas. Huc facit quod Zuinglium non animi libido ad pugnam animauit, ſed ſanctum magiſtratus edictum armauit. Hæc ille. In altero conflictu, qui fuit circiter xxvi. diem Octobris, in monte apud Zug, deſyderati ſunt plus minus octingenti. De hoc bello fortaſſis Heluetici ſcriptores, ut de alijs memorabilibus, certiora breui tradent.

DE IOHANNE OECOLAMPADIO PIISSIMO ac doctiſſimo uiro, præceptore chariſſimo.

NAtus eſt anno lxxxij. ſupra milleſimũ quadringenteſimũ in oppidulo Chetuſcorum Vuinſperga, parentibus, ut illic uiuitur, abunde diuitibus, unum hunc ex liberis ſuis ſuperſtitem, literis & religione prope lactantẽ imbuerunt, perceptis literãrũ emolumentis amplius erudiendus Heltprunnam, deinde Heidelbergam uenit, ubi eos progreſſus fecit, ut natus annos nõ amplius duodecim tolerabilẽ uerſum ſcriberet, biennio poſt Baccalaurei, ut uocant, honorẽ obtinens. Nec minus illa ætate, religione & uitę innocentia, fecit operępreciũ quam literis. Poſteaque adeptus eſt Magiſterij titulum, Bononiã conceſſit, iuris ſtudendi gratia ſed intra ſemeſtre tempus cũ ualetudo cœlũ Italicũ aduerſaretur, coactus eſt redire ad ſuos *Oecolamp. natus.*

ad ſuos. Heidelbergam repetijt, poſthabitis legibus ciuilibus, audiendæ Theo-
[..]tutor liberorum [..]s Palatini.
logiæ ſe mancipauit, admiſſis in partẽ literis humanioribus & linguis. Conſilia
omnia huc conferẽs, ut ueritatis literatę cõſcius atq; domeſticus fieret. Quo factũ
ut princeps elector Philippus Palatinus liberis ſuis natu minoribꝰ inſtitutorẽ eũ
præficeret. Aulæ ualedicens, ad pia ſtudia redit, & Eccleſiaſtes fit Vuinſpergenſis
[..]leſiaſtes Vuinſpergenſis. Dragmata.
prius tamen Tubingã adijt & Stutgardiæ Capnionem illis temporibus in lin-
guis doctiſs. conuenit, à quo guſtum qualemcunq; Græcarum literarum intra
paucos dies cœpit, quem breui adeo ex mutis (ut dicitur) magiſtris prouexit, ut
Heidelbergam reuerſus, Grammaticam cui titulum fecit Dragmata, conſcribe-
[..]rochus Baſilien.
ret. Simul Hebræa à quodã Hiſpano eodem tempore didicit. D. Capitonis tum
Concionatoris Baſilieñ. opera effectum poſthac eſt, apud Chriſtophorum ab
Vtenheim, Epiſcopum Baſilienſem, ut Oecolampadius parochiæ primi templi
Concionator Auguſtanus.
Baſilienſis præficeretur, ibi cum D. Eraſmus primum annotationes noui Te-
ſtamenti æditurus eſſet, Oecolampadium in participatum ſanctiſſimi operis
acciuit. Deinde uocatur à Canonicis Auguſtanis, ut concionibus illic primi tem-
pli præſit. Atqui nondũ maturuerat meſſis Chriſti, nec dum alba ad meſſem ſe-
Seceſſus Oecolampadij.
ges Euangelica, uitaq; cum uulgi tum Eccleſiaſticorũ corruptior, quam quæ me-
dentis manum ferret. Inde ſecedendi captauit conſiliũ. Iam in hoc inſtituto cum
eſſet, præter conciones certas quas ædidit, ſcripſit etiam de confeſſione librum,
huius occaſione Glapion Franciſcanus, qui tum Cęſari Carolo à confeſſionibus,
ingens uiro periculum creauit. At fortunante Domino, ſolicitantibus amicis &
Venit ad Franciſcum Sickingen.
conſentientibus fratribus qui in eo cœnobio erant tuto diſceſſit, uenit Mogon-
tiam, ibi Capito à conuentu Vuormatienſi, cum Caſ. Hedione colloquentem,
præter expectationem depræhendit. Inde ad Heroem illum incomparabilem
Franciſcum à Sickingen apud quem Miſſam repurgare cœpit, & uertit ex Chry-
ſoſtomo Pſegmata. Vbi autem uir ille infœlici bello implicitus, Baſileam cõceſ-
ſit, ibiq; ſenatu uolente, ut ut Sophiſtæ reclamarent, publice Eſaiam prælegere
cepit. Mox petente id parrocho ad D. Martinum, pro eo functus eſt concionan-
di munere. Magna papiſtici gregis inuidia, ſed uicit tandem is quem pure prędi-
cabat, Chriſtus. Itaq; annos v. ſine legitimo ſtipendio parœci uel Cõcionatoris,
Chriſtum docuit. Eodem tempore Chriſoſtomum in Geneſim & Theophila-
Diſputationes, Badenſis, Bernenſis.
ctum uniuerſum latinos fecit. Diſputationi Badẽſi in qua Faber & Eccius regna-
bant, non ſine gradi periculo interfuit. Poſt annum, & Bernenſi diſputationi &
reformationi operam ſuam egregie nauauit. Non diu poſt Baſileæ & in agro
Reipu. Baſilieñ. huius grauiſſimi uiri conſilijs & dexteritate, cepta fuit reforma-
Baſilea.
tio, reſtitutaq; in illa ſua Eccleſia diſciplina Eccleſiaſtica & cenſura excõmunio-
Vlma.
nis. Mox accerſitus ulmam cum Ambroſio Blaurero & Martino Bucero ſalubri
conſilio ei Eccleſiæ adfuit, ut ad Euangelij gnomonem Eccleſiaſtica omnia exi-
gerentur. In ſumma, doctrina Dei, uita inculpata & benefactis non ſolum Ger-
maniæ ſed orbi Chriſtiano ſtuduit ſalutaris eſſe, teſtantur hoc innumerę uerſio-
nes Chryſoſtomi, Cyrilli, Theophlacti &c. Explicationes ſanctę in Eſaiam, Hag-
geum, Zachariam, Malachiam, Danielem, Iobum. Hieremiam, Ezechielem, in
Epiſtolam ad Hebræos. In Iohannis Euangelium, in Canonicam Iohannis, in
Romanos &c. Verum cum Heluetia. Anno mill. D. xxxi. infœlici bello flagra-
ret & Zuinglius fortiſſimus, reſtituendę apud ſuos innocentię, adſertor, & ſedu-
Verſiones Oecolampadij.
lus Euangelicæ ſynceritatis uindex, ceciderat, Anthrace corripitur Oecolampa-
dius, & poſtquam xv. diebus decubuit, poſt multa ſancta colloquia, quæ habuit
cum primoribus uiris & miniſtris Eccleſiarum, adductis etiam in conſpectũ libe-
ris: Agite, inquit, tu Euſebi, tu Erena, tu Alethæa mea pignora Deũ diligatis &c.
Tandem ultimam hanc uocem, Salua me Chriſte Ieſu, emiſit os illud ueneran-
dum & pium caput, ac obdormiuit in Domino. Hæc αὐτόπτης. Gryneus in Epi-
ſtola ad Capitonem & Capito in uita Oecolampadij ſummatio indicant, qui fu-
ſius hęc ſcire uelit, legat & profecto cum fructu leget.

Anno milleſimo quingenteſimoſecundo Carolus Imperator ex Brabantia ue-
nit Ratiſponam, ubi comitia indixerat, & cum eo Rex Ferdinandus præterea &

alij principes. Conſulturi in cauſa religionis & in reſiſtendo Turcæ.

Anno Domini mill. D. xxxiiij. Cum Illuſtriſſ. dux Vlricus miniſtri ſui iniquam cędem ultus, Reutlingam ciuitatem liberam & cõfœderatam, in ditionem ſuam redegiſſet, à fœdere Sueuico pulſus, annis ferè quindecim exularet, tandem Illuſtriſſ. Princeps Heſſorũ (quæ eſt eius diuina indoles & induſtria) auunculi principis cauſam animaduertens negligi, comperendinari, contemni, indies haberi & fieri deteriorem, conciliatis Principum externorum & potentum Germaniæ animis, collecto milite tam ſuo quã externo, eoq; ueterano & omnibus diligentiſſime proſpectis, mittit legationẽ in Hiſpanias ad inuictiſſ. Cæſarem Carolum honeſta & iuſta oratum, alteram ad Cæſaris fratrem Ferdinandum, Pannoniæ utriuſq; & Bohemiæ regem, eadem, quæ à Cæſare, petitum, ut uidelicet, duci Vlrico paternus ducatus reſtituatur, ſe idcirco nunc in armis eſſe qui ducem affinem reſtituat. Porrò legatis non ſatis ęqua referentibus, prodit in bellum quibus ualebat pollebatq; uiribus, uenit, uidit, uicit, obuiam it aduerſarijs apud Lauffenũ (oppidi id nomen eſt) Philippus Philippo, Bauarus Heſſo, is inquam, Illuſtriſſimus princeps Bauarus, qui tertio ab hinc anno Turcarũ uim ſuſtinuerat, Viennæ Auſtriæ de tota Germania optime meritus, hic fortiſſimus heros uulneratur, quod non ſine ingenti mœrore tulit Heſſus. Arces munitiſſimæ, quæ Imperij uires laturæ putabãtur, quæq; ſuperioribus annis confœderatorum minas & machinas contempſerant, Aſpergum, Auracum, Niffa & reliquæ alię ſeſqui hora, alię ſeſquidie Heſſum accipiunt, una ueterem & deſyderatum dominum Vlricum. Itaq; pauciſſimis diebus toto cõfecto negotio, recuperatoq; Vlrico ducatu, ad Danubium caſtrametatur Heſſus, mox igitur per Illuſtriſſ. Principes electores Albertum Archipræſulum Mogontiæ & Ioannem Fridericnm Saxoniæ, Georgium ducem Saxonię, oblatis acceptisq; pacis conditionibus, reuertitur in Spartam ſuam, Dei Opt. maximi clementiæ & bonitati acceptum ferens fœlicem rerum ſucceſſum & uictorię huius gloriam. Nec minor tum fuit, imo ueriſſima uictoria inclito Ferdinãdo Cęſari inuictiſſimo, qui ſeipſum uicit, uicit affectus ſuos, quibus ſi indulgere quam reſiſtere maluiſſet, ſi uires experiri ſuas, quis nõ uidet, quanti motus, quantæ cædes futurę fuiſſent, nihilo uicto deteriores quam uictori, nihilo uictori letiores quam uicto, quare maluit ab exiguo cadere ducatu, quã turbari Germaniam, pro quo beneficio, quod cedendo contulit, dominum & Auguſtum ſuũ agnoſcit, Vlricus Auſtriacę ſalutis & Germanicę pacis ſemper ſtudioſiſſimus. Agnoſcit Heſſus Cęſarem, agnoſcit orbis Chriſtianus defenſorem & protectorem ſuum.

Eodem anno pij magiſtratus ciuitatum Conſtantienſis Lindouię, Iſnę Biberaci, ope & auxilio optimi uiri Petri Buſleri ciuis Iſnenſis, erexerũt ſtipendia aliquot pro canditatis Theologię, ut poſteritas uel aliquos habeat appoſitos ad docendum uel iuuentutem uel Eccleſiam Dei. In hoc Senatus Argentoratenſis, ut gloriam Dei & publicam utilitatem proueheret, anno mil. D. xxxv. Cœnobium prędicatorum ordinauit, pro ciuitatum & Buſleri Stipendiatis, & pro ijs, quos Reſpu. Argentoratenſis ad eundem ſcopum alit & fouet, quorum iam aliquot habent, bonę ſpei adoleſcẽtes, Theologię & honeſtatum diſciplinarum ſtudioſos: Ii communem habent pręceptorem, uirum pium & eruditum, audiunt lectores Theologię, linguarum & profeſſores publicos, Dialectices Rhetorices Mathematices. Habent uiſitatores & pręſides è ſenatu paternę proſpiciẽtes, ut in doctrina uitę & uictus ratione, ad honeſte et commode uiuendum nihil deſit. A lectionibus habẽt ſuas repetitiones diſputationes exercitia & colloquia frugi. Item præludia quędam & exercitamenta, ad hanc functionem docendi, ut pulcherrimam ita difficillimam. Nam mane & ueſpere lectiones habẽt ex ſcriptura ſancta. Ibi ex adultioribus, ad quartale unius horę ex loco ſcripturę prælecto ſermonem cohortationis habet, & fit huius conciunculę per orationem ad Deum concluſio. Ita pergunt per tota Biblia quę iam aliquoties finierunt. Non diſſimile ſtipendium egregius uir Iohannes Symler Canonicus Petri Iunioris Argentora. pro duobus Theologię candidatis, conſilio ſanctiſſimi Theologi doctoris Io

hannis Keyſerſpergij, Concionatoris Argentoratenſis ſuperioribus annis erexit. Potentiſſimus Deus dignetur miſereri Germanię, & uel aliquos excitare, qui tangantur cogitatione communis boni, ut diuites huiuſmodi illis bonis operibus diuites ſint, & cooperatores ueritati. Eccleſiaſticos in primis oportuit hæc curare: ſed accidit iuxta prouerbium: Malè parta, malè diſperſa.

DE ERASMO ROTERODAMO.

ANno Domini mill. D.xxxvi. menſe Iulio, moritur Eraſmus Roterodamus, ornamentum noſtrę ætatis, cuius uiri uitam, utpote de honeſtis diſciplinis optime meriti, libet hic ſubijcere. Vixit ad ſeptuageſimum annum, de anno quo natus eſt apud Batauos non conſtat. Apud Dauentriam primum poſuit in literis tyrocinium, utriusq; linguæ rudimentis imbibitis ſub Alexandro Hegio Vueſtphalo, qui cum Rudolpho Agricola recens ex Italia reuerſo, amicitiam cõtraxerat, & ab eodem Græce docebatur, nam huius lingue peritiam ille primus in Germaniam importauit. Terentij Comœdias puer non ſecus tenebat ac digitos ſuos, memoria namq; fuit tenaciſſima, ingenio perſpicaciſſimo. Exceptis rudimentis plane dici poteſt in literis αὐτοδίδακτος. Nam quod in Italiam iam natu grandior profectus eſt, poſt regij apud Anglos medici filios, Archiepiſcopi quoq; ſancti Andreæ in Scotia, qui tum Senis degebat aliquandiu profeſſor, nobiliſſimæ regionis uiſendæ cauſa fecit, non ut profeſſoribus operam illic daret. Neq; enim Bononiæ quenq; publice prælegentium audiuit, ſed Pauli Bombaſij, qui ſub Leone poſtea Romę perijt, amicitia cõtentus, domi ſtudijs ſuis inuigilabat. Adagiorum opus tum colligens, quod paulo poſt Aldo Manutio dedit excudendum, quæ res fecit, ut Venetias adiret, ubi Marco Muſuro atq; Scipione Carteromacho, uiris doctiſſimis familiariter uſus eſt, quos ambos non ſemel conſuluit, ſi quis nodus incidiſſet, horum candorem ac eruditionem apud amicos commendare ſolitus. Docuit Louanij, Cantabrigiæ, in Anglia, Lutetię etiam priuatim, ubi Theologiæ dedit iuuenis operam: pileum deinde doctoralem, quum in Italiam iret, in Taurinenſi academia accepit. Patronos ac mœcenates habuit, Henricum à Bergis epiſcopum Cameracenſem, Gulielmum Montioium, atq; omnium liberaliſſimum Gulielmum Guarauium, archiepiſcopum Cantuarienſem, Anglię primatem. Amicos in Britannia, Iohannem Coletum, Grocinum Latumerum, Linacrum, Thomam Morum. Antuerpiæ Petrum Aegidium, Conradum Cochlenium Louanij. Corpuſculo fuit ſatis compacto, ſed quod eſſet tenerrimæ complexionis, & minimarum etiam rerum mutatione, puta uini, cibi, cœliúe, facile offenderetur. In literis uerſabatur infatigabili ſtudio. Teſtantur hoc tot ab illo conſcripti libri, quorum catalogus extat Baſileæ. Vixit apud Iohannem Frobenium aliquandiu: deinde in alteris eiuſdem ædibus ſeorſum habitauit. Friburgi ſeptennio toto uixit, non ſolum optimo cuiq; eius academiæ charus, uerum etiam magiſtratibus ciuibusq; haud uulgariter amatus, atq; reuerentiſſime cultus. Friburgo reuerſus, cum articulari morbo aliquandiu conflictatus, tandem uiribus paulatim deficientibus, cum fermè menſem integrum dyſenteria laboraſſet, apud Hieronymum Frobenium Iohannis filium, quinto Idus Iulias, ſub mediam noctem, uita functus eſt.

Quum autem uitæ finis inſtaret, clara Chriſtianæ patientię & animi religioſi documenta ędidit, quibus in Chriſtum ſe ſpem omnem figere teſtabatur, aſſiduè clamans: O Ieſu Miſericordia, Domine libera me, Domine fac finem, Domine miſerere mei: & Germanica lingua, Lieuer Gott/ hoc eſt, Chare Deus. Teſtamentum condidit, in quo clariſſimum uirum Bonifacium Amerbachium Iureconſultum nominatum hæredem fidei commiſſo, de bonis ſuis in pauperes, ætate, ualetudineúe infirmos, in puellas nupturas, ut harum pudicitiæ ſuccurratur, in bonę ſpei ſtudioſos adoleſcentes, ac in quoſuis huiuſmodi dignos auxilio diſtribuendis collocandisq;, onerauit, adiunctis eidem duobus executoribus, Hieronymo Frobenio, & Nicolao Epiſcopio.

Elatus

Elatus fuit humeris ſtudioſorum ad ædem cathedralem, in ſiniſtro templi latere, ubi ſacellum fuit D. Virgini ſacrũ, honorifice ſepultus, Anno Domini mill. quingenteſimo, triceſimo ſexto, xi. die Iulij.

DE CONCORDIA EVCHARISTIAE, ANNO M. D. XXXVII.

SAncta Euchariſtia, ut eſt ſumma eccleſiæ actio & Sacramentum, quo redemptionis noſtræ opus pleniſſime commemoramus & percipimus: ita Satan illud peruertere præcipua ui ſtuduit, ut certe in nulla re alia tantum abominationis eccleſiæ pridem obtruſit.

Cum ergo Dominus dediſſet hoc Sacramentum ſicut & cętera inuecta per Antichriſtum, repurgari, Satan nihil intentatum reliquit, ut id in eccleſijs non ſuccederet. Nam noſtra ingratitudine offenſus Deus, quemadmodum olim, ſic & hoc noſtro tempore illi permiſit, nos nonnihil cribrari. Factum itaq; eſt, ut dum D. Lutherus & pleriq; alij, abuſus Papiſticos ſic inceſſerent, ut tamen præſentiam & manducationẽ ueram in ſancta cœna plenè exprimerent, uiſi hij ſunt Zuinglio & alijs nonnullis, naturalem quandam Chriſti cum pane coniunctionem, uel localem in pane incluſionem ſtatuere, quo illi putabant Chriſtum gloria cœleſti detrahi, & animos hominum pani pro Chriſto affigi. Verum dũm iſta impugnare uolebant, ſic uiſi ſunt panem & Chriſtum ſeparare, & cœlum Chriſto adſerere, homines à pane reuocare, ut crediti ſint, Chriſtum penitus cœna eximere, & myſterium Sacramenti penitus reijcere. Hinc utrinq; maxima & crudelis exorta pugna eſt. Cui primum Illuſtriſſimus Princeps Philippus Lantgrauius mederi conatus eſt, colloquio indicto Marpurgi, anno mill. D. xxix. In quo colloquio propemodum conuenerunt partes, & plura communiter ſubſcripſerunt, quàm pleriq; putaſſent. At dum altera pars etiam præſentiæ Chriſti in cœna confeſſionem poſceret, qua altera putabat Chriſtum detrahi cœlo, & fieri cibum uentris: altera etiam daret quæ adhuc uiderentur inania in cœna relinquere ſymbola, de præſentia Domini in cœna plane conuenire non potuerunt. Sed poſtea Auguſtæ in comitijs, & poſt comitia uarijs molitionibus intercedentibus actum eſt, donec Dominus dedit alterum conuentũ Vuittembergæ, anno Domini milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto, menſe Maio. In quo eiuſmodi confeſſio de hoc & toto ſacro miniſterio recepta & ſubſcripta eſt. In qua Chriſti & donorum eius exhibitio & perceptio ſic exprimitur, ut nec inane miniſterium, aut uacua ſymbola relinquantur: nec tamen quicquam Chriſto indignum, aut contra puritatem fidei aſſeritur.

SVCCESSVS DOCTRINAE PIETATIS, REFORMAtionis morum, ſtudiorumq́; per Germaniam, ſub principibus & Rebuſpublicis, ubi Euangelium purius annunciatur q̃ antea, Ab anno M. D. xviij. uſq; in annum M. D. xxxvij.

IN hiſce annis & ſuperioribus, hoc eſt, ab anno mill. D. xx. uſq; in præſentem annum, apud Principes aliquot Germaniæ, apud liberas & Imperiales ciuitates prodierunt Edicta, ut qui ſub eis docere uelint, nihil niſi ſanctum Euangelium & Dei doctrinam doceant, liberè, & palam, & quicquid ad augendam charitatem Dei & proximi facere queat, inculcent, omiſſis omnibus alijs nugis, quæ ad analogiam fidei non faciunt. Interim abſtineant etiam ab omnibus conuitijs, & omni eo quod proximum non ædificat, & inquietudinem contra magiſtratus prophanos & eccleſiaſticos excitare queat, unde nemo alium laceſſat conuitijs, clam aut palam, Hæreticum, Nequam, Sceleratum, Nebulonem uocando, ut hoc magis fraterna & ciuilis charitas poſſit ſubſiſtere.

Edicta ut doceatur Euangelium.

Quæ omnia prud[en]tes Principes & Senatores non alio animo præceperunt, quam Chriſtia[ni]ſſimo, & percupiente Euangelicam ueritatem, concordiã fra[te]rnam & pa[ce]m promota & defenſa pro uiribus.

...sos.

Prætere[a] edicto cautum fuit. ne quis libellis famoſis aut picturis quenquam traducat. Si quis uelit emittere libellos, aut quid ſimile, ut antea ordinatis ad hoc exhibeat legendos. Simul ne aliunde allati libelli aut calumniatrices picturę uen[]dantur. Sunt enim hæc infirma præſidia, & ueritas res eſt inuicta, nec eget illis adminiculis uaniſſimis. Alicubi prudenti deliberatione habita, miſſæ papiſticæ in numerum pauciorem, redactæ fuerũt, relictis aliquot paucis in ſingulos dies, [ea]q; ad tempus, deinde ubi dies diem docuit, negotio de abolenda miſſa ultro [c]itroq; agitato, nec in una nocte, ut prouerbium habet, conſilio capto, utili & honeſto in utramq; partem expenſo, prorſus miſſæ papiſticæ ſuſpenſę ſunt, quoad pars aduerſa ex uerbo Dei habendas edoceat.

Mox Ironicę ceremonię ſuſpenduntur, canuntur Pſalmi Teutonice, utraq; ſpecies datur laicis. Quantum ad ueſtes, cibos, ieiunia, ferias, uota, matrimonium, confeſſionem, omnia docentur libera, fides per dilectionem operans commendatur. Excutitur graue iugum hominum & conſtitutionum onus à libero Chriſti populo. Vtinam ab omnibus ſimplici oculo & ſic ut omnes ſe ſubmittant iugo Chriſti, & ut gratiam Dei nemo in laſciuiam commutet.

...a tolluntur.

Hoc tempore & deinceps edocto populo multis concionibus, ut fugiant ab Idolis, hoc eſt, ne ad lapides & ligna conuertantur & dicant, Deus meus es. Simulachra quædam ſuperſtitioſa & à uiuente Deo auocantia, per magiſtratum decenter & ordine è templis ſubmota, etiam diuæ uirginis imagunculę incertæ, & in uicem poſita hæc ſcriptura: Soli Deo gloria, quicquid oraueritis patrem in nomine meo dabit uobis.

Inſuper priora edicta aliquoties renouata, & repetita, quo magis magiſtratus & populus placidam & quietam uitam cum omni pietate & honeſtate degere queant. Honeſtarum enim & neceſſatiarum rerum nulla eſt ſacietas.

Cantus Germanicus.

Iam quia in Eccleſia omnia ad ædificationem fieri debẽt, canticum, doctrina, lingua, reuelatio, interpretatio. prima Corinth. xiiij. His annis quæ ante hac latine prælecta ſunt rudi populo, cœperunt Germanicę proponi: Benedictiones matrimoniorum, Sacramentum Baptiſmi, Sacramentum Euchariſtiæ, ut populus Amen reſpondere poſſit. Et ut nemo iure conqueri poſſit, in templo Dominico non audit uerbum Domini: Vnde templa uocantur, & ſunt Dominica.

Conciones.

In pleriſq; templis receptæ doctrinę pietatis in ſingulis diebus habentur conciones duę, tres, quatuor. Item Catheciſmus puerorũ, maxime diebus Dominicis, neceſſarium exercitium ſi iuuẽtutem, in quiduis ſequacem, à Gentiliſmo imminente recipere uolunt, fideles & prudentes concionatores.

Conſtitutio morum.

Et ne quis putet ſatis eſſe ceremonias demoliri, ac impium cultum, niſi & innocentia morum & Deo placens uita ſuccedat. Conſtitutiones & edicta contra blaſphemias iurandi abuſum, luſus, ebrietatem, adulteria, ſcortationem, ſtupra & id genus alia uitia, quibus nomen Dei blaſphematur & Euangelium male audit, promulgata ſunt.

Profeſſores Ludimagiſtri.

His quoq; annis, quoniam iuuentus Sementis eſt Reipubl. Principum & Magiſtratuum prudentia, proſpicitur gymnaſijs, ſcholis profeſſoribus ludimagiſtris, apud quos cura ſit educationis liberorũ, qui in ludis latinis & Germanicis, ad hunc ſcopum omnia dirigãt, ut iuuentus ſapientior & melior euadat. In hoc quater in anno præſentibus grauibus uiris in eminentia conſtitutis, magiſtri & præceptores conueniunt, de ingenijs ſuorũ puerorum ſermocinantur & conſultant & cui rei quiſq; puer idoneus ſit indicatur. Res quidem adhuc herbeſcit, ſed in dies ſperamus meliora.

Præfecti Eccleſiarum.

Nec etiam leuibus de cauſis pleræq; Eccleſiæ habent ſuos præfectos, quos Seniores Eccleſiæ appellare queas, ſpectes imaginem ueteris Chriſtianiſmi. His incumbit ſi Parrochus aliquis opus habet admonitione, uel in doctrina uel adminiſtratione ſacramentorum, uiſitatione infirmorum, uita ſua & ſuorum, &

uel hocipſi uideant, uel ab alij ... monere non re-
cte in cedentem aut ſecantem ... imbit, cum mini-
ſtris uerbi conſultare, quid q ... uel alijs Eccleſiæ
exercitijs Reipublicæ Chriſtia... queat. Fidele ... m & prudentes
uult Dominus habere diſpẽſat... quis ſe offerat ... rachia aliqua,
qui rationem fidei ſuæ dare ... t (non enim ſpiritus extinguen)di ſunt, & ius
ſedentium Paulus non uult ...ectum) coram illis quoque quan... commi...
fieri poteſt.

Nec diſſimili ratione Principes & Magiſtratus quotannis uiſitationem eccleſiarum quæ in agro ſunt, inſtituerunt. Præclarum enim opus eſt ἐπισκοπεῖν, hoc eſt, præeſſe, prodeſſe, benefacere, proſpicere, uigilare, paſcere, & omnem curai impendere, ne quis à gratia Dei deficiat, ne qua radix amarulentiæ ſuppullulans obturbet & per hanc inquinentur multi. Ideo hæc habetur ratio in uiſitatione Eccleſiarum aliquarum certe. Primum fit ſermo exhortatorius clara breuitate, & ut ita dicam laicis, de doctrina pietatis, de recta uita, quę hanc ſequi debet. De uſu ſacramentorum. Et quod leticia ſacramentorum, cum ſanæ dinæ luce clareſcunt, fœlicitati omnium Imperiorum mundi præferenda ſit. Catheciſmo puerorum. De magiſtratus obedientia. De eccleſiarum unitat Poſthac conuocatis Sculteto & Iudicibus, cuiuſq; loci ſerio rogant uiſitatores de doctrina & uita Parrochi a. ſuorum. An ſit ἀνέγκλητος, diſpenſator Dei, no uinoſus &c. primo Thimoth. ſecundo, & quicquid eſt miniſterij huius an ho ad plenum probatum reddat. Deinde an in grege ſuo ſectarios habeant. Vt conſtitutiones magiſtratus contra blaſphemiã, adulteria, ludum, ebrietatem, ſcortationẽ & id genus uitia obſeruent: Vt doctrina Euangelij fructificet: An melius habeat populus à uiſitatione. An quiſq; egeat qui ſenio aut ualetudine aduerſa laborare nequeat: Vt pro illis habeatur eleemoſyna. Hoc examine diligenter habito, rurſus cõgregatis ſenioribus cuiuſq; pagi grauiter illis dicitur: Vt paterne & fideliter doctrinam pietatis & unitatem eccleſiarum promoueant, ut Euange doctrinam recta uita probatam exhibeant. Vt ſit uerus uſus ſacramentorum, ut abuſus apud baptiſmum in conuiuijs tollatur. Sacræ Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutæ eos non pudeat. Curam iuuentutis habeant, eoq; Catheciſmos in precio habeant. Beneficentiæ & eleemoſynę ne ſint immemores. Et ut in ijs omnibus res fœlicius ſuccedat, Eccleſijs in agro præfecti quoq; Eccleſiarũ ordinati ſunt, pij & integri uiri laici, qui una cum Parrocho aduigilent, & cooperatores ſint ueritati, ut paretur Domino plebs perfecta. Hactenus paraleipomena, quantum breuitate temporis fieri potuit, ſtudioſus quidam hiſtoriarum adiecit.

Lector boni conſulat, & pro gloria Dei prouehenda publica utilitate & honeſtate, allata hęc, interpretetur. Fauente eo qui πάντα ὁρᾷ & πάντα ἐπακούει, ut inquit poeta, poſthac pleniora & meliora dabimus.

FINIS.

ET AVTORVM

LIBRI.

Liber Conciliorum.
Geſta Concilij Baſilienſis.
Ottho Friſingenſis.
Antonius Sabellicus.
Platina.
Blondus.
Paulus Aemilius.
Raph. Volaterranus.
Robertus Gaguinus.
Supplementum Chronicorum.
Aeneas Syluius, dictus Pius ſecundus.
Nauclerus.
Baſilius Mulbrunnenſis.
Epitome rerum Germanicarum Sebaſtiani Murrhonis, & Iacobi Vuinphelingij.
Doctor Malleolus Tygurinus.
Heinricus Bullinger.
Hadriani Barlandi Rhetoris, inclytæ Academiæ Louanienſis, de rebus geſtis Ducum Brabantiæ.
Beatus Rhenanus in epiſtola ad reuerendiſs. Colonienſem de uita Eraſmi.
Simon Gryneus, & Capito de uita Oecolampadij.
Achilles Pyrminius, D. Gaſſarus.
Chronica Carionis.

LIBRI SCRIPTI.

Liber S. Peter Kaſtel.
Liber Bibliothecæ Landenburgenſis.
Fragmenta Vuormatienſis Chronicæ
Chronica ſcripta Argentoratenſia.
Chronica Hermanni Minoritani.
Actorum aceruus, confuſe diſperſus, in unum collectus, cura Conradi mollitoris Notarij, anno Mcccclxxxix.
Collectanea Gerardi Nouiomagi.

FINIS.

ARGENTORATI APVD CRATONEM MYLIVM, MENSE MARTIO, ANNO DOMINI M. D. XXXVII.

Ro-bacs

bfell